




DOM. S. ALOYS. + JERSEIENSIS + S.J.
IHS




BIBLIOTHECAE PATRUM CISTERCIENSIUM.

SIVE
OPERUM ABBATUM ET MONACHORUM CISTERCIENSIS
Ordinis, qui sæculo S. Bernardi, aut paulò post ejus obitum floruerunt.

TOMUS QUINTUS

CONTINENS, OPERA
BALDUINI Fordæ in Anglia quondam Abbatis, posteà
Cantuariæ Archiepiscopi.
Et AELREDI Ric-vallis item in Anglia Abbatis

Labore & studio F. BERTRANDI TISSIER, *Doctoris Theologi, Boni-fontis in Therascia ejusdem Ordinis Prioris.*







BONO-FONTE,
Anno Domini. M. DC. LXII.

Venit Parisijs in Collegio S. Bernardi, & in vico S. Iacobi apud Edmundum Couterot, sub signo Boni-Pastoris

PERMISSU SUPERIORUM.





BALDVINI,

EX ABBATE FORDENSI ORDINIS CISTERC.

CANTVARIENSIS

QVONDAM ARCHIEPISCOPI,

OPERA.

VENERABILIS BALDVINVS, *cognomento* DEVONIVS, *natione Anglus, Oxonia humili loco natus, à Bartholomao Oxoniensi Prasule Magistris traditur, literis imbuendus. Qui cùm progressum non mediocrem in artibus liberalibus atq; in Theologia fecisset, ejusdem Ecclesia Archidiaconatu ornatus est: verùm Religiosa vita studio incensus, in Canobio Fordensi Ordinis Cisterciensis monachi habitum induit, deinde ejusdem loci Abbas eligitur: pòst in Vigorniensem Episcopatum, ac demum in Cantuariensem Archiepiscopatum evehitur anno ara Christiana* 1184. *Pallio & Legatia Anglia honoratur à Lucio 3. In cōgregatione procerum facunda oratione adversus Saracenos arma simul & commeatus Christianis persuasit: crucis & ipse tesseram assumpsit, & quosdam ex Abbatibus Cisterciensibus sibi socios adjunxit. Oenenm nobilem virum olim à S. Thoma excommunicatum exhumari, & in mare abjici jussit. Paci inter Gallia & Anglia Reges firmanda arbiter cum quibusdam alijs Pralatis designatus est. In Syriam tandem trajecit, & Saracenos ingenti clade prostravit. In eadem regione moriens, pecuniam, quam congregaverat, in usum sacra militia distribuendam legavit. Hac noster Angelus Manrique in Annalibus, ex Authoribus vita ejusdem. Multa scripsit, qua ab Arsfeldio vita ejus pracipuo scriptore, Pitseo, & alijs, apud eundem Manrique, recensentur. Pracipua sunt, qua ipsi primo loco referunt, & qua nunc in lucem edimus: scilicet Sermones, seu potius Tractatus diversi, quorum primus hoc habet initium,* Sacramentum Dominici corporis & sanguinis. *Sequitur liber de commendatione fidei, qui sic inchoatur,* Omnia fœdera. *Deinde opus De corpore & sanguine Domini, cujus exordium est,* Magnum & profundum veri novique, *quod Bartholomao Oxoniensi Mecœnati suo nuncupavit, hac prafatione,* Reverenda nomina Magistri &c. *Falluntur autem, qui quasi diversorum Opusculorum principia ponunt pradicta verba, scilicet,* Magnum & profundū *&c. & ista* Reverenda nomina &c. *cùm hac sint verba prafationis, ut dixi, illa autem initium Libri seu Tractatus prafationem sequentis. Habentur autem hac Opuscula in Clara-Vallensi bibliotheca, excepto illo, quod est de Commendatione fidei, quod in Longi-pontana cum alijs habetur, eleganti charactere exaratum.*



TRACTATVS DIVERSI

BALDVINI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

TRACTATVS PRIMVS.

De sanctissimo Eucharistia Sacramento.

SACRAMENTVM Dominici Corporis & Sanguinis pro sua dignitate & reverentia dignum est à dignis dignè tractari, dignè confici, dignè percipi, dignèque dispensari. Magna & inæstimabilis est dignitas hujus Sacramenti: & quis poterit ad eam? Magna est supra omnem modum intelligentiæ nostræ, suprà omnem mensuram capacitatis nostræ. Magnum est utiq; pretium mundi, pretium sine pretio, pretium inpretiabile, quod nulla æstimatione taxari potest.
1. Timo. 3. *Magnum,* inquit Apostolus, *pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Sacramentum hoc sacrificium est veritatis: nil in eo fictum, nil in eo simulatū, nil fucatum, nil magicis præstigijs adumbratū, sed vera sinceritas, & sincera veritas: veritas in eo quod patet, veritas in eo quod latet. Patet visibilis & vera species panis. * Ante consecrationem quidem est ibi vera substantia panis: sed in consecratione potenti virtute verborum transsubstantiatur & mutatur in veram carnem Christi; post consecrationem totus Christus sub specie visibili absconditus est, qui posuit tenebras latibulū suum. Ad quem Propheta loquitur dicens. *Verè Deus absconditus tu es, Rex Israel Salvator.* Isai. 45. Absconditus fuit Christus ab initio in sinu Patris; absconditus fuit pòst idem in forma servi, quam assumpsit; absconditus est & nunc in Sacramēto, quod ipse instituit. Absconditum in sinu Patris fides invenit; absconditum in homine fides nihilò minus invenit, invenit & ipsa fides in Sacramento

* *Adde,* latet verum corpus & sanguis Christi.

absconditum. Magna virtus fidei magnam habet familiaritatis gratiam apud Deum. Vbivbi inuenerit, accessum habet ad eum, & quodam domestico familiaritatis ausu ipsa penetralia, ipsumque cubiculum irrumpit. Non arcendam se putat ab ijs qui custodiunt atrium, non ab ostiarijs, non à cubiculariis: secura ingreditur, & mysterijs consiliorum Dei cōfidenter, sed reverenter, sese adjungit. Et quid mirum, si Deus cōsilia sua fidei fidelium suorum committit? Nonne Reges & Principes populorum fidelibus suis consiliorum suorum mysterium communicant? Fidelis est Deus, & absque iniquitate: & fideles amici sine iniquitate, qui fidem sibi servant, & in fide serviunt. Omnia opera eius in fide; & absq; fide impossibile est ei placere aliquid. Tentat autem Deus fideles & electos suos, vt inueniat eos dignos se. Tentat & fidem eorum, tentat & spē, tentat & dilectionem. Sed de fide nunc agitur, quæ multis modis à Deo tentatur, & in hoc Sacramento maximè ad probationem exercetur. Decrevit Deus æterno consilio in morte vnigeniti filij sui mundum salvare, & in mundum Salvatorem & salutem mittere; nec aliam salutē, quàm ipsum Saluatorem. Quod decreuit, hoc & promisit, & consilium suum fidelibus suis revelauit. Acquievit fides Sanctorum, crediderunt, expectauerunt promissionis impletionem. Deus autem distulit Christum suum. Quare distulerit, secreti sibi conscius est, ipse nouit. Interim autem exercebatur fides justorū. Quod promisit Deus, hoc ad probationem fidei multis modis voluit adumbrare, & varijs rerum significationibus & sacrificiorum figurari. Vetus enim illa legalium sacrificiorum solemnitas per legem instituta, & à Prophetis approbata, quædā fuit factæ promissionis quasi rememoratio, & futuræ completionis mystica significatio: vt res mirabiliter promissa, & mirabiliter pòst futura, testimonium habens à lege & Prophetis, in jugi sacrificiorum frequētatione, à memoria numquam excideret. In his quippe futurorū signis fides exercebatur ad divini honoris obsequium: ne otio languēs, à fervore suæ deuotionis tepesceret, & ab spe suæ expectationis, obliuionis accessione deficeret. Et si fidelis quispiam secum tractaret, quid sibi volūt hæc; pietas deuotionis semper haberet certum, quod in conscientia fidei maneret occultum. Et hæc quidem fiebant, donec vmbra cederet, veritas succederet. Venit enim qui venturus erat, venit sanctus Israël, factus est homo, in terra visus est, cum hominibus conversatus est. Notas fecit mundo vias vitæ, & impleta dispensatione pro qua venerat, ascendit in cœlum, vbi & nunc est, ad dexteram Dei sedens. Antequam in cœlū ascenderet, ne discipuli, cæterique fideles pòst futuri, de ipsius auxilio, subtracta oculis eorū corporali præsentia, diffiderent, vel desperarent, cōsolatus est eos, dicēs. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi.* Ergo nobiscum est noster Iesus. Cur nostrum non dixerim, qui nobis datus est? Filius enim datus est nobis. Nonnihil juris sibi vendicabat in hoc Iesu, qui ait. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo,* Hic noster Iesus, cum quo Deus omnia nobis donauit, non sustinet nobis abesse, in tantum nos amat, sicut ipse, qui est Patris sapiētia, ait. *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Nobiscum fuit in carne positus, antequam moreretur pro nobis: nobiscum fuit & in morte, quantum ad præsentiam corporis de terra nondum sublati: nobiscum post mortem in multis argumentis discipulis apparens: nobiscum est etiam nunc vsque ad consummationem sæculi, donec simus nos cum illo; quia semper cum Domino erimus. Ecce quantum nos amat Iesus. Neque mors, neque vita, potest eum separare à nobis, in charitate qua nos diligit. Propterea neq; mors neque vita debet nos separare à charitate ipsius. Quis enim diligendus est, si ille non est? Imò quis ita nobis diligendus est, vt ille? Nam, vt cætera taceam, si non simus ingrati & maligni, hoc sufficere debet, quòd ipse diligit nos. Nil autem magis debetur amanti, quàm vicissitudo amoris; & qui amat vult amari; & hoc justissimè quidem. At qui amari vult, & amare non vult; mirum, si vel suo judicio absoluitur, ne iniquus sit. Vero autem iudicio, qui amantē non amat, & ipse indignus est amari. Qui verò Iesum non amat, suo magno periculo hoc facit, dignus execratione & maledictione Apostoli dicentis. *Si quis nō amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maran atta.* Econtrà idem precatur dicens. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrū Iesum Christum in incorruptione.* Iesus quidem prior dilexit nos; & ne non diligatur à nobis, semper est nobiscum vsq; ad consummationem sæculi. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Ex quo Deus Iacob supplantatoris & luctatoris susceptor noster factus est, nostram carnem suscipiens, Dominus virtutum nobiscum est; sicut ipse de justo ait. *Cum ipso sum in tribulatione*: & justus ad eum. *Si ambulavero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nobiscum est Emmanuël adversus eos qui tribulant nos, & qui gratulantur malis nostris. Nobiscum est in necessitatis articulo, in protectionis auxilio, in omni consolationis & subvectionis beneficio. Et his quidem modis fuit cū antiquis justis, nunc autē nobiscum per Incarnationis mysterium in communis naturæ consortio. Nec hoc fine dilectionis contentus est Iesus, vt tantum nobiscum sit. Arctiori complexu nos stringit, & mirabiliter vnit per cōmunionis Sacramentum, vt sit in nobis, & nos in ipso, sicut ait. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem; in me manet, & ego in eo.* Christus autem qui manet in nobis, viuit in nobis, juxta quod Apostolus ait. *Viuo ego, jam non ego, viuit verò in me Christus.* Quod si Christus viuit in nobis, & spiritus Dei habitat in nobis: & juxta eundem Apostolum, *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in nobis est, corpus quidē mortuum est peccato; spiritus verò viuit propter iustitiam. Si autem spiritus eius, qui viuificauit Christum à mortuis, habitat in nobis: qui suscitavit Iesum Christū à mortuis viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis.* Et ipse Dominus ait. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* In hoc itaq; Sacramento vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hic abscondita est vita æterna, & salus vera, quæ antiquis promissa est, & nobis data est: quæ revelabitur in nobis, cùm venerit Deus glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Magnificauit Dominus facere nobiscum; quod antiquis promisit, ex magna parte jā nobis exhibuit. Exhibita est nobis in hoc Sacramento veritas anti-

Marginal notes: *Deute. 32.* — *Psal. 32.* — *Hebr. 11.* — *Fides in Sacramento exercetur.* — *Antiqua sacrificia figura Christi.* — *Baruc. 3.* — *Mat. 28.* — *Habac. 3.* — *Prou. 8.* — *Iniquus est, qui vult amari, & nō amare.* — *1. Cor. 16.* — *Ephes. 6.* — *Psalm. 45.* — *Psalm. 90. & 22.* — *Nobiscum est Deus multis modis.* — *Ioan. 6.* — *Galat. 2.* — *Rom. 8.* — *Ioann. 6.*



REVERENDO ADMODVM,

AMPLISSIMOQVE DOMINO,

DOMINO GERAR-DO DE BARE,

INSIGNIS COENOBII BEATÆ MARIÆ DE DVNIS, ORDINIS CISTERCIENSIS ABBATI DIGNISSIMO,

EIVSDEMQVE ORDINIS CISTERCIENSIS PER BELGIVM VICARIO GENERALI MERITISSIMO.

TRIAS en Prælatorum Anglorum, *Reverende admodum Domine*, doctrina & virtute præstantissimorum: quorum primus Balduinus ex Fordensi Abbate in Cantuariensem Sedem euectus, Angliæ Primatum obtinuit: secundus Aëlredus Rieuallis Cœnobij Pater, & ipse ad infulas vocatus, generoso eas mentis despectu recusauit: tertius Isaac genere quidem Anglus, munere autem ac dignitate Stellensis Cœnobiarcha in prouincia Pictauiensi. Hos sequuntur Serlo, B. Patri Bernardo olim cõiunctissimus: cui, & toti Ordini Cœnobium suum Savigniacense, ac triginta alia ex eo nata aggregauit. Nactus quoque in Bibliotheca siue Catalogo Scriptorum Ordinis nostri à R. D. Carolo de Visch nuper Priore vestro cõcinnato, Sermones duos B. Eliæ, olim vestri Dunensis Monasterii Abbatis: dignissimos, qui locum inter Opera Patrum nostrorum obtinerẽt, iudicaui, simulque edendos censui. Accesserunt & alia aliorum Opuscula, mole quidem exigua, lectione nihilominus dignissima visa. Ex his omnib⁹ sola Aëlredi Opera ex parte ante aliquot annos in lucem prodierunt. Dixi, ex parte: nam Sermones eius per totum annum in editione illa desiderabantur: quos ex Clarauallensi codice antiquo, qui & in Refectorio legi solet, exscriptos publici hic iuris facimus. Videntur sanè stilo differre ab aliis eius libris: sed huius rei causa illa videtur, quòd Sermonibus illis multi adetant illiterati, ꝓpter quos humilior & facilior dictio erat eligenda: aut idiomate patrio habiti Sermones illi, in Latinam linguam ab aliquo alio conuertebantur: id quod potissimũ in Sermonibus D. Odonis Morimundensis cernitur, qui ab alio conuersi stilo valde differunt à reliquis eius lucubrationib⁹, posthac, si Deus voluerit, edendis. Hæc autem, quæ nunc luci damus, Reuerendæ dominationi vestrę, *Dignissime Cœnobiarcha*, nuncupare decreui: tum vt meæ erga illam obseruantiæ monimentum non interiturum, tum vt ea annuente ac permittente, quæ per Belgium Vicarij Generalis Ordinis Cisterciẽsis mun⁹ exercet, nostra Bibliotheca in singulis Monasteriis fauorabiliter excipiatur. Illustre quoque Cœnobij Dunensis me nomen illexit, ex quo sibi successorem asciscendum, D. Robertum de Brugis, S. Pater Bernardus censuit, & suis persuasit: quod

beatus Ildebaldus Abbas decorauit, sanctitatis gloria clarissimus: cuius corpus in aquis sepultum, post annos ferè quingentos incorruptum est repertũ. Hoc verò mei obsequij mun⁹ si dignetur vestra Reuerenda Dominatio lęto vultu aspicere, & excipere: maiora audendi animus mihi addetur. Multò enim plura supersunt edenda, quàm sint iam edita, vereorq; , vt illi pares sint oneri meæ vires. Magni autem mihi thesauri loco erit, si me dignetur agnoscere sibi.

Vestra Reverenda Dominatio

Servum devinctissimum
F. BERTRANDVM TISSIER.

qui consilij, de quo Propheta dicit. *Domine, cõsilium tuum antiquũ fiat verum.* Hæc est veritas promissionum Dei, veritas signorum, veritas sacrificiorum, veritas vmbrarum & figurarũ. Deniq; hæc est ipsa veritas Christus, qui dicit. *Ego sum veritas.* Hanc veritatem ignorauit Pilatus dicens, *Quid est veritas, & exivit foras.* Qui exivit foras, foris maneat: & infidelis si discedit, discedat, At nos ne foris maneamus; ne sit portio nostra cum infidelibus: intremus in sanctuarium Dei, apud quem non est impossibile omne verbum: cujus sermo omnipotens est, & semper verax est: cui semper subest, cùm voluerit, posse. Sufficit nobis ad fidei huius testimonium, Christum, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, discipulis suis dixisse. *Accipite, hoc est corpus meum.* Si humana sapientia in corde nostro remurmurat, murmurationem ejus fidei pietas compescat. Exhibeamus honorem verbis Dei in humilitate fidei; deferamus tã venerabili Sacramento, tamque excellenti gratiæ omnem reverentiã, in mũditia manuum, & puritate vitæ. Hoc enim pignus dilectionis suæ benignissimus Iesus nobis reliquit, cùm veniret hora ejus, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem; volensque probare fidem & charitatem suorum, quasi quendam locum certaminis in hoc Sacramento posuit, in quo exerceantur, quos probari voluit. In primis fides diuina & humana ratio compugnant, & hoc agitur inter eas, vt altera alteri oculum eruat: nec est finis huius pugnæ extra alterius excæcationẽ. Habet enim humana ratio oculum suum; habet fides suum. Oculus quidem rationis lippus est, & sæpè visibilia & prope posita videre non potest. Oculus autem fidei acutus est: quo inuisibilia Dei intellecta conspiciuntur, Circa virtutem huius Sacramenti mens hebet, oculus rationis caligat, omnis sensus corporis obtunditur. Manus curiosa & in contrectatione sedula, nulla sua diligentia explorare potest, nisi ea quæ hujusmodi panis esse solent. Experientia gustus, & oculorum intenta contemplatio, per saporem & colorem, superscriptionem & formã, cæterasq; circunstantias, cogitationi suggerunt, quia panis est, & non caro. Ratio consulta respõdet, quod carnalibus cogitationibus persuasum habet, & corporeis sensibus exploratũ. Oculus enim humanæ rationis inuisibilia Dei comprehendere non potest, nisi collyrio gratiæ inungatur, veroque lumine illustretur, dequo scriptum est. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Si oculus tuus, inquit Dñs, *scandalizat te, erue eum, & proyce abs te,* Hoc de oculo humanæ rationis nõ inconvenienter intelligitur, qui pietati fidei sæpe scandalum est; sed cùm scandalizat, eruendus est. Melius est enim vnum oculum sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quàm, duos oculos habentem, alterum fidei, alterum humanæ rationis, mitti in gehennã. Quasi duos nempe oculos habet, qui humana sapientia ducitur & fidẽ ex ea tantum parte recipit, vbi humanis rationibus cõsentanea esse videtur. Fides autem nostra maius testimonium habet, quàm ab humana ratione. Subnixa est diuina authoritate, quæquidem summa ratio est, omnem humanã rationem incomparabiliter superans. Nec certius habendũ est, quod humana ratio cordi suggerit, quàm quod spiritus Dei, qui suggerit omnẽ veritatem, & occulta inspiratione submittit. Revelat enim aurem cordis, lenique susurrio simplicitatem pietatis, & mysterium fidei loquitur; & cum simplicibus sermocinatio eius. Et qui est ex Deo, verba Dei audit. Non caro & sanguis, nõ carnalis sapientia, & animalis sensus, revelauit Petro mysterium fidei,: sed Pater cęlestis, qui est in cęlis. Subnixa est ergo fides nostra veritate, principium habens ab ipso veraci Deo, cui dictum est. *Principium verborum tuorum veritas.* Non enim fallit Deus, quia summa veritas est: non fallitur, quia summa sapientia est: non infirmatur, quia summa virt⁹ est. Quidquid dixerit vel prædixerit, hoc & fiet. Cui tam promptũ est facere, quàm dicere, vt fiat. Sicut tractauit, sic erit: omne cõsilium eius stabit. Et si ipse decreuerit, quis poterit infirmare? Subnixa ergo debet esse fides nostra certitudine: non enim coniecturis errat, nõ ambigit, quasi de re dubia; non hæsitat, quasi de re incerta: non titubat, non vacillat, non fluctuat,: sed stat supra firmam petram; supra fundamentũ, quod nemo revocare potest, ꝙ est Christus IESVS. Si fides est sciẽtia salutis, cur non credatur habere certitudinẽ? *Scio,* inquit Iob, *quòd Redemptor meus viuit. Scio,* inquit Martha, *quia quæcumq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Et de fratre loquens, *Scio,* inquit, *quia resurget in nouissimo die. Scio,* inquit Apostolus, *cui credidi, & certus sum.* Idem de Abraham loquens, ait. *Non hæsitauit diffidentia, sed fide confortatus est, dans gloriam Deo: sciens, quòd quæcũque promisit Deus, potens est & facere.* Ergone conscientia fidei certitudinem non habet? Quis hoc dixerit, nisi qui non credit, vel qui tepidè credit? Fides autẽ cùm subnixa sit summa authoritate, veritate, certitudine; authoritate excludit fictionẽ, veritate errorem, certitudine dubitationem. Qui autẽ impiè dubitat, proximus est infideli. A dubitatione enim cœpisse videtur peccatum infidelitatis, & crimen apostasiæ in homine. Cùm enim accederet tentator ad mulierem, à quæstione dubitationis baiula sic exorsus est. *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis? &c.* Vt quæstio animum mulieris pulsauit, quasi afflata sibilo, & inflata veneno serpentis, tumuit, & hęsit: & mox ad dubitationem cor inclinauit, dicens. *Ne forte moriamur.* Dubitationem mente conceptã verbo dubitationis expressit: & sermonem, quẽ Deus dixerat, in dubium revocauit: & in corde mulieris quasi causa quædã actitata est. Superba ratio mulieris, quasi iudex sedebat pro tribunali, vel in cathedra pestilentiæ. Sermo quem dixerat Deus quasi re⁹ adducitur in medium: accusator accedit, sermonẽ reum mendacij defert, dicens. *Nequaquam moriemini.* Perinde est, ac si diceret. Falsus est sermo cõminatorius, quo Deus mortẽ interminat⁹ est. Tunc mulier quasi adhuc dubia nondum omnino impulsa vt caderet, sed nutabunda, similisq; parieti inclinato, & maceriæ depulsæ, adhuc inter cõminationẽ Dei & suggestionem diaboli quid crederet, nescia: interim respexit lignum, de quo agebatur: viditque, quòd bonũ esset ad vescendum, pulchrum oculis, & aspectu delectabile. Blandiente aspectu ligni, valuit hoc totum quasi ad testimonium, pro parte, accusatoris. Nullũ enim signum mortis apparuit in ligno, vnde putaretur accusator falsũ dixisse, vel Deus non falsũ dixisse. Accessit ad hoc, quòd mulier naturaliter vitam amabat, quam serpens repromittebat: & mortem æquè non amabat, ꝗ Deus intentabat. Vsum quoque vitæ experta, & mortis inexperta, magis sequebatur, quo eã tra-

Ioa. 14 & 18. — Mat. 26. — Fidei & humanæ rationis pugna in Sacramento. — Psa. 18. — Mat. 18. — Fides authoritate Dei nititur. — Psa. 118. — Fides certa est. — Iob 19. — Ioa. 11. — 2. Tim. 1. — Rom. 4. — In fide dubius infideli proxim⁹ est. — Genes. 3.

hebant amor & experientia: & sic tandem victa extendit ad iniquitatem manum suam. Sic seducta est, & primùm ad dubitationem, & à dubitatione ad infidelitatem perducta, vt falsum crederet, quòd Deus prædixerat, sic persuasa est, vt à concupiscentia incipiens, & ad consensum perveniés, præsumeret, quod Deus interdixerat. Interea superba ratio pro tribunali sedens, mulierem à metu mortis absoluit: nec Deum in sermonibus justificavit, sed superbo iudicio falsi cōdemnavit: & sic mulier honorem fidei, quem verbis Dei exhibere debuit, ad gloriam tentatoris transtulit, illi credens, Deoque non credens. Superba volūtas superbæ rationi assidebat: quæ honorem obedientiæ Deo subtraxit, & per inobedientiā tentatori se sponte subdidit. Corrupta est itaque in muliere ratio per superbiam; quia de fide sermonis Dei dubitauit. Nam nefas est de verbis Dei dubitare; & impium est sermonibus ejus non acquiescere. Homo enim per judicium rationis & libertatem voluntatis ad imaginē & similitudinem Dei cōditus, naturali æquitate in ijs debet subditus esse Deo, vt semper velit illi subesse, à quo cœpit esse; humilians rationem ante eum, vt credat omnibus verbis ejus: sic voluntatem, vt obediat omnibus præceptis eius. Pietas siquidem fidei rationem humiliat in homine, obedientia voluntatem. Superbia humanæ rationis, quæ pietatem detrectat, & sub fide humiliari nescit, cœcitas cordis est damnabilis, Deo odibilis, dum non acquiescit credere, quod non sufficit comprehendere. Cùm Dominus illuminasset cœcum natum, non credentes Pharisæi, magis excœcati sunt; & obscurati sunt oculi eorum, ne viderent. At Dominus novitatem miraculi tanti contra eos intentans, dixit *Ego in judicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & videntes cæci fiant.* Vt qui non vident per superbiā, videant per humilitatis gratiam: & qui vident per superbiam, non videant per subtractam gratiam. Sed in sequentibus addit. *Si cœci essetis, peccatum non haberetis: sed quia dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Bona cœcitas est, in seipso magna non videre; & quæ scire non licet, piè ignorare. Propterea in cœlestibus mysterijs & diuinis Sacramentis, omnis impia dubitatio à corde nostro procul pellēda est; omnis curiosa inquisitio compescenda est: vt fides, quæ habet veritatis conscientiam, habeat etiam piam ignorantiam. Incomprehensibilis enim est Dei sapientia: intra angustias humanæ rationis coarctari non potest. In hoc ergo Sacramento tota humana ratio sub pietate fidei humilianda est. Ita enim oportuit, & ordo nostræ reparationis hoc exigebat, vt imago Dei, quę per superbiam rationis deformata est, in ipso Sacramento redemptionis nostræ per humilitatem rationis debeat reformari. Homo itaq; rationem suam totam Deo humilians, de hoc Sacramento id credat, quod Dn̄s instituit credendum, dicens. *Hoc est corpus meum.* Credat hoc firmiter, credat indubitanter, confiteatur fideliter. Si videtur impossibile iuxta humanam rationem, si incredibile secundum humanam sapientiā: semper verum & certum maneat in cōsciētia fidei, propter diuini sermonis reverentiā. Credat homo magis Deo quàm sibi: credat se Deo, ne Deus non se credat illi. Credat spiritum suum Deo, vt sit creditus cum Deo spiritus ejus. Credat rationē suam Deo, & abneget semetip-

Superbia rationis hu̅ãa.

Ioan. 9.

Humilianda est ratio sub fide.

Mat. 26.

sum, & sicut audit à Deo, ita iudicet, illū sequēs, qui dicit. *Ego sicut audio, judico.* Christus itaq; exēplum geminæ vtilitatis in se nobis exhibuit, in humilitate judicij & humilitate volūtatis. De humilitate iudicij scriptū est, *Ego sicut audio judico.* Et per Prophetam dicit. *In humilitate judicium ejus sublatum est.* De humilitate voluntatis dicit. *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem, ejus qui misit me.* Christus à se non est, nec à se operatur, sed à Patre, sicut, dicit. *Ego à me non possum facere quidquam.* Sicut filius à Patre est, ita à Patre habet iudicare & velle operari; in his tamen Patri æqualis. Discat hinc homo, qui à se non est, sed à Deo factus est, nil à se judicare, sed à Deo: nil à se velle, nil à se operari; in ijs maximè quæ ad salutem operantur, vel cooperantur. Sacrificium hoc, de quo nunc agitur, non solum Sacramentum est ad sanctificationem, sed exemplum in se continet ad imitationem. Sacramentum per mysterium fidei, exemplum ad formam viuendi. Sacramentum ad humilitatem voluntatis. Illis quidem prodest Sacramentum, qui imitantur exemplum. Qui non imitantur exemplum, nec illis prodest Sacramētum. Forma autem viuendi non solū hoc sacrificio præscripta est; sed in figura huius sacrificij dudum præmonstrata fuit. In lege enim Moysi decima die septimi mensis solemnis hostia iubetur offerri, cuius caro crematur extra castra, & sanguis infertur in sancta. Nam vt Apostol⁹ ait, *Quorum animalium sanguis infertur in sancta, horum corpora cremātur extra castra.* Dies autem afflictionis dies est propitiationis de peccato. Quomodo dies afflictionis dies propitiationis est? Numquid afflictio propitiatio est? Aut quomodo afflictio propitiatio non est; si omnis anima, quæ non afflicta fuerit die illa, peritura est? Melius est vtique, hac die affligi, quàm perire de populo suo. Quorum animaliū sanguis infertur in sancta, horum corpora cremātur extra castra. Qui enim noluerint hic per disciplinam affligi, horū animæ non poterūt in cœlum recipi. Tunc quippe sanguis in castra infertur, cùm anima in cœlum suscipitur. Animam verò per sanguinem significari, frequens est in sancta Scriptura; & rationem huius significationis ipsa scriptura non reticet, dicēs. *Anima omnis carnis in sanguine est.* Hinc Dn̄s ad speculatorem domus Israël, qui iniquo iniquitatē suam non annuntiat, per sanguinem animam significans, dicit. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* A necessitate Christianæ disciplinæ nemo excipitur, nemo excusatur: nulla conditio, nullus sexus, nulla provectior ætas, nullus ordo, nulla dignitas, nulla potestas. Omnis enim anima peribit, quæ non affligitur die hac. Consonat huic, quod in psalmo scriptum est. *Apprehendite disciplinam, nequādo irascatur Dominus; & pereatis de via iusta.* Periturus certè est, qui disciplinam non apprehendit. Hinc Apostolus ait. *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri estis;* non Christi estis, sed diaboli, qui adulter est, & sponsus non est. Per disciplinam autem compatimur Christo, sicut per pœnitentiam cōpatimur proximo. Compassio autem misericordiæ semper benevola est, etsi per inopiam rei familiaris non semper benefica: ideoque in sola voluntate nonnumquam cōsistit. Nam ab operibus misericordiæ excusatur, cui facultas non suppetit. At compassio disciplinæ nō nuda voluntate æstimanda est; sed reipsa, & af-

Ioa. 5.
Isai. 53.
Ioa. 6. & 5

Eucharistia sacrificium & sacramētum est.

Levit. 16.

Hebr. 13.

Levit. 17.

Ezec. 3.

A disciplina Christiana null⁹ exors

Psal. 2.

Hebr. 12.

fictionis experientia à professoribus Christiani nominis pro Christo suscipienda est. Nã quia in multis offendimus omnes, sicut nemo immunis est à culpa, ita nemo potest liber esse à pœna: sed omnis qui offendit per culpã, debet pœnam. At qui pœnam debet, & non soluit, quasi qui dolos versat, debitum inficiatur. Et sicut in ciuilibus judicijs, vt cognitores litium diffiniunt, lis quãdoq; per inficiationem crescit in duplum, ita & in diuinis iudicijs fit: nisi quòd ij qui à Deo judicandi, non in duplum iudicandi sunt: sed pœnas dabũt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria maiestatis eius. Dissimulatio autẽ pœnitentiæ, quasi quædam inficiatio est pœnæ. Deus quidẽ peccata hominis dissimulat propter pœnitentiam; sed homo pœnitentiam dissimulat. Ex alterna dissimulatione simultas nascitur, & processu temporis perpetuæ inimicitiæ sub pallio latentis odij inchoantur, & ita perseverant. Debitores sumus Christo, qui commune negotium omnium gerens, soluit pro nobis, sicut ipse dicit. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Qualia solverit pro nobis, talia exigit à nobis: & quis poterit ea extorquere? Quædam magna summa passionum Deo debebatur pro liberatione generis humani. Et vt ait B. Augustinus, singuli debemus cõferre ad hanc summã, donec collatione facta compleatur, Deoque soluatur. Possessores agrorum vel prædiorum inferre solent in Rempublicam vel fiscum certam pensionem, singuli pro quantitate possessionis suæ. Ita & nos inferre debemus quasi in quãdam Rempublicam debitum canonem passionum, vnusquisq; majorem vel minorem, pro modo virium suarum, & pro cõgruentia ætatis, dignitatis, & ordinis. Quid enim iustius, quàm vt homo patiatur pro Christo, pro quo passus est Christus? Hinc Apostolus ait. *Adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea. Debitores ergo sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Ecce intentata est sententia mortis in eos, qui secundum carnem vivunt, sed nondum lata, adhuc per pœnitentiam & disciplinam declinari potest. At cùm fuerit lata, non per appellationem poterit suspendi occulta arte, vel tergiversatione vitari poterit, vel eludi. Christo autem pro nobis passo, non solùm timori, sed & pudori nobis esse debet, si delicatè viuamus, curã carnis in desiderijs perficiamus. Nam si Dñs, & talis Dominus, in cruce pendeat, & pro servo pendeat, at servus malus plagisque dignus in delicijs agat; nonne confusione dignum est, nonne ridiculum est? Si Christus in cruce dicit, *Sitio*, & corda nostra gravantur quotidie crapula & ebrietate, nonne turpe est, nõne probrosum est? Vt vulgo dici solet, non ex æquo partitus est ludus iste. Passio certè Christi nec ludus est, nec ludo similis. At nos vitam nostram ludo similem æstimamus, & artem quãdam ad ludendum cõpositam. Adhuc in mundo versamur, quasi in cãpo certaminis, vbi Christ⁹ Dñs noster occisus est. Quisquis ex hoc campo exierit, non habẽs in se nec plagam, nec tumorẽ, nec liuorẽ, inglorius reputabitur. Et nos quidẽ liuore ipsi⁹ sanati sumus. Dño pro nobis in acie occiso, si illæsi evadimus, si sani & integri corpore: nonne rei proditionis iudicamur, reique mortis Christi? Rei mortis Christi fuerũt, & authores mortis, & qui morti consenserunt, & ministri qui crucifixerũt. Reus quoque mortis Christi quodammodo est, qui virtutem mortis eius in se, malè viuẽdo, evacuat. Quamvis enim non egerit, vt mortuus sit, id tamen agit, vt quoad ipsum gratis mortu⁹ sit. Mors enim Christi illi salutem nõ operatur; nec crux Salvatoris illi proficit, qui crucem non bajulans, seipsum perdit. Si crux Christi, quæ nobis portanda imponitur, voluptati adversatur, & voluptas cruci: quomodo excusari poterunt voluptatis amatores, vt non iudicentur crucis persecutores? De qualibus Apostolus dicit. *Inimicos crucis Christi, quorum finis interitus est: quorũ Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Qui, vt dictũ est, rei mortis Christi sunt, nõ sicut authores, vel fautores, vel ministri mortis Christi: sed sicut mortis contemptores, qui sacramentum dispensationis in se evacuant, consiliũ Altissimi irritantes: qui cælesti benedictione & ineffabili gratia indignos se faciũt, qui in deliciis agentes, mysterium crucis irridẽt: qui Filium Dei cõculcant, & sanguinẽ testamẽti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt: & spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Vita carnalis Dei iniuria est, crucis exprobratio, & in toti⁹ Trinitatis contumeliam redundat. Iniuria est Patris, quòd Filius conculcatur: iniuria Filij, quòd sanguis ejus quasi polluitur: injuria Spiritussancti, quòd gratia cõtemnitur. Vos, ô Sacerdotes Dñi, attendite à voluptatib⁹ carnis, à vana sæculi cõversatione. Honorificate ministerium vestrum, qui lucetis sicut luminaria in medio mũdi. Sectamini justitiam, apprehendite disciplinam: empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deũ in corpore vestro, circumferentes mortificationẽ Iesu. In omnibus exhibete vos, sicut Dei ministros, portantes stigmata Iesu in corpore vestro: & characterem militiæ eius, in abstinentia & continentia, in castitate & sobrietate, in patiẽtia & humilitate, & in omni sanctimonia & sãctificatione: vt omnes qui vos viderint, cognoscant, cuius sitis, & cõpleatur sermo Propheticus in vobis. *Vos Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri.* Et iterũ. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos: quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Benedicite Sacerdotes Domini Dño: benedicite illi, qui benedixit vobis omni benedictione spirituali in cęlestibus; qui benedixit domui Aaron. Sanctificetur De⁹ in vobis: vt in vobis talis appareat, qualis est, sanctus & impollutus, & incontaminatus. Non blasphemetur nomen eius propter vos: non vituperetur ministerium vestrum propter vos. Talis sit conversatio vestra in medio nationis pravæ & pversæ, vt qui vos viderint, dicãt. Verè isti sunt sacerdotes Dñi: verè isti sunt ministri Dei nostri. Verè isti sũt discipuli Iesu Christi, Apostolorũ vicarij. Verè isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Attẽdite dignitatem sacerdotij, ꝙ vobis contraditum est, cõficiendum, dispensandum. Manus vestræ, quib⁹ tam venerabile sacrificium tractare datur, mundæ sint ab omni inquinamento sordidorum munerum: ne pars vestra sit cum ijs, in quorũ manib⁹ iniquitates: dextera eorum repleta est muneribus. Lotis manibus accedentes ad altare, accedite cũ eo, qui ait. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine.* Os vestrum mundum conservetur, ad gustandum, quàm suauis est Dñs: ad percipiendam Eucharistiam: panem scilicet viuum, qui de cælo descendit. Non decet os Sacerdotis periurio pollui, non falso testimonio, non mendacio, non turpi-

Marginalia: *Psal. 68.* — *Colos. 1.* — *Rom. 8.* — *Ioan. 19.* — *Mundus est campus certaminis.* — *Qui sint rei mortis Christi, & crucis persecutores* — *Philip. 3.* — *Exhortatio ad sacerdot.* — *Isa. 61.* — *Psal. 25.*

loquio, aut vaniloquio: non verbis scurrilibus, ad rem non pertinentib' fœdari: non opprobriis & detractionibus super inimicos dilatari. In ore Sacerdotis sint gratiarũ actiones, & vox laudis: orationes, postulationes, & obsecrationes. Omnis sermo malus ex eo non procedat: sed sermo bonus, qui gratiam ędificationis præstet auditoribus: & fiat, quod Dominus loquitur dicẽs.
Isa. 48. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Hinc quidam
Psal. 33. laude infrænatus, dicit. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Laude Dei infrænandũ est os: ne per effrenatam loquẽdi licentiam ad inhonesta & turpia relaxetur. Immundum & cõmune non debet esse os, quod sacro conuiuio contingi debet. Fratres dilectissimi, firmissimè teneamus, & indubitanter credamus, quod de hac sacra cõmunione, ipsius Dei & sanctorum Patrum authoritas nobis credendum præscribit. In hoc sacramento continetur virtus reparationis nostræ, pretium redemptionis nostræ: veritas occulta ad exercitium fidei nostræ, disciplina Christi repræsentatur ad exemplũ vitæ nostræ. Vnde cùm hoc sacrificium Dominus institueret, & discipulis traderet, dixit. *Hoc facite in meam cõmemorationem.* Facite, quod facio: offerte, quod offero: sic viuite, vt ego doceo. Vivendi & moriendi formam hinc accipite, quã meo exemplo vobis trado. Efficit hoc sacramentum nobis, vt viuat Christus in nobis, & nos in ipso. Efficit in nobis, vt sicut mortuus est Christus pro nobis; ita & nos moriamur pro Christo. Quicumque autem moriuntur in Christo, aut pro Christo, cum pietate dormitionem, & optimam habent repositam gratiam. Gloria resurrectionis illius repromittitur & reseruatur, cujus reparatio salutaris, est huius sacramenti digna perceptio, cujus virtute reformabit Deus corp' humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quid dignum retribuemus Domino, pro tanta gratia nobis collata? Pro tanto honore quid recompensabimus ei? An ipse nos diligat, frustra quæritur, qui in signum inęstimabilis dilectionis, in se nobis præbet panẽ vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Iustũm est itaque, vt inquantũ permittit humana infirmitas, dignè & reuerenter accipiam' tam pręclatum donum Dei, tam eximium beneficium: vt custodiamus illud, sicut pupillam oculi, imò plusquã pupillã oculi: sicut vitam nostram: sicut spẽ & rem resurrectionis & gloriæ nostræ. Quidquid per negligentiam, contra reverentiam tanti Sacramẽti hactenus peccauimus, exactiore & propensiore diligentia in posterum emendemus: & dãna prioris tẽporis, & anteactæ vitæ, honestiore proposito, & maturiore consilio compensemus: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

TRACTATVS SECVNDVS.

De corruptis moribus Cleri & populi.

ECCE quàm periculosa sunt tempora nostra; quàm corrupti & abominabiles facti filij hominũ in studijs suis. Repleta est terra iniquitate: & sicut in diebus Noë omnis caro corruperat viam
Gen. 6. suã, ita & nunc. Et tunc anteq̃ venirent aquæ diluvij super terram, in reprobis moribus hominũ spirituale diluvium præcessit, & figurabatur in hominum culpa, qualis futura erat iudicij pœna. Inundauerunt enim torrentes iniquitatis; & qui erant in diluvio aquarum multarum ad Deum non approximabãt: propterea abyssi operuerũt eos, & descenderunt in profundum, quasi lapis. Et dum abyssus peccatorum invocaret abyssum judiciorũ Dei, & clamor introiuit in aures Dñi Dei Sabaoth, rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt; & delevit Dominus carnem de superficie terræ: posuitq; arcum fœderis in nubibus, vt non vltra timeat sibi homo ab aquis diluvij, timeat tamen: arcum enim suũ
Psa. 59. tetendit Deus, & parauit illum, dans metuentibus se signum, vt fugiant à facie arcus. In recordatione trãsacti iudicij, futuri terror immittitur, & cum ipso arcu, quem Deus in nubibus posuit, in varijs coloribus apparet signum terroris; iudicium aquæ, & iudiciũ ignis. A iudicio aquæ nos absoluit: sed terribilis est expectatio iudicij, &
Heb. 10. ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Ecce jam nunc in moribus hominum futuri iudicij figura præcessit. Ignis enim cupiditatis & libidinis & malignitatis accẽsus in medio populorũ, & latè depopulatur habitatores terræ, quasi jam vicina sit mundi conflagratio. Quæ
Pœna culpæ cõformatur. cùm venerit, configurabitur pœna culpæ. Qualis enim nunc est culpa, talis erit & pœna. Vita enim malorum ignis est; & pœna malorum ignis erit. Vita quoque iustorum ignis est, & sic ignis erit gloria eorum. Ardent nunc iusti igne diuini amoris: quem Dñs ignem venit mittere in terrã: Luc. 12.
sed & quàm vult, vt ardeat! Ignis enim est in Sion, & caminus ignis erit in Ierusalem. Arde- Isa. 31.
bũt iusti in futuro: sed sicut Seraphim ardebũt, & fulgebunt sicut sol in conspectu Domini, & lucebunt in splendoribus Sanctorum. Hæc erit gloria eorum, qui sicut lucernæ lucentes & ardentes per charitatem, sibi intus ardent: & ad exemplum alijs foris lucent. Mali quoque in futuro ardebunt, sed dissimiliter: de quibus Propheta ad Dominum loquitur. *Pone eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui.* Ardent jam nũc, Psa. 20.
de quibus dicitur. *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum.* Et de malis per psalmistã di- Ose. 7.
citur. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Psa. 57.
Ignis nempe quo ardent, non illuminat, sed excæcat: intãtum, vt solem videre non permittat. Vnde & ipsi in novissimis præ angustia spiritus intra semet gementes, dicturi sunt. *Lumen iustitiæ non illuxit nobis; & sol intelligentiæ non ortus est nobis.* Sap. 5.
Signa quoque, quæ diem iudicij præventura sunt, præsentibus moribus nostris configurabuntur: & qualia visibiliter futura sunt, talia spiritualiter in nobis jam apparent. Scriptum est. *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem: anteq̃uã veniat dies Domini magnus & terribilis.* Ioël. 2.
Quod in firmamento sunt sol & luna, hoc in Ecclesia Dei sunt ordo Rectorum & vita subditorum: Ecclesiastica quoque authoritas, & sæcularis potestas. Luna sole inferior est, & à se non lucet, sed à sole. Sic & vita subditorum inferior est, quàm vita Prælatorum, per quos accendi debent, & illuminari. Ad eos quippe dictum est. *Vos estis lux mundi.* In ijs autem Rectoribus, qui Mat. 5.
ignorant & errãt, qui cœci sunt, & duces cœcorum, sol convertitur in tenebras: ideoque in vita subditorum luna convertitur in sanguinem; in sanguinem videlicet corruptionis & crudelita-

tis. Ecce enim refrigescit charitas multorum, &
Apoc. 14. abundat iniquitas. Ascendit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum, vsque ad rectores po-
Ose. 4. pulorum, & sanguis sanguinem tetigit. Non inveniunt laïci in nobis, quod debeant imitari: inveniunt, quod volunt persequi. Persequuntur nos calumnijs, persequuntur iniurijs, persequũtur nos damnis, declarationibus, opprobrijs; tandem persequũtur & gladijs. Nuper enim furor persequentium in capite nos vulneravit; qui
Cades sancti Thomæ. Christi Domini beatissimum Thomã præsulem nostrum, ob insignẽ Ecclesiasticæ libertatis defensionem vsque ad mortem persecuti sunt. Et si verum est, quòd causã rei fama sparsit, & multorum conscientia metuit; vita nostra indisciplinata tanti mali seminarium fuit, tantique odij fomitem ministravit. Non enim existimavit nos homo, sicut ministros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei: sed iudicium Dei portabit, quicumq; est ille. Indigni fortè videbamur antiquis priuilegijs, quæ per indulgentiam Romanorum Pontificum, & antiquorum Regum nobilium pro pace & libertate Clericorum indulta sunt. Adsit reverentia vero, nos certè indigni eramus, secundum vitæ meritũ omnino indigni eramus. Verumtamen in quocumq; Sacerdote sanctum est semper Sacerdotale ministerium, & honorabile Sacerdotij Sacramentum. Veniat nunc no-
1. Reg 22. bis in mentem illius temporis, quo Doëg Idumæus gladio percussit octoginta quinq; Sacerdotes vestitos ephod. Rememoramini pristinos
Mat. 23. dies, & sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, qui occisus est inter templum & altare. Habent & nostra tempora sacrilegæ crudelitatis nonnulla insignia: sed multorum scelerum magnitudo vnius operis cõparatione absoluitur. Novit De⁹, quanta malignatus est inimicus in sancto. Omnis nequitia nostri temporis, etsi multa nunc abundet, ab vno facto iustificata est. Vnum quidem factum est: sed in vno facto multa sunt crimina. Artificiosa enim malignitas, & in suum exitium ingeniosa, vt perfectæ nequitiæ nihil deesset, totum negotium iniquitatis in extrema malitia cõsummavit. Si autem inordinata & indisciplinata conversatio nostra huic tanto malo occasionem præstitisse probabili opinione putanda est; quid cõsilij superest, nisi vt clamemus ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri? Miserator est enim, & multum misericors. Quid salubrius, quidve honestius, nisi vt vitam nostram ad ordinem revocemus & disciplinam, & in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros; vt qui nos persequuntur, & detrectãt de nobis, tanquam de malefactoribus, videntes bonam conversationem nostram, ædificentur & ipsi ex nostro exemplo ad pœniten-
Mat. 6. tiam? Si enim ipsum lumen tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? Si nos ad hoc constituti in Ecclesia Dei, vt vita nostra alijs luceat in operibus bonis, adhuc in tenebrarum operibus ambulamus: quid mirum, si subditi nostri nescientes & non intelligentes in tenebris ambulãt, cæci, & nostro exemplo magis excæcati? Nonne sanguis eorum de manibus nostris requiretur? Nonne beatissimus ille martyr, qui pro nobis animam suam posuit, deponet contra nos querimoniã? Nonne vox sanguinis eius de terra clamabit cõtra nos; & ante tribunal districti Iudicis rei erimus omnes nos? Nonne pro culpa nostra mortuus est? Nonne per culpam nostram mortuus est? Quæ si causam mortis non dedit; at occasionẽ præstitit. Si peccare perseveremus; sicut existimare licet, non erit hic amplius patronus ad iustitiam; sed accusator vel testis ad vindictã, non intercessor ad veniam. In malis quæ iusto iudicio Dei patimur, non est cui iure succẽseamus, nisi nobismetipsis. Ipsi graviora meruimus, & nondum meritis nostris condigna sustinemus. Nobis meritò imputandum est, & in periculum nostrum redundat, quòd secularis potestas Ecclesiastica iudicia sibi vendicat, quòd Ecclesiastica authoritate non regitur: quòd cõsilio Ecclesiæ non vtitur vel nititur, sed renititur: quòd gladius Petri obtunditur; quòd claves Petri non reputantur; quòd Sacramenta Ecclesiæ contemnuntur: quòd sanctum & terribile nomen Dei sub perjurij contemptu in vanum assumitur; quòd sacro-sanctis Ecclesijs debita reverentia non defertur: quòd Ecclesiasticis personis debitus honor non exhibetur; quòd sanctæ Religionis honorabile nomen in cõtemptũ *Peruersitas*
adducitur. Hæc omnia, & in id genus plurima *secularis po-*
à nobis requirenda sunt: quia nostris peccatis *testatis in*
imputanda sunt. Viæ enim nostræ & iniquitates *Anglia.*
nostræ fecerũt hæc nobis. Potens est autẽ Deus, de manibus persequẽtium, sponsam suam, quam sibi zelat, cùm voluerit, liberare. Ad modicum iratus est, ipsi verò adjuvimus in malum. Hoc agere videtur illa potestas, vt Ecclesiã habeat subjectã, ne sit & ipsa subiecta. Sed quid dicit Scriptura? *Et erit*, inquit, *sicut somnium visionis noc-* *Isa. 29.*
turna multitudo gentium dimicantium cõtra Ariel. Stupor & mirabilia facta sunt hodie super terrã. Perverso enim ordine rerum luna supra solem exaltata est, & non stat in ordine suo. Sed quid dicit Scriptura? *Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo.* Elevetur sol, & revocetur in locum suum: redeat vita Sacerdotum ad ordinẽ suum: sit ordinata, sit disciplinata; & tunc stabit luna in ordine suo. Ex tunc erit vita subditorum ordinata & disciplinata; suisque finibus contenta. Quid magis decet ordinatos, quàm ordinatè vi-
uere? Quanta enim abusio est, & rerum & nomi- *Clericorum*
num; si qui ordinati dicuntur, inordinati inve- *vita quàm*
niantur? Cùm dicat Propheta, luna stabit in *recta esse de-*
ordine suo; significat, lunam, quæ sole inferior *beat.*
est, ordinem habere. Nam & in vita subditorum ordo disciplinæ requiritur, quanto magis in vita Rectorum? Ad hos quippe pertinet omnia ordinatè agere, & aliorum mores suo iudicio ordinare. Thronus enim Dei sunt, in quibus Deus sedet, & iudicia sua discernit: de quo throno
Pater loquens de Filio, ait. *Et thronus eius sicut* *Psa. 88.*
sol in conspectu meo. Et additur. *Et sicut luna perfecta in æternum.* Hoc ordine cõsummabit Deus gloriam iustorum. Thronus Dei in Prælatis & perfectis erit sicut sol, lunâ longè splendidior, longè superior: & luna in subditis minusq; nunc perfectis, tunc erit in æternum: sed perfecta in ordine suo. Ad quam gloriam nos perducat, vnumquemque in ordine suo, Deus, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

TRACTATVS TERTIVS.

De dilectione Dei; in illud,

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
& ex tota anima tua, & ex omnibus vir. tuis, &c. *Mat. 22.*

MOVERE nos potest, & non immeri- *Dilectio tot*
tò movere debet, quid sibi velit hęc *verbis cur*
verborum exaggeratio, hæc incul- *præcipiatur.*
catio tam diligens, tã exquisita, tam

exacta, ... n vno mādato. Vnum est enim mandatum, & non plura. De quo scriptū est. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Cùm dictum sit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quasi hoc parum sit, additur, *Et ex tota anima tua*; & quasi adhuc non satis dictum sit, adiungitur, *Ex omnibus viribus tuis*: & quasi nondum sufficiant omnia, quæ dicta sunt, additur, *Et ex omni mente tua*. Quid sibi volunt ista? Numquid otiosè & sine causa hæc tam diligenter scripta sunt? Quis hoc credit, nisi qui non rectè credit? Si folium de arbore non cadit sine consilio Patris: quanto magis verbum Dei, & illud verbum, quod inter verba mandatorum eius primum est & maximum, sine Dei consilio non dicitur, vt nec vnus apex nec vnum jota debeat præteriri? *Mat. 5.* Quærendū igitur nobis est summopere, & diligentissimè investigandum, quod Deus tam diligenter voluit & mandari & scribi. Nihil enim salubriùs quæritur, nihil vtilius invenitur; dummodo à quærentibus & inuenientibus id fiat, quod jubetur. Sicut existimare possumus, ob duritiam cordis nostri curavit Deus hoc verbum tā diligenter mandare, & quasi mādando altiùs imprimere: *Pulchra similitudo.* sicut fieri solet in duriori ligno, cui infigēdus est clavus, propter duritiam ligni non totus clavus statim intromittitur; sed crebra percussione adigitur, & intrare cogitur, donec totus infigatur. Iste sermo quasi quidam clavus est, cordibus nostris infigendus. *Eccle. 12.* Nam si iuxta sententiam Salomonis, *Verba sapientium stimuli sunt, & quasi claui in altum defixi*, quanto magis sermo Dei stimulus est & clavus, cùm sit vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti? Hoc clavo diuini sermonis & diuini amoris volens Deus totum cor nostrum trāsfigere & transpenetrare, dicit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: & altiùs infigens addidit, *Et ex tota anima tua*: & vt interius adhuc admittatur, subdit, *Et ex omnibus viribus tuis*: & vt ad interiorum novissima perveniat, novissimè adjungit, *Et ex omni mente tua*: & nimis mandavit mandatum hoc, quod voluit custodiri nimis. Sed & alia ratio huic distributioni vnius mandati cōgruere videtur. Nam quia amor mundi totum cor nostrum occupat, & omnes cellulas eius implet, de toto corde eijciendus est amor mundi: & vt princeps huius mundi eijciatur foras, & ingrediatur amor Dei totum cor sibi vendicans; vt in nouissimis finibus cordis nostri cognoscatur Deus, & reminiscātur & cōvertantur ad Dominum vniuersi fines terræ; vt sic totum cor Deus possideat, & cor Deum, & cū Propheta quis dicere possit, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* *Psal. 72.*

Quòd in præsenti tempore perfectè non diligitur Deus.

SEcundum statum vitæ præsentis, sicut Deus imperfectè & ex parte cognoscitur; sic imperfectè, & non plenè diligitur. Quantacumq; enim cognitio Dei in præsenti, ad illam plenissimam cognitionem comparata, quando Deus videbitur in gloria sua, quando ostendet faciem suam, & salui erimus, sic est, vt ingressus lucis matutinæ in domo per tenuissimam rimam, ad meridianum splendorem, cùm sol lucet in virtute sua. Similiter & dilectio Dei, qualis in præsenti haberi potest, quasi exigua ignis scintilla est, ad magnum amoris incendium, quo ardebunt iusti in Ierusalem inter agmina Seraphim. Ignis enim nunc est in Sion: sed caminus ignis erit in Ierusalem. *Isai. 31.* Secundum modum imperfectionis tuæ interim diligendus est Deus toto corde tuo. Sed quomodo toto corde tuo? Quomodo hoc esse potest; nisi quia cor tuum nondum totum est tuum; sed alieni diripiunt illud? Hinc quidam inter cætera quæ plangit, gemens dicit. *Dissipatæ sunt cogitationes meæ, torquentes cor meum.* *Iob 7.* Et ali° dicit. *Comprehenderunt me iniquitates meæ; & nō potui, vt viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei; & cor meum dereliquit me.* *Psal. 39.* Derelicti à corde, dereliquuntur quasi sine corde. Interim non habemus cor totum ad diligendum Deum: sed nec cor habemus ad orandum Deum, vt cor nobis restituat ad diligendum eum. Hinc David in quodam loco dicit. *Invenit servus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac.* *2. Regum 7.* Vt de me loquar, tempore orationis non invenio cor meum. Vbi enim est? imò vbi non est? Dum quæro, vbi sit, non inuenio, vbi non sit. Ita auolat, revolat, excurrit, discurrit, & recurrit. Cùm reuertitur, nō manet; dū tenetur, nō retinetur; dum stringitur, vt lubricum est, de manibus tenentis elabitur. Homo, si hæc fortè in corde tuo sentis; imò quia es homo, proculdubio ex aliqua parte sentis; habes in te experimentum tui, quòd nondum Deū toto corde perfectè diligas: illum modum perfectionis dico, quo se vult diligi à te. Si autem Deum in veritate diligas, & cor tuum, quantum in tua potestate est, Deo offeras; dans Deo, tuū facis: imò cui das, ille tuum non esse facit: nec potest esse tuū, nisi ille fecerit non esse tuū. Quātum autem dederis de corde tuo, tantum facit esse tuū. Quòd si omnes cogitationes, & omnes affectiones, omnes quoque intentiones immobiliter posses in eum dirigere, & immobiliter in eū retinere, & totis medullis igne amoris interiùs semper ardere, posses quidem perfectiùs Deum toto corde diligere. Sed quia humana infirmitas hoc non permittit, si non possis amare, quantum debes, quantum teneris amare; ama tamen quātum potes, quantum prævales, quantum sufficis: vt incipiens hic diligere Deum toto corde tuo, cùm perfectiùs fuerit tuū, quod nondū totum est tuū*. **Videtur id addendum,* Perfectiùs Deum tunc diligas. Nec imitari velis iniquū debitorē, qui si nō sufficit totum soluere quod debet, detrectat solvere quantum habet: quasi par culpa sit, nihil solvere, & non totum soluere. *Iniquus debitor non est imitandus.* Deus autem benignus creditor est; & solventi quantum potest, misericorditer impendit, vt plus possit.

Quòd toto corde digendus sit Deus in beneficijs suis.

IN quadripartita distinctione huius mandati, quatuor principales affectiones amoris nobis insinuantur, siue quatuor modi. Quæ quatuor affectiones cùm ad certum numerum colligantur, innumerabiles tamen modorum differētias, & affectionum divisiones in se cōtinent. Diligendus est Deus in beneficijs suis, toto corde: diligendus est in promissis suis, tota anima: diligēdus est in iudicijs suis, ex omnibus viribus: diligēdus est Deus in præceptis suis, ex omni mente. Ex his quatuor generibus, beneficijs scilicet, promissis, iudicijs & præceptis, quatuor illæ affectiones Diuini amoris Deo inspirante formantur in nobis.. Sicut in præsenti in creaturis suis per speculum & in ænigmate cognoscitur Deus, donec pleniùs cognoscatur in se sicuti est; ita in beneficijs suis, & in alijs prænominatis, in præsenti diligendus est Deus, donec plenius & per-

fectiùs diligatur quasi in se. Sunt autem beneficia Dei alia beneficia conditionis, alia reparationis, alia quotidianæ consolationis. Beneficia cõditionis sunt, quòd ad imaginẽ & similitudinem Dei conditi sumus; quòd in ipso viuimus, movemur, & sumus, & eius genus sumus: quod animam & corpus, & omnes sensus corporis & animæ, in nnmero suo & integritate sua ipso donãte habemus. Quidquid enim boni à conditione habemus, hoc Deo largiente accepimus: & omnia bona nostra nihil sunt, nisi Dei dona. Beneficia reparationis sunt Sacramentum Incarnationis, & mysterium passionis Christi; omniaque Sacramenta, quæ pro nobis Christus in se suscepit, aut à nobis suscipienda instituit: qualia sunt Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, & Sacramentum baptismi, cæteraq; omnia Ecclesiastica Sacramẽta, quibus misericors Deus gratiam & virtutem indidit in remissionem peccatorum, & salutem credentium. Beneficia quotidianæ consolationis sunt, quæ quotidie misericorditer impẽdit nobis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Scit enim Pater noster, quantis nos indigemus, nos inquam indigni servi, sed tamen per ejus dignationem filij. Ab ipso Patre nostro habemus desiderare, petere, & orare Ab ipso habem⁹ expectare omnium dolorum nostrorum solatia, omnium necessitatum subsidia, omnium infirmitatum remedia. Vnde enim hæc omnia speremus, nisi ab ipso? *Vnde*, inquit Propheta, *veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Ecce quomodo magnificavit Dominus facere nobiscum. Multitudine beneficiorum nos obruit, & amorem molitur beneficijs extorquere. Pro ijs autem beneficijs tantis & tam magnis toto corde diligendus est Deus. Et meritò, & dignè, & iustissimè dandum est ei, si quid ipse petere dignetur. Sed dignatur. Ad hominem enim dicit. *Da mihi cor tuum.* Ex corde vult amari, qui cor sibi petit dari. Totum cor nostrũ sibi vult Deus, vt ab amore mũdi, & eorum quæ sunt mundi, retrahatur, & ad ipsum cõuertatur; vt præ omnibus ille placeat: quidquid ei displicet, totum displiceat. Deo autem displicet iniquitas & vanitas. Odit enim iniquitatem, & cõtemnit vanitatem. Hinc Propheta dicit. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et iterum. *Odisti observantes vanitates superuacuè.* Amor itaq; Dei à cõmuni odio incipit, & contemptu. Nam quę odit Deus aut contemnit, à nobis pariter vult odio haberi, & contemptui. Dum enim diligimus quæ Deus odit, non est pax nobis ad Deum. Tũc autem corde Deum diligimns, si Deo concordes in odio mali inveniamur. Corde Deum diligimus, si recordantes bona quæ à Deo accipimus, & mala quæ contra Deum facimus, pro bonis gratias referentes, & de malis pœnitẽtiam agentes, Deo recõciliamur, & post discordiam ad cõcordiam redimus. Et hic est primus gradus amoris, conversio cordis à malo ad bonum, à vanitate ad veritatem, ab ijs quæ Deo displicent, ad ea quæ placent. Hinc Propheta desiderans sibi vilescere quæ Deus odit, dicit. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Et Apostolus cõversionem cordis sui ostendens, per cõtemptum vanitatis dicit. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimẽtum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Prima affectio diuini amoris nomine cordis significari potest, cũ dicitur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et rectè. Per hunc incipimus Deo concordare, & cor nostrum Deo dare. Præstitit ille nobis beneficiorum gratiã; exigit à nobis, ne pro gratia referamus injuriam; ne peccemus in illum, qui nobis beneficus est. Tunc enim Deum secũdum imperfectionem nostram toto corde diligimus, si malum quod odit, toto corde detestamur. Hinc Propheta ait. *Qui diligitis Dominum, odite malum.*

Beneficia natura & grat. — *2. Cor. 1.* — *Psal. 120.* — *Prouе. 23.* — *Psa. 5. & 20.* — *Amor Dei à cõmuni odio incipit.* — *Psal. 118.* — *Philip. 3.* — *Deutero. 6.* — *Psal. 96.*

Tota anima diligendus Deus in promissis suis.

TOta anima diligend⁹ est Deus in promissis suis: qui magna nobis dedit, sed maiora promisit. Promisit nobis à labore requiem, à seruitute libertatem, à timore securitatem, à mœrore consolationẽ, à morte resurrectionem: & in resurrectione plenum gaudium, summum gaudiũ & indeficiens. Denique promisit seipsum: sicut iurauit patribus nostris, daturum se nobis. Magnæ igitur sunt promissiones Dei, & inæstimabiles: & pro his & in his vult amari à nobis aliquo modo. Si modum quæris, vehemens desideriũ promissionis modus est amoris. Iste modus nescio quomodo modum habet, sed sine modo. Nam promissiones Dei omne desideriũ superant. Quod superatur, exceditur, & magnitudinis suæ finem habet, & in fine modum. Promissio Dei quantũcumq; desideretur, minùs desideratur, quàm debeat: & minor est possibilitas nostra, quàm vt dignè desiderare possit, quod omne desiderium superat. Propterea sanctum desiderium modũ habet, in eo quod potest, non in eo quod debet. Nam quantumcũque profecerit, plus debet. Vehemẽs itaque desiderium aliquo modo non habet modum, cùm non possit esse nimium. Cùm in cęteris rebus impatiẽtia soleat culpari, in expectatione tantæ promissionis laudabilis est vehemens impatientia dilationis. Eum enim qui plus amat, & qui plus desiderat, dilationis impatientia magis cruciat. Spes enim quæ differtur, affligit animam. Hinc sponsa desideriũ suũ meritis & precibus sanctarum animarum, & cælestium virtutũ Deo commendari desiderans, dicit. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem; si inveneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Psalmista quoque, quasi patienter non ferens dilationẽ, ait. *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Paulus quoque simili desiderio quasi impatienter æstuans, ait. *Coarctor è duobus; desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò est melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Verumtamen hic ipse Paulus, qui nũc ita impatiẽs est, vt malit mori, quàm dilatione suspendi, alio in loco dicit. *Per patientiam expectamus.* Vnde ostẽditur sancti & vehementis desiderij miro modo patiens impatiẽtia: quia justi in expectatione longanimes cruciãtur, & non murmurant; & dum tormentum tolerãt infatigabiles, spem inconcussam servant, qualibet adversa fortiter tolerant. Hæc affectio sancti desiderij significari potest nomine animæ, cùm dicitur. *Diliges ex tota anima tua.* Nec immeritò. Anima enim spiritus est, & Spiritu sancto

Luc. 1. — *Inæstimabiles Dei promissiones.* — *Impatiẽtia quædam laudabilis.* — *Cant. 5.* — *Psa. 41.* — *Philip. 1.* — *Rom. 8.* — *Deutero. 6.*

afflata semper desiderat & suspirat, donec in illo respiret, ad quod spirat. Vnde in desiderijs sanctorum exprimendis animæ mentio sæpissimè fieri solet. Hinc Propheta dicit. *Sitivit in te anima mea.* Et iterum dicit. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et alius Propheta dicit. *Nomen tuum, Domine, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderabit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis mei.*

Psalm. 62. & 83. Isai. 26.

Quòd ex omnibus viribus diligendus est Deus in judicijs suis.

IN judicijs suis diligendus est tibi Deus ex omni virtute tua. De iudicijs Dei iudicium est difficile. *Iudicia enim Dei abyssus multa.* Verumtamen constat, aliud esse iudicium, de quo Propheta dicit ad Dominum, *Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligētium nomen tuum;* & aliud esse illud iudiciū, de quo idem Propheta dicit. *Non intres in judicium cum servo tuo.* In illo iudicio quo jam damnati sunt, qui in inferno positi sunt, nullus amat Deum: sed nec ibi quisquam amat seipsum. In præsenti autem vita exercet Deus iudicia sua, siue in reprobis, siue in electis, diuersis modis. Nam in eis misericordiā & iram suam nunc occultat mirabiliter, nūc manifestat, vt quæ ira est, videatur misericordia; & quæ verè est misericordia, videatur esse ira. Hinc Propheta ait. *Quis sapiens & custodiet hæc; & intelliget misericordias Domini?* Et de ira ad Deum ait. *Quis novit potestatē iræ tuæ?* Deus enim occulto iudicio quosdam malos suæ voluntati permittit, & dimittit eos secundum desideria cordis eorū, vt eant in adinventionibus suis. Inimicos suos exaltat & honorificat: & quotidie bona eorum bonis cumulat; nec eos cum hominibus flagellat. Hoc agens, apponit iniquitatem super iniquitatem eorum, vt qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, donec compleatur iniquitas eorum. In hoc autem iudicio abscondit Deus irā suam, quasi sub specie misericordiæ, ijs qui misericordiam eius in iudicium convertunt; vt prosperitas eorum fiat perditio eorū: vt in ijs iustissimè pereant, pro quibus Deum non amant. Hinc scriptū est. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Stulti autem in perditione sua lætantur; ignorantes quid cogitet super illos terribilis in cōsilijs super filios hominum: non intelligentes profundas Dei cogitationes, de quibus scriptum est. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet: stultus non intelliget hæc.* Sed quid super eos cogitet altissimus, tunc intelligent, cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi. Hic est enim finis illius occulti iudicij, quo Deus iram suam abscondit ijs, qui in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Sunt autē alij mali, qui à Deo hic flagellantur, quos tamen flagella non purgant: quia per impatientiam blasphemant aut murmurant, & castigati reverentiam non exhibent, non recipientes disciplinam. Hi quia in iudicijs Dei Deum non amant, per impatientiam iudicij iudicium sibi aggravant, de supplicijs ad supplicia perducendi. Boni verò cùm à Deo flagellantur, alij in flagellis Deum amant; alij ipsa flagella propter Deum amant. Hi in flagellis, illi de flagellis Deum glorificant & laudant. Illi in tribulatione patientes Deum in judicijs amant; illi in tribulatione gaudentes, iudicia Dei quasi quædam beneficia gratāter acceptant, & in eis exultant. De qualibus scriptum est. *Et exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine* Filiæ verò inde rectissimè intelliguntur animæ Deo confitentes, quæ in adversis semper Deum glorificant, & sese accusant, dicentes. *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti: quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus. Sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundùm multitudinem misericordiæ tuæ.* Sunt alij, qui judicia Dei intantū amant, vt non expectata disciplina patris ipsi se judicent & puniāt, & de quotidianis peccatis, quib⁹ carere non potest humana infirmitas, quotidie vindictam expetant. De qualibus Apostolus dicit. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique judicaremur.* Qui autem seipsū judicat, & quasi reum punit, ipse simul & re⁹ est, & judex, & minister judicis. Iust⁹ Iudex, quia reū persequitur: & quia reus est ipse, juste patitur: & dum se justè persequitur, odit animam suā, & in vitam æternā custodit eam. In judiciis suis pbat Deus, & erudit electos suos ad patientiam, & exercet ad passionum tolerantiam, & confortat per spem. Tribulatio enim patientiam operatur, patiētia autem probationē, probatio verò spem. Spes autem non confundit. Propter quod Propheta ad Deum dicit. *In judicijs tuis supersperavi;* significans in iudicijs Dei patienter toleratis vel amatis, non qualemcumq; spem, sed firmiorem & certiorem, & abundantioris gloriæ fiduciam constitutam esse. Spei autem certitudo & gloriæ magnitudo pondus tribulationis relevant, vt æquanimiter tolerari possit, vel etiā amari. Nam vt Apostolus ait, *Non sunt cōdigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et iterum dicit. *Id quod in præsenti momētaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Iudicia verò Dei quàm digna sint amari, nouit, qui ait ad Dominum. *Iudicia tua jucunda.* Et iterum dicit. *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & favum.* Quibus verbis ostenditur, omnem jucūditatem in possessione auri & argenti, omnemq; dulcedinem vitæ præsentis, quamvis melli fauoque similem, minorem esse illa delectatione, qua animæ Deum super omnia desideranti dulcescūt judicia Dei, cui minus est omne ꝙ patitur: quæ omne gaudium existimat, cùm in varias inciderit tentationes. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Magna quidem, nec dici potest, quàm magna. Dulcis es enim in judicijs tuis: sed nondum illi, qui dicit. *A judicijs tuis timui.*

Psalm. 35. Psalm. 118. & 142. Deus sæpè iram & misericordiam suam occultat. Psalm. 106. & 88. Prouer. 1. Psalm. 91. Boni & mali à Deo flagellātur, diverso successu. Psalm. 96. Dan. 3. Quinā seipsos judicēt 1. Corint. 11. Rom. 5. Psalm. 118. Rom. 8. Psalm. 118. & 18.

Quòd tota mente diligendus est Deus in præceptis suis.

MENS est, quod in homine principatur, summum & præcipuum locum tenens. Sicut enim paterfamilias in domo ad arbitrium suum omnia dispensat, ministeria ordinat, ministris imperat, de omnibus iudicat, volens in omnibus & ab omnibus sibi serviri, sibique obediri: sic vigor mentis omnes mot⁹ & sensus corporis & spiritus ad arbitrium suum regere habet: ordinare, iudicare, & solicitè agere, vt in omnibus sibi obediatur. Sed sicut mens omnibus quæ sub ea sunt se novit esse prælatā: ita meminisse debet, necessitate obediēdi se Deo fore adstrictam. Obedientiā sanè, quàm ab inferiore exigit, suo superiori æquissimo

Mēs omnibus membris imperās, debet Deo subesse.

æquissimo iure impedit. Væ autem homini, qui Deo non obedierit. Pœna enim inobedientiæ erit illi prævalens ipsa mors. Mors autem sicut terribilis est, ita & odibilis: & quoniam inobedientiæ cohæret, ipsa quoque inobedientia æquè digna est odio, sicut & ipsa mors. Per peccatum enim inobedientiæ in hunc mundum intravit mors. Quod si inobedientia æquè odibilis est vt mors; quia ex ea procedit mors: cur non obedientia æquè diligenda est vt vita, quia ex ea procedit vita, & in ea perseuerat vita? Obedientia enim Deo obsequitur, & voluntati ejus: & vita est in voluntate eius. Charitas autem Dei & obedientia indiuiduo nexu sese complectuntur, & ab invicem non disiunguntur. Nam quòd charitas sine obedientia non sit, Dominus ostendit dicens. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*: hoc est, præcepta mea custodiet, & in custodiendis illis mihi obediet. Ostendit quoque, obedientiam sine charitate non esse, cùm dicit. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Si ergo qui diligit, obedit; & qui non diligit, non obedit: consequens est, vt nec sit charitas sine obedientia, nec sine charitate sit obedientia. Obedientia per charitatem in mandato Deum respicit: charitas per mandatum obedientiam ad Deum dirigit. Deus per mandatum voluntatem suam exponit; charitas mandatum obedientiæ imponit. Qui autem verè Deum diligit, & mandatum eius diligit. Sicut enim non potest quis Deum diligere, & voluntatem eius non diligere; sic nec ipsum diligere potest, nisi diligat & mandata eius, in quibus voluntas eius manifestatur & cognoscitur. Proinde amori Dei semper conjungitur amor voluntatis eius, & amor mandatorum eius; adhuc autem & amor obedientiæ. Nam qui mandatum Dei amat & voluntatem eius, obedientiam amat. Hoc enim vult Deus, quod mandat fieri: & cùm mandat fieri, voluntas eius est, vt obediatur ei. Propterea qui voluntatem Dei, qua fieri mandat, amat, iuberi amat. Sed nemo diligit juberi, nisi diligat & obedire. Si ergo obedientia ad Deum non est sine charitate, id est amore Dei, & si amor Dei non est sine amore voluntatis eius quam fieri mandat: hoc est non est sine amore mandati; nec amor mandati sine amore obedientiæ: quid consequens est, nisi vt obedientia ad Deum non sit sine amore obedientiæ, nec sine amore diuini mandati, cui obedientia debetur? Videamus adhuc, an ita sit, & primum attendamus ijs quæ nobis insinuantur ex verbis psalmistæ de dilectione mandatorum Dei. *Meditabor*; inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis.* Tribus modis ostendit mandata Dei à se diligi; meditatione, manuum elevatione, id est operatione, necnon & exercitatione. Meditatione diligenda sunt mandata Dei, secundum illud. *Quæ præcepit tibi Dominus, hæc cogita semper.* In meditatione enim dulcescunt mandata Dei, considerantibus quàm salutaria sunt, quàm honesta, quàm fidelia; quomodo confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate. Sed alijs dulcia sunt & suauia in meditatione, sed in actione gravia videntur & amara, quia ipsi pigri sunt ad operandum. Quam pigritiam à se removet, qui dicit. *Et levaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.* Sunt & nonnulli, qui meditatione & actione videntur amare mandata Dei, & in his delectari; sed in exercitatione pusillanimes

Obedientia & charitas inseparabiles.
Ioan. 14.
Obedientia non est sine amore obedientiæ & mandati.
Psalm. 118.
Eccli. 3.
Psalm. 118.

inveniuntur, minusq; constantes: quod à se remouet, qui dicit *Et exercebor in iustificationibus tuis.* Est quædam exercitatio in faciendis mandatis Dei, vel etiam meditandis; sed hoc loco ea exercitatio intelligitur, quæ renititur contra aliquam difficultatem vel tentationis, vel persecutionis, vel aduersitatis, quæ nos à iustitia mandatorum Dei retrahere quoquomodo nititur. Amor itaque mandatorum Dei consummatur in amore meditationis, & actionis, & exercitationis. Amor autem obedientiæ ex amore mandatorum procedit: & qui mandata non amant, nec obedientiam amant. Quid ergo dicemus? Nonne multi sunt, qui mandata seruant, qui nollent iuberi; sed magis cuperent mandata aboleri? Nonne multi sunt, qui non fornicantur, qui non furantur, qui inimicos non persequuntur; desiderantes Deum non mandasse, hæc non fieri? Cupiunt quidem multi, Deum super his nihil mandasse: verumtamen quia mandauit hæc non fieri, abstinent ab his, timentes eum qui mandavit; ne puniat, si ipsi fecerint, quæ prohibuit. Qui eiusmodi sunt, mandata Dei servare, & Deo obedire, nec tamen obedientiam amare videntur. Quod si ita est, non omnes qui obediunt, obedientiam amant; nec omnes qui mandata Dei custodiunt, ipsa diligunt. Quomodo ergo obedientia indiuidua comes est charitatis? Et quomodo verum est, *Qui non diligit me, sermones meos non servat?* Sed considerandum est, quòd obedientiam ab obedientia distinguunt intentio & affectio. Secundum intentionem enim est vera obedientia, est & simulata. Vera est, quæ in veritate, hoc est in Deo, spem retributionis constituit. Simulata est, quæ Deo obsequi fingit, & per cupiditatem extra veritatē spem sui laboris ponit. Secundum affectionem est coacta obedientia; est & voluntaria. Hanc timor extorquet; illam violentus amor perurget. Si affectio & intentio mixtim considerentur, est quædam obedientia coacta & vera, illa scilicet, quæ timore Dei exhibetur, & in Deum dirigitur: & huiusmodi obedientia in aliquo plus timoris habet, & minus amoris; in alio plus amoris, minusq; timoris. Semper autem de vtroque aliquid habet. Sicut enim sine timore numquā est coacta, sic sine dilectione numquā est vera. Est quædam obedientia coacta & simulata, quæ solo metu exhibetur, & ad Deum non dirigitur. Est quædam obedientia voluntaria & simulata, vt est hypocritarum. Est quædam obedientia volūtaria & vera, quæ de charitate procedit, & per charitatem ad Deum tendit. Hanc requirit Deus, hanc diligit, hanc suo præcepto & exemplo commendat: hanc sicut amat, ita & remunerat. Coacta autem obedientia, quæ & vera est, etsi libertatem charitatis non habeat, secūdum affectionē timoris, per quem trahitur, quò non vult; habet tamen aliquid de libertate charitatis per intentionem, qua se dirigit, quò vult. Sicut enim nolens sentit affectionem, ita volens dirigit intentionem. Propterea non vsquequaque improbanda est huiusmodi obedientia, sed aliquatenus est approbanda. Nam quod metu pœnæ à peccato compescitur, pœnam declinat quam metuit, quia peccatum cui pœna debetur non committit. Quod intentionem ad Deum dirigit, aliquid promeretur à Deo, cui spem suam committit. Dum timore Dei à peccato cōpescitur, timori Dei reverentiam exhibet, & quodammodo timorem suum Deo consecrat, & in ipso

Ibidem.
Ioan. 14.
Intentio & affectio in obedientia consideranda.

Quæ obedientia Deo exhibenda.

Deum honorat. Obedientia verò quæ voluntaria est & vera, æquissimo iure Deo exhibēda est. Sic enim decet rationalem creaturam suo creatori subiici, vt velit illa, quæ ille vult, & quia ille vult: adhuc autem, vt velit illa: etiā illum velle, quæ vult. Dicam apertiùs. Si volo quod Deus vult, & non quia Deus vult, nondum voluntas mea, quia tantum mea est, in Dei voluntate formatur. Si autem volo quod Deus vult, & quia Deus vult; habet volūtas mea principium à Deo & causam, vt bona sit: maxime autem, si volo, etiam illum velle, quod vult. Si autem velim, eum non velle, quod vult, quamvis velim quod ille, & quia ille; nondum tota voluntate volo illud, quod volo eum non velle, vt & mihi liceat non velle. Verbi gratia, si inimicum diligo, quia Deus hoc præcipit & vult; aliquomodo placet mihi, quod & Deo placet, & quia illi placet: verumtamen non vsquequaque placet, quia inimicum nondū liberè diligo; sed vim mihi facio, in me diuisus, ex parte volens, quia bonum est, & mercede dignum, inimicum diligere: ex parte autem nolens; quia difficile est acceptam iniuriā non recolere; & animum ab omni murmuratione compescere. Et quamvis dispositum habeam, vindictam nullo modo expetere: quamvis etiam cor paratum habeam, indigenti vel poscenti beneficium præstare: tamen si adhuc corde mussitante & submurmurante velim Deum non præcipere, & non velle inimicum diligi; nondum plenè & perfectè volo, quod Deus præcepit; sed tantum deest perfectæ obedientiæ, quātum perfectæ charitati. Vt perfecta sit charitas, & obedientia perfecta, quidquid dignoscitur Deo placere, vt ab homine fiat, debet homini placere vt ipse faciat; & hac causa placere, quia illi placet; & hoc fine, vt ipse illi placeat. Vnus est enim finis obedientiæ & charitatis, placere Deo: sed in ijs quæ placent Deo. Hoc autem addidi, quia mali volunt placere Deo; sed in ijs quæ placent sibi, displicent autem Deo. Propterea multi qui non diligunt Deum, credunt se diligere Deum; attendentes, quia volunt placere Deo; attendentes etiam beneficia & promissa, in quibus placet illis Deus: non autem attendētes, in quibus volūt placere Deo, & in quibus illis displicet Deus. Non enim æstimant charitatem ex virtute obedientiæ, sed ex opinione suæ sapientiæ. Obediētia autem comes charitatis sicut propriæ voluntati renititur, ita Dei voluntate semper nititur. In illa summa & principali iustitiæ norma, & æquitatis forma, hoc est in voluntate Dei, formatur voluntas rationalis creaturæ, vt & ipsa sit, & non immeritò dicatur voluntas Dei: quia secūdum præventionem gratiæ à Deo incipit, & secundum directionem intentionis ad Deum tendit. Sicut enim non habet homo posse bonum à se, sed ab illo, qui dicit, *Sine me nihil potestis facere*: sic velle bonum non habet, nisi ab illo, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et sicut virtus Dei dicitur, non solum quæ in Deo est, & Deus est, sed illa etiam quæ à Deo homini datur, & in homine est: sic voluntas Dei dicitur & illa, quæ in Deo est, & De⁹ est: & illa quę in homine, non tamen ab homine, sed à Deo est. Adhuc autem voluntas Dei dicitur, quam per hominem vult fieri; vt quodcumque opus iustitiæ, siue misericordiæ. Est ergo voluntas Dei, & quæ mandat, & cui mandat, & quam mandat fieri. Penes primam authoritas est, apud secundam ministerium est, apud tertiam amoris experimentum est. Obedientia itaque tota in dilectione Dei constituitur: quia à voluntate Dei per voluntatem Dei ad voluntatem Dei tendit, & ad volūtatem Dei redit. Voluntas enim Dei in Deo per voluntatem Dei in homine operatur voluntatē Dei in mandato, propter voluntatem Dei in Deo. Ergo voluntas Dei in Deo principium est & finis obedientiæ. Qui enim in charitate obedit, quasi ad finem ad illum suspirat, qui ab initio inspirat: in quo inspiratus & suspirās à labore quē fingit in præcepto sine fine respirat.

Ioan. 15.

Quid voluntas Dei dicatur.


Quanā obedientia perfecta.

TRACTATVS QVARTVS.

De duplici Resurrectione, quæ per obedientiæ perseverantiam obtinetur.

Psalm. 107.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & psallam in gloria mea. Exurge psalterium & citara; exurgam diluculo.



OBEDIENTIA quid possit, quid valeat, quò tendat, quo perueniat, quis finis eius, & quis fructus eius, gloria Dñicæ Resurrectionis demonstrat. Fructus obediētiæ resurrectio est, & vita per obedientiam Christi, qui est resurrectio & vita. Christus semel mortuus est, & semel resurrexit. Simplæ morti simpla congruit resurrectio. At nobis vna resurrectio sufficere non potest. Ita sumus ad ima prostrati debito geminæ mortis, ita sumus prostrati, vt vna resurrectione beati esse non possimus. Gemina nobis necessaria est resurrectio, prima & secunda. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima.* Prima resurrectio partis est, animæ, magis quàm corporis; & tamen aliquomodo corporis, & quia imperfecta est, ex parte est. Imperfectioni autem semper aliquid deest. Cùm autem venerit, quod perfectum est; euacuabitur quod ex parte est. Secunda resurrectio absolutam habitura est perfectionem; cui omnino nihil deerit. Hæ duæ resurrectiones ex verbis Domini distinguntur, dicentis. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Vita præsens æternitati comparata, quasi hora est. Mortui sunt, qui à Deo, qui vita est animæ, per inobedientiam separati sunt. Et quoniam in hora quæ nunc est, spatium pœnitētiæ indulgetur; qui obediendo vocem diuinam audiunt, viuent de morte resuscitati ad beatam vitam. Nam de secunda resurrectione subiungitur. *Venit hora, quando mortui, qui in monumētis sunt, audient vocem filij Dei.* Erit hæc hora, quando Dñs in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & dabit voci suæ vocem virtutis. Tunc procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionē iudicij. Erit in futuro resurrectio vitæ, sed bonorum, qui resuscitandi sunt in vitam æternam, & resurrectio iudicij malorum, qui partem non habent in resurrectione prima: quia in hora quæ nunc est, non resurgunt, vt se iudicent. Neque enim resurgunt impij in iudicio: neque peccatores in cōcilio iustorum. Impij sunt, qui non credunt: & qui non credit, jam iudicatus est. Peccatores, etsi credunt, quia perditè viuunt, non habent par-

Gemina resurrectio necessaria.

De duplici Resurrectione.

Apoc. 20.

Ioann. 5.

Ioan. 5.

Resurrectio vitæ bonorū

Psalm. 1.

tem in resurrectione prima: quia non resurgunt in cõsilio iustorum. Quod est, inquis, cõsilium iustorum? Audi Prophetam ad Dñm dicentem.
Psalm. 118. *Consilium meum iustificationes tuæ.* Causa nostra in arcto posita est. Iudicari nos necesse est. Iudicium declinare nullaten⁹ possumus: aut hic iudicandi sumus, sed à nobis, & ideo mitiùs; aut in futuro, sed à Deo, & irato, & ob hoc grauiùs. Sed quid dicit Apostolus? *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Neque enim iudicat Dominus bis in idipsum. Resurrectio itaque vitæ secũda resurrectio est. Resurrectio verò iudicij, nec prima videtur, nec secunda. Non prima: quia nulla sequitur. Non secũda: quia nulla præcessit. Vtriusq; resurrectionis nostræ, & primæ & secundæ, Christi resurrectio causa est, & forma, exemplum, & sacramentum. Fide enim & imitatione resurrectionis Christi, reformati sumus, iustificati sumus, sanctificati sumus, à morte resuscitati sumus: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus; in nouitate vitæ ambulantes, & adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. In resurrectione enim secũda reformabit Christus corp⁹ humilitatis nostræ, cõfiguratũ corpori claritatis suę. Prima resurrectio ab obedientia incipit, & perseveramtia consummatur. Secũda à gloria incipit, & ęternitate stabilitur. Qui perseverauerit in obedientia vsque in finem, perseverabit in gloria sine fine. Perseuerantia enim quodãmodo similis est ęternitati. Sicut enim æternitas est quasi quædam perseuerantia gloriæ, sic perseuerantia quasi quædã æternitas est obedientiæ. *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Perseuerantia verò laus est & consummatio, & quasi virtus omniũ virtutum. Charitas multùm laudata, multumq; laudanda, cęterarum virtutum vita est & virtus: at ipsius charitatis virtus est patientia, & ipsius patientiæ virtus est perseuerantia. Charitas sine patientia vera charitas non est, sed simulata. Simulata verò charitas in ꝓsperis fingit, in aduersis cedit. Patientia sine perseverantia inconstans est, & infirma: in adversis incipit, sed tẽpore deficit, & longa fatigatione succũbit. Perseuerãtia verò nec fingit, nec cedit, nec deficit, nec succũbit. Cęteræ virtutes omnes quasi in stadio currunt: sed tenor perseverantiæ vn⁹ accipit brauium. Obedientia perseuerans in finem, in prima resurrectione experitur, quid possit in merito: in secũda experietur, quid valeat in pręmio. In prima tendit, quò perveniat: in secunda pervenit, quò antè tendebat.

1. Cor. 11.

Resurrectio Christi nostra causa.

Matth. 10.

virtutũ vita & virtus

Sola pęseverantia accipit brauium

De Obedientia Christi.

HVNC ordinem obedientiæ & perseverãtiæ, & gloriæ, Christus ipse docuit. Nam cùm esset in sinu Patris: sciens ipse, & nos scire volẽs, quàm bona sit obedientia, & obedientiæ perseuerantia; cogitauit & destinauit in corde suo, obedientiæ jugo se subdere, & habitũ humilitatis assumere, & sacco se induere, & sicut in ieiunio animam suam operire, & vestimentũ suum cilicium ponere, & in opprobrium se dare, & obedientiam promittere, & in obedientia vsq; ad mortem perseuerare. Quæ cogitauit, hæc & fecit. Et sicut Abaham egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, in terram, quam pollicitus est ei Deus: egressus est autem, vt voci Dei obediret: sic filius Dei à summo cælo egressus est, & de domo patris sui, in terram, quam pollicitus est ei pater, dicens. *Postula à me,*

Gen. 12.

Psalm. 2.

& dabo tibi gentes hereditatem tuã: & possessionem tuam terminos terræ. In mundum veniens tunica indutus est inconsutili, desuper contexta per totum, quam dedit ei mater sua: quã manu sapientiæ texuit in digito Dei, quam Pater ei aptavit: sed & mater coopata est, mulier fortis, quæ manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehẽderunt fusum. Quæsiuit lanam & linũ, vt de exquisita materia opus fieret singulare: novo modo, nouo artificio: novum indumentũ, quale nõ potest homo facere super terram. Indut⁹ IESVS habitu assumpto, quasi succinctus ad omnẽ obedientiam, quasi strenuus & devotus ad omnem humilitatis obsequelam, Patri loquitur, dicens. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meũ.* Cor suum dicit esse paratũ; nec edicit, ad quid sit paratum: vt sermo, quamvis congeminatus, videatur imperfectus. Sed sermonis congeminatio, obedientiæ est confirmatio: & sermonis imperfectio perfectæ obediẽtiæ est ostensio. Obediendi autem professus cor suum, quod absolutè testatur esse paratum, ad omnia ostẽdit non imparatum. Tamquam diceret, Pater, iube quod vis. Si vis me quidquam agere; paratum cor meum. Si vis me quidquam pati; paratum cor meum. Si vis me flagellari; ecce ego in flagella parat⁹ sum. Si vis vt custodiam mandata tua; paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Non sic Petrus, cùm diceret, *Paratus sum, siue in carcerem, siue in mortem ire.* Christ⁹ autem qui Petra in obedientia firmior quàm Petrus, factus est obediens patri vsq; ad mortem. Paratum cor eius sperare in Domino, cõfirmatum est cor eius: nõ cõmovebitur donec despiciat inimicos suos. Post obedientiæ professionem manifestat Iesus nobis gloriam suam, dicens. *Cantabo & psallam in gloria mea: exurge psalterium & cithara.* Psalterium & cithara, sunt gaudium & exultatio de resurrectione gloriæ. Cãticum & psalmus, laus & gratiarum actio, pro eadem gloria. Cantabit Christus in gloria sua. Hic est, de quo Apostolus ait. *Christus est Dei virtus, & Dei sapientia.* Dei verò sapiẽtia de Patre loquitur dicens. *Antequã quidquam faceret, eram cum eo cuncta componens; delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* O quale spectaculum! quàm dulce & ineffabile gaudium! videre in cœlo filium Dei coram Patre ludentem, & audire cantantem: vbi cantant & astra matutina, & iubilant omnes filij Dei. Quis fidelis in spe tam beatissimæ visionis manibus non plaudat, corde non tripudiet, in voce exultationis non iubilet? Cantat Iesus in gloria. Sed cui cantat, aut quid cantat. Cantat Patri, cantat & Angelis: cantabit & nobis? Patri cãtat sempiterna laudum præconia, psalmos triumphales, & psalmos præconiales, & Canticum novum, Canticum canticorum, quod nemo potest cantare, nisi solus Iesus. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* Cantabit & illud. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; concidisti saccum meum, & circumdedisti me letitia: vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Angelis cantabit. *Lætare Ierusalem, & diem festum agite omnes, qui diligitis eam.* Magnus ille Angelus sicut fulgur de cœlo cadens ruinam magnam fecit; cuius cauda traxit tertiam partem stellarum. Christus autem resurgens ex mortuis implebit ruinas, ædificabit muros Ierusalem, numerum ciuium implebit; vnde Angelis gaudium & exultatio. Nam si

Psalm. 107.

Perfectæ obediẽtiæ forma.

Luc. 22.

Psalm. 107.

1. Cor. 1.

Prover. 8.

Quid & quibus Christus cãtet in gloria.

Psalm. 29.

Ibidem.

Isai. 66.

Apocal. 12.

Luc. 15. gaudium est eis super vno peccatore pœnitentiā agente; quantò magis de millibus millium, qui eis associādi sunt, & similes eis futuri sunt? Currus enim Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. Cantabit Iesus tandem, & nobis cātabit carmen lætitiæ, carmen delectabile, dicens. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum, paratum vobis ab origine mundi.* Erit vox ista in auribus audientium, quasi carmen musicum, quod dulci suaviq; sono canitur. O si nobis detur audire vocem istam! ô si aures nostras demulceat! ô si ad nos perveniat! ô si pertineat! ne alieni esse mereamur ab auditione tam bona. Conualescat interim in cordibus nostris vox inuitantis Iesu. *Quid nobis Christus cātet.* Inuitatorium jā nunc nobis cantat, dicens. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum; & tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc. 9. Inuitat nos author vitæ ad vitam, de labore vocans ad requiem, assiduè clamans. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos.* Qui audierint Ioan. 11. hanc vocem, etiam si mortui fuerint, viuent. Potuit vox tua semel dicta, *Lazare veni foras*, mortuum terra defossum, & quatriduanum statim suscitare. Væ ijs, qui quatriduano mortuo surdiores inveniuntur, dum Dominus ad nos clamat, *Venite ad me omnes qui laboratis*, & cætera. Clamemus ad inuicem, mutuis exemplis cohortantes. Venite exultemus Dño, venite adoremus & procidamus ante Deum: ploremus corā Domino, qui fecit nos: & qui audit, dicat, veni. Iesu cantante, nos pariter cantemus in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini.

De Spirituali creatura.

CHRISTVS resurgens ex mortuis, psalterium & citharam suscitat. Suscitat sibi, suscitat & nobis. Vnde nobis psalterium & cithara, nisi suscitaret? Quidquid enim in nobis à nobis est, lamentatione dignum est, materia luctus & mœroris. Nam à diebus prævaricationis Adæ cithara nostra versa est in luctum, deficit gaudium in corde nostro: miseriæ nostræ lamentum convenit, & non canticum. Sicut filij transmigrationis in medio Babilonis suspendimus organa nostra. Secundum conditionem primæ nativitatis Isai. 38. vox hominis hæc est, *Vadam ad portas inferi.* At si consurgimus in Christo, mox in prima resurrectione gloria nobis datur; psalterium & cithara suscitatur. In cithara plures cordæ suo disponuntur ordine, & arte citharœdorum ita sibi coaptantur & cōtemperantur, vt sonante cithara in diversis sonis vna sit concordia, vna dulcis cōsonantia, vna suavis harmonia. Et siqua forte rauciùs sonat corda, & singulariter strepit, aliarum pacem turbans, & consonantiam interturbans, mox ingenio & plectro citharizantis artificiosè intorquetur, vt acutiùs vel remissiùs sonet, donec ad pacem redeat, & recōcilietur alijs, à quibus antea discordabat. Id enim semp procurat citharizantis industria, ne quid absonum vel dissonum audiatur, quod auditum possit offendere. Ita fit in moribus nostris singulorum singulis. Sunt enim in nobis sicut cordæ in cithara *Mores nostri citharā debent imitari.* sensus corporis & sensus cordis. Sunt sensus cordis, & motus, & vsus eorum, sicut membra corporis, & motus vel officia eorum. Sunt in corde variæ cogitationes, & affectiones, & intentiones, varia consilia, variaque iudicia, varia vota, varia desideria. Hæc sunt, quæ in nobis cōsonant vel dissonant, dissentiunt vel consentiunt, discordāt vel concordant. In diluculo resurrectionis nostræ, hoc est in initio cōversionis nostræ de vana sæculi cōversatione, incipiunt hæc omnia in nobis ordinari, & componi, legibus sanctæ obedientiæ, & exercitatione quotidianæ disciplinæ, & magisterio rationis. Et si quid inordinatum vel indisciplinatum subitò erumpit, aut pro memoria priscæ consuetudinis, aut pro conditione humanæ infirmitatis, mox plectro pœnitentiæ & disciplinæ ad rectitudinem inflectitur, vt omnia in nobis sint composita, tranquilla & pacifica; & vni rationi cuncta obediant, donec in obedientia carnis spiritui subjectæ, sicut in spirituali cithara, fit spiritualis harmonia, & spiritualis lætitia, pax scilicet & gaudium in Spiritu sancto. Hæc læta consonantia, consonaque lætitia, vox est citharœdorum citharizantiū in citharis suis. Qui alienæ paci studet, in se pacem non habens, nondum in cithara sua citharizat; quamvis in aliena cithara citharizare videatur. Qui sibi non conuenit, cui conueniet? Qui sibi dissidet, & à se dissentit, à se semper discordat, & sibi semper cōtrarius est: cui poterit concordare? Qui semper turbulentus est, & inquietus, sicut fervor maris, quod numquam requiescit, cui poterit esse pacificus? *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Propterea in hac cithara non citharizat omnis impius. Isai. 48. Sed vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorū est ista exultatio, quibus dicitur. *Exultate iusti in Domino.* Et, *Confitemini in cithara: in cithara & voce psalmi.* Psalm. 32. Quid sibi vult ista congeminatio? Anne est vna cithara in moribus nostris singulorū singulis, & altera in alternis moribus alterius ad alterum? Nempe sicut in cithara sunt plures cordæ, non autem omnes cordæ vnum sonum habent, sed plures soni per consonandi concordiam quasi in vnum sonum coalescunt: ita quasi vna cithara multi nos sumus, singuli autem alter ad alterum, sicut corda ad cordam. Et quoties sanctæ æmulationis studio alter alteri imitabilem se præbet, vel in omni charitatis & humilitatis obsequio amabilem se exhibet, sicut in sonanti cithara corda cordæ respondet. Nec in organo lætitiæ jucūdior quævis gratissima modulatio, quàm in collegio sanctæ cōgregationis grata jucundaque societas: quæ in Christo & pro Christo mutuis studijs vicissim sese cōtemperat, & ad pacem seruandam per humilitatem & patientiam alternis moribus in omnibus sesè coaptat: vbi non inflatur superbia, nō tabescit invidia, non excandescit ira, non litigat discordia, non murmurat impatientia: vbi sinistra suspicio non disceptat; & omnis turpitudo non nominatur in ea. Ecce, inquit Propheta, *quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in vnum.* Psam. 132. Falluntur planè, & omnino falluntur, qui maiorem æstimant delectationem in mundi vanitate, quàm in Christi veritate. *Exultent*, inquit Dominus, *& lætentur, qui volunt iustitiam meam.* Psalm. 34. Quisquis experitur, non hoc negabit; sed dicet homo, vtique est fructus iusto. *In hac vita nōnulla virtuti fit retributio.* Non tota iustorum retributio in futurū differtur, pro mādatis Dei custodiendis; sed in custodiendis illis retributio multa. *Iustitiæ enim Domini rectæ, lætificantes corda: & delectationes in dextera ejus vsque in finem.* Psa. 18 & 15. Dextera eius munifica est & liberalis, delectationes distribuit, quales mundus non novit: & dat, quam mūdus dare non potest, pacem; sed ijs, qui non diligunt mundum. Ecce jā in præsenti, ecce jā in euidenti ex parte apparet,

quàm bonum sit, & quàm iucundum, quàm vtile, & quàm salubre, quàm suave, & quàm dulce, habitare fratres in vnum. Sed ij, quos amor Christi in vnum cõgregavit, mutuò sese diligũt, & vicissim sibi obediũt, si mutuis exemplis & cohortationibus ad Deum diligendum quotidie se accendunt: si humero vno Deo serviunt, & labio electo sempiternas laudes ei vnanimiter concinunt: si omnes idem volunt, & idem nolunt: si omnes idem sentiunt, & idipsum sapiunt; habentes cor vnum & animã vnam. Nonne in hac spirituali cithara omnes Deo iubilant, sibiq; iubilant? Et beatus populus, qui scit iubilationem.

De spirituali psalterio.

IN diluculo resurrectionis nostræ non solùm citharam suscitat nobis Christus, sed & psalterium: & priùs psalterium; quamvis de cithara, quod dicendum mihi videbatur, nunc priùs dixerim. *Exurge,* inquit, *psalterium & cithara.* Vt Pater Augustinus asserit, psalterium à superiori sonat, cithara ab inferiori. Cithara, vt præostẽsum est, læta concordia est, vel ad nos ipsos, vel ad fratres nostros. Psalterium est pax & concordia ad Deum, & in Deo. De qua pace Apostolus ait. *Iustificati igitur per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Per peccatum inobedientiæ cœpit homo discordare à Deo, & à seipso. Et iusto quidem Dei iudicio non invenit pacem in seipso, qui noluit pacem habere cum Deo. Hinc scriptum est. *Posuisti me contrarium tibi: & factus sum mihimetipsi gravis.* Homo igitur diuis' est in se, qui Deo noluit esse conjunctus. Inobedientia enim hominem à Deo separat, & mors est animæ. Sed in prima resurrectione hæc mors absorpta est in victoria. Per obedientiam enim anima vitæ redditur, Deoque coniungitur. Obtinet itaque anima medium quẽdam locum inter Deum, cui cõjungitur supra se; & carnem, cui conjungitur infra se. Altera coniunctio vi solui potest, voluntate non potest: altera voluntate potest, vi non potest. Anima exire de corpore, nec si velit, potest, nisi vi doloris vehementioris contorta. Anima Deo perfectiùs coniuncta, nulla vi, nulla violẽtia, nulla doloris vehemẽtia separari potest. *Quis nos,* inquit Apostolus, *separabit à Charitate Christi? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei.* Poterant hæc omnia, vel vnum aliquod ex his animam Pauli à corpore separare: sed non omnia hæc à charitate Dei. Videte, fratres carissimi, æmulatores Dei, quàm firma sit, quàm indissolubilis ista coniunctio ad omnes causas, excepta sola ipsius animæ voluntate. Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Scriptum est, quia anima Ionathæ conglutinata est animæ David; & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcũ suum, & vsque ad balteum. Si Christus est verus David, cur Ionathas amicus David non intelligitur verus Christi æmulator, qui omnia relinquens propter Deum, vestimenta sua ei dat, cui se probauit? Signum fœderis est hoc initi cum David. An Christ' fœdus inire nõ nouit? Nonne ipse de quibusdam per Prophetam dicit, *Dabo opus eorum in veritate: & fœdus perpetuum feriam eis?* Cõglutinata est anima Ionathæ animæ David. Quonam glutino, nisi glutino dilectionis? Charitatis glutino cõglutinatur anima iusti Deo, vt inseparabiliter adhæreat illi. Hinc Psalmista ait. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Intuens autem idem ipse vnam coniunctionem animæ & corporis, & alterã animæ & Dei, de hac dicit. *Adhæsit pavimento anima mea.* De illa ad Deũ dicit. *Adhæsit anima mea post te.* Caro pauimentum est luteæ domus, quam nos inhabitamus, qui terrenum habemus fundamentum. Huic fundamento anima adhæret per affectionẽ, & si nimis adhæreat, mortua est illi subiecta, & à Deo longiùs separata, vt iam medium locum non teneat, sed nouissimum, quasi iam in terra defossa, & sub pauimẽto sepulta. Vnde cùm Propheta diceret, *Adhæsit pauimento anima mea,* subintulit, *Vivifica me secundum verbum tuum.* Tunc autem viuificatur, si non carni, sed Deo subijciatur; vt à iusto verè dicatur. *Adhæsit anima mea post te.* Adhæsit post te, præponendo sibi te, & postponendo tibi se; vt te diligat plusquam se; nec te tantum diligendo propter se, sed se magis diligendo propter te, Dñe Deus salutis meæ. Hic velim orare, vt trahas me post te, vt sic adhæreat anima mea post te. Hæc coniunctio animæ & Dei illa alia cõiunctione lõgè arctior est, & constrictior, & quasi longè interior. In anima enim Deus est, & anima in Deo est: anima quoque in carne est, sed caro in anima non est. Anima verò & in carne est, & in carne viuit, & in carne sentit. Caro verò nec in anima est, nec in ea viuit, nec in ea sentit; quamvis ab ea accipiat, vt & viuat, & sentiat. Anima carnem viuificat, præstans ei motum & sensum. Motum quidem ad aliquid agendũ, sibique ministrandum in voluntatibus suis ministerio corporis perficiendis: sensum verò, quo vel delectationes vel passiones suas pœnaliter vel delectabiliter sentire possit. Habent enim quinque sensus corporis, singuli secundum suam proprietatẽ, cognitionem rerum sensibilium, & vsum earum cum experiẽtia delectationis vel pœnæ. Vtraque autem, caro scilicet & anima, proprias habet passiones vel delectationes, quas in se cũ delectatione vel pœna sentit: vicissim alternis bonis vel malis compatiuntur vel condelectantur. Ex his enim quæ caro anxiè patitur, anima miserabiliter tabescit: in ijs quæ carnem suaviùs delectant, lætiùs hilarescit. Verumtamen illicitas carnis delectationes anima honesti æmula sæpè per delectationis affectionem sentit, & ab eisdem per rationis moderationem dissentit: miroque modo quodammodo vult, aut velle appetit, quod plenè non vult, quia non cõsentit: mirabiliter & ineffabiliter dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, quasi in se diuisa volũtatem spiritus desiderat cõpleri, & voluntatem carnis æquè appetit compleri: in se tristis & anxia, dum volũtatem carnis perfici gestit, & à cõsentiendi cõniuentia sese cohibet. Intãtum enim carnem amat, vt vicem eius doleat, ægrè sustinẽs voluntatem eius non impleri, quã ipsa vult non adimpleri. Anima verò per amorem obedientiæ Deo mirabiliter vnita, in ipso & ab ipsõ viuit & sentit: & ex sensibus corporis sibi notis quasi similitudinem trahens, p gratiã intimæ inspirationis spiritualiter Deum, quẽ in se sentit, tãgit per fidẽ, odoratur per spem, gustat p charitatem, audit p obedientiam, videt per cõtemplationem.

Cythara est cõcordia ad fratres, psalterium ad Deum.
Rom. 5.
Iob 7.
Vnio animæ cũ Deo nulla vi solui potest, sed sola voluntate.
Rom. 8.
1. Reg. 18.
Psalm. 72.
Psalm. 118. & 62.
Vnio animæ cum Deo arctior quàm cum corpore
Motus contrarij in anima.
De quinque sensibus spiritualibus.

De Tactu Spirituali.

Tactus spiritualis. TACTVS fidei est. Fides enim comprehendit. Hinc in Evangelio, cùm mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, se sanandam crederet, si vel fimbriam vestimẽtorum Iesu tangeret, cumq; credens tangeret, & tactum fidei fortè nesciens figuraret, Dominus ait. *Quis me tetigit?* (*Luc. 8.*) Cumque discipuli quasi mirarentur, quòd se tactum diceret, qui à turbis comprimeretur, subjũxit dicẽs. *Tetigit me aliquis.* Et cùm à mortuis resurrexisset, ad Mariam ait. *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* (*Ioan. 20.*) Spirituale tactum nõ prohibuit, sed magis corporalem, ne eius occasione spiritualis tactus impediretur, si Maria hominem tangeret, & tactui corporali nimis credula Iesum æqualem Patri non crederet. Nondum enim in corde eius vsque ad Patris æqualitatem Iesus ascẽderat, quem æqualem Patri nondum credebat. Si enim in corde eius Iesus ad Patrem tunc ascendisset; proculdubio Maria Iesum manu fidei iam tunc tetigisset. Sed quia futurum erat, vt spiritualiter tangeret Maria Iesum, prohibitus est tactus, quo poterat fides infirmari vel impediri. Nec tangendi licentia est omnino inhibita; sed in temp⁹ visibilis vel spiritualis ascensionis est dilata: vt se sciret Maria tunc verè Iesum tangere, cùm inciperet diuinitatem eius in æqualitate Patris manu fidei cõtingere. Tactus enim fidei non solùm humanitatem in Christo apprehendit, sed plenam eius diuinitatẽ pia contrectatione cõprehendit. Non insuetum habebat Maria tangere Iesum, nec alicuius criminis nuper in Christum commissi sibi conscia erat, vt prohibendam se crederet à tam familiari accessu. Nec eo modo Mariæ dicitur, *Noli me tangere*, quo dicitur quibusdam, *Nolite tangere Christos meos.* (*Ioan. 20. Psalm. 104.*) Aliud est enim malignitatis studium, aliud deuotionis obsequiũ. In peccatrice Maria nos peccatores vtrobique cõsolationem accipimus, & cùm permittitur tangere Iesum, & cùm prohibetur tangere eũ.. Non desperem⁹ de venia. Multum quidem peccauimus, & in multis offendimus omnes. Peccauit Maria, & tamen Iesum tangere permittitur, & in gratiã familiaritatis admittitur. Ecce hic erigitur spes nostra. Non est nobis datum, Christum in carne vidisse, non manibus contrectasse, non tamen desperemus. Thomæ enim dictum est. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* (*Ioann. 20.*) Mariæ quoque dicitur, *Noli me tangere.* Ecce & hic erigitur spes nostra, & abundat cõsolatio nostra. Contrectatio Thomæ indulta valet ad dubitationem depellẽdam, & ad fidem resurrectionis astruendã. Cõtrectatio Mariæ interdicta aliquo modo nos cõsolatur, quibus Iesum tangere non datur. Isti indulgetur, tanquam necessaria nondum credẽti; illi interdicitur, tanquam non necessaria iam credenti. Credebat enim Maria iam tunc resurrectionem: sed gloriam Iesu in æqualitate Patris per admirabilem Ascensionem mundo propalãdam nondũ credebat. Deducẽda ergo erat de fide in fidem. Propter quod & ascensionis gloria iam ei prædicitur, vt quæ fuerat patratæ resurrectionis conscia, & futuræ ascẽsionis fieret præscia. Non ergo requiritur à Maria corporalis tactus, quo tãgat pedes Iesu, quos tamen alicujus mysterij causa tãgere permissa est, cũ mulieribus diceret Iesus, *auete*: (*Matth. 28.*) sed spiritualis ab ea tactus requiritur, quo tangat caput eius, incomprehensibilem scilicet diuinitatem, in qua per omnia Patri est æqualis. Liquet ex prædictis, spiritualem tactũ ad fidem pertinere: & hic est vn⁹ de quinque sensibus, quibus anima Deo copulata, Deũ sentit. Quinq; enim modis anima sentit Deum, & quinque sentitur à Deo. Ex quinque & quinque modis, quia ex decem cordis aptatur decacordum psalteriũ; *Psalterium iucundum cum cithara*, additur. (*Psalm. 80. & 107.*) Christus resurgẽs ex mortuis secũ ea suscitat dicens. *Exurge psalterium & cithara; exurgã diluculo.* Tangendo sentit anima Deũ, vt dictum est, manu fidei, tangendo sentit Deus animam manu multiformis gratiæ, tangit tanquam ad lachrymosam pœnitentiam, & tumorẽ superbiæ quasi montẽ humiliat. Hinc scriptum est, *Tange montes & fumigabunt.* (*Psalm. 143.*) In corde contrito & humiliato est vapor suauissimus Dño, & fumus oculis amarus lachrymam compunctionis extorquens tangit locum lepræ ad emundationem. Tangit & demulcet caput per multimodam consolationem; tangit oculos ad illuminationem: tãgit genas per ruboris suffusionem: tangit collum, vt sit sicut monilia: tangit vbera, ne sint sine lacte arentia: manum suam mittit per foramen, vt contremiscat venter eius. Denique sponsus spõsam quasi maritali licentia totam tãgit, miscet colloquia, jungit oscula, stringit amplexus. Verumtamen tactus eius castissimus est, & tangendo castificat: & quam tangit, totam integram, inuiolatam, intactamque cõseruat. Spõsus enim est, zelo zelans sposam sibi fide sponsatam, sicut scriptum est. *Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus; & sponsabo te mihi in fide.* (*Osee. 2.*)

De spirituali Odoratu.

Spiritualis odoratus. PER Odoratum quoq; anima sentit Deum, & sentitur à Deo. Odoratur autem suauitatem, per spem & expectationẽ Dei. Hoc est enim spes ad ꝓmissionis completionem, quod flos ad fructum. In flore enim odor est spes & expectatio fructus: per spem autem expectamus promissiones Dei, quæ sicut vnguenta fragrant, & suaue redolent: quorum odorem ad nostrã consolationem attrahimus inter pressuras vitæ præsentis: quorũ etiam odore trahimur ad perseuerandum infatigabiliter vsque in finẽ, ne à ꝓposito cœpti itineris deficiendo retrahamur. Hinc sponsa ad sponsum dicit. *Trahe me post te: in odorẽ vnguentorum tuorum curremus.* (*Cant. 1.*) Odoratur etiam sponsa virtutes sponsi, tamq̃ vnguenta pretiosa. Odoratur autem per spem imitationis. Prouocata n. exemplo sponsi, spem habet vestigia eius aliquo modo sequi: nec præsumit aliquomodo sequi ꝑ se, quasi à se: sed odorem notitiæ eius sentiens, adiuuari sperat, & dicit. *Trahe me post te: in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Quòd si hostia viua Deo placens offertur in odorẽ suauitatis; si thus deuotionis, vel incensum puræ orationis, in thuribulo cordis carbonibus charitatis incenditur: si fumus aromatum in cõspectu Dei ascendit: tunc odoratur odorem suauissimũ, devotionem animæ sancto desiderio in se æstuantis sentiens, à qua & ipse sentitur.

De spirituali gustu.

Gustus spiritualis. PER dilectionem verò, quasi per gustum, sentit & sentitur. Christus enim dicit. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* (*Ioan. 4. & 5.*) Et quæ sit voluntas Patris, alio loco ostendens, ait. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Hinc appa-

ret, quòd amore salutis nostræ pascitur & reficitur Deus: cujus amore pascitur & reficitur anima, gustans, quàm suauis est Deus.

De Auditu spirituali.

Quid sit audire & audiri Deum. PEr auditum sentit Deus, & sentitur; quando audit & auditur. Auditur autem per obediētiam: quòd si obediatur; orationes, & postulationes, & supplicationes, vota, & desideria, audit & exaudit. Dicit homo Deo. Psalm. 5. & 77. *Verba mea auribus percipe, Domine.* Et Deus ad nos dicit. *Inclinate aurem vestram in verba oris mei.* Qui enim audientē audit, non audientem non exaudit. Hinc scriptum est. Porver. 28. *Qui obturat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

De Visu spirituali.

Visus spiritualis. PEr visum sentit, & sentitur Deus. De justis n. dicitur. Psalm. 33. & 24. *Oculi Domini super justos.* Et justus dicit. *Oculi mei semper ad Dominum.* Mali autem Deum non vident, in tenebris ambulantes: de quibus scriptū est. Psalm. 53. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Oculi autem Domini in omni loco contēplantur bonos & malos. Sed pio blādoque aspectu super justos respiciunt: ad malos autē dicit. Amos 9. *Oculi mei super vos in malū, & non in bonum.* Sicut superiùs demonstratum est, ex sensibus corporis, & ex sensibus animæ, sibi invicem concordantibus per obedientiam carnis spiritui subiectæ, spiritualis cithara aptatur: ex quinque verò sensibus spiritualibus, quibus anima Deum sentit, Deoque cōnsentit, & ex quinque modis, quibus spiritualiter Deus animam sentit, aptatur quasi ex decem cordis spirituale psalterium decacordum: in quo Deus quinq; superiores cordas tangens, animæ psallit: anima verò quinque inferiores tangēs, Deo psallit, Deum delectans, & delectata in Deo. Tangit Deus psalteriū, cùm gratiam inspirat: Ioan. 3. & 4. spiritus enim est, & vbi vult spirat, & vocem eius audit anima: & vt corda inferior superiori cordæ respondeat, gratia præventa gratiam refert; tangens tangentem, odorans odorantem, gustans gustantem, audiens & cōtemplans audientem & cōtemplantem. Deus autem prævenit & præcinit, & ad cōcordes modulos quasi psaltes psalterium trahit, dicens. Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: quia vox tua dulcis.* Deus enim operatur velle & perficere; & interiùs animam mouet, vt credat, vt speret, vt diligat, vt obediat, vt quem diligit semper videat, sentientem sentiens; hoc est voluntati Dei semper cōsentiens. Non ergo frustra, non sine causa, psalmista quinquies monet esse psallēdū, cùm dicit. Psalm. 46. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite; quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Aliqua causa subest, quare in fine adjungit, *sapienter.* Initium sapientiæ timor Dñi: sapienter autem psallit, qui in Dño exultat, & tamen ruinæ periculum semper formidat. Prover. 28. *Beatus enim qui semper est pauidus.* Hinc Propheta dicit. Psal. 85 & 2. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Et iterum. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Licet ergo anima Deum sentiat per timorem, à prædictis tamen quinq; sensibus spiritualibus timor separandus non est: singulis enim adiunctus est, & totam spiritualem consonantiam temperat & seruat, ne per securitatis remissionem in discordiæ periculum relabatur. Vt ad suum principium sermo recurrat, vox Christi obedientiam profitentis, & obsequentiam Deo Patri deferētis, hæc est. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Psalm. 107 Potest in hac congeminatione gemina obedientia demonstrari; altera secūdum animam Deo subiectam, altera secundum carnem vsq; ad ignominiam crucis humiliatam. Vox autem Christi de resurrectionis gloria exultantis, hæc est, quæ sequitur. *Cantabo & psallam in gloria mea: exurge psalterium & cithara.* Ibidem. Habuit Christus geminam gloriam, geminamque lætitiam: alteram de gloria animæ, quæ est psalterium, in quo psallit; alteram de gloria carnis, quæ est cithara, in qua cātat, Deo cōfitens in decacordo psalterio cum cantico in cithara. Nobis autem cum Christo resurgētibus hæc prima vox secūdum primam resurrectionem nostram & secundam aptari potest. Vox est enim pœnitentis ad obedientiam redeuntis, & obedientiam promittentis, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad bona facienda, paratum ad mala toleranda: paratum ad inchoandum, paratum ad perseuerandum: paratum ad obedientiā animæ, tibi, Deus, seruituræ: paratū ad obedientiam carnis spiritui subijciendæ. Obedienti autem, Deoque seruienti, pro gemina obedientia gemina infunditur lætitia: altera de obedientia & pace carnis ad spiritum, & hæc dicitur cithara; altera de pace & obediētia spiritus ad Deum, & hæc dicitur psalterium. In his spiritualibus organis homo per pœnitentiā iustificatus à Deo, & de morte in vitam resuscitatus, cantat & psallit, sed in gloria. *Cantabo*, inquit, *& psallam in gloria mea.* Gloria primæ resurrectionis. Habet prima resurrectio gloriam suam. gloriam carnis, & gloriam animæ. Consulamus Apostolum de vtraque gloria. De præsenti enim gloria carnis dicit. Galat. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Iterum 2. Cor. 11. & 1. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* De gloria verò animæ dicit. Rom. 5. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Iterum. *Gloriamur in spe adoptionis filiorum Dei.* Habebit autem secunda resurrectio gloriam suam, gloriam animæ Gloria secūdæ resurrect. in visione Dei; quando videbit Deum in gloria sua, & gloriā carnis in incorruptione sua, cū corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; habebunt singuli sancti geminam stolam, & stolati & cādidati tenentes psalterium & citharam, cantabunt & psallent in gloria sua sempiternas laudes Deo cōcinentes: & replebitur gaudio os eorum, & lingua eorum exultatione, ad laudem & honorem Domini nostri Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

TRACTATVS QVINTVS.

De Requie, quam sibi & nobis Christus quæsiuit & parauit; in illud Eccle. 24.

In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini &c.

Verba Sapiētiæ de se. APIENTIA Dei, in qua instaurata & restaurata sunt omnia, in Ecclesiastico introducitur loquens, & commemorans quædam opera virtutis suæ, mirāda quidē & stupenda; & consequenter subjūgit, dicens. *In his omnibus requiem quæsiui.* Eccli. 24. Christus Dei virtus est, & Dei sapientia. Deus autem quædam summa pax est, summaq; quies, vt pote idem, semperq; immutabilis & inuariabilis; apud quem non est transmutatio, quia non

mutatur ab eo quod fuit; nec vicissitudinis obũbratio, quia non mutabitur ab eo quod est. Vicissitudo quippe mutabilis status est rei mutabilis, & in Deum omnino non cadit. Non enim vicissim varijs passionibus afficitur, nec alternis permutationibus obnoxius inuenitur: sed sicut semper est, quod est, sic semper est, vt semel est. Semper itaque stabilis & quietus est: nec necesse habet quietem sibi quærere in se, qui non potest discordare à se. Iterum dicit. *In omnibus requiem quæsiui.* Cui ergo requiem quæsiuit; sibi, an nobis, an magis sibi & nobis? Ita planè est. In omnibus quæ ab initio operatus est propter nos, requiem sibi quæsiuit, in nobis, & in se nobis. In omnibus enim, quæ propter hominẽ creauit, cõdidit, vel fecit, hoc agebat, vt hominem glorificet in se, vel se glorificet in homine; & requiem multimodis quæsitam in alterutro habeat, Deus per omnia homini placens, & homo in nullo displicens Deo. Si cursum temporis cogitemus ab initio, inuenitur Deus nunc operans, & non laborans: nunc laborans, & non operans: nunc laborando operans, & operãdo laborans. In creatione mũdi operatur Deus, & non laborat, dieque septima requiescit, non à labore, sed ob opere: in qua re homini exemplum proposuit, ante peccatum sine labore operandi, & postmodum quiescendi. Propter quod hominem in paradiso posuit, vt operaretur & custodiret illũ. Post peccatum verò in peruersis hominum moribus laborat Deus, & non operatur. Non enim iniquitatis author est, sed detestator. Hinc cõtra quorundam malorum opera, quamvis etiã ad ipsius venerationem pertinere videantur, apud Isaïam dicit. *Laboraui sustinens.* Et alio loco apud eundem Prophetam, *seruire me fecisti in peccatis tuis, & præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* In aduentu verò suo in mundum, operatur Deus & laborat. Operatur autẽ salutem in medio terræ, & laborat vsque ad mortem; per quam & ipsius laboribus, & nostris pariter finis imponitur. Est ergo labor sustinẽdi peccata nostra: est & labor patiendi propter peccata nostra. A labore sustinendi requiescit Deus, cùm impletur in nobis, quod per Prophetam præcipitur. *Quiescite agere peruersè.* In conuersione enim nostra incipim⁹ sub potenti manu Dei humiliari & quieti esse, ad Dñm & ad sermones eius contremiscere. Vnde & ipse requiescit in nobis, sicut ipse testatur, dicens. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* & nos in ipso requiescimus, sicut ipse iterum dicit. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* A labore patiendi requiescit Deus, sicut ipse dicit. *In pace in idipsum dormiam & requiescã.* Et nos quoque à laboribus nostris post mortem requiescemus, *Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus.* In omnibus itaque requiem quæsiui. Acsi diceret. In omnibus operibus meis requiem mihi quæsiui; mihi quidem in omnibus, & in me omnibus, quantum in me est, *Vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: at non in omnibus requiem inuenit, cùm tamen omnibus dicat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* In illis autẽ requiem inuenit, qui ad hæreditatem Domini pertinere præsciti sunt. Vnde & subdit. *Et in hæreditate Domini morabor.* Beata gens, cuius est Dominus Deus eius: populus, quem elegit in hereditatem sibi. Hæc est hereditas, de qua scriptũ est. *Quoniã elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Hanc autem hereditatem dedit Pater, ipso postulãte, cui dicit. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Filij autem postulatio fuit manuum eleuatio in cruce, & oratio illa, de qua scriptum est. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hanc ergo hereditatem acquisiuit sibi filius in sanguine suo, Patre ita mandante, ac præcipiente. Propter quod nũc dicit. *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium.* Tunc, temporis est, & non æternitatis. Acsi diceret. Cùm venit plenitudo temporis, vt acquirerem hereditatẽ in qua morarer, expectatus & desideratus dixi, *Ecce venio. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium.* Præcepit quasi seruo, quasi minori secundũ humanitatem; dixit quasi filio, quasi æquali secundùm diuinitatem. Quid autem preceperit, aut quid dixerit, non manifestè exprimitur, sed ex sequentibus perpenditur: sicut & in alio loco dicitur, *Manda Deus virtuti tuæ*, non exprimit, quid à Deo Patre virtuti suæ, id est Christo, mãdari voluerit: sed intelligitur ex eo ꝙ sequitur, vt cõfirmetur, ꝙ operatus est in nobis. Et in alio loco scriptũ est. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mãdauit, & creata sunt.* Quid dixerit, & quid mandauerit, ex adjunctis ostenditur: quod tamen manifestè non exprimitur. Sic & in hoc loco intelligimus, Deum Patrẽ creatorem omnium Christo præcepisse, & dixisse, vt secundùm hominem crearetur. Vnde & apud Isaiã dicitur *Et iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum.* Et Filius hoc loco Patrem creatorem omniũ commemorans, ad intimandam nobis præcepti formam, de ipso dicit *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quasi diceret. Creator omnium mihi præcipiendo, me creauit, & in me requieuit. De quo & dicit. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui.* Tabernaculũ autem suum dicit assumptam humanitatem, in qua fortiter militauit, & aërias potestates debellauit: in quo tabernaculo & Pater requieuit. Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Requieuit autem Pater in Filio: vt initium quęsitæ quietis constitueret, & postmodũ quæsitam requiem per mysterium Incarnationis consummaret. Quomodo autem parãda sit requies Filio ab ipso Filio in hereditate sua, ostendit, cùm dicit. *Et dixit mihi. In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.* Tria sibi à Patre dicta & iniuncta Filius ostendit. Ad quæ tria, si cui magis sic placet, potest referri, quod præmissum est, *Tunc præcepit, & dixit mihi.* Facta enim interpositione de Incarnatione sua, nũc tandem quæ præceperit, Pater, vel dixerit ei, subiungit. Et quamuis superiùs vtrumque dixerit, præcepit scilicet & dixit; propter interpositionem tamen repetit, *& dixit*, vt exprimat, quæ sibi dicta sunt, vel præcepta, ad parandã sibi requiem in hæreditate sua. Sunt itaq; tria, fides, spes, charitas, quibus corda electorum præparantur, vt requiescat in eis Christ⁹ Ad hæc tria ordine pulcherrimo pertinent tria, quæ hic distinguũtur, *Inhabita, Hæreditare, Mitte radices. Inhabita* autem ad fidem pertinet, juxta Apostolum dicentem. *Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum* eius

Marginal notes: Cui Deus requiem quæsierit, sibi an nobis. — Isaï. 1 & 43. — Isai. 1. — Isaï. 66. — Matth. 11. — Psalm. 4. — Apocal. 14. — 1. Timo. 2. Deus quantũ in se vult omnes saluos. — Matth. 11. — Eccli. 24. — Psalm. 32. & 131. — Psalm. 2. — Psalm. 140 — Psalm. 39 — Eccli. 67. — Psalm. 148. — Isaï. 45. — Eccli. 24. — Matth. 3. Humanitas assumpta tabernac. Dei. — Eccli. 24. — Fide, spe, charitate paratur Christo requies in nobis. — Ephes. 3.

ejus in interiori homine, & habitare Christum per fidem in cordibus vestris. *Hereditare* autem ad spē pertinet. Repromissa enim hereditas nondum videtur, nondum in re habetur, sed sola spe obtinetur. Christus autem hereditas iustorum est, & per spem interim hereditatur, ad quem Pater dicit. *In Israël hereditare*, hoc est, esto tu hereditas Israël. Et addit. *In electis meis mitte radices*, quod ad charitatē pertinet. Hinc Apostolus ait.
Ephes. 3. *In charitate radicati.* His tribus virtutibus parat sibi requiem Deus in hereditate sua, & in populo, quem elegit in hereditatem sibi. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. Habe ergo fidem, & spem, & charitatem; & eris de domo Iacob, & de populo Israël, & de numero electorum; & hæreditabit in te Christus, & hæreditabitur à te: & in te mitte radices, vt in æternum permaneat in te; & sicut in hæreditate sua requiescat in te. *In omnibus requiem quæsiui*, &c. Sapientia Dei quæ omnia in omnibus operatur, Christus est, qui & in nobis operatur, plerumq; sine nobis, quandoq; etiam quasi adiuvantibus nobis, quia Dei adiutores sumus. Ea autem nobiscum operatur in nobis, quæ nos per ipsum operamur in ipso: similiter & ea loquitur in nobis, quæ nos per ipsum loquimur in ipso. Opera itaque & verba iustorum, opera
1. Pet. 4. & verba Christi sunt. Hinc Petrus ait. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus.* Quidquid cordi nostro rectè suggeritur ad cogitandum, aut ori ad loquendum, hoc Dei est, & nostrum non est: aut si aliquomodo nostrum est, omnino à nobis non est. Nouit hoc ille, qui di-
2. Cor. 3. xit. *Fiduciam talem habemus per ipsum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*
Psalm. 55. & 138. Hinc Psalmista dicit. *In Deo laudabo sermones meos.* Et iterū dicit. *Non est sermo in lingua mea.* Acsi diceret. In lingua mea non est; sed magis in Deo est, vt dignum proferam sermonem. Quidquid enim dignè profertur, hoc ipse loquitur,
2. Cor. 13. qui dat vt proferatur. *An experimentum*, ait Apostolus, *quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Christus itaque loquitur in sanctis suis, Christus
Isai. 27. operatur in sanctis suis, sicut scriptum est. *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra o-*
Philip. 2. *peratus es nobis.* Et Apostolus dicit. *Operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Vox itaque ista, *In omnibus requiem quæsiui*, sic Christo cōuenit operanti & loquenti in omnibus iustis, vt & omnibus iustis conueniat: sic omnibus iustis conuenit, vt nihilominus Christo conveniat. Cùm enim iustus requiem sibi quærit, & Christus sibi requiem quærit in iusto, hoc ipsum præstans ei, vt requiem sibi quærat in ipso. Requies autem res quædam est, vbicumq; sit, mul-
Omnes requiem quærunt: sed nō omnes inueniunt. tum optabilis, & desiderabilis. Hæc votis omnium efflagitatur: omnium & bonorum & malorū desiderijs & suspirijs expetitur: hæc in omni homine labore quæritur. Omnia siquidem omnium studia, omnia artificum ingenia, omnia laborātium exercitia, iuxta desiderium quærentium ad requiem tendunt, & ad requiem se dirigunt: sed non semper secundum inquisitionis euentum ad requiem perueniunt. Qui agriculturam exercent, qui armatam militiam exercent, qui negotiationem exercent, denique qui varia studiorum & laborum genera exercent, & in ijs se exercent; in ijs omnibus requiem cupiunt, requiem quærunt, & ad aliquid quod delectet, & in quo delectabiliter requiescant, contendunt. Omnia hominum negotia pariter & otia, omnes occupationes & vacationes huc se vertunt, huc respiciunt. Sæpè diuturna quies vertitur in tædium, & post tædium quietis requies denuo desideratur in exercitio laboris: & in hūc modum requies quæritur, & cùm fugitur. Quæritur autem & in labore, & per laborē, & post laborem, nec est finis laborandi, requiemve quærendi ijs, qui non ingrediuntur viam inueniendi. Mali ergo in omnibus requiem quærunt, sed requiem non inueniūt. *Contritio enim & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Iustus au- Psalm. 13.
tē in omnibus requiē quærit; & vt requiem inueniat, primum vbi sit requies, inuenit, & dicit. *In omnibus requiem quæsiui; &c.* Ecce hic est requies, in hæreditate scilicet Dñi, vbi iustus requiescendo immorari disponit. Hæreditas Dñi quænā est, nisi cōgregatio sanctorum, de qua scriptum est, *Pars autem Domini populus ejus, Iacob funiculus hæreditatis ejus?* Cogitantis autem in hære- *Vbi sit requies: & quæ hæreditas Domini.* Deuter. 32.
ditate Domini commorari, Deus creator, & ideo miserator occurrit, quasi de via erroris reuertenti, & fugitivum seruum ad se reuersum suscipit, suoque Domino subijcit, & vt per obedientiam requiem inueniat, præceptum ei imponit. Propter quod dicit. *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium.* Mox in sequētibus dicturus est, quid præceperit & dixerit. Nunc autem quædā interponit & dicit. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Magna spes iusto inueniendi Eccli. 24.
requiem, quam quærit. Mox enim in ipso initio conuersionis ad Deum, Deus ipso melioris vitæ proposito delectatus requiescit in corde cōuertentis ad se, vt cōuersū quiescere faciat in se. Non potest enim quis requiescere in Deo, nisi Deus requieuerit in ipso, & nisi spiritus Dñi requieverit super ipsum. Propter quod dicit. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, hoc est, in me, quasi in tabernaculo. Iustus enim quasi *Iustus mansio Dei est.*
mansio Dei est, iuxta vocem Filij dicentis. *Pater* Ioan. 14.
meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vel requieuit in tabernaculo meo, hoc est in corde meo. In tabernaculo siquidem cordis habitat iustus, vbi & Deus habitat. Mali autem, qui apud se non manent, exulant à corde suo. Vnde & ad cor reuocantur per Prophetam dicentem. *Redite prævaricatores ad cor.* *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Isai. 46.
Hæc vox cùm singulis iustis conueniat, Beatissimæ matri Dei speciali modo congruere non dubitatur, quæ Deum sui omniumque creatorem intra viscera sua bajulans, hanc vocem singulari jure sibi vendicat, vt dicat, *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Homo enim *natus est* Psalm. 86.
in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Iustus autem ad Deum cōuersus, per gratiam habet Deum inhabitantem & requiescentem in se, vt mandata eius reuerenter suscipiens, eique obediens, per obedientiam mereatur in ipso requiescere. Per obedientiam enim præceptorum requies desiderata præparatur, & post laborem, quem Deus finxit in præcepto, merito obedientiæ obtinetur. Dicitur ergo ei, vt requiem inueniat. *In Iacob* Malac. 1.
inhabita, in populo scilicet, quem dilexi, Iacob enim *dilexi, Esaü autem odio habui.* Acsi diceretur ei Inter bonos sit conuersatio tua: & cum iustis sit habitatio tua. Inter malos enim non est requies, sicut de quibusdam scriptum est. *Com-*

Psal. 105. *mixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Ergo malorum societas fugienda est, animo semper, sed non corpore semper: semper morum dissimilitudine, sed non semper corporali separatione. Sæpè enim dum communiter habitant boni & mali, mali fiunt emendatiores, vel boni meliores & purgatiores. Nascitur lilium inter spinas, & iustus inter malos sicut lilium germinat, & compungitur in spinis, & tribulationem patitur à malis, sicut Iacob ab Esaü, innocens à nocente, iustus ab iniusto: ipse tamẽ, quantum in ipso est, cum omnibus pacem habet, vt dicere possit. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Lima pernecessaria in officina fabrorum, eradẽs rubiginem ferri, vt elimatiùs splendeat: sic & malus socius in conuersatione communi, etsi sibi noceat, & alijs nocere intendat, quos persequitur elimat & purgat. Quid ergo? Iustus qui dicit, *habitaui cum habitantibus Cedar,* an & hic in Iacob inhabitat? Inhabitat quidem, etsi non corpore, animo tamen. Ambulat enim simpliciter, sicut Iacob. Erat enim Iacob vir simplex, & nihilominus prudens, adeoque prudens, vt supplantaret Esaü, emens primogenita eius, & secundò supplantaret, ei benedictionem præripiens. Nec iniustè. Nam benedictio ei de iure debebatur, & Esau primogenita cõtempsit, abijt enim paruipendens, cùm primogenita vendidisset; & cùm prænascens ad hereditatem festinaret in initio, in fine benedictione caruit. Cupiens enim hereditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lachrymis inquisisset eã. Quisquis ergo in omnibus simpliciter agit, ne cuiquã noceat, & in omnibus prudenter, ne sibi noceatur, neve à quoquam supplantetur, neve suo iure defraudetur, ipse est Iacob, qui jus fraternæ societatis, quantum in se est, illæsum seruat & illibatum. Pacifica ergo conuersatio in medio fratrum nobis cõmendatur; quæ bonis quidem inter malos minùs est dulcis, sed sæpè magis vtilis. Bonis autem inter bonos & vtilis est, & prædulcis. Nihil enim in humana cõuersatione melius dilectione mutua; nihil dulcius societate sancta. Amare & amari dulce est commercium, fons vitæ, delectamentum, & beatitudinis præmium. Quomodo enim non dulcis est habitatio bona & jucunda, vbi Deus habitat, vbi & requiescit? *Deus enim in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Vnitas socialis vitæ figura est & significatio quædam illius supernæ societatis, vbi per amoris communionem, quæ propria sunt singulorum, inueniuntur communia omnium. Hic nempe meritum, illic præmiũ: hic figura, illic veritas, nec tamen figura hæc sine veritate: hic requies inchoatur, illic perficitur. Perfecta enim requies inueniri non potest in loco afflictionis huius, in loco peregrinationis huius. Extra hæreditatem nostram non est nobis plena requies. Additur ergo. *In Israël hæreditare.* Iacob ipse est Israël, & ipse est hæreditas Domini: & Dominus est hæreditas illius. Quicumque iustus supplantat Esaü, malignum scilicet, qui odit fratrem suum, vt ad nihilum redigatur in conspectu eius malignus, ipse est Iacob. Qui verò cõtra Deum fortis est, viriliter agens, & Deũ sustinens; qui Deum semper videt in timore suo, in desiderio suo, in spe sua, in intentione sua, ipse est Israël. Iacob autem, sicut Israël, ipse est hæreditas Dñi. Nam de Israël scriptum est. *Opus manuum mearum hæreditas mea Israel.* Et de Iacob. *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob quem dilexit.* Nobis, inquit, elegit; quia nobis prodest, quod elegit, sed suam hæreditatem elegit. Quam hæreditatem, nisi speciem Iacob, quẽ dilexit? Hæc est autem species Iacob, forma scilicet fidei, & iustitiæ, quam exhibuit Iacob omnibus proponendam, & omnibus imitandam: qui habitare consensit in Ægypto ad temp⁹, vbi nec mortuus remanere voluit, sed transferri ad terram, quam in promissione acceperat: præmõstrans, hereditatem non esse quærendam in Ægypto, hoc est in mũdo, nec in hac vita; sed cùm dederit Deus dilectis suis somnum. Hereditas autem Israël non alia est, nisi illa, de qua Propheta dicit. *Portio mea, Domine.* Et iterum. *Dominus pars hereditatis meæ.* Esaü autem, & qui in ipso figurantur amatores mundi, propter eduliũ vilissimæ voluptatis, & propter vnam escam, semel scilicet, & citò finiendam, jus hereditarium contemnunt & perdunt. De qualibus scriptum est. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* At Iacob edulium contempsit, & jus primitiuorum prudenter acquisiuit, vnde & benedictionem hereditauit. Hæc enim hereditas dilectione Dei acquiritur. Extra hanc hereditatem requies frustra quæritur. Propterea quærenti eam dicitur. *In Israel hereditare,* hoc est, stude, satage, vt hereditaris in Israël, non in Ægypto; non inter gẽtes quæ ignorãt Deum, sed in populo Israël. Sola ergo hereditas Israël requiem quærentibus est quærenda, & perseueranter. Nam *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vnde & additur. In electis meis mitte radices. Sicut cupiditas est radix omnium malorum, sic & charitas radix est omnium bonorum. De illa dicitur. *Vidi stultum firma radice; & maledixi pulchritudini eius statim.* Stultus est, qui æternis temporalia præponit. Hic firmam habet radicem, sed secũdum suam, sibiq; similium, reputationem. Confidit enim in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriatur. Et, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Statim, inquit, maledixi pulchritudini eius. Huic concordat Psalmista dicens, *Deus destruet te in finem, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Ne ergo dilectio Dei per inconstantiam animi relabatur in cupiditatem sæculi; & ne dilectio proximi aliquib⁹ injurijs exagitata recidere possit in odium vel contemptum proximi, dilectori Dei & proximi rectè dicitur, *In electis meis mitte radices:* quibus verbis monetur in vtraque dilectione inconvulsis radicibus stare, & vsque ad finem perseuerare; vt aliquando dicere valeat, *Et radicaui in populo honorificato.* Populus enim iustorum tribus modis, & quasi tribus nominibus significatur, *In Iacob, In Israel, In electis meis.* Iacob enim est secũdum simplicem prudentiam, in qua simpliciter ambulat, & omnia molimina supplantat, ne supplantatus jus suum perdat. Israël verò est, cùm tã fortis est, vt Deũ sustineat; vel tam beatus, vt videat. Electus autem est, quia cùm nondum diligeret, prior est dilectus. Dilectus autem est, & electus ad requiem sibi præparatã, quæ in tempore suo ei dabitur, & triplici felicitate consummabitur: hoc est cõmunione beatissimæ societatis, visione ipsius diuinæ majestatis, stabilitate interminabilis æternitatis. Hinc scriptũ est. *In terra sua duplicia possidebunt,*

Marginalia: *Boni malis vtiliter admixti.* — Psal. 119. — *Mal⁹ bonis est lima.* — Genes. 25. & 27. — Proue. 20. Hebr. 12. — Psal. 67. *Sancta societas quantũ bonum sit.* — Eccli. 24. — Isa. 19. — Psal. 45. — Gen. 47. — Psalm. 118. & 15. — *Esaü amatores mundi designat.* — Psa. 105. — Mat. 10. — Iob 5. — Psalm. 48. & 143. — Psalm. 51. — Eccli. 24. — Isai. 61.

lætitia sempiterna erit eis. Primæ felicitati congruit dilectio proximi, secūdæ dilectio Dei, tertiæ tenor perseuerandi, id est, vsque in finem diligendi. Diligamus ergo proximum, vel in Deo, si bonus est; vel propter Deum, si malus est. Diligamus eum, vt sic inhabitemus in Iacob, id est, vt permaneamus in communione iustorum, & longè semper efficiamur à communione malorum; ne vnquam simus de illis, nec tunc etiam cùm viuimus inter illos, vel cū illis. Huius inhabitationis in Iacob lex est dilectio proximi, per quam seruatur inter iustos vnitas fraternitatis, vt perveniatur ad cōmunionem supernæ societatis. Diligamus Deum toto corde, & tota anima, vt hereditemur in Israël, ne aliam quæram hereditatem, quàm ipsius Dei visionem; qui iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Perseueremus autem in dilectione Dei & proximi vsque in finem, vt requies nostra in regno Dei perpetuetur sine fine.

De Triplici inquietudine.

COGITEMVS hoc loco triplicem inquietudinem, quæ impedit optatam requiem: quæ nos crebra molestiarum experientia penè indesinenter dese cogitare compellit. Inquietamur enim à malitia temporis, hoc est, totius huius mutabilitatis: à malitia cordis, hoc est, propriæ cupiditatis: à malitia super malitiam, secundâ super primam; & adhuc tertiâ super secundam. *Matth. 6.* Sufficit diei malitia sua. Sufficere quidem posset malitia temporis, vt satis miseri essemus: sed aliena peruersitas, & propria iniquitas, supra modum nos aggrauant, vt satis superque miseri simus. Quid dico, miseri? Imo miseris inferiores, & omnino miserrimi. Quò declinabo à miseria mea tam multa, tam magna? Quò me vertam, vt requiem inueniā? In omnibus enim requiem quæsiui; sed vbique quæsitam nusquam inueni. O requies, vbi es, & vbi te inueniam? Scio, quia non inueniam te, nisi tu venias ad me. *Solus Deus requies est animæ.* Domine Deus, tu solus es requies animarum, & non est pax nobis à tota miseria ista, nisi per te, & in te. Ego quidem, vt inuenirē requiem in te, ad hereditatem tuam vbi tu requiescis, me verti, & dixi. *In hereditate Domini morabor.* Hoc dixi mentis proposito, cordis desiderio, professionis voto; da mihi nunc, vt dicere queam, *Eccli. 24.* *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Fac in me tabernaculum tuum, & requiesce in me: vt requiescam in te. Hæc est enim requies tua, operatio requiei nostræ. Operare ergo in me; vt ante omnia & super omnia diligam te: vt nihil cupiam extra te, nihil nisi te, vel propter te: & erit mihi pax, & erit mihi requies in corde meo, à cupiditate mala, à malitia cordis mei, à curis tam multis, tam malis, tam acerbis, quæ cor meum deuorant, sicut aues morsu amarissimo. O quàm beatum me dicerem, imò & corde sentirem, si solo tui desiderio accensus, æstuans & suspirās cum Propheta dicere possem. *Psalm. 72.* Ecce, *quid mihi est in cælo; & à te quid volui super terra?* Si hoc dicere possem, cur non statim gratulabundus adiungerem, abite, abite, vanissimæ curæ meæ, & perturbationes meæ: vanè enim conturbatur omnis homo? Abite solicitudines meæ, & date locum paci & requiei meæ; quia Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Domine Deus, requies animarum, si dederis mihi requiem à cupiditate mala, quæ radix est omnium malorum, quid mihi nocere poterit peruersitas aliena, cùm non dominetur iniquitas propria? Si dixerit Esau, occidā fratrem meum; si persecutus fuerit Iacob, & relictis patre & matre & patria compulerit eum in baculo transire Iordanem istum, & à solo Deo panem ad manducandum, & vestimentum quo operiatur, petere & sperare, & procul à finibus suis tot annorū circulis exulare, & seruire: quid potest cōtra Iacob? quia tu adiutor fortis, ô Deus Iacob. Conforta me, Domine, in dilectione tua, & in dilectione proximi, quem propter te diligendum instituisti. *Dilectio inimicorum.* Conforta, quæso, vt propter te diligere valeam etiam me odientes: etsi inimicus mihi fuerit etiam frater meus, ita vt eum valde timeam, illum tamen nullatenus odio habeam, sed iratum muneribus placare satagam, & pro malis bona retribuam, vt de irato placatum habeam, & apud eum gratiam inueniam, & ad me diligendum obsequijs pertraham, & de inimico amicum faciam, nūquam vincendus à malo, sed vincens in bono malum. Si conualescat, Domine, tam fortis dilectio in me; per te omnis malitia hominis deinceps non inquietabit me. At malitia temporis quando cessabit? quandiu durabit? Dum obnoxij sumus tempori, & subjecti huic mutabilitati, non erit pax nobis à malitia ista. Nam nec iustitia perfectorum liberare eos potest ab inquietatione temporis, donec per mortem absumatur totus defectus huius mortalitatis. At in virtute charitatis tuæ, Domine, in ijs qui à te perfectè iustificati sunt, pax est à malitia hominis, à malitia cordis, etiam nunc in præsenti. Iustitia enim & pax osculatæ sunt. *Psalm. 84.* At malitia temporis nondum deficit; sed iustis sufficit. Quod autem amplius est, à malo est, & malorum est. Mali enim dum vana, dum superflua, dum noxia quærunt, compedes aggrauant, & super malitiam diei & miseriæ communis infirmitatis, communisque necessitatis, addunt miseriam malæ voluntatis, superfluæ & noxiæ solicitudinis. Graue enim est, & onerosum, & miserum, ad consolationem communis miseriæ necessaria quærere: sed cumulata miseria est, in afflictione carnis & spiritus ad inutilia & noxia desudare. *Quæ sit cumulata miseria.* Hæc miseria propriæ voluntatis & illos magis onerat, quos propria voluntas magis delectat: illa verò communis est necessitatis, & ideo bonis malisque cōmunis: quæ verò tractu temporis huius perdurat vsque in finem, vt in ea exerceamur, in dilectione tua, Domine, perseuerantes vsque in finem. Cùm verò malitia temporis cum ipso tempore defecerit, perseuerantiā dilectionis coronabis perseuerantia æternitatis: & qui in tempore deficiunt vsq; ad tempus, tūc plenè & immutabiliter requiescent in te, & vltra non deficient. Tu enim idem ipse es, & anni tui non deficient. *Psalm. 101.* Obsecro Domine, in fine audi petitionem meam hanc paruulam, mihi valde vtilem, & tibi haud difficilem: audi, & non cōfundas faciem meam. Hoc est quod peto, ne ponas partem meam cum his, quibus in ira iurasti dicens, *Psalm. 94.* *Si introibunt in requiem meam*: sed vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. *Habac. 3.* In die defunctionis meæ dic animæ meæ, Requiescas in pace, AMEN.



TRACTATVS SEXTVS,

De Verbis Apostoli

Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.*



VANTA sit virtus, & quanta sit sapientia in sermone Dei, ex his verbis Apostoli demonstratur quærētibus Christum, qui est verbum, & virtus, & sapientia Dei. Hoc verbum in principio apud Patrem illi coæternum, tempore suo Apostolis est revelatum, & per illos annunciatum, & in fide credentium populorum humiliter receptum. Est ergo verbum in patre, verbū in ore, verbum in corde. Verbum in ore signum verbi est, quod est in Patre; signum quoque verbi, quod in hominis corde. Verbum in hominis corde, aut intellectus est verbi, aut fides verbi, aut amor verbi, cùm verbū intelligitur, aut creditur, aut amatur. Cùm tria hæc conueniunt, in vno corde, vt verbum Dei simul intelligatur, credatur, & ametur Christus, qui est Verbū Patris, de quo & ipse Pater dicit, *Eructavit cor meum verbum bonum*: habitat in illo per fidem, miraq; dignatione Deus in corde Patris descendit vsque ad cor hominis, vt nouo modo ibi cōcipiatur & formetur, sicut Apostolus ad Galatas loquitur, dicens. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Cùm Christus prædicatur, verbum Dei auditur, id est, intelligitur, & sic creditur, quia fides ex auditu; & sic amatur. Non enim est amor verbi, sine fide verbi; nec fides verbi, sine auditu verbi. Nam qui amat, credit; & qui credit, audit verba, spiritu interiùs reuelante, qui spirat vbi vult; & sicut scriptum est, *vocem ejus audis*, vel foris ab homine prædicāte, vel spiritu nihilominus interiùs loquente. Nisi enim fuerit, qui interiùs doceat, linqua loquentis in vanum laborat. Intellectus duobus modis attendi debet, aut circa initium fidei, aut circa finem. Nam cùm verbum prædicatur, non creditur, nisi aliquomodo intelligatur. Hunc autem intellectum Spiritus inspirat, & auditus dicitur, de quo Apostolus. *Fides ex auditu.* Quòd auditus pro intellectu accipiēdus sit, idem Apostolus ostendit, vbi dicit. *Qui loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo.* Nemo enim audit, id est, nemo intelligit. Nam qui lingua loquitur peregrina, non intelligentibus eam, quasi barbarus est illis; & non ædificat non intelligentes. Ergo intellectus necessarius est in initio fidei, vt intelligatur, quid credendū annuntietur. Est alius intellectus circa fidei finem, id est, consummationem, de quo dicitur. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quod quàvis ad futuram cognitionem pertinere videatur, potest tamen sanè etiam intelligi de profectu fidei in eis qui exercitatos habent sensus ad fidei rationē pleniùs cognoscendam, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ est in nobis, fide & spe. Hic sermo Dei, de quo nobis sermo est, viuus est, cui Pater dedit vitam habere in semetipso, sicut ipse vitam habet in semetipso. Propter quod non solum viuus est, sed etiam vita, sicut ipse de se dicit; *Ego sum via, veritas, & vita.* Qui cùm sit vita, sic est viuus, vt sit viuificus. Nam sicut Pater suscitat mortuos & viuificat; sic & Filius quos vult viuificat. Viuificus est, cùm de sepulchro mortuum vocat, & dicit, *Lazare veni foras.* Cùm prædicatur hic sermo, voce prædicationis voci suæ, quæ foris auditur, dat vocem virtutis, quæ interiùs percipitur, per quam mortui reviuiscunt, & de laudibus istis suscitantur filij Abrahæ. Vivus est ergo hic sermo in corde Patris, viuus in ore prædicātis, vivus in corde credentis & amantis. Sermo iste cùm ita vivus sit, haud; dubium quin & efficax sit. Omnipotens enim sermo est. Cùm diceret, *Fiat lux*, mox facta est lux. Cùm diceret, *Fiant luminaria*, mox facta sunt luminaria. Nec mora, quin fiat, quidquid dixerit, vt fiat. Velociter enim currit sermo iste, & in velocitate eius repente extiterunt alta polorum, vasta terrarum, profunda fluctuum. Apud hoc enim verbum nō est impossibile omne verbū. Efficax est in rerum creatione, efficax est in mūdi gubernatione, efficax est in mundi redemptione. Quid enim efficacius, quid potētius? Quis loquetur potentias eius, auditas faciet omnes laudes eius? Efficax est, cùm operatur; efficax est, cùm prædicatur. Non enim reuertitur vacuum, sed in omnibus ad quæ mittitur, prosperatur. Efficax est, & penetrabilior omni gladio ancipiti, cùm creditur & amatur. Quid enim impossibile est credenti, vel quid difficile est amanti? Cùm loquitur hoc verbum, verba eius cor transfigunt, sicut sagittæ potentis acutæ, sicut claui in altum transfixi intrant, & intantum intrant, vt ad intima penetrent. Penetrabilior est enim hic sermo omni gladio ancipiti, vtpote omni virtute vel potestate ad incidendum validior, & omni acumine humani ingenij subtilior; & omnis humanæ sapiētiæ, doctique sermonis subtilitate acutior. Gladius enim anceps est virtus potestatis, gladius quoque anceps est acumen rationis, vel subtilitas sermonis. De virtute verò vel potestate si quæratur, manifesta ratio occurrit. Sunt enim duæ potestates, quibus hic mundus regitur, Regia potestas, & Sacerdotalis authoritas. De quibus dictum est. *Ecce gladij duo hic.* Rex autem gladium portat. Quid plurimū hic gladius possit, Dominus astendit, dicens. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et iterum. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus; & post hoc non habent amplius quid faciant.* Hic gladius anceps est, ex vtraque parte incidens. Corpus enim incidit & occidit: animam autem vi doloris incidit, non tamen occidit. Nam eam cum dolore à corpore diuidit; sed à vita, quæ in Deo abscondita est, non diuidit. Soluit conjunctionem corporis & animæ, conjunctionem verò Dei & animæ non soluit. *Quis nos separabit*, inquit Paul⁹, *à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius.* Ac si diceret. Imò nec gladius. Multum potest hic gladius: sed non ad hoc. Penetrabilior ergo illo est, qui potest, Sermo, nempe in potestate Ecclesiæ concessâ, cor & animam perdere potest in gehenna ignis. Rectores enim Ecclesiæ in virtute sermonis Dei gladium habent. Nonne scriptum est, *Gladij ancipites in manibus eorum?* Nonne scriptum est, *Gladius in labijs eorum; quoniā quis*

Psalm. 44. Galat. 4. Ioan. 3. Rom. 10. 1. Cor. 14. Isai. 7. 1. Pet. 3. Ioan. 5. Ioan. 14. Ioan. 11. Genes. 1. Efficacia verbi diuini. Isai. 55. Regia & Sacerdotalis, potestas. Luc. 22. Matth. 10. Luc. 12. Rom. 8. Virtus potestatis Ecclesiasticæ. Psalm. 149. & 58.

audiuit? Quòd si de malis dictum est, *Lingua eorum gladius acutus*: quanto magis lingua Petri gladius est, & gladius bis acutus? Præterea acies humani ingenij & humani sensus, sermonisque subtilitas, tanquam gladius anceps subtilissimi corporis per discretionem diuidit inter verum & falsum, inter bonum & malum, honestum & inhonestum, cæteraque contraria, ingeniosæ & artificiosæ inquisitioni obnoxia. Hinc omnis mundana philosophia, humanaq; sapientia manauit; quæ modum suæ possibilitatis ignorans, supra se ausa est attentare, ad quæ, in se relicta, nullatenus potuit pertingere. Nam se exercens circa arduas & profundas inquisitiones de natura Dei, de origine mundi, de statu animæ, de iustitiæ & beatitudinis qualitate, viã veritatis non inuenit, & ad sapientiam Dei in mysterio abscõditam non valuit peruenire. Propter quod sapientia Dei dicit. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Et iterum. *Comprehendam sapientes in astutia eorum*. Et Propheta. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; sed non vt lex tua*, Dñe. Quæcumque enim à sapiẽtibus huius mundi subtilissima indagatione elaborata sunt, quantum à sermone Dei discordãt, tantum à veritate discrepant; & quasi fabulosæ narrationes nihil in se continent, nisi falsitatem aut vanitatem. At sermo Dei veritas est, & sicut gladius anceps, imò penetrabilior omni gladio ancipiti, tam subtilissima quàm verissima discretione omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Siue ergo in virtute, siue in sapientia, ancipitem gladium attendamus, cõstat, quia sermo Dei qui omnia potest, & omnia scrutatur, penetrabilior est; quippe qui Dei virtus est, & Dei sapientia. Hic sermo cùm omnia in omnibus mirabiliter operetur, in cordibus sanctorum per effectum gratiæ suæ, hoc est per timorem & amorem, cæterasque virtutes sanctas, quasi per quædam intima verba mirabiliùs operatur, & ostendit potentiam & sapiẽtiam suam: omnia intima penetrans, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Quod vt euidentiùs eluceat, aduertendum est, quòd anima & spiritus tribus modis dicuntur, secundum naturam scilicet, & secundum culpam, & secundum gratiam. Secundum naturam dicuntur, vbi intelligi debent secundũ id quod naturaliter sunt, vel secundum id quod naturaliter vel ex origine suæ creationis habent. Cùm dicitur, *Primus homo Adam factus est in animam viuentem*: vel cùm dicitur, *Anima rationalis & caro vnus est homo*, hic accipitur anima secundum naturam. Cùm dicitur, *Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in illo est*; hic intelligitur spiritus secundum naturam essentiæ suæ. Cùm dicitur, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, hic intelligitur anima non solum secundum naturam, sed etiam secundũ culpam. Cùm dicitur, *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens*, hic intelligitur spiritus secũdum culpam. Cùm dicitur, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, non secundum odium culpæ intelligendum est, sed naturæ, vel gratiæ. Cùm verò dicitur, *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus*: hic intelligitur anima secundum naturam & gratiam. Cùm dicitur, *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, hic intelligitur secundum gratiam. Et cùm idem sit in natura essentiæ suæ anima & spiritus, tamen nonnumquam tanquam diuersa sint, sic distinguuntur: vt apud Apostolum dicẽtem. *Ipse autem Deus sanctificet vos per omnia; vt integer spiritus vester & anima & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur*. Et in præsenti loco, *pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*. Hic autem quia cõiunguntur anima & spiritus tanquam diuisa, distinctionem aliquam desiderare videtur ipsa cõiunctio. Et quantum mihi videtur, spiritus ad digniorem partem & meliorem pertinet; secundum vitam scilicet, qua Deo viuitur. Anima quidem, quia & ipsa spiritus est, cùm bene viuit, Deo viuit, iuxta Prophetam dicentem. *Anima mea illi viuet*, & hæc est vita gratiæ. Cùm malè viuit, sibi viuit, quia propriæ voluntati explendæ inseruit: & hæc est vita culpæ. Est adhuc & vita naturæ, quam anima præstat corpori secundum officia membrorum, præbens ei motum & sensum. Vita secundum naturam communis est bonis & malis: vita secundum culpam familiaris est tantum malis: vita secũdum gratiam, qua Deo adhæretur, non cõuenit nisi bonis. Secundum hanc autem vitam, qua Deo adhæretur, spiritus hoc loco non incongruè accipitur, cùm scriptum sit. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Anima in præsenti loco non inconuenienter accipitur, aut pro vita temporali, secundum quam naturaliter viuitur, tam à bonis, quàm à malis: aut pro vita culpabili & indisciplinata, secũdum quam malè viuitur, sed à solis malis. Ergo duo genera martyrij hoc loco nobis insinuantur: vbi sermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingere dicitur vsq; ad diuisionem animæ & spiritus. Mactatur enim pro Christo nunc ipsa caro, nunc voluntas carnis cõcupiscentis aduersus spiritum. Cùm caro mactatur, & gladio persecutoris occiditur, nonne viu⁹ sermo Dei per timorem Dei & amorem pertingit vsque ad diuisionẽ animæ & spiritus? Nonne Christus dicit, *Animam meam pono pro ouibus meis*? Nonne & dicit, *In manus tuas cõmendo spiritum meum*? Nonne & protomartyr Stephanus, cùm animam suam pro amicis poneret, dicebat, *Domine Iesu suscipe spiritum meum*? Nonne & Paulus dicit, *Vincula & tribulationes me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me*? Me dixit, propter spiritum, qui Deo adhærebat; animam propter vitam temporalem, quam pro Deo contemnebat. Hæc est anima, de qua dicitur. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis*. Et iterum. *Nonne anima est, plusquàm esca*? Ergo cùm gladius persecutoris corpora martyrum laniat, & membratim diuidit & separat, gladius spiritus, quod est verbum Dei, inter animam & spiritum interiùs diuidit: quia timor Dei siue amor interiùs fortiter inualescit, & pro cõfessione veritatis, aut defensione iustitiæ, vsque ad contemptũ animæ immobiliter persistit. Similis causa est, etsi nõ æqualis gloria in spirituali certamine, cùm carni aduersus spiritum concupiscenti resistitur, & propriæ volũtati renuntiatur. Animam nempe suam pro Deo ponit, quisquis superbiã propriæ voluntatis deponit. Hæc est anima, de qua scriptum est. *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*. Vides, quomodo sermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti pertingat vsque ad diuisionem animæ & spiritus? Sunt autem quædam voluntates tenuiter & superfi-

Psalm. 54. *1. Cor. 1. & 3.* *Psalm. 118.* *Fabulæ sunt sapientum dogmata.* *1. Cor. 15.* *Symbol. Athanas.* *1. Cor. 2.* *Ioan. 12.* *Psalm. 77.* *Psalm. 10. & 120.* *Rom. 8.* *1. Thessal. 5.* *Hebr. 4.* *Psalm. 21.* *1. Cor. 5.* *Ioan. 10.* *Luc. 23.* *Act. 7. & 20* *Matth. 6.* *Quis animã pro Deo ponat.* *Luc. 14.*

retenus animæ adhærentes, quæ altiùs radices non egerunt; quæ de facili & sine dolore, sicut per nouaculam superductam pili carnis, abradi possunt. Et tamen cùm huiusmodi voluntati propter Deum renuntiatur, nonnulla merces pro hoc à Deo recompensatur; quia capillus capitis non peribit. Aliæ autem altiùs infiguntur, & firmiùs inhærent, & sine cruento dolore aut præcidi omnino non possunt, aut vix possunt. Proinde sicut gladius iste visibilis, manuque tractabilis, cùm incidit, & coniuncta diuidit, vuln' doloris & dolorem vulneris facit, sic gladi' spiritus hinc per amorem, hinc per timorem, quasi vtraque parte incidens, quæ communiter amantur, quasi coniuncta diuidit, cùm vim facit, vt contemnatur, quod amatur; ne perdatur, quod plus amatur. Amat quis Deum, amat & carnem suam, quam nemo vnquam odio habuit. Hæc à iusto cōmuniter amantur, sed non pariter: nam plus Deus, & caro minùs amatur. Propterea instante persecutore vita carnis contemnitur, ne vita, quæ in Christo abscōdita est, perdatur. Verumtamen cùm cura corporis seruandi propter amorem Dei vel timorem abijcitur, quasi membrum firmiter adhærens cum graui dolore abscinditur. Sic cùm propria voluntas, quæ per appetitum, etsi non per cōsensum, cum Deo communiter diligitur, propter Deum amputatur, spiritus quasi cōiuncta diuidit, & cum vi doloris vulnus infligit.

De diuisione animæ seorsum.

PRæscripto modo pertingit iste gladius vsque ad diuisionem animæ & spiritus, diuidens ab inuicem animam & spiritum, vitam naturalem vel vitam carnalem, & vitam spiritualem. Pertingit & iste gladius vsque ad diuisionem animæ seorsum, & vsque ad diuisionem spiritus similiter seorsum: sed de diuisione animæ plus occurrit dicendum. Anima simplex quædam natura est, & indiuisibilis secūdum essentiam, vniq; corpori in vnitate personæ vnita, sola soli, vna vni, ideoque rectè dicitur vnica vnici. Verumtamen hæc anima cùm secundū Deum diligit, quē propter Deum diligendum cognoscit; per affectum charitatis illi se vnit, quem in charitate subjūgit: & per affectiones amoris in se diuisa, non solùm in corpore, cui personaliter vnita est, viuit: sed quodam modo vitam & sensum extra se dividit, ad illos, quibus se per amorem jungit. Propterea non solùm propria bona vel mala sentit: sed ad sentienda quæ aliena sunt, congratulando vel cōpatiendo se impertit. Propterea gladius spiritus non solùm per dolorem propriæ passionis, sed & per compassionem alieni doloris incidit. Et fieri potest, vt acerbior sit quàm patientis, dolor cōpatientis. Sæpe enim in languore filij plus cruciatur mater condolens, quàm filius dolens. Facit hoc amor, qui alienum dolorem in se transfert: & sese cum augmento doloris, vt plus condoleat, quàm alter doleat, qui nonnūquam desiderat solus dolere, ne alter doleat. In passione autem condolendi, anima condolentis quodam modo diuiditur à se, & in se. Nam cùm patitur, qui amatur, vt dolorem ejus sibi faciat communem, se illi indulget, & se transfundit extra se: & per obsequium compassionis se illi vnit, vt vicē ejus doleat: & quodā modo præstat, vt ejus sit, cui se per affectum condolendi infudit: tāquam viuens apud illum, cujus sentit cruciatum. Vnde

Gladius spiritus per cōpassionem incidit.

senex Simeon, cùm prophetasset de Christo, & dixisset, *Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui cōtradicetur*: mox ad B. Virginem loquens, subintulit, dicens. *Et tuam ipsius animam gladius pertrāsibit.* Hoc est, sic tuam animam, quasi sit ipsius, ptrāsibit gladius. Potest etiam sic intelligi. Tuam ipsius animā, hoc est, tuam ꝓpriam animā pertansibit gladius. Iuxta quem modum loquendi, sicut quidam sancti Doctores vtuntur, Apostolus ait. *Cum motu & tremore vestram ipsorū salutem operamini.*: id est propriam salutem. Mater quippe Dei, quæ plus omnibus dilexit, sicut & plus omnibus dilecta; ita morienti filio cōpassa est, quasi verè passa. Nam secundùm magnitudinē amoris ejus, ita & dolor ejus. Nam cùm filium diligeret plusquā se, vulnera quæ ipse accepit in corpore, intimo sensu doloris pertulit ipsa in mente: cui & ipsa passio Christi pro martyrio fuit. Nam caro Christi quodam modo caro eius fuit: hoc est, caro de carne eius: quam à Christo susceptam de se, plus amauit in Christo, quàm suam in se. Quæ quantò plus amauit, tantò & plus doluit: plus passa in mēte, quàm martyr in corpore. Proinde gloriosi martyrij singulari priuilegio præfulget. Cęteri nempe martyres martyrio propriæ mortis consummati sunt. At hæc carnē de carne sua pro salute mundi passurā ministrauit: & in passione Christi, & de passione, ita animam ei' vis doloris obtinuit: vt quasi in Christo martyrio cōsummata, summam post Christum martyrij gloriam meruisse credatur.

Luc. 2.

Philip. 2.

Martyrium B. Virginis.

Item de diuisione spiritus & animæ Mariæ.

EST & aliud considerandum hoc loco, tamquam pertinens ad diuisionem animæ & spiritus. Mater quippe Dei cùm ex morte vnigeniti filij sui salutem mundi prouenturam esse cognosceret, mortem eius & voluit & doluit. Voluit quidem, propter suam pariterque nostram salutem: doluit tamen, quia mater erat; mater infirmitatis Christi, & ipsa infirma. Inter tristitiam ergo animæ & gaudium spiritus, qui exultauit in Deo salutari suo, gladius spiritus diuisit: ille scilicet gladius, qui diuisit inter patrem & filium, inter fratrem & fratrem, inter sponsum & sponsam, inter amicū & amicum, inter animā & spiritum, inter animam & animam, inter spiritum & spiritum, inter amorem & amorem, inter odium & odium, inter amorem & odium, inter pacem & pacem, inter bellum & bellum, inter pacem & bellum. *Non veni*, inquit Dominus, *mittere pacem sed gladium.* Quis potest cognoscere omnes diuisiones animæ & spiritus, quas amantes charitate vulnerati in se non possunt non sentire, & præ multitudine non valent dinumerare? Multiplex quippe est diuisio animæ & spiritus, & sicut multipliciter sermo Dei cor tāgit, ita multipliciter ad diuisionem animæ & spiritus pertingit.

Virgo voluit & doluit mortē Christi.

Matth. 10.

De diuisione spiritus seorsum.

LICET ex ijs quæ dicta sunt de diuisione animæ seorsum, perpendi possit, quæ sit diuisio spiritus seorsum: de ipsa tamen diuisione spiritus, vt occasio detur sapienti, & sapientior fiat, aliquid perstringere libet. Spiritus est Deus; & qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Spiritus verò hominis, cùm totum quod in se diuisum est & sparsum colligere & adunare non possit, nisi vni

Vt spiritus ad Deum se diuidat, non à Deo. & simplici Deo se jungat, ad Deum tamen se diuidit, cùm se diuersis modis coniungit, & in cõiungendo diuersis modis quærit, vt arctiùs iungat, & iungatur.. Et ad hæc quis idoneus? Omnes excessus pavoris, admirationis, stuporis, meditationis, & contemplationis, quis dinumerat? Stimulos cõpunctionum, gaudia deuotionum, modulos jubilationum, tractus suspiriorum, singultus gemituum, æstus desideriorum, intentiones orationum, quis dinumerat? Qui dies sęculi & pluuiæ guttas dinumerat, solus ille est. Hæc comprehendere potest, & dinumerare. Mens n. quæ in dilectione Dei figitur, innumerabilibus amoris passionibus subjicitur, & innumerabilib⁹ modis afficitur: & dum vicissitudines affectionũ mirabiliter alternat, constanter tamen & immobiliter amat: & dum se multiformiter variat, ad Deum se diuidit, sed se à Deo non diuidit: nec eum à se separat, quem in tanta varietate amare perseuerat. Ergo gladius spiritus vsq; ad diuisionem spiritus pertingit. Hic verò gladi⁹ ita veterem hominem persequitur, vt parum sit eum occidere, nisi &, quem occiderit, in frusta cõcidat, & omnino eum comminuat, & vsq; ad diuisionem compagum & medullarũ pertingat, donec omnino destruatur corpus peccati. Sic & gladi⁹ Samuelis Agag pinguissimum nõ solùm occidit, sed & in frusta concidit. *1. Reg. 15.* Attendamus ergo diligentiùs, quomodo hic gladius cõpages diuidat: deinde quomodo ad diuisionem medullarũ perveniat. Vita peccatoris, siue per singula peccata, quasi membratim consideretur, siue tota simul ante oculos cordis adducatur; & compages inuenitur habere, & medullas. *Mẽbra vitæ mal. peccata* Tota quippe vita mala sic ex multis peccatis, sicut vnum corpus ex multis connectitur membris. Compages autem membrorum, juncturæ sunt partium. Peccatum verò peccato conjungitur, aut per motum propriæ voluntatis, aut per iudicium diuinæ seueritatis. Nam qui peccat, & in peccato permanere malè viuendo cogitat; quędam peccata cõmittit per alia quædam, propter alia quædam ad præparationem sequentium, quædã ad occultationem, vel excusationem, vel defensionem præcedentium: quędam per moram habitæ secum deliberationis, quædam secundùm impetum subitæ voluntatis, quasi ex occasione præsentis tentationis, & incidenti casu obviæ oportunitatis. *Connexiones peccatorum cõpages mẽbrorum sunt* Connexiones autẽ peccatorum, tum ex præmeditatis, tum ex subitis causis, quasi cõpages sunt membrorum, ex quibus vita peccatoris, sicut vnum corpus, in augmentum sui crescit & proficit, donec compleatur iniquitas. Meritis quippe peccatorum exigentibus, & diuinorum judiciorum æquitate dictante, peccator dum pœnitentiam contemnit, & diuinæ voluntati renititur, interdum suæ voluntati dimittitur, & de peccato in peccatum cadere permittitur; cùm sequentium delictorum causã sit neglecta pœnitentia præcedentium. Et ita fit, dum iniquitas iniquitati apponitur, peccator à iustitia simul & à regno excluditur. Hinc scriptum est. *Psal. 68.* *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Hic finis eorum, qui diuitijs bonitatis Dei abutuntur: & dum peccatis peccata cumulant, iram Dei sibi thesaurizant, donec reueletur ira Dei de cœlo super omnem iniustitiã eorum. *Pœnitentia nõ negligẽda* Non est ergo negligenda pœnitentia, per quam viuus sermo Dei & efficax in timore horrendi tremendique iudicij, iuncturas veteris vitæ, & priscæ cõuersationis cõnexiones, quasi compages vnius corporis, dissoluit, & ad diuisionem compagum intantum pertingit, vt omnia peccatorũ vincula disrumpat; ne peccatum peccato aliquo nexu cohæreat. Hinc Propheta ait. *Dissolue colligationes impietatis, tolle fasciculos deprimentes.* *Isai. 58.* Ergo sermo Dei compages diuidit, cùm per cordis contritionem totum quod in nostris prauis moribus male connexum est, particulatim discerpit, & tanquam vitulum libani comminuit: cùm omnia, quæ pertinaciter cohærent, à se inuicem abstrahit, cùm omnia membra veteris hominis à suis iuncturis auellit, & solutis compagibus nullum membrorum non separatũ relinquit. Membra autem ea sunt, quæ Apostolus cõmemorat dicens. *Colos. 3.* *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam.* Vnum autem peccatum cùm membrum sit de corpore peccati, siue de corpore veteris hominis; ipsum tamen per se corpus dici potest; quia suis partibus sic perficitur, sicut suis iuncturis vnum corpus absoluitur. Peccatum corp⁹ dici, ex eo ostenditur, quod Dominus ait. *Mat. 6.* *Si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum totum nequam erit.* Quod ad totam vitam peccatoris non immeritò transfertur: quæ tota tenebrosa intelligitur, cùm ab eo qui propter se viuit, viuendi intentio ad se refertur. Nihilominus & ad vnum aliquod peccatũ hoc ipsum pertinere rectè creditur: quia cùm intentio operis vitio erroris aut iniquitatis deprauatur, etiam hoc ipsum quod rectè fieri videtur, inter opera tenebrarum deputatur. *Corpus peccati vt soluatur.* Hoc autem corpus diuisione compagum tunc soluitur, cùm tota peccati continentia fidelis conscientiæ testimonio discutitur, cùm peccati qualitas & quantitas & modus & causa, totaque eius circumstantia sicut coram Deo arguitur, cùm totum cor ex omni eo quod pudet, & quod terret, intra se concutitur; & in spe veniæ ad diligendum Deum totum accenditur & minutatim contritum in holocaustũ totum Deo affertur: sicut sacrificium quod in frusta cõciditur. Ergo gladius spiritus vsque ad diuisionem compagum pertingit. Pertingit etiã vsque ad diuisionem medullarum. Ossa medullis irrigantur. In toto autem corpore nihil interius medullis inuenitur. Propterea quod intimũ est in cogitationibus & affectionibus, & in operibus nostris, hoc est medulla corporis. *Medulla peccati delectatio est.* Quid est autem magis intimum in desiderio nostro, quàm quod præcipuè desideratur? Quid magis intimum in spe nostra, quàm quod speratur? Quid magis intimum in amore nostro, quàm ꝙ præcipuè amatur? Quid magis intimum in omnibus cogitationibus & affectionibus cordis, quàm ꝙ præ cæteris cogitatur & affectatur? Quærenti autem, quid sit, quod intimum est, non aliud occurrit, vt de peccatis loquar, quàm delectatio peccati. A peccantibus autem in ipso peccatorũ initio, vel processu, vel fine, nihil magis desideratur, nihil magis appetitur, quàm delectatio, quæ peccando sentitur, vel sentiendo speratur. Sæpe enim peccare libet præter delectationem, sed numquam nisi mediatè vel immediatè propter delectationem. Sæpe libet peccare, cùm adest delectatio, sed numquam libet peccare, nisi vt adsit delectatio. Quid igitur magis intimum est in peccatis, vel quæ magis peccati medulla di-

cenda, quàm delectatio, quæ in omni peccato maximè quæritur, etiam vbi non inuenitur? Vt de peccato ad iustitiam cōuertamus sermonem, quæ magis dicenda est medulla iustitiæ, quàm ipsius iustitiæ intima pinguedo, id est, intima delectatio?

Medulla iustitiæ.

De triplici pinguedine bonorum.

SI cogitemus corpora animalium, & quæ in eis pinguia sunt, apparebit quædam pinguedo exterior ipsi carni adhærens, deinde alia pinguedo interior, & vitalibus adhærens, quæ adeps dici solet. Deinde alia pinguedo ossa replens, quæ tota est pinguedo, & hæc est medulla. Anima quoque iusti in ipsis iustitiæ primordijs quandā in se pinguedinem habet, inquantum legi Dei condelectatur, sed quasi carni adhęrentem: quia prisca carnis consuetudine prægravata, ad perfectionem iustitiæ nondum liberè aspirat. Cùm verò ascensis quibusdam justitiæ gradibus, profectum suum jam provecta sentire incipit; interiori pinguedine, quæ vitalibus adhęreat, repleri desiderat, sicut ostēdit, qui dicit. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Desiderat nimirū adipe repleri, & sic interi⁹ plenissimè impinguari, vt holocaustū eius pingue fiat: donec perfectione justitiæ cōsummata, & eius amore plenissimè delectata, tandē quasi medullit⁹ impinguata dicere possit. *Holocausta medullata offerā tibi,* &c. Sūt iusti, qui hoc mūdo sic vtūtur, vt in reb⁹ illicitis & incōcessis malint carere q̄ habere: in reb⁹ verò licitis malint habere, quàm carere: vt quibuscumq; concessis secundùm indulgentiā vtantur: vxores habentes, & possessiones, cęteraque humanæ infirmitati concessa, quibus citra salutis periculum vti licet, si vti libet. Sunt alij, qui perfectionis studio omnibus rebus etiam concessis renūciant, quantum humana patitur infirmitas: qui juxta consilium Apostoli alimenta habētes, & quibus tegantur, his contenti sunt: qui in bonis spiritualibus tantò sunt pinguiores, quātò in bonis sęculi propter Deum inueniuntur tenuiores. Iustitia ergo pinguedinem habet exteriùs, & interiùs adipem vel medullam: tantò autem interiùs, quantò profundiùs, quantoque perfectiùs. Potest enim juxta alteri⁹ considerationis rationem delectatio iustitiæ medulla dici, non solùm in iustitia perfectorum; verū etiam in iustitia incipientium, & proficientium. Nulla enim iustitia tam mediocris est, vel tā exigua; quæ non habeat aliquantulam fortitudinem pro mensura suæ mediocritatis sibi adiunctā, & in fortitudine delectationem, sicut in osse medullam

Psal. 62.

Psal. 65.

Tres gradus iustorum.

1. Timo. 6.

De triplici pinguedine malorum.

INiquitas quoq; suam habet pinguedinem, & adipem, & medullam: in ijs, qui amore pariter & abundātia rerum temporalium incrassantur, & in superbiam elati recalcitrant, Deo minùs obedientes, & crescenre iniquitate, intemperato vsu ipsarum, quibus superabundant, & delicata consuetudine, magis incrassantur. Deinde etiam maiori superbia per vsum vitiorū ipso iniquitatis amore impinguantur: tandē superba sui ęstimatione vsque ad manifestum Dei contemptum quasi plenissima præsumptionis pinguedine dilatantur, & intumescunt: vt derelinquāt Deum factorem suum, & recedant à Deo salutari suo, sicut scriptum est. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Et iterum. *Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.* Et rursum. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis. Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelsum locuti sunt.* Sic iniquitas quasi à superficie cordis incipiens, paulatim & blandè intrat ad interiora eius: donec medulla iniquitatis fiat sicut oleum in ossibus eius. Est enim in anima, quòd malum appetit, est & in ea, quod consentit, vt fiat id quod appetitur: est in ea, quod membra corporis mouet sicut arma iniquitatis ad iniquitatem, ad perficiendum op⁹ iuxta desiderium appetentis & cōsentientis. Est in eadem anima, quod delectatur ipso opere q̄ appetitur, & cui consentitur, & in quod ipsa se mouet, adeo vt & corpus suum moueat in obsequium ministerij, vt expleatur quo delectetur. Nam hæc omnia ad delectationem. Est præterea in ipsa anima, quòd his omnibus præsideat, & cui placeant, primùm appetitus, deinde consensus, deinde motus in opus, ad vltimum in opere delectatio. Cùm autem hæc quatuor, appetitus scilicet & consensus, motus in opus, & ex motu opus, simul placent, causam cur placeant, & finem, habent delectationem, quæ in opere quæritur & expetitur. Quinque itaque res sunt, appetitus, consensus, motus in opus, & ex motu opus, & operis delectatio. Sed quatuor ex his in anima inueniuntur, appetitus scilicet & consensus, & mot⁹ in opus, & operis delectatio. Ipsum autem opus non in anima est, sed vi & voluntate animæ voluntariè mouentis corpus per ministerium corporis exteriùs agitur propter delectationem, quæ in ipso opere quæritur, vel ex ipso. Ex ipso autem dico, propter opus quodcumque, quod fortè non delectat, quod tamen agitur propter aliud, quod delectet. Cùm autem tria hæc, appetitus scilicet, & consensus, & motus in opus, simul placeant propter opus, aut propter delectationem operis; aduerti potest, delectationem non soli operi adiunctam esse, sed tribus præmissis, quæ placent propter ipsam operis delectationem. Appetitus ergo suam habet delectationem, cùm placet ipsam appetere.

Deute. 32.

Psa. 16. & 72.

Quòd appetitus mali non sit in hominis potestate.

SÆPE appetunt isti, quod omnino nolunt, & à quo omnino dissentiunt: & appetitum mali omnino sentiunt, sed non consentiunt. Et quē retinere datur ne procedat, non valenr compescere ne surgat, nec imperare vt quiescat. Appetitus enim mali in hominis potestate non est, ita scilicet, vt ad arbitrium eius quiescens non surgat, vel surgens quiescat, vel etiam aliquatenus non crescat. Propterea iustus, etsi libertus Domini sit, & de iugo peccati ereptus; in hac tamen parte nondum liber est; quia à concupiscentia carnis quæ per appetitū mali mouetur, nondum plenè liberatus est. Quatenus autem liber est, quatenus concupiscentiam malam babet in sua potestate, quam per gratiam Dei, à quo gratis iustificatus est, ne vsque ad consensum operis perueniat, retinere valet; hæc siquidem gratia iustificato datur. Iustificatus tamen, quamvis in hac libertate gratia Dei assistente cōstitutus, tentatus à cōcupiscentia potest non consentire: sed concupiscentiam antequam moueatur per illicitum appetitum, non potest retinere, vt prædictū est, ne surgat: nec in sua potestate habet, ne aliquatenus crescat, vel vt statim cōquiescat. Nondum enim gratia tantæ potestatis homini datur, quamuis iustificato. Potest autem qui iustus est, longo vsu & exercitatione disciplinæ gratiam obtinere,

Iustus potest tētationi nō consentire.

obtinere, vt hæc concupiscentia rariùs surgat, & minùs crescat, & citiùs conquiescat. Peccator verò, qui per consensum peccati servus est peccati, tanto magis & arctiùs vinculis huius seruitutis astringitur, quanto magis desiderat concupiscentiam in se moueri, etiam cùm non mouetur. Nonnulli enim in profundum iniquitatis demersi exquisitis modis prouocant, & irritamenta peccati procurant, vt suæ voluntati satisfaciant, qua desiderant consuetæ turpitudinis effectum, & tunc cùm nullum habent affectum. Qui peccatum intantū amant, vt peccare velint, cùm peccare non possint. Adeo placet eis ipsa concupiscentia mala, & motus eius, appetitus scilicet malus, vel affectus, vt ijs nolint carere, sed hæc desiderant magis ac magis in se crescere, quæ est iniquitas profunda. Cōcupiscentia autem causa est, & initium sequentis peccati; sicut delectatio finis est, ad quem tendit appetitus & consensus peccati. Concupiscentia autem odibilis est, vt mors, quia per delectationem peccati perducit ad mortem, sicut scriptum est. *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Iustus ergo justè odit concupiscentiam, vt mortem, justè eam totis viribus, totaque militia spiritualis disciplinę propugnat, vt vel possit debilitare, quā non valet penitus extirpare. Quantò autem iustus hanc concupiscentiā magis odit, tantò & justitiam magis diligit. Quantò concupiscentia carnis, quæ concupiscit adversus spiritum magis decrescit, tantò concupiscentia spiritus qui concupiscit aduersus carnem, magis crescit. Sicut injustitia à concupiscentia carnis incipit; sic & justitia à concupiscentia spiritus initium sumit. Propterea concupiscentiam carnis odisse, & concupiscentiam spiritus diligere, quędam justitia est, sine qua nec qui incipit, justus esse potest, nec qui proficit, nec qui ad perfectū peruenit. Tantò autem magis proficit, & magis perfectioni accedit, quantò magis illam odit. & hanc diligit.

Potest & motus cōcupiscentia minuere.

Iaco. 1.

Concupiscētiam carnis odisse necesse est.

Quod delectationem concupiscentia spiritus tria perficiunt.

HVIVS dilectionem, & illius odium tria perficiunt, & desiderium iustitiæ, & propositum, & vtriusque executio. Desiderium autem solum, sine proposito scilicet & executione, inane desiderium est, & non tangit cor peccatoris, ad horam compungit, sed in tempore tentationis sua levitate inanescit. Tale fortè fuit desiderium Balaam arioli, cùm contemplatus tabernacula Iacob, compunctus diceret. *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Hujusmodi desideriū habent multi criminosi, flagitiosi, facinorosi, qui ad horam inutiliter compunguntur ad iustitiam, quia damnabiliter redeunt ad culpam. Sunt nonnulli, qui desiderium habent justitiæ cum proposito melioris vitæ; sed quod disponunt, in longū differunt, & aut dilationi terminum non ponunt, aut post terminum terminū constituunt; & cùm venerit, post terminum adhuc termini interminabilis dilationis occasionem quærunt. Hi si forte præoccupati fuerint, nec desiderio, nec proposito dilatæ iustitiæ ab injustitiæ pœna liberantur. Proinde desiderantibus & proponentibus viam justitiæ necessaria est desiderij propositiq; executio. Aliud est Ierosolymam pergendo jam tendere, & faciē euntis Iersalem habere: aliud est otioso desiderio de itinere proponere, semperque differre, & numquam iter arripere. Executio autem sancti desiderij, sanctique propositi, exercitatio est corporis & animæ secundum concupiscentiam spiritus contra concupiscentiā carnis, huic consentiendo ad iustitiam, illi numquam assensus præbendo contra justitiam. Desiderij autem & propositi iustitiæ, & vtriusque indefessa prosecutio sanctum, odiū perficiunt cōtra concupiscentiam carnis, quæ injustitiam per desiderium & propositū mali incœptat, sine desiderio & proposito boni consummati. Desiderium autem & propositum mali sufficit, vt quis malus sit: desiderium verò & propositum non sufficit, vt quis bonus sit: sine his tamen nemo bonus est, nemo pessimus non est. Nam qui propositum boni non habent, nec desiderium, supra omnem modum malā concupiscentiam diligunt, malum affectum non quasi animi tentatione in se trahētes; sed præter tentationē sponte in affectum transeuntes. De quibus scriptum est. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Et illud. *Concupierunt cōcupiscentiam in deserto.* Hæc itaque concupiscentia, si ei nō resistitur, primo priuat consensu boni, deinde proposito & desiderio boni; donec totam voluntatem, totamque rationem sibi subdat, vt nec mot⁹ voluntatis ad bonum palpitet, nec scintilla rationis vel modicum lumen repręsentet, sed totum cor obduretur & tenebrescat, & extinguatur lucerna in Israël. Cùm verò nec voluntas mouetur ad desiderium boni, nec ratio mouet ad propositum boni, victrix concupiscētia de vtraque sibi subdita gloriosè triumphat. Qui à victrice concupiscentia sic victus est, & sic cœcus, vt eam diligat, consequens est, vt concupiscentiā spiritus, quæ è regione est, odio habeat. Odit enim iustitiam, odit iustitiæ consentire, odit iustitiam vel concupiscere, odit malum non concupiscere, odit malæ concupiscentię non cōsentire, odit non peccare, odit peccata relinquere, odit pœnitere, odit veritatem redarguentē, odit sapientiam vtilia suadentem, odit disciplinā pacis, odit gratiam Dei: paulominus ipsum Deū odit; imò processu iniquitatis etiam ipsum gratis odit, in deteriora semper cadens, donec incidat in peccatum irremissibile, quod non remittetur, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Victrix & dominatrix concupiscētia mala subditum suū de peccato in peccatum sic præcipitat, vt de amore sui perducat ad odium Dei; donec claudat super eum puteus os suum. Hujus autem tanti mali aliter causa est delectatio peccati, aliter cōcupiscentia peccati. Hæc causa est propter quā, illa verò per quam. Illa incipit, ista perficit. Illa per illicitas rerum species à bono abstrahit, & ad malum illicit, hæc abstractum & illectum capit & claudit. Illa consensum peccati causaliter pręcedit, ista succedit.

Num. 23.

Inania quorumdam desideria conversionis.

Psalm. 72. & 105.

Concupiscētia & delectatio sunt causa peccati aliter & aliter.

De Corpore & anima veteris hominis

SIcut in vno homine corpus & anima discernuntur; corpus verò carnem & ossa, & in ossibus medullas habere cernitur; anima autem arbitrium mouendi corporis tenere creditur: sic in vnius peccati compositione vetus homo noster qui non absurdè homo peccati, vel fili⁹ perditionis dici potest, cōcupiscentiā habet pro carne peccati, juxta quod Apostolus dicit. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Consensum verò, in quo est robur peccati, sicut in osse robur corpo-

Galat. 5.

ris pro osse habet, delectationem verò pro medulla. Id verò pro anima habet, quod in mente superexcellit & summũ est, & præsidet ei quod appetit, & ei consentit, ei quoque quo delectatur, cui placere aut displicere possunt appetitus & consensus & delectatio: sine cuius conniuentia nec appetitus vsque ad consensum perducitur, nec ad operandum corpus mouetur, nec ex motu opus perficitur, in quo affectata delectatio quæritur. Cùm verò quod menti omnibus præsidenti omnia placent, & in omnibus delectatur, non in solo opere delectatio sentitur; sed præter delectationem operis est delectatio mentis, & in appetitu & consensu, sed tunc in appetitu, cùm in consensu. Nam cùm non libet cõsentire, aut omnino non libet, aut minus libet, appetere. Cùm autem libet consentire, libet & perficere. Cui hæc omnia libent, in his omnibus delectatur. Delectatio verò quæ est in appetitu, quamvis ad ipsum appetitum magis pertinere videatur quàm ad consensum, id est, magis ad pinguedinem carnis, quàm ad medullam ossis, tamen ad consensum ea ratione pertinere dignoscitur, quod sine consensu non omnino placet ipse appetitus. Propterea inter medullas inueniũtur cum delectatione operis delectatio appetitus, & delectatio consensus, & omnis delectatio mentis, cuius motu totum disponitur, in quo malè delectatur. Has autem medullas in tã obstrusis ossibus altiùs reconditas quis aut cuius gladius diuidere potest; nisi illius, qui potest ossa peccatorum conterere, & cornua confringere? Hic nempe est, qui superbos humiliat, vsque ad cinerem & fauillam, qui nebulam sicut cinerem spargit: qui mittit chrystallum suum sicut buccellas, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Ille nimirum, qui mortuos suscitare potest, solus ille præualet omnes noxias delectationes in amaritudinem pœnitentiæ conuertere, vt totum displiceat quod malè placebat, donec corpus peccati medullitus consumatur.

Hebr. 4.

Et discretor cogitationum & intentionum cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: ad quem nobis sermo.

NOvit Dominus cogitationes & intentiones cordis nostri, haud dubium, quin sibi omnes, nobis verò illas nouit, quas per gratiam discretionis nos discernere facit, quales sint. Spiritus autem qui est in homine, non totum nouit quod est in homine, & de cogitationibus suis quas consentiens vel non cõsentiens sentit, non semper vt in re est, ita sentit. Et quas ante oculos mentis cernit, oculis caligantibus subtiliter non discernit. Sæpe enim à propria cogitatione, vel ab homine, vel à tentatore diabolo, sub specie pietatis ingeritur, quòd præmium virtutis ante oculos Dei non meretur. Sunt enim quædam verarum virtutum similitudines, & similiter vitiorum, quæ oculis cordis illudunt, & quasi quibusdam præstigijs aciem mentis ita perstringunt, vt sæpe species boni apparere videatur in re non bona, & item species mali in re non mala: quæ est pars miseriæ & ignorantiæ nostræ, multum nobis dolenda, multumque timenda. Scriptum est enim. *Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, quarum finis ad inferna deducit.* Pro quo vitando periculo Beatus Ioannes nos admonet dicens. *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Quis autem probare potest, si ex Deo sunt spiritus, nisi à Deo data sit ei discretio spirituum, vt spirituales cogitationes, affectiones, & intentiones, subtiliter & vero iudicio examinare queat? Discretio verò mater omnium virtutum, & ipsa singulis necessaria est, siue in regimine alienæ vitæ, siue in directione vel correctione propriæ. Quam quidem nullus sermo sensibus nostris intimare potest, nisi ille viuus & efficax, qui discretor est cogitationum & intentionum cordis. Hic autem sermo totam vitam nostrã secundum certam formam instituit, & ad certum finem dirigit. Quo instituente, in omnibus quæ facienda disponimus, Deum semper cogitare debemus, vt fiat secundum ipsum, & nihilominus propter ipsum. Quæris, quomodo secundum ipsum, quomodo propter ipsum? Audi vtrumque. Omnis actio nostra dirigenda ad finem promissionum Dei. Non licet nobis aliud facere, quàm quod præcipit, aut permittit, aut consulit: non decet nos aliud sperare, quàm quod ille promittit, & quia promittit. Iustitia enim nostra formatur ad nutum præcipientis aut consulentis: spes nostra subrigitur de veritate promittentis. Recta est cogitatio faciendorum, quæ Dei nutu regitur, pia est intentio quæ simpliciter in ipsum dirigitur. Ita demum totum corpus vitæ nostræ vel cuiuscumque actionis nostræ lucidum erit, si fuerit oculus simplex. Oculus autem simplex & oculus est, & simplex: quia per rectam cogitationem videt, quid faciendum est, & per piam intentionem simpliciter agit, quod dupliciter faciendum non est. Recta cogitatio errorem non admittit: pia intentio fictionem excludit. Hæc est autem vera discretio, rectæ cogitationis, & piæ intentionis coniunctio. Ne mireris, quòd discretionem coniunctionem dixi, cùm discretio diuisionem indicet. Hæc enim coniunctio sine diuisione non est. Nam qui has duas res conjungit, dividit inter lucem & tenebras. Error enim & fictio tenebræ sunt: iustitia autem & pietas lux in Domino. Qui autem in electione faciendorum, vel in fine sperandorum, rectam cogitationem secundum Deum, aut piam intẽtionem propter Deum, à se inuicem diuidere nititur: quia oculus eius aliquam habet partem tenebrarum, aut in tenebris ambulat, aut nescit quò vadat. In tenebris quippe ambulat, qui male agit: nescit quò vadat, qui ad Deum non tendit. Mala itaque non sunt facienda propter Deum, nec bona facienda sunt non propter Deum. Opus enim pietatis corrumpit intentio vanitatis: & iniquitatẽ operis non excusat pietas intentionis. Omnia ergo in luce discretionis agenda sunt, sicut in Deo, & coram Deo: quia non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Nulla corporalis, nulla animalis, nulla spiritualis: nil quod à Deo factum est propter hominem, vel in homine, nil quod in homine vel ab homine factum est contra Deum. Quanta enim sunt in homine, quæ ipse homo partim videt, partim non videt: omnia hæc Deo manifesta sunt. Cor enim hominis abyssus magna, omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius. Illic reptilia quorum non est numerus. Sed Deus qui videt in occulto, qui & illuminat abscondita tenebrarum, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, nil omnium visibilium vel inuisibilium non videt. *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Multa sunt nunc operta & tecta arcanis silentijs & consilijs, commentis & figmentis, fraude & dolo, arte verbo-

Spiritus hominis non perfectè nouit suas cogitationes.

Prouer. 14. & 16.

1. Ioann. 4.

Discretio mater virtutũ à Deo est.

Opus prauũ non excusat intentio.

Hebr. 4.

rum & rerum, tergiversationibus & excusationibus, simulationibus & dissimulationibus. Sed nil opertũ, quod non reuelabitur. Omnia enim quæ nunc ingeniosè tecta sunt, suis tegumentis nudabit sermo ad quem nobis sermo. Illi enim ratio reddenda est, & de ipsa ratione, cui credita est totius vitæ nostræ ordinatio. Sic autem Dominus vniuscuiusque vias considerat; sic dinumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes, eius iudicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant. Quis igitur sermo respondeat pro me, aut quam rationem respondere possum pro me; nisi vt cũ Propheta dicam, *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea?* Bone Iesu, non sufficio rationem reddere; tu pro ratione orationem suscipe, & *non intres in judicium cum seruo tuo, quia nõ justificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Nihil indiscussum Dei iudicio futurum.

Psalm. 138.

Psalm. 142.

Luc. 1.

TRACTATVS SEPTIMVS,

De Salutatione Angelica.

Aue gratia plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

NEGOTIVM nostræ salutis à salutatione incipit, & exordium reconciliationis dedicat annũciatio pacis. Nũtius enim salutis & Angelus pacis à Deo missus, & ad virginem ingressus, amicus ipse virginitatis, noua eam salutatione, & insolita, & hactenus à sæculo nõ audita salutat, simul deferens nouæ salutis obsequium, nouæque laudationis præconium. Vel novum, vel rarũ est, mulierem ab Angelo salutari. Non Agar, non vxor Manue ab Angelo salutata est, cùm vtraque Angelico aspectu & affatu frueretur. Nunc autem ad Angelo mulier salutatur: nũc appropinquat tempus, vt ab ipso Domino mulieres salutentur, quibus dicatur, *Auete*. Cogitabat virgo, qualis esset ista salutatio. Cogitemus & nos, quantum sufficimus, qualis sit. Non est hæc salutatio per viam, sed salutatio reducens ad patriam. *Neminem*, inquit Dominus, *per viam salutaueritis*. Si quis adulatione non ficta, & assentatione clauda te sibi gratificare volens in his quæ vanitatis sunt, aut beneuolum se ostendat, aut laudatorem exhibeat, hic est qui te salutat per viam. Tibi caue, caue ab his, qui tibi dicunt, ave. Væ enim tibi, si talium servus efficeris. Væ tibi, si dominentur tui, qui quærunt animam tuam. Nec amaueris salutationes in foro; sufficit tibi testimonium conscientiæ tuæ, & testis in cœlo fidelis, cui dicas. *Apud te laus mea in Ecclesia magna*. Distinguitur salutatio à salutatione; quia discernitur salus à salute. Est enim vana salus, de qua scriptum est. *Quia vana salus hominis*. Est & vera salus, de qua scriptum est. *Exaudi me in veritate salutis tuæ*. Hæc autem salutatio, siue sit optatæ salutis votiua imprecatio, siuæ datæ vel dãdæ salutis annuntiatio, nec fictam benevolentiã prætendit salutantis, nec falsam laudem prædicat Virginis. Sed sicut est Angelis semper amica virginitas, Virginem fideli laude commendat, & à plenitudine gratiæ laudẽ inchoat dicens, *Aue gratia plena*. O salutatio salutifera ab Angelo dictata, & nobis ad salutandam Virginem preformata! O jubilatio cordis, dulcedo oris, condimentum amoris! Quis locus iræ, vbi est plenitudo gratiæ? Plenitudo quippe gratiæ exinanitio est culpæ, reparatio naturæ. Corruperat culpa naturam, & prouocauerat iram. Sed non continuit Deus in ira sua misericordias suas. Effudit gratiam, & auertit iram. Sexum quem damnauerat sententia maledictionis in prima muliere, nunc replet gratia benedictionis, & oleo miserationis in beata virgine. Hic est lecythus olei: hæc est concha Gedeonis rore plena; hæc est vrna aurea, habens manna summæ dulcedinis pluuiæque cœlestis. Quis cogitare sufficiat, quali vel quanta fuerit plena gratia, quæ prima inter mulieres, & sola plena gratia, designatur, quæ vnigenitum filium peperit, plenum gratiæ & veritatis? Protomartyrem legimus Stephanũ plenum gratiæ & fortitudinis. Sed hæc tantò plenior creditur, quantò gratiæ capacior; quæ ipsum gratiæ authorem, tam magnum, tam immẽsum, quem totus non capit orbis, capere potuit, corde pariter & mente. Audiuimus beatam Elizabeth Spiritu sancto repletam, quæ majorem gratiam in virgine agnoscens, se visitantem & salutãtem mirata est, dicens. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Rectè salutata salutat, per quam salus fuerat communicanda, vt per ipsam gratiæ agantur Deo, qui dat salutẽ regibus, & mandat salutes Iacob. Ad hoc enim gratiã plena extitit, sicut mensura bona, & conferta, & coagitata, & supereffluens; vt per ipsam gratia Dei abundet in nobis. Hanc enim singulariter prælegit Deus & gratificavit sibi triplici gratia præditã, gratia decoris, gratia fauoris, gratia honoris: vt fieret speciosa, gratiosa, gloriosa.

Rarum est mulier ab Angelo salutari.

Matth. 28.

Luc. 10.

Psalm. 21.

Psalm. 59.

Psalm. 68.

Genes. 3.

Actor. 6.

Luc. 1.

De triplici gratia Dei.

GRatia decoris in bona facie prælucet. Bona autem facies, juxta diffinitionem B. Augustini, est pariliter dimensa, luculentè colorata, hilariter affecta. Parilitas autem dimensionis secũdum æqualitatem, similitudinem, compositionem, & modificatam & commensuratã congruentiam partium, non minima pars pulchritudinis est. Non enim conueniunt oculi dissimiles aut inæquales, facies dispares, labia discrepãtia, nec vniuerso quævis pars pulchrè congruit, quæ à reliquæ partis congruẽtia sua deformitate vel enormitate recedit. Quod debitam mensuram minuit vel excedit, vel ad sui comparis similitudinem non accedit, gratiam pulchritudinis devenustat. Laus veræ pulchritudinis magis est mentis quàm corporis, & tamen aliquo modo corporis. Sæpe enim quod casto cordis consilio intus concipitur, foris per ministerium corporis decenter administratur. Sed impurè geritur, quidquid de puritate cordis non nascitur. *Omnis* quippe, *gloria filia Regis ab intus*; sed nõ omnis gloria ejus intus. Ab intimis enim sæpe procedit, vnde foris glorificetur rex gloriæ, qui in cœlis est. Amat autem hæc interior pulchritudo parilitatem comparium. Dedecet enim dissimilitudo, vbi non apparet dissimilitudinis ratio. Si aliter iudices bona vel mala tua, aliter aliena,

Decor faciei ex quibus componatur

Psalm. 44.

Dissimiles oculos, vel labia discrepantia quinam habeãt

oculi tui dissimiles sunt. Si apud Deum superbus es, & humilis apud homines, facies dispares habes Si proximo coràm benedicas, & absenti detrahas: si Deum in prosperis laudes, & murmures in adversis, labia habes discrepantia. Tota autem hæc deformitas de vitio superbiæ procedit, quæ inæqualitatem & dissimilitudinem in moribus semper diligit; sicut è diuerso humilitas etiam inæqualia ad æqualitatem reducit. Quærimus in hac virgine, quænam sit parilitas dimensionis in facie eius, tam bona, tam laudabilis, vt melior & laudabilior non possit inueniri inter omnes filias Sion. Quænam rectiùs dicatur parilis dimensio, quàm æqualitas humilitatis & honoris, dignationis & dignitatis? Sic enim scriptum est. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Si egregius es, esto tamen de grege. Si in omnibus præs, non dedigneris subesse Considera teipsum, considera & magistrum tuum: & in quo opere se cofiteatur magistrum, & verè. Est etenim. Considera, quid dixerit, & quid fecerit, *Non veni*, inquit, *ministrari, sed ministrare.* Hoc est, quod dixit. *Qui præcessor est, fiat sicut ministrator. Et qui major est in vobis, fiat sicut junior.* Ecce quid dixerit. Scitis quid fecerit? Humiliauit se vsque ad pedes discipulorum suorum. Quis hoc fecit? Is, cuius est terra scabellum pedum eius. Is qui dicit, *ego sum primus & nouissimus*: primus dignitate, nouissimus humilitate, Ergo exemplum dedit nobis, vt sequamur vestigia eius; adorantes in loco vbi steterunt pedes eius. Venite adoremus & procidamus ante Deum; humiliemur sub ipso, & cum ipso, quia humiles spiritu salvabit; eos scilicet qui adorant in spiritu & virtute. Locus adorationis virtus est humilitatis. Hic steterunt pedes eius. Quomodo steterunt? In humilitate venit, in humilitate perseuerauit. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & pro seruis Dominus opprobrium crucis pertulit, factus obediens Patri vsq; ad mortem. Quæ est summa humilitatis, si hæc non est? Quàm pulchra parilitas summæ dignitatis & summæ humilitatis! O fidelis anima, si hoc exemplo contra superbiã muniaris, vt magistri tui vestigia per humilitatem sequaris, dicetur tibi. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Audi filia, & inclina aurem tuam, vt humilieris; & concupiscet Rex decorem tuum. Quis rex, nisi qui solus est rex? Isti fies concupiscibilis, desiderabilis, & amabilis, si aurem inclinaueris, si te humiliaueris, & tantò magis, quantò maior fueris. Quantò magis te humilias, tantò magis Dominum magnificas. Vnde quæ præ cæteris tantò creditur humilior, quantò dignior, quæ singulariter dicit, *Magnificat anima mea Dominum*; plus magnificauit, quæ plus magnificata est, & sublimior effecta est, vt singulariter dicere possit. *Quia fecit mihi magna, qui potens est*: plus magnificata plus Deum magnificauit, quia plus se humiliauit, humilitatis suæ ipsa sibi testis est, humiliter dicens. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Testis & Elizabeth, quæ Dei matre veniente ad se pariter miratur suam felicitatem, & illius dignitatem, & in tanta dignitate humilitatem. Semper enim mirabilis est in dignitate magna humilitas magna, in potentia magna humilitas magna; in sapientia, eloquentia, virtute, humilitas magna. Denique in omnibus magnis humilitas magna parilis est dimẽsio, quæ faciem componit, & omnia conformat & coaptat, vt omnibus omnia congruant.

Eccli. 2. · *Matth. 20.* · *Luc. 22.* · *Apocal. 1.* · *Philip. 2.* · *Cant. 7.* · *Luc. 1.* · *Ibidem.*

De Gratia decoris.

GRATIAM huius venustatis adornat gratia coloris, candoris pariter & ruboris. Color pudor est. Est autem geminus pudor; pudor pudicus, & pudor verecundus. Pudicitia & verecundia lilium candens & rosa rubens. Pudicitia suo candore faciem afficit, verecũdia suo rubore genas perfundit. Verecundia custos est pudicitiæ, & decus pariter & ornamentum eius. Habent autem singuli sensus & mentis & corporis suam pudicitiam, suamque verecundiam. Est enim pudicitia oculorum, est & verecundia eorum; est pudicitia aurium & verecundia earum; & in alijs sensibus pudicitiæ comes solet esse verecundia. Pudicitia autem omnium sensuum ex eorum incorruptione æstimatur. Hinc Apostolus ait. *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu.* Sancta verecundia est, quæ turpia sunt erubescere; sancta pudicitia, immaculatum se custodire. Vide quàm castos habebat oculos, qui dicebat. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidẽ de virgine.* At qui viderit mulierem, ad concupiscendam eã, quid nisi oculum habet impudicum? Impudicus autẽ oculus impudicæ mentis est nuncius. Corruptio sensuum impudicitiæ est contubernium. Integritas sensuum castitatis est signaculũ. Hujus autem virginis tanta fuit integritas, & mentis & corporis castitas, vt tota virgo fuerit, tota impolluta, tota immaculata, nullo sensu corrupta, nullo sensu contaminata. Totum erubuit quod turpe est, totum reprobavit quod malum est, totum voluit quod pudicum est, totum deuouit, quod inhonestum est. Hæc est enim plena virginitas, in omnibus sensibus illibata integritas. Omnis delibatio integritatis, quædam defloratio est virginitatis. Hic est luculentus color, castitatis candore & verecũdiæ rubore permixtus, in facie hujus virginis resplendens, & gratiã pulchritudinis adaugens. Luculentè ergo colorata est, pudica pariter & pudibunda, vt in ea impleatur, quod scriptum est. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Gratia plena. Accedit ad gratiam, quòd hilariter affecta est, facies eius exhilarata est in oleo exultationis, quia tota deuotione plena charitatis feruore, sese Deo obtulit in odorem suauitatis. Præ omnibus filiabus Sion, quæ exultant in Rege suo, exultauit spiritus ejus in Deo salutari suo. Vide, quàm decora facies, quam gratia parilitatis formauit, gratia candoris & ruboris illustrauit, hilaritatis gratia lætificauit. Nec sola facie pulchra est, sed tota pulchra, sicut testatur, cui placuit, dicens. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Ecce quàm plena gratia decoris.

Pudicitia & verecundia. · *2. Cor. 11.* · *Iob 31.* · *Laus virginitatis B. Mariæ.* · *Eccli. 26.* · *Cant. 4.*

De gratia fauoris.

NEc impar ei gratia fauoris. Ab omnibus enim amatur, laudatur, honoratur, prima post Deum hominum & Angelorũ amor, laus, & decus. Laudes ejus pronunciat omnis Ecclesia Sanctorum. Viderunt filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt: Reginæ & concubinæ laudauerunt eum. Hanc autem tanti favoris gratiã ipsa non tacet, cùm dicit. *Beatam me dicent omnes generationes.*

Cant. 6. · *Luc. 1.*

De gratia honoris.

HOnoris gratia quanta ei collata sit, non est nostræ facultatis edicere. Nam cùm omnia in ea laude sint digna, & quæ propria habet & quæ communia, speciali laude vtraque eam commendant. Communia enim singulariter habet, quia supexcellenter præ cæteris habet, quæ cum cæteris habet. Et singulariter est, quòd sola non est. Casta est, humilis est, suauis & benigna. Sunt & aliæ similium virtutum, sed non similiter, non æqualiter. Omnibus excellit: & in omnibus domina mundi, & cœli regina, hominum & Angelorum, mater Dei & filia, soror & sponsa, amica & proxima. Mater per fœcunditatem virginitatis, filia per gratiam adoptionis, soror per gratiam cōmunionis, sponsa per fidem desposationis, amica per vicissitudinem dilectionis, proxima per vicinitatem similitudinis: omnibus pulchrior, omnibus amabilior, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa. *Dominus tecum.* Quid singularis gloriæ habet, quod dictū est, *Dominus tecum*, cùm Gedeoni ab Angelo dictum sit, *Dominus tecum sit, virorum fortissime?* Et Psalmista dicit. *Dominus virtutum nobiscum.* Et Christus nobis dicit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Et de Christo Isaias dicit. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus.* Sed hoc dicturus præmisit. *Ecce virgo concipiet & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quomodo enim ad nos veniret, vt esset nobiscum, nisi quia ad Virginem venit, quam & præuenit, vt cum ea esset, & in ea, & ex ea, & sit per eam in nobis: cùm sit susceptor noster Deus Iacob? Ad hoc enim nostram naturam ex ea suscepit Deus Iacob, vt nobiscum sit semper, dicens, *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Si autem deliciæ Dei sunt, esse cum filijs hominum, quantæ putas deliciæ eius sunt, esse cùm vnica sua, quam præelegit in ministerium tantarum deliciarum? Quòd ergo nobiscum est, cōmunicans naturæ nostræ, & communicator gratiæ suæ, vt simus filij & hæredes Dei, fratres autem & cohæredes Iesu Christi, hoc tam magnum donum, tam magnum bonum illi singulariter dictum est, *Dominus tecum.* Huius tantæ dispensationis ministra & cooperatrix effecta, salutem mundi, nobis dedit. Sed quia sola non potuit, sed ministerium præbuit, sed effectum mediatricis exhibuit, sed mediatorem, qui hoc posset, in medium produxit, rectè dicitur, *Dominus tecum.* Opus quiddam magnificum factura es, salus mundi per te procuranda est, sceptrum exactoris superandum est, sicut in die Madian. Sed supra omnem humanam virtutem & sapientiam est, ad quod electa es: sed Dominus tecum, cui non est impossibile omne verbum. Sic ad Gedeonem, cùm liberaturus esset filios Israël de Madian, dicitur, *Dominus tecum, virorum fortissime,* vbi & fortitudo commemoratur, & fortitudine opus erat, Deo fortitudinem dante, qui est adiutor fortis. In hoc quoque opere salutis nostræ, quod à plenissima gratia inchoatur, & in plenissima gratia consūmatur, plenitudo gratiæ commemoratur: & authori gratiæ laus ascribitur, qui Virgine cooperante author operis ostenditur.

B. Virgo antecellit omnibus.

Iudic. 6.

Psalm. 46.
Matth. 28.
Isai 7.

Prouer. 8.

Iudic. 6.

Benedictio Virginis.

POst Deum authorem tanti beneficij prima laus virgini debetur, vt ab omnibus meritò benedicatur. Propter quod ei ab Angelo dicitur. *Benedicta tu in mulieribus.* Et ad eam Elizabeth. *Benedicta tu inter mulieres.* Eva per superbiam & inobedientiæ culpam sententiam maledictionis in se excepit, & nos per eam maledictioni obnoxij sumus. Superbiæ enim maledictio debetur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hinc scriptum est. *Initium omnis peccati superbia. Qui autem tenuerit eam, adimplebitur maledictis.* Maria autem sese humiliauit, & benedictionem meruit. Attendamus, vt possumus, quantum se humiliavit, & quàm benedicta fuerit. Est quædam humilitas sub præcepto, est quædam sub consilio, quædam sub exemplo, quædam sub proposito vel voto, quædā sub maledicto. Præceptum imponit necessitatē, consilium excitat liberā voluntatem, exemplum prouocat ad æmulationem, sanctum propositū siue votum cumulat deuotionem, maledictum adducit confusionem. Humilitas sub consilio major est ea, quæ est sub præcepto. Præcipimur aliena non rapere, monemur propria relinquere. Hoc maius bonum, illud tamen magis necessarium. Illud communius, hoc restrictius. Humilitas sub exemplo, sine præcepto & sine consilio, à typho superbiæ & fastu arrogantiæ longiùs videtur abesse. Magnæ enim humilitatis indicium est, nullo cogente, nullo suadente, rectè agentem sibi præferre: nec dedignari quidquid dignum fuerit imitatione. Sæpe autem sine præcepto, consilio, & exemplo, occulto mentis instinctu aliquid boni percipitur, & in propositū siue votum assumitur, quæ est mira humilitas. Magnæ siquidem virtutis est, communi libertati renūtiare, & sanctæ necessitati sese subdere. Nōnumquam verò quod Deo dignoscitur esse acceptum, apud homines inuenitur probrosum, & maledictioni obnoxium. Propterea quidam timore confusionis victi, sæpe perfectionis studium quod appetunt, erubescunt, & dū linguas hominum metuunt, bona fugiunt quæ concupiscunt. Quidam verò iustitiam & sanctitatem sic probant, & sic zelant, vt hominum maledictiones & opprobria contemnant; gloriosum reputantes pro nomine Iesu contumeliam pati; & maiores diuitias æstimant thesauris Ægypti improperium Christi. Hæc pars humilitatis quantò maledictiones hominum propter Deum minùs veretur, tantò abundantiorem benedictionis gratiam apud Deum meretur. Hanc humilitatis partem nec Christus prætermisit: qui omnem iustitiam implere volens, factus est pro nobis maledictum, sicut scriptum est. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quomodo autem factus sit maledictum, ostendit, qui dicit. *Ab hominibus quidem reprobatus, à Deo autem electus.* Cui & illud cōcordat. *Maledicent illi, & tu benedices.* Æstimemus ex his quæ dicta sunt, qualis fuerit humilitas hujus Virginis, quæ virginitatem suam sine legis præcepto sub legis maledicto consecrauit: quia maledicta reputabatur, quæ non reliquisset semen in Israël. Si Deus in initio quibus benedixit, his & dixit, *Crescite & multiplicamini,* dans eis gratiam fœcunditatis pro benedictione; quomodo ab hac benedictione aliena non est, quæ fœcunditatis expers est? Si fœcunditas benedictio est, quomodo sterilitas maledictio non est? Quid virginitate sterilius, quid infecundius, quid infructuosius? Nihil omnino. Sed ante virginem fœcundam. Nam virginitate fœcūda nihil fructuosius. Sanctimo-

Luc. 1.

Eccli. 10.

Quædā humilitas sub consilio &c.

Votum magna virtus est.

Deuter. 21. & Gal. 3. 1. Pet. 2. Psalm. 108.

Genes. 1.

nia autem virginitatis supra legem est, quam nulla lex in præceptum redegit, sed euangelica perfectio in consilio formauit, Domino dicente, *Qui potest capere, capiat*. Et Apostolo, *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Matth. 19.
1. Cor 7.

Huius itaq; virginis propositum nullum præcessit legis præceptum; nullum vt quibusdam videtur, de lege cõsilium, nullũ ex lege exẽplũ ꝙ de mulieribus magis accipiendũ quàm de viris.

Quidi viri cœlibes in veteri testamento.

Nam Elias & Ieremias & Daniel virginitatis castimoniam seruasse æstimantur. In mulieribus verò, vel ante legem, vel sub lege, exemplum seruatæ virginitatis, Deoque dicatæ, non occurrit.

Iudic. 11.

Nam quod filia Iephte duorum mensium inducias ad deplorãdam virginitatem suam impetrauit, variè interpretari potest. Quo enim animo id fecerit, scriptura non loquitur. Nam si causa deploratæ virginitatis hæc fuit, quod quasi sterilis sine fructu non esset semen relictura in Israël, à proposito sanctæ virginitatis longe est hæc mentis cogitatio, & lachrymarum profusio. Veruntamen altum quid, quidquid illud sit, quod nouit inspector cordis, cogitasse videtur, quæ patri suo dixerit,

Ibidem.

Pater mi, si aperuisti os tuum ad Deum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi vltione atq; vindicta de hostibus tuis. Vnde autem nostræ virgini, vt vel credere posset, virginitatem Deo placituram, quæ tam obnoxia esset maledictioni, quàm proxima sterilitati? At apud Isaïam legisse poterat.

Isai. 56.

Non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus. Poterat & illud.

Isai. 7.

Ecce virgo concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel. Cùm honor nominis, quod melius est filijs & filiabus, Eunuchis, id est virginibus repromiss⁹ sit, cùm saluator mundi de Virgine nasciturus prænutiatus sit, eodem spiritu, qui Prophetam hæc dicentem inspirauit, suggerentem cogitare potuit virgo diuinitus inspirata virginitatem Deo admodum gratam, admodum caram existere; cui honor Deum concipiendi in virgine paritura servatus sit. Quæquidem siue prophetę oraculo de merito virginitatis instructa, siue diuino instinctu tantùm inde interius edocta, virginitatem adamauit, virginitatem amplexa in odorem suauissimum Domino obtulit, & consecrauit, & maledictionis opprobrium contempsit. Sed virginitate hactenus sterili fœcunditatem accepit, pro maledictione contempta gratiã benedictionis inuenit. Erat alijs pro maledictione iniquitas in conceptu, dolor in partu, & in quibusdam sterilitas sine fructu. Hęc autem sine peccato concepit, sine dolore peperit, de virginitate fructum protulit. Et qualem fructum? Fructum vtique singularem, fructum pretiosiorem toto fructu coniugij. Quisnam est fructus coniugij, nisi tota Adæ posteritas, tota hæc filiorum hominum numerositas.? Nam qui de fornicatione nati sunt, de primis parentibus cõiugio copulatis propagati sunt. Totus autem fructus carnalis permixtionis prædamnatus est, vtpote de mala arbore natus, & de vitiosa radice corruptus; mala siquidem arbor malos fructus facit.

Matth. 7.
Luc. 6.

Quænam, inquis, est mala arbor? Concupiscentia vtique mala, concupiscentia carnis, quam sanè trahunt, quicumq; secundum legem carnis generantur, quicumque ex traduce peccati propagantur. Hæc est autem originale malum in nobis, malorum seminarium, & totius massæ corruptæ fermentum, & cõmunis damnationis initium & complementum. Huic originali malo tam noxio, tam mortifero, remediari oportuit per originale bonum, de statu primæ conditionis, post primam præuaricationem & vitiosam nascendi legem, in nascentibus adhuc reseruatum. Deus enim sententiam suam aduersus hominem peccatorem sic temperauit, vt natura vitio suo corrupta ex parte malũ sentiret, quod meruit; & ex parte bonũ recoleret, quod habuit. Propter peccatum itaque inobedientiæ, legem inobedientiæ, hoc est vitium cõcupiscentiæ, nascentibus inuexit vitiosa propagatio; & tamen aliquam incorruptionis integritatem in nascentibus retinet primitiua conditio.

Omnis homo nascitur virgo.

Omnes enim virgines nascuntur, & virginitas de vtero egressa ætatum incrementa comitatur, & floridæ incorruptionis gratiam retinet vsque ad corruptelam carnis, quæ motum concupiscentiæ non restringit, & integritatis nomen extinguit, & vernantis virginitatis florem corrumpit. Verũtamen quod in commixtione perdit maris fœminæque complexio, hoc in partu restituit natiuitatis origo. Virginitas autem omnium nascentium communis integritas, virtutis nomen & laudem in his potissimum habet, qui cũ integritate carnis seruant castitatem mentis.

Virginitas mentis.

Virginitas autem carnis sine castitate mentis, etsi non habeat ipsa in se criminis vituperium, non habet tamen veræ virtutis præconium. Virginitas autem huius benedictæ mulieris singularẽ habet virtutis laudem: quia singularem obtinet benedictionis gratiam, cui meritò dictum sit, *Benedicta tu in mulieribus.*

Maria pluribus modis benedicta.

Benedicta plane, primò quidem immunitate cõmunis maledictionis, deinde absolutione iustæ criminationis, postremò, quod maximum est, auersione debitæ damnationis. Cæteras quippe mulieres generalis maledictio, tam parientes quàm steriles inuoluit, cui per gratiam hæc exempta, in hoc quandam partem benedictionis obtinuit, quòd generali incommodo sola caruit, & immunis extitit. Hæc est, quam diximus, immunitas generalis maledictionis. Poterat vir peccator peccatũ aduersus mulierem causari, & dicere, per te, ô mulier maledicta, & meritò maledicenda, & ego maledictus sum: per te sum de paradiso eiectus, per te hæc & hæc bona perdidi, per te hæc & hæc mala reperi; væ tibi, quia per te factum est væ mihi. Ad hæc non poterat omnis mulier vnum respõdere verbum, ad hæc non poterat nisi confusione confundi, & conturbatione perturbari. Hinc totum genus mulierum potuit esse exosum, & publica exprobratione dignissimum. Et sic quidem erat ante huius virginis partum. Nunc autem longè aliter est. Habet enim mulier nunc quid respondeat: habet in beata virgine; quod huic exprobrationi opponat. Hæc est, quam diximus, absolutio iustæ criminationis, A qua quidem criminatione & hæc virgo libera extitit, & suo merito cæteras absoluit. Quæ quoniam Saluatorem mundi edidit, qui mortem destruxit, & debitam nobis damnationem auertit, totum ei post Deum debemus, quòd à maledicto liberati sumus; quòd omni benedictione spirituali in cœlestibus benedicti sumus, vt sicut ipsa est semper apud Deum benedicta, sic à nobis sit semper benedicenda.

Benedictus fructus ventris tui.

Hvic Angelicæ salutationi, qua per singulos dies beatissimam virginé, ea qua datur deuotione salutamus, adijcere solemus, *& benedictus fructus ventris tui.* Quam clausulam Elizabeth pòst à virgine salutata, quasi finem Angelicæ salutationis repetens adiecit dicens. *Benedicta tu inter mulieres , & benedictus fructus ventris tui.* Hic est fructus, de quo Isaïas dicit, *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.* Quis est hic fructus, nisi sanctus Israël, qui & ipse semen est Abrahæ, germen Domini, & flos ascendens de radice Iesse, fructus vitæ, quem cómunicauimus? Benedictus planè in semine, & benedictus in germine, benedictus in flore; benedictus in munere, benedictus denique in gratiarum actione & cófessione. Christus semen Abrahæ factus est ex semine David secundum carnem. Si autem virgo desponsata Ioseph de domo Dauid ipsa fuit semen David, cur non Christus piè credatur tunc factus ex semine Dauid, cùm factus fuit ex muliere, ex qua factus est sine semine, videlicet ex semine Dauid sine semine? Cur autem sine semine, nisi quòd virgo inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, miroque modo cócipiens, & à gignente non accipiens? Ipsa enim de se substantiam carnis ministrauit; nec est pollutus ex ea carnem assumens. Hic est ergo seminis benedictio, vbi nulla est peccati obligatio, vbi nulla est propagatæ vel contractæ iniquitatis origo. Forma servi assumpta sine códitione seruili, & peccati immunitas in nascente, gemina est libertas, liberaq; ingenuitas, qua solus liber est, qui reos absoluit, & liberos facit. Huic autem benedictioni quæ est immunitas culpæ, benedictio germinis adjungitur, quæ est plenitudo gratiæ, perfectæque iustitiæ. Solus enim inter homines consummatus inuenitur in omni bono, quia immunis extitit ab omni malo. Cui spiritus datus est non ad mésuram, vt solus possit implere omnem iustitiam. Omnis siquidem iustitia sanctorum huic comparata inuenitur minùs habens. Non est enim sanctus, vt est Dominus. Singulis sua iustitia vix sufficere potest. Huius autem iustitia sufficit vniversis gentibus, iuxta quod scriptum. *Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiã & laudem coram vniuersis gentibus.* Hoc est enim germen iustitiæ, quod benedictione auctum adornat flos gloriæ. At quantæ gloriæ? Quanta sublimior cogitari potest, imò quanta nullomodo cogitari potest. Flos enim ascendit de radice Iesse. Vsquequo? Vtique vsque ad summum, quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Eleuata est magnificétia ejus super cœlos; vt sit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Sed quis nobis fructus in hoc fructu? Quis nisi fructus benedictionis, de fructu benedicto? Ex hoc enim semine, germine, flore, fructus benedictionis prouenit: ad nos vsque peruenit: primò quidem quasi in semine per gratiã veniæ, deinde quasi in germine per incrementum iustitiæ, demum & in flore per spé vel adeptioné gloriæ. A Deo enim benedictus, & in Deo, hoc est, vt glorificetur Deus in illo; nobis quoq; benedictus est, vt ab eo benedicti glorificemur in illo, qui per repromissionem Abrahæ dictam, benedictionem omnium gentiũ dedit illi Deus; vt in munere benedictionis sit ipse nobis benedictus: & pro munere in gratiarum actione & confessione laudis à nobis semper benedicendus. Sit ergo benedictum nomen majestatis ejus in æternum; & repleatur majestate eius omnis terra: fiat, fiat.

Luc. 1. *Isaia 4.* *Matth. 1.* *1. Reg. 2.* *Isaia 61.*

TRACTATVS OCTAVVS.

De vulnere charitatis, quod sponsa infligit sponso.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum, & in vno crine colli tui. *Cant. 4.*

Mvltis modis commendat Deus charitatem suam erga nos, nunc rebus, nunc verbis, nunc beneficijs, nunc promissis: nunc blanditijs & persuasionibus verborum, nunc similitudinibus rerum. Similitudo autem sumitur de generibus & effectibus amoris nobis non incertis: vt mens nostra ex rebus sibi natis admonita semper illũ cogitet, qui totà mente diligendus est; cuj⁹ semper meminisse debet: & cùm amorem cogitat in his, quæ diligere, vel diligi, vel naturaliter vel socialiter, vel castè solent. Est enim naturalis amor, quo naturam sui generis diligunt non solũ homines, sed quæque animantia, quæ vim amoris in se sentiunt, & quodam instinctu naturæ legibus amoris consentiunt. Est & socialis amor, quo ex motu propriæ electionis socialiter conviuunt illis, cum quibus habitare consentiunt. Est & castus amor conjugium firmans & adornans. Amat igitur aquila volitans super pullos suos: amat & gallina congregans pullos suos sub alas, & præ amoris magnitudine infirmatur, plumis pariter & affectibus resoluta. Amat pater dulcissima pignora natos; & mater filij vteri sui obliuisci non potest; frater & soror dulcissima nomina necessitudinis, cùm vicissim dicuntur & audiuntur, mortuos suscitant amoris affectus. Par amicorum indissolubile jungit amicitiæ fœd⁹, sponsus & sponsa domesticas affectiones cognationis suæ pòstponũt, vt castis amplexibus & delicijs amoris inseruiãt. At his omnibus violétior est amor Christi, profundior, interior, acutior, penetrabilior, compassibilior, dulcior, firmior, feruétior; cui⁹ vim omnis amoris comparatio nec excedere potest, nec æquare, sed nec ad plenum exprimere. Non dedignatur tamen Christus aquilæ comparari vel gallinæ: in qua re commendatur miranda Christi charitas, mirandaque humilitas, vtriusque; admiranda suauitas. Pater est, cùm dicit. *Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis mea tu es.* Et illud. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Maternæ pietatis visceribus abũdantior, cùm dicit. *Quemadmodum mater consolatur filios suos; ita & ego consolabor vos.* Frater est, cum dicit. *Hortus conclusus soror mea.* Item *Ite ad fratres meos.* Amicus est, cùm dicit, *Tota pulchra es amica mea;* & cùm de illo dicitur. *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Sponsus est, cùm dicit. *Gaudebit sponsus super sponsam,*

Diuersa dilectionis genera. *Amor Christi in nos omnem alium superat.* *Ierem. 3.* *Ibidem* *Isaia 66.* *Cantic. 4.* *Matth. 28.* *Cantic. 4. & 5.* *Isaia 62*

& gaudebit super te Deus tuus. Et nunc frater & sponsus est, cùm dicit. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* Cùm sororem nominat, communionem indicat & naturæ & gratiæ. Hoc est enim commercium amoris. Accepit naturam, & communicauit gratiam. Cùm sponsam nominat, indicat fidem desponsationis, & sacramentum indissolubilis coniunctionis. Sed quæ soror dicitur & sponsa, cur vulnerasse dicitur cor fratris & sponsi? An & amor sua vulnera habet? Habet vtique. Sunt enim quædam vulnera salutifera, quædam mortifera. Quæ autem magis mortifera, quàm quæ pertulit ipse author mortis, vulneratus telo liuoris, & gladio doloris? De quo scriptum est. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Nec solus ille sic vulneratus est; sed per eum ceciderunt vulnerati multi. De his enim scriptum est. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius.* Salutifera autem sunt vulnera, quibus vulnerata est sponsa, vulnus amoris & vulnus doloris; & multo magis salutifera vulnera sponsi, vulnus item amoris, & vulnus doloris. De doloris vulnere dicit sponsa. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me.* De amoris vulnere eadem dicit. *Vulnerata charitate ego sum.* Et si licet in re tam sacra tam reuerenda, eximij Poëtæ opinionem in medium adducere, vt veritati seruiat, testis est ipse, quia amoris vulnus est, dicens, *At Regina graui iamdudum saucia cura, Vulnus alit venis, & cœco carpitur igni.* In Daniele quoque de duobus senibus iudicibus scriptum est. *Erant autem ambo vulnerati amore eius,* Susannæ videlicet. At hæc de amore non sancto. Sanctus verò amor ad vulnerandum longè est efficacior, longeque validior. Attendamus ergo, quomodo sponsus cor suum à sorore & sponsa vulneratum dicit; nec semel dicit, sed secundò, ingeminans, *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Nempe propter nimiam caritatem, qua nos dilexit, cùm essemus mortui peccatis, vitam nobis desiderauit, & sibi mortem. Hinc eius vulnera in cruce suspensi; hinc peccatorum nostrorum vulnera sunt sanata; hinc nobis salus est ministrata. Desideriũ ergo nostræ salutis, & pro nostra salute desiderium propriæ mortis, duo vulnera sunt, alterum amoris, alterum doloris: imò vtrumque amoris. Vtrumque enim desiderium de amore processit, quo præuenta est sponsa, vt sic diligentem prædilecta diligeret; & in omni veritate sancti amoris, sanctique timoris immaculatam se illi conseruaret. Nunc dicitur ipsa in vno oculorum & in vno crine colli cor sponsi vulnerasse: quasi illorum pulchritudine illectus sit ille ad amorem, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret: sed in horum pulchritudine apparet, quòd electa est ipsa per amorem. Ad hoc enim dirigebatur intentio amoris, vt pulchra fieret, quæ intantum diligeb[illegible], antequam pulchra fieret; vt præ amoris magnitudine cor suum vulneratũ dicat, intuitu eorum, quibus pulchra fieret. Mutuis quippe vulneribus sponsus & spõsa sese vulnerant: sed sponsus non nisi vulneratus vulnerat: sponsa verò & non vulnerata vulnerat. Sed quid sibi vult, quòd in tota pulchritudine sponsæ, quæ tota pulchra dicitur, non vulneratur, nisi in vno oculorum, & in vno crine colli? Qui totam amat, & totam laudat, genas & labia, vbera & iuncturam fœminum, cœteraque omnia, cur non in genis & labijs, cæterisq; sua pulchritudine mirandis; sed quasi amore captus, vnius oculi & vnius crinis pulchritudine vulneratur? An in his aliqua singularis gratia pulchritudinis prælucet, quæ præ cæteris illi placet? Profectò sic est. Ante omnia illi placent, propter quæ omnia illi placent. Quænam sunt illa? Puritas sancti amoris, & puritas sancti timoris. Hæc in vno oculorum, illa in vno crine colli intelligitur. In Zacharia Propheta de amphora vel impietate, quæ est cupiditas vel amor mundi, dicitur. *Hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Hic autem oculus terram respicit, & non cœlum; mũdum, non Deum, transitoria & non æterna; visibilia & non invisibilia: nec enim potest. Impurus est enim & obscurus. At amor Dei cùm perfectus est, & diuisus non est, oculus est simplex, purus, sua pulchritudine conspicuus, qui mira subtilitate conspicuus contemplatur, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Hic est aspectus Rachelis, quæ decora facie describitur, & venusto aspectu. Hic est oculus, quo videt Maria optimam partem, quam elegit, quæ non auferetur ab ea. Hic oculus solus non est, sed vnus oculorum est. Verè vnus, quia vni intentus vnum amat, vnum curat. Est & alius oculus sponsæ, quo non iam pulchritudinem sponsi cõtemplatur; sed in se descendens, magis nolens quàm volẽs, se videt egenam & miseram, multis necessitatibus & infirmitatibus expositã, non solum à suis, sed & alienis, tamquam suis. Hinc domestica cura quotidianæ necessitatis, hinc perturbatio mentis, & solicitudo cordis, & afflictio spiritus. Hinc mens per plura diuiditur, per multa distenditur: hinc Martha solicita est, & turbatur erga plurima. Propterea Martha nõ semel Martha est, sicut Maria semel Maria, quæ semel vnum elegit, quod porrò est necessarium, Sed Martha Martha solicita est, & turbata cura præsentium, & prouidentia futurorum. Necesse enim habet plurima videre, plurimaque prouidere, suis & suorum necessitatibus necessaria. Nec vndecumque potest, sed vnde licet, vnde honestissimè decet. Hic oculus terrena videns, quomodo potest puluere terrenæ cogitationis non aspergi, quomodo non turbari? Non ergo hic oculus est, cuius pulchritudine vulneratur sponsus, sed ille vnus oculorum, qui sponsum purè videt, & vt illi adhæreat, omnia abhorret. Si enim homo relinquit patrem & matrẽ, vt adhæreat vxori suæ, quantò rectiùs sponsa Christi omnia contemnenda relinquit, vt adhæreat spõso suo? Sed quo magis hæret, quàm oculo? Nam vbi amor, ibi oculus. Oculus autem, quia videre potest & videri, index & illex solet esse amoris. Nam sua pulchritudine amorem prouocat, & secreta significatione amorem nuntiat. Pulchritudine dico fideli & vera, non fucata & ficta. Nam quæ oculos pingit stibio, speciem quã non habet mentitur: & oculus intentionis qui mendacio roboratur, ante oculos Dei frustra fingitur. Non enim simulatis virtutibus delectatur, sed veritatem semper amat, cùm sit ipse veritas. Significatio quoque oculi & ipsa interdum fallit; sicut de quibusdã scriptum est. *Oderunt me gratis, annuunt oculis.* Verùm Deus non irridetur. Significatione oculus amorem conciliat, cùm in id ipsum crebrò vertitur, aut immobiliter figitur, aut sine fraude fingitur. Amat autem sponsus oculum se auertentem, & crebrò reuertentẽ. Sed miraris, quod dixi auertentem?

Quædam vulnera salutifera, quædã mortifera.

Psalm. 88.

Psalm. 87.

Cant. 5.

Virgilius.

Daniel. 13.

Cant. 4.

Quàm Deo placeat sanctus amor, & sanctus timor.

Zachar. 5.

Genes. 29.

Luc. 11.

Fucum odit Deus.

Psalm. 34.

tentem? Audi dicentem & ad sponsam. *Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* In excessu siquidem contemplationis dum inscrutabiliter quęritur inscrutabilis Deus, suprà quàm licet, bonum est oculos auertere, alioqui auolaturus est ipse, & dicturus. *Auerte oculos tuos.* Et per Sapientem admonebit. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Interdum autem oculum se auertentem non amat, sed reuertentem amat. Sæpe enim quis in tribulatione positus ad Deum clamat, ad Deum oculos leuat, & de tribulatione liberatus, & jam securitate resolutus aliorsum respicit, & à Domino oculum auertit. Sed mox virga disciplinæ à Domino percussus & castigatus respicit, & respici desiderat, dicēs. *Respice in me, & miserere mei* Hinc sæpe in vno eodemque psalmo scriptum est. *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, ipse verò sæpe liberauit eos.* Sæpe iusti de præsenti tribulatione visibiliter non liberantur; sicut de quibusdam scribitur. *Distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.* Sæpe præsentem consolationem intantum despiciunt, vt nec desiderent liberari. Sæpe autem & desiderant, sed non sperant, Deum de se meliùs prouidere confisi, vel fortè ad horam pusillanimitate pulsati: & dum pòst assiduas orationes non impetrāt quod instanter orant, spes eorum paulatim labascit & deficit; quasi nolit liberare, qui possit. Hinc quidam ait. *Oculi mei languerunt præ inopia.* Et item. *Defecerunt oculi mei, dùm spero in Deum meum.* Dum ergo spes deficit, oculus se auertit: dum spes resurgit; oculus recurrit. Hoc de spe temporalis consolationis vel liberationis dictum sit; quæ ex varijs causis vicissim nūc proficit, nunc deficit. At spes æternæ salutis non ita. Illa enim inter extrema pericula, inter varia tentationum genera, immobilis persistit. Hanc salutem nec licet non desiderare, nec vmquam desperare. Ille ergo oculus immobiliter figitur, vnde numquam auertitur. Ibi semper hæret; vbi numquam adhæret. Hinc Propheta. *Oculi mei semper ad Dominum.* Nec te moueat, quòd hi oculi dicuntur, quasi plures, cùm vno oculorum vulneretur cor sponsi. Vnus enim oculus est, quia vnus amor vni rei totus intentus. Sed vnius amoris variæ sunt affectiones, quibus multipliciter desiderando & sperādo ad vnum tenditur, vbi irreuocabiliter oculus figitur. Figitur autem oculus, cùm clandestino & quasi furtiuo aspectu non totum se aperiens, sed se recludens mysterium cogitationis solo loquitur nutu. Habet quippe sanctus amor nutus sibi accommodos, non illis similes, de quibus scriptum est, *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant*: sed mysticos & sancti pudoris conscios, quibus sponsa innuit & annuit sponso innuenti & annuenti. Nam ad illius nutum vult & non vult, sicut eam vult ipse vel velle, vel nolle. Innuit spōsus, cùm occultè suggerit, quid velit; annuit cùm supplicantis preces exaudit. Annuit sponsa, cùm præceptis Dei sibi impositis obedit. Innuit, cùm in occultis bonis suis per occultam intentionem quasi clanculum videt, à quo solo videri intendit. Innuit, cùm nutum desiderij sui in humilitate precum occultè & reuerenter exponit. Ne mireris, oculum fingi in significatione huius amoris, de quo nūc loquitur, cùm sanctus amor nihil fictū habeat. Nam fingere non semper simulatis aut mentientis, sed interdū cōponentis, aut formātis, est aut dissimulantis: quibus modis, componendo scilicet, aut formando, aut dissimulando, Deus fingere inuenitur & sentitur. Scriptum est enim quia *finxit se Iesus longius ire.* Et itē. *Qui finxit sigillatim corda eorum,* Et, *Qui finxit oculum non considerat?* Et ibidem. *Qui fingis laborem in præcepto.*

Cant. 6. / Eccli. 3. / Psalm. 24. / Psalm. 106. / Hebr. 11. / Psalm. 87. & 68. / Psalm. 34. / Isaïa 3. / Quid sit sponsam oculis annuere quid innuere. / Luc. 24. / Psalm. 32. & 93.

De vno oculorum, & vno crine colli.

VULNERASTI, *inquit, cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Et antè & pòst, vtrobique videt sponsus, quasi circumspiciens sponsam, quod sibi placet; & vtrobique vnitas commendatur; in vno scilicet oculorum, & in vno crine colli. Vnus autem crinis quomodo componatur, attende. In vertice vbi summitas capitis est, capilli in diuersa se vertunt, & alij descendunt ad frontem, alij ad occiduam capitis partem; alij hincinde ad aures & tempora. Et in mulieribus quæ comam nutrire solent, capilli compti, & ad pulchram æqualitatem decenter depexi, à vertice vsque ad frontem discriminantur; & hinc inde per aures ad collum & humeros reducuntur, vbi in vnum crinem colliguntur. Vnus quippe crinis ex multis capillis colligitur, & in vno nodo constringitur, ne capilli sine lege soluti, & vagi & sparsi, huc illuc q; defluant, & defluendo dedeceant. Hac arte se comunt & componunt, quæ cogitant quæ hujus mundi sunt, solicitæ quomodo placeant spectantibus. Sponsa quoque Christi vt oculis eius placeat, curam capillorum fucrum non negligit Non enim qualicumque crine delectatur. Nam scriptum est, *Confringet Deus capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Et Isaïas, *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Et post pauca, pro crispante crine caluitium interminantur. Et Apostolus. *Non in tortis crinibus.* Atècontrà religio & sanctificatio Nazareorū, & fortitudo Samsonis in capillis est. Subtiles igitur cogitationes sanctarum intentionum & affectionum, de vertice mentis, hoc est, de cognitione Dei, in quatuor partes diuiduntur, & pecti ne discretionis discriminantur. Aliæ sunt de bonis æternis, quæ ad frontē descendunt; aliæ de malis æternis, quæ retro respiciunt; aliæ de bonis vel malis temporalibus, quæ ad dexteram & ad sinistram hincinde se diuidunt. Hi capilli oculis sponsi placere probantur, quia dicit. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Et item scribitur. *Spiritussanctus disciplinæ effugiet fictum; & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Qui securitatē electis suis præstat dicens, *Capillus de capite vestro non peribit.* Omnes capilli eorum illi numerati sunt; quia cogitatio eorum apud altissimum. Omnes autem capilli sponsæ ad collum, vbi est iugum obedientiæ, rediguntur, & in vnum crinem nodo timoris constringuntur: quia in omnibus obedientia semper in timore Dei cogitanda est, sicut scriptum est. *Quæ præcipit Deus, hæc cogita semper.* Et item. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo.* Vnus itaque crinis in collo, vnitas est concordium cogitationum in jugo obedientiæ, quas timor Dei in vnum colligit, & indissolubiliter constringit. Hic est timor sanctus permanēs in sæculum sæculi: non quem charitas foras mittit, sed qui humilitatem seruat, & charitatem

Cantic. 4. / Psalm. 67. / Isaïa 3. / 1. Timo. 2. / Isaïa 1. / Sap. 1. / Luc. 21. / Eccli. 3. / Eccle. 12. / Vnus crinis quid sit.

confirmat. Hic timor quod sparsum est colligit, quod dissipatum est vnit, quod malum est expellit: quæ bona sunt nutrit, & nutrita custodit Hic denique cor mundum & immaculatum facit, & omni custodia seruare satagit. Prima custodia est, ne quid mali in opus exeat; secunda, ne sermo malus ex ore procedat; tertia, ne quid mali in corde remaneat, vnde aspectus sponsi offendi debeat. Hinc cor sponsi vulneratur, hinc sponsa laudatur: quia mulier timens Deum ipsa laudabitur. Sancti igitur nominis tui Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, Amen.

TRACTATVS NONVS.

De beatitudinibus Evangelicis, seu, de verbis Christi,

Matth. 5. *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* &c.

PROMISSIONES Dei variæ sunt & differentes, secũdum merita iustorum, & iustificationes eorum. Singulis enim iustificationibus sua competit retributio: & vnaquæq; virtus propriam habet laudem, propriamque mercedem, secundũ dignitatem ordinis sui, & qualitatem generis sui. Videant pauperes & lætentur. Videant, quæ sit pars eorum, qualis hæreditas; non terrena, non caduca, sed incontaminata, immarcessibilis, conseruata in cœlis. Videant & lætentur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ipsorum planè est, habendum & communicandum; hoc est, vt sibi habeant, & secum alios recipiant, secundũ hoc, quod scriptum est. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Recipiuntur hic pauperes in domibus reficiendi ad mensam eorum, sicut mendici & egeni, vt ex abundantia diuitũ inopia pauperum suppleatur. In regno cœlorũ à pauperibus recipiendi sunt diuites, vt ex abundantia pauperum egestas diuitũ suppleatur. Nõ enim sufficit eis iustitia sua ad obtinendum regnum cœlorum. Paupertas via est in cœlum. Hanc pro Christo alij amant, æmulatores paupertatis Christi; & istorum est regnum cœlorum. Alij non amant, sed patienter tolerant, & purgantur in camino paupertatis, vt probati ingrediantur in regnum cœlorum. Alij verò nec paupertatem sibi amant, nec tolerant, quibus non deest, vt egeant: sed pro Christo pauperes amãt, facilè tribuunt, communicant, & non sperant in incerto diuitiarum, sed thesaurizant sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam: & hi merito paupertatis intraturi sunt in regnum cœlorum: sed à pauperibus recipiendi, & pro consolatione pauperum felici commercio vicissitudinem recepturi. Sed si omnes boni ingressuri sunt regnum cœlorum, tum hi qui paupertatem amant, tum hi qui tolerant, tum etiam hi qui consolantur eam: quid sibi vult, quòd regnum omnibus communicandum, ijs solis repromittitur, qui voluntariã amplectuntur paupertatem; si soli tales pauperes spiritu iudicantur? Ad hæc facit differentiam, quòd non dicitur de eis, *Intrabunt in regnum cœlorum:* sed quod amplius videtur; *Ipsorum est regnum cœlorum.* Nã cùm omnes benedicti à Deo benedicendi percepturi sint regnum cœlorum, quod eis paratum est ab origine mundi, de omnibus quidẽ creditur, quòd intrabunt in regnũ cœlorum: de quibusdam tamen specialiter dicitur, *Talium est Regnum cœlorum.* Est & aliud, quod nos movere possit. Nam cùm cæteræ promissiones in hac serie Euangelicæ distributionis in futurũ differantur, hæc tamen promissio nulla dilatione suspenditur, sed quasi jam exhibita monstratur; vt magis videatur præsentis beneficij adeptio, quàm futuræ retributionis expectatio. Et de his qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, similis forma subjungitur. Nam & horum & illorum regnum cœlorum esse pronunciatur: quasi jam nunc reddita sit merces sine mora, sine impedimento, sine dilatione. At mites nondum dicuntur possidere terram; sed dicitur, *quia possidebunt terram:* & misericordes *misericordiam consequentur:* & qui lugent *consolabuntur:* & qui esuriunt iustitiam *saturabuntur:* & pacifici *filij Dei vocabuntur:* & mundi corde *Deum videbunt:* sed hæc omnia in futuro. Hujus autem diuersitatis aliqua ratio quærenda videtur Fortè istæ duæ iustificationes, prima scilicet & vltima, quarum merces non differtur, perfectorum sunt, qui in camino paupertatis, vel igne persecutionis examinantur, sicut examinatur argentum, & excoquuntur ad purum, qui ædificant super fundamentum aurum & argentum & lapides pretiosos: & hinc exeuntes, nec ligna, nec fœnum, nec stipulam secum portant, quæ in illis ardeant: sed mox vt hinc exierint, ad cœlũ conuolant, non dilati à regno: quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Sine his autem virtutibus, quibus purgantur, quæ infirma sunt cæterarum virtutum, (vniversæ enim iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ,) quicumque boni inueniuntur, ex aliqua parte ædificare videntur super fundamentum, ligna, fœnum, stipulam, quæ necesse est, vt in illis ardeant, saluandis quidem, sic tamen quasi per ignem. Nam & qui mundo corde sunt, quibus promittitur visio Dei, indigent tamen adhuc purgari. Quis enim gloriabitur castum se habere cor?

Luc. 16. — Paupertatẽ alij tolerant, alij juvant. — Matth. 25. — Cur pauperum dicatur in præsenti esse regnum cœlorum. — Isaiæ 64.

De Iustificationibus Martyrij.

DVo genera martyrij, alterum in carne, alterum in spiritu. His duabus iustificationibus consummari videntur, cæterarumque virtutum perfectio, cùm ad consummationẽ peruenerint, his merito adscribenda est; quia ex his perficiuntur; cùm necesse sit, omnes iustos vel in carne, vel in spiritu, pro Christo pati, vt perfectionis gloriam assequãtur. Pauperes autem spiritu qui sint, pleniùs intelligitur, si spiritus à spiritu discernatur. Occasionem facilioris intelligẽtiæ dat nobis Propheta, qui dicit. *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabuntur.* Et Apostolus, qui dicit. *Non accepimus spiritum hujus mundi; sed spiritum, qui à Deo est.* Spiritus hujus mundi non incongruè intelligitur princeps hujus mundi, de quo & in alio loco idem Apostolus dicit. *Cùm mortui essetis delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum*

Psalm. 33. — 1. Corint. 2. — Ephes. 2.

principem potestatis aëris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Hoc spiritu hujus mūdi cùm afflatur spirit⁹ hominis, mox & inflatur, & assimilatus ei à quo afflatur, potest & ipse dici spiritus huius mundi, cùm concupiscit ea quæ mundi sunt. Hic autem spiritus superbus est, & vanus, præsumptuosus, ambitiosus, alta semper sapiens, & humilia contemnens. At qui spiritu Dei aguntur, quantò magis eo afflantur, tantò minus inflantur, & tantò magis humiliantur: sicut pauperes spiritu, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Virtus itaque pauperum spiritu ex defectu spiritus & abundantia spiritus æstimanda est. Quantò enim minus habet quis de spiritu suo, tantò magis abundat in eo spiritus Dei: & quò ampliùs à spiritu suo deficit, eò abundantiùs secundum spiritū Dei proficit. Vnde si quæratur, secundùm quem spiritum pronuntientur pauperes spiritu, rectiùs videtur intelligi, secundùm spiritum Dei, qui pauperes facit, & ditat, humiliat, & sublevat. Nam quos facit pauperiores, hos facit & ditiores; & quos humiliores, hos facit sublimiores; non secundum altum elationis, sed secundum culmen perfectionis. Si cui tamen videtur quasi per priuationem dici, *Beati pauperes spiritu*, quasi minus habentes de spiritu, vel quasi deficientes à spiritu, suo videlicet, vel hujus mundi: sicut pauperes rebus dicuntur, qui substantiam rerum non habent: hoc sanæ doctrinæ non aduersatur, sed per interpretationem cum superiori sententia ad eandem ferè redit intelligentiam. Verumtamen prior sentētia præferenda videtur; quia humiles spiritu & pauperes spiritu, secundum eandem rationem dici conuenientiùs æstimantur. Humiles autem spiritu secūdum habitum dicuntur, & non secundum priuationem, hoc est secundum spiritum quē habent, & non secundum spiritum, quo carent. Quòd autem ij, qui secūdùm spiritum Dei proficiunt, à suo spiritu deficiant, ostendit Propheta, qui ad Deum loquitur, dicens. *Auferes spiritum eorū & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur.* Auster vices suas non peragit, dum à flatu suo aquilo non quiescit. Hic in sua lenitate non sibilat, dum in spiritu vehemēti aquilo perdurat. Propter quod scriptum est. *Surge aquilo, & veni auster.*

Pauperes spiritu qui sint.

Matth. 5.

Psalm. 103.

Cant. 4.

De spiritu hominis.

Tribus modis tumescit & detumescit spiritus hominis.

SPiritus autem hominis tribus modis tumescit & grandescit in se; & æquè tribus modis deficit & detumescit à se. Tumescit opinione vana, spe vana, cupiditate vana, tribus his omnibus vanis. Tumor enim & inflatio vanitas est, & qui tumet inanis est & vacuus, tam plenus nihilo, quàm plenus superbiæ vento. *De opinione falsa.* Tribus modis homo tumescit opinione vana, hoc est opinione falsâ. De superbia enim spiritus sui sibi credens, nunc de Deo falsa confingit, nūc de seipso superbè sentit, nunc aduersus proximū incertæ suspicionis, vel malæ cogitationis locum inuenit. De Deo quidem falsa opinio periculosissimè admittitur. Nam quæ Dei sunt occulta & arcana, ex incerto humanæ opinionis ventilare non licet; nec aliud de Deo credere, quàm ipse de se dignatus est reuelare. Ipse enim sibi testis est, & secretorum suorum conscios eatenus habere voluit, quatenus fidei conscientia se extendit, quæ de testimonijs Scripturarum adstruitur, & earum ratione subnixa, immobiliter statuitur & stabilitur. Scriptura enim sancta diuinitus inspirata est. In ea scripta est nobis forma fidei: quidquid vltra quæritur, non inuenitur. Omnis humana adinuētio, quæ pietati fidei, formæque præscriptæ obuiat, præsumptioni spiritus deputanda est. Nam spiritus præsumptionem siue inflationem sola curare potest humilitas fidei, quæ exsufflat, quicquid inspirauit spiritus superbiæ, qui Deo semper aduersatur, cui & Deus semper resistit, humilibus dans gratiam suam. Hæc autem humilitas fidei primas partes vendicat in virtute pauperum spiritu. Hæc dignam reuerentiam verbis dei exhibet; illis credula, illisque contenta. Quisquis perfectè hanc habet, non sibi credit, sed spiritum suū Deo credit, vt sit creditus cum Deo spiritus eius. Sed & Deus se illi credit, committens illi tamquā fideli suo mysteria consilij sui: & spiritus hominis à spiritu Dei per inspiratam gratiam informatur, vt fidelis sit credendo fideli Deo, qui fidelis est in omnibus verbis suis. Et dum de corde nostro omnes erroris impietates per spiritum Dei eliminantur, nihilque falsum vel indignum de Deo creditur, Spiritussanctus reddit testimoniū spiritui nostro, vt spiritus noster in hac parte nil in se retineat de se, sed sibi renuncians seque abnegans, deficiat à se: ne quid opinari præsumat de Deo, quasi à se. Omnis enim opinio hominis de Deo, sicut pia est, si à Deo est; ita pia non est, si ab homine est. Bonus itaque defectus spiritus est, cùm à sua opinione deficiens, nil circa Deum audet, cui non testimonium perhibeat in verbis Dei spirit⁹ Dei. Dicat ergo pauper spiritu, quoties meminerit Dei, & in hac meditatione delectatus fuerit, *Memor fui Dei, & delectatus sum: & defecit spiritus meus.*

Humilitas quàm necessaria.

Psalm. 76.

De opinione vana.

DE se superbè sentit homo, cùm bona quæ habet, vel habere videtur, sibi tribuit: & magnus in oculis suis, sese opinatur plus esse quā sit, & plus posse, quàm possit. Nihilominus de se superbè sentit, cùm malis quæ patitur, indignum se judicat: vel cùm mala quæ facit, dissimulat, vel excusat: vel etiam laudās, laudanda putat. Contra proximū superba opinione tumescit: cùm mala proximi in ira, sicut ex ira, grauiùs accusat, vel damnat: vel bona eius ex invidia diminuēdo extenuat. Tumor autem spiritus in iudicio sui, vel proximi, sicut malus: ita defect⁹ spiritus ab vtroque tumore, laudabilis est: & ad illos pertinet, qui per humilitatem spiritus Deo placent, & sibi displicent.

De spe vana.

SPe vana tumescit spirit⁹ hominis, cùm de iustitia sua nimis secur⁹, supra merita sua in expectatione supernæ retributionis spem extendit. A præsūptione spei in expectatione supernæ retributionis spiritus hominis deficere debet: non per vehementiā extremæ desperationis, nec per pusillanimitatem molestissimę trepidationis, sed per moderationem spe mixti temperatique timoris. Spes enim sine timore, vanæ securitatis est, timor sine spe, peruersæ desolationis est. Qui autē timore tristitiæ absorptus est, vt de salute desperet, vt se dignū pœna, & indignum misericordia judicet, & dicat, *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*; de hoc quæri potest, si superbus est, qualis sit superbia eius, quæ mentem non videtur in altum erigere, sed per nimiam dejectionem ad ima detrudere. Hoc autem auget quęstionem, ne dicatur superbus, quòd, sicut scriptum

Genes. 4.

Eccli. 10. est, *Initium omnis peccati superbia est.* Et de pusillanimitate spiritus similis quæstio suboritur: de
Psalm 54. qua Propheta dicit. *Expectabam eum, qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus, & tẽpestate.* Nam cùm desperatio vel pusillanimitas spiritus corruptio humilitatis esse videatur, nimiaque deiectio & immoderata depressio, mirum est, si quod elationi contrarium esse videtur, ad superbiam pertineat: vel si non pertinet, mirum æquè videtur, quomodo initium omnis peccati superbia dicatur. Sed quoniam nostri propositi non est hoc loco quæstiones ventilare, alijs relinquimus requirendum, vtrum talis desperatio vel pusillanimitas spiritus ad superbię peccatum pertineat, an tantum ad superbiæ pœnam. Nos autem ad pauperes spiritu accedamus, ad quos nec superbi pertinent, nec spiritu pusillanimes, nec desperati: sed distringendi sunt à superbis pusillanimes spiritu & desperati.

De spe vana atque superbia.

SPE vana æque superbit & tumet, qui in se cõfidit, hoc est in virtute sua, vel in sapientia, vel in eloquentia, vel in terrena substantia, vel in fama, vel in nobilitate sua, vel in hominum gratia, vel in quacumque causa: præterquam in solo Deo, qui solus liberare potest in tempore tribulationis: qui non relinquit sperantes in se; ad quem Propheta dicit, *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.* Et iterum. *Domine*
Psalm. 83. & 70. & 61. *spes mea à iuuentute mea.* Et iterum, *Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.* Spes autem cùm humiliter in Deo ponitur, non cõfundit; quia Deus veritas est, & neminem fallit. Maledict⁹ autem, qui cõfidit in homine, & qui ponit carnem bra-
Ierem. 17. chium suum. Homo autem interdum cùm potest liberare, non vult; interdum cùm vult, non potest. Deus autẽ sicut semper potest, ita & vult semper saluare sperantes in ipso, & non in se, nec superbè præsumentes de ipso, nec de se. Prophe-
Psalm. 48. ta dicit. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur; frater non redimet.* Ecce à gratia redẽptionis alieni sunt, qui in se confidunt, & de se præsumunt.

De mala vel bona securitate.

SVNT nonnulli vana spe securi, qui adijciunt peccatum super peccatum dicentes, Miserationes Domini multæ sunt: qui de Dei misericordia sibi blandientes, & quasi in ea spem ponentes, tantò sunt superbiores, quantò securiores. Vera autem securitas timor Domini est. Hic nẽpe timor magis securum facit, quàm tumidum: quo carentes, & misericordiam Dei sibi pollicẽtes ipsi se decipiunt, vt confundantur ab expectatione sua. Non enim securè peccantibus, sed Deum timẽtibus, & peccare cessantibus, misericordia repromittitur. Consulamus Scripturarum testimonia super hæc. Propheta dicit. *Se-*
Psalm. 102. *cundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Et, *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus ti-*
Psalm. 84. Luc. 1. *mentibus se.* Et in alio loco. *Prope timentes eum salutare ipsius.* Et beatissima mater misericordiæ. *Misericordia*, inquit, *ejus à progenie in progenies, timentibus eum.* Ecce quomodo conjunguntur timor Dei & misericordia Dei, vt sperari non debeat misericordia Dei sine timore Dei. Sicut enim periculosus est timor sine spe mittẽs in desperationem; sic perniciosa est spes sine timore pertrahens ad obstinationem. Propter quod in lege scriptum est. *Non accipies loco pignoris infe-* Deuter. 24.
riorem & superiorem molam. Superior quippe mola spes est, & inferior timor. Inter has cõmolitur, quidquid salubriter manditur. Altera autem sine altera inutilis est: & cùm loco pignoris accipitur, altera per se nec danti nec accipienti valet. Pignus autẽ pro securitate accipitur, quia securum facit. Pignus autem quale sit, Apostolus docet dicens. *Qui vnxit nos Deus, & signauit* 2. Corin. 1.
nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Hoc Ephes. 1.
ad Corinthios. Ad Ephesios autem sic. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Pignus ergo Spiritussanctus est, qui nobis veram securitatem præstat in conjunctione timoris & sanctæ spei. Nam sine timore vana est securitas, sine spe nulla est securitas: in his verò simul vera est securitas. Timor ergo Dei spem comprimere debet, vt detumescat à præsumptione sua; ne inanescat in vanitate sua, & cõfundatur ab expectatione sua. Consequens enim est, vt spiritus hominis orando & sperando in Deum proficiat: sic autem præsumptione spei in se à se deficiat, vt dicere possit cum Propheta.
Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Do- Psalm. 141.
minum deprecatus sum. Effundo in conspectu eius & 142.
orationem meam, & tribulationẽ meam ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiritum meum. Et illud. *Velociter exaudi me Domine; defecit spiritus meus.* Dilatio exauditionis Deo non cõceditur, sed velociter exaudire postulatur, cùm in timore Dei spiritus hominis deficit; vt omnino non speret in se, non in virtute sua, non in sapientia, non in arte vel calliditate sua, non in omni facultate sua; sed in solo Deo, & in eis quæ Dei sunt, quia Dei sunt. In bonis enim nostris, quia à Deo sunt, vt puta in fide & in operibus iustitiæ & misericordiæ, ita spes ponenda est post Deum, vt tota fiducia nostra à nobis abstrahatur, quamvis nostra sint bona; & in eum proijciatur, cuius ipsa sunt dona. Nam qui de donis Dei fiduciam in Deo ponendam ad se trahit, Deo iniuriam facit. Et quoniam auxilium inde solet inuocari, vnde & sperari, qui à se sperat auxiliũ, magis seipsum inuocat, quàm Deum. Propterea nondum dicere potest. *Velociter exaudi me Domine, defecit spi-* Psalm. 142.
ritus meus.

De cupiditate vel superbia.

CVpiditate vana grandescit animus duobus modis, amore scilicet vtendi vel habẽdi quę possidentur: vel desiderio possidendi quæ non habentur. Ipsum autem desiderium amor quidã est, Nam desiderare est quodam modo amare. Cupiditas autem est amor mundi, sicut charitas est amor Dei. Cupiditas quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; quærit autem sic. Nunc per amorem terrenæ possessionis, nunc per amorem lubricæ fluxæque voluptatis, nunc per amorem dominationis, nunc per amorem ambitiosi honoris, nunc per amorem admirationis, fauoris, & laudis. Hæc sunt, quæ cupiditas contra Deum superbè & insatiabiliter quærit. Hæc sũt, quæ charitas propter Deum nobiliter, & vt ita dixerim, suo superbiendi modo contemnit. Habet enim charitas, si fas est dicere, superbiam suam, qua ipsam superbiã, & quidquid cõtra Deũ superbum est, nobiliter cõtemnit. Hinc ad Apostolos dictum est. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis.* Deum propter Isaia. 61.
contemnenda contemnere, & plusquam Deum contemnenda diligere, vilis est superbia, & confusione

fusione digna. Gloriam autem mundi propter Deum contemnere, nobilis est superbia. Nobilior autem, si & ipsa confusio propter Christum inconfusibiliter contemnatur, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Meli⁹ est enim, dignitates & honores in hoc mūdo erubescere, quàm crucem Christi, quàm paupertatē Christi, quàm humilitatē Christi. *Qui erubuerit*, inquit, *me, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & sanctorum Angelorum.* Luc. 9. Non est seru⁹ maior Domino suo. Quæ non erubuit Christus pro nobis, non sunt erubescenda pro Christo à nobis. Qui pudore retinetur ab imitatione vel æmulatione humilitatis Christi, nonnihil adhuc de suo spiritu habet. Vanus est enim huiusmodi pudor, & quantum ab humilitate recedit, tātum & superbiæ accedit. Sancta autem paupertas magis æstimanda est ex humilitate animi, quàm ex tenuitate patrimonij. Pauperes spiritu magis dicendi sunt, qui non habent magnum sensum, quàm qui habent exiguum censum. Nam qui superbè sentiunt, etsi rebus inopes sunt, ad pauperes spiritu minùs pertinent, quàm illi, qui sic habent, vt sint quasi non habentes. Sancta itaque paupertas mundum & quæ mundi sunt cōtemnens, habitis & habendis & desiderio habendi renuntians, & ab omni præsumptione spirit⁹ sese temperans, Deo sic accepta est, vt dicat. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Deo sic amabilis est & cara, vt qui pauper est, Deo pro se solicito gloriari possit, & dicere, Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper; Dominus solicitus est mei.* Si omnes honores diuitum conferantur, quid hunc honorem æquare potest? Quis diuitum præsumere audeat, vt dicat, ego plen⁹ sum & opulentus, Dñs solicitus est mei? Diues sufficit ipse sibi, nec indigere sibi videtur, vt Dominus sui solicitudinē gerat. Vox pauperis & gloria pauperis hæc est. Psalm. 85. *Inclina Domine aurem tuā, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego* Si accesserit pauper quispiam ad hominem prædiuitem & præpotentem, & dicat, Inclina aurē tuam, & exaudi me; quis circumstantium hoc patienter ferat? Nonne ab omnibus exploditur & exsibilatur? Nonne ab ipso potente superbo oculo respicitur & despicitur? Nonne de ipsa domo contumeliosè extrudi & deturbari jubetur? Quis audeat dicere ad Dñm suum, Inclina aurem tuam? Quis hoc audeat ad dominum dominantium? Quis nisi pauper, & pauper spiritu? Ibidem. Ejus nempe vox est. *Lætifica animam serui tui: quoniam ad te Domine, animam meam leuaui.* Si saperet quæ sunt super terram, & non quæ sursū sunt, non diceret, ad te Domine animam meam leuaui. Pauperes ergo spiritu qui in imis cor suū non humiliant, sed ad cœlestia desiderant, suspirant & æstuant; hi animam suam ad Deum leuant. Ibi cum Christo abscondita est vita eorum. ibi est oculus & amor eorum, ibi cor & thesaur⁹ eorum. O felicem paupertatem, non solum in regno cœlorum, sed ipso regno cœlorum munerandam! O felicem paupertatem, quamvis mundo despicabilem, Deo tamen honorabilem! Parcet enim pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet; & honorabile nomen eorum corā illo. O infelices diuitias, perpetua egestate mutandas! O miseram felicitatem æterna calamitate compensandam! Luc. 16. Diues sepultus in inferno, & pauper in sinu Abrahæ requiescens, causam pauperis & divitis certa diffinitione decidunt. Cruciatur diues ardens & sitiens, & non accipit consolationem à paupere, quia pauperi non fecit consolationem; quia recepit bona in vita sua. Verumtamen ne desperent diuites: attendant, quia Abraham diues fuit, in cujus sinu Lazarus requieuit. Sic autem attendant ad Abrahā, vt diuitias habeant sicut Abraham, habeant ex justis causis, habeant ad vsus licitos, habeant ad gratiam hospitalitatis exhibendam, sicut Abraham. Denique habeant non sibi retinendas, sed pauperibus communicandas, à quibus recipiantur in æterna tabernacula. Salus enim diuitum gloria est pauperum. *Beati enim pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

PRomissiones Dei variæ sunt & differentes, secundum merita iustorum, & iustificationes eorū. Singulis enim iustificationibus sua competit retributio; & vnaquæque virtus propriā habet laudem, propriamque mercedem, secundū dignitatem ordinis sui, & qualitatē generis sui. Mitibus terra possidenda promittitur. Virtus mitiū mansuetudo est; vt verum sit, quod Propheta dicit. *Mansueti autem hæreditabunt terrā.* Psalm. 36. Si beati sunt mites, beati vtiq; sunt & mansueti. Audiant hoc mansueti, & lætentur. Audiant, quia nunc sunt, vel futuri sunt beati: audiant, & vnde beati. *Quoniā ipsi possidebunt terram* Sunt, qui pugnant & litigāt pro terra, homines immites premūt & mitibus imperant. Cur nō isti beati, quoniā possident terram? Imò quomodo beati, si deuorabit eos terra? O terra, terra, terra, quanta vanitate diligeris à filijs hominum, qui sumpti sunt de terra, consumendi sunt à terra; & ipsi quid sunt, nisi terra? *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem* Psalm. 4. hujus mundi; vbi non est nisi concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? Scitote quique terrigenæ, & filij hominum, quia non est nobis manēs hæreditas in terra, nisi gleba nostri corporis, quæ est terra de terra? Quid vult ergo sibi ista promissio, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrā?* Quid sibi vult, quòd mitib⁹ Deus terrā promittit, cùm alijs Regnū cœlorū promittat? Beati enim pauperes spiritu, *quoniā ipsorum est regnum cœlorum.* Quid terram promittit, qui terram monet contemnere? Nonne omnibus justis cœlum repromittitur, & peccatoribus pœnitentiam agētibus? Propter quod scriptum est. *Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Mat. 3. & 4. Nonne omnibus qui ad dexteram collocandi sunt, dicetur in fine, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi?* Matth. 25. Numquid igitur virtus mitium huius mediocritatis est, meritique tam tenuis, vt merces ei in terra constituatur? At laudem eius, quanta sit, audiamus Mansuetudinis discendæ exemplum Dominus in seipso proponit dicens. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11. Et vbi requiescat spiritus eius

Isaia. 66. ostendit dicens. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Si ergo spiritus Dei requiescit super mansuetos, vt in eo & ipsi requiescant, tamquam inuenientes requiem animabus suis; magis magisque mouere nos potest, cur virtuti tantæ laudis meritique tanti terra à Domino repromittatur: qui arguit pro mansuetis terræ; qui dirigit mansuetos in iudicio, & docet mites vias suas: qui exurget in iudicio, vt saluos faciat omnes mansuetos terræ?

Quòd exire debeamus de Vr Chaldeorum.

Abrahæ, cui datæ sunt promissiones, Dominus terram repromisit, dicens *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis tuæ.* Psalm. 104. Quē vt duceret in terram quam pollicitus est ei, eduxit priùs de terra in qua habitare cōsueuerat, dicens. Genes. 12. *Exi de terra tua, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Eduxit eum de terra Chaldæorum, de loco natiuitatis suæ. Quo exemplo monemur & nos exire de Vr Chaldæorum, de incendio videlicet vitiorum; de loco captiuitatis nostræ. Caro enim nostra in peccato concepta, & peccato obnoxia, terra Chaldæorum est, & locus natiuitatis nostræ. Et nos quidem, quia Christi sumus, semen Abrahæ sumus. Nam qui sunt secundum spiritum, hi reputantur in semine, sicut filij promissionis, cum Isaac, qui per repromissionem natus est. Habitat autem Abraham, sed in semine suo, in terra promissionis, eiectis inde Chananæis à filijs Israël. Et illi quidem non in gladio suo possederunt terram; sed Dominus eiecit à facie eorum gentes; & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis: Psalm. 77. & habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.

De triplici statu carnis nostræ.

Terra Chaldæorum, & terra Chanaan, terraque promissionis, triplicem statum nostræ carnis designant. *Triplex status carnis nostræ.* Nam ante propositum cōuersionis terra Chaldeorum est caro nostra: vnde iubetur Abraham exire. In initio conuersionis vitijs nondum subjugatis terra est Chanaan, à Chananæis adhuc possessa, quibus bellum indicitur à filijs Israël. Terra promissionis est à filijs Israël jam possessa; quando vitijs exclusis vsu disciplinæ castigata est caro; & castigata, vt non regnet peccatum in mortali corpore. Caro in seruitutem redacta & spiritui subdita, caro non exhibens membra sua arma iniquitati ad iniquitatem; sed exhibens membra sua arma justitiæ in sanctificationem. Caro hęc terra est quondam Chanaan, non jam à Chananæis possessa, sed exclusis carnalibus desiderijs jam à filijs Israël expurgata & possessa. Etiam Chananæus etsi rarus, habitat ibi, non tamen dominatur. *Liberum est non consentire carnali affectui.* Carnalis enim affectus reprimi potest, ne ei consentiatur. Hæc autem terra quondam terra Chanaan, longè distat à terra Chaldæorum. Chaldæi manent in terra sua, & non eijciuntur à semine Abrahæ, sed jubetur Abraham illinc exire. Sunt enim quidam, quibus Ioan. 8. dicitur, *Moriemini in peccato vestro.* Hi sunt qui habitant in terra Chaldeorum, de quorum medio exit Abraham, vt eijciat Chananæum, & possideat terram lacte & melle manantem. Vide, an fortè hæc sit terra, quæ mitibus repromittitur possidenda. Virtutis initium mansuetudo est. Sed attende, quòd alia est mansuetudo hominis ad seipsum, alia ad proximum, & alia ad Deum. Quæ primò ponitur, primò consideretur.

De mansuetudine hominis ad seipsum.

Svnt enim in homine tria hæc, caro, volūtas, & ratio. Carnem autem nunc eam dixerim, quæ concupiscit aduersus spiritum: ad quam pertinent non solum vitia carnis, sed & animæ vitia, de quibus Apostolus dicit. Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his simila.* Vides, quàm multa enumeret animi vitia, vt iram & inuidiam; quàm multa vitia carnis, & omnia dicit opera carnis; haud dubium, quin illius carnis quæ concupiscit aduersus spiritum. Caro itaque hic dicitur, quod in nobis irrationabiliter appetit. Inter hanc carnem & rationem media constituta est voluntas; tunc rectè media, cùm rationi cōcordat, habens rationē supra se, sibiq; imperātem; & carnem sub se, sibique seruientem. Quòd si carni concordat, & à ratione discordat, jam sub carne est, non carni dominans, sed turpi & miserabili seruitute præter morem dominæ ancillæ suæ seruiens. *Quādo voluntas subijciatur carni.* Cumque caro & voluntas inter se consentiunt, & à ratione dissentiunt, voluntas ipsa quasi indomita & immansueta iugum obedientiæ detrectat, nec mansuescit imperio, nec acquiescit consilio, nec mitescit blandimento. Sed sicut mulier procax & contentiosa, contra rationem nunc pugnat, nunc litigat, nunc murmurat; & non est pax in domo, in qua habitat. Quisquis autem secundum carnem ambulat, passionibus carnis seruiens, cùm dominatur peccatum in mortali corpore, cùm in regno peccati scribitur lex peccati, vt ei subijciatur servus peccati; numquid hic terram corporis sui possidet, aut terram cordis sui? Nonne magis possidetur à terra, nullam habens libertatem qua se liberet, qua se expediat, qua excutiat quod premit & aggrauat? Obrutus est enim à terra, & quasi sepultus in terra, inter dormientes in sepulchris, quorum Deus non est memor ampliùs, nisi fortè respexerit, qui facit terram tremere. Ratio enim à voluntate derelicta, sola quid potest, quia sola est? Væ enim soli. Et si à facie Domini mota fuerit terra, vt voluntas excitata resurgere possit, cùm cœperit rationi concordare, restituitur suo ordini, suæ libertati, suæ paci, & ita sibi. Ordini quidem restituitur, quia suo superiori subdita, & suo inferiori jam prælata, ibi se per gratiam inuenit, vnde per culpam sponte recessit. Libertati restituitur, cùm hinc obedientiam suscipiens, & exhibere volens, hinc obedientiam imponens, & jam quasi quodam iure exigens; non se mouet secundum carnem, sed secundum se mo-

bet carnem, & membra perurget ad obsequium suum in ministerio pietatis & salutis, in operib⁹ iustitiæ & misericordiæ, in omnibus adimplendis, exequendis, & perferendis, quæ authoritas rationis ipsa voluntate consentiente vel facienda vel tolerãda decreuerit. Quòd si membra secundum carnẽ mouere se cœperint, voluntas rationi consentanea sua libertate vtẽs obsistit, ne ꝑmoueantur, imperatq; eis, vt in se cõquiescant, & pacem habeant: & jam incipit terra possideri; quia animus humilis est & quietus, mitis & mãsuetus, consentiens se à ratione possideri, vt terram possideat, & in ea potestatẽ habeat. Hæc possessio terræ quasi quædam merces est mansuetudinis. Et qui secundum dictum modum mansueti sunt, incipiunt paci sibique restitui, & in pace sua beatificari, quia pax hominibus bonæ voluntatis.

Homo rediens ad cor, redditur sibi

Homo quidem primùm à ratione discordans, & quasi à se recedens, cœpit possessione terræ suæ destitui, & in se exulare: quasi extra se, & quasi in terra aliena, & in terra obliuionis, in regione dissimilitudinis. Post præuaricationem rediens ad cor, inuenit se apud se; & ne careat se, ipse sibi redditur, & quasi in Iubeleo anno possessio ei restituitur, vt requiescat sub vite sua, & sub ficulnea, & in pace terram possideat, quia mitis est.

Matth. 26.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hæc terra promissionis, terra quondam Chanaan, quam pollicitus est Deus Abrahæ, dum adhuc degeret in terra Chaldeorum, in terra aliena, vbi non cantatur canticum Domini, nec hymnus de canticis Sion. Hæc est terra sancta, vbi secundum spirituales sensus & affectus habitat semen Abrahæ templum Domini, quo adoratur & colitur Deus: propter quod Apostolus dicit.

1. Corint. 6. & 3.

An nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritussancti? Et iterum. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Hæc terra nondum plenè possidetur, quia nondum plena mansuetudo in nostra voluntate inuenitur. In nonnullis enim rationi reluctamur; & caro nobis in nonnullis reluctatur. Qualia facimus contra rationem, talia sentimus per carnem. Verũtamen voluntas ex parte rationi subjecta, ex parte habet sibi carnem subiectam: & ex parte tamẽ contradicentem & oblatrantem.

Motus indisciplinati sũt velut latrat⁹ canis, & nobis vtiles.

Sic sunt enim indisciplinati motus in corde vel in corpore nostro, sicut latratus canis, qui molestus est viatoribus magis latratu quàm morsu. Latratus quidem molesti sunt, & suspecti, sed morsus noxij: & latratus valent ad custodiam & cautelam; nã interdum pro nobis latrant, & non semper contra nos; Deo ita dispensante, vt cautè ambulem⁹, vt ad vigilandum excitemur, ne vnquam per securitatem obdormiamus in morte. Quod si canes latrant circa domum, numquid non ideo in pace possidetur domus? Et si contradictio aliqua est in carne nostra, non solum rationi, sed & nostræ voluntati contraria, nũquid non ideo possidemus terram? Imò possidemus, nondum omnino vt volumus, sed vt pro tempore possumus. Et in regno patris latrunculi inueniuntur, sed deprehensi aut suspenduntur, aut alijs supplicijs addicuntur; vt per judicium & iustitiam sua pace regnum stabiliatur. Sine justitia enim non est pax in regno, non est pax in domo, non est pax in corde nostro, non est pax in carne nostra, non est pax in terra nostra. Iusti enim hæreditabunt terram. Si in iustitia possidetur terra, possidetur & in pace; nec sine iustitia possidetur in pace. Propter quod scriptum est. *Iustitia & pax osculatæ sunt.*

Psalm. 84.

Hæc terra quæ nondum planè possidetur, & tamen aliquo modo possidetur, tunc planè possidebitur, cùm tota corruptione carnis per gloriam resurrectionis absumpta in nullo reluctabitur vel voluntas rationi, vel caro voluntati. Erit hoc, cùm totum semen Chanaan de terra exterminabitur, cùm omnis maledictio Chanaan à nobis auferetur. Maledictus est enim Chanaan, & seruituti subjectus: sed ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et tunc mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et qui nunc sperant in Domino, & faciunt bonitatem, tunc inhabitabunt eam, & pascentur in diuitijs ejus. Terra nimirum prædiues erit & opulenta, fluens lacte & melle, vtpote aliena ab omni malo pro mercede prioris obedientiæ. Virtus siquidem mansuetudinis hominis ad seipsum, ex patientia constat & obedientia, tum voluntatis ad rationem, tum carnis ad voluntatem. Ratio enim mansuetæ voluntati, & hæc mansuetæ & edomitæ carni, nunc quædam dura imponit toleranda, & est ibi virtus patientiæ; quia patienter tolerantur; nunc aliqua bona facienda iniungit, & est ibi virtus obedientiæ, quia humiliter efficiuntur. Erit ergo lac consolationis per immunitatem mali merces patientiæ: eritque mel per plenitudinem omnis boni merces obedientiæ.

De mansuetudine hominis ad proximum.

Beati mites quoniam ipsi hæreditabũt terram.

Terra promissionis quatuor modis sumi potest.

MITIBVS terra promittitur, terra certè promissionis. Terra autem promissionis per significationem quatuor modis accipiẽda videtur. Primùm quidem quoad vniuersitatem fidelium terra promissionis est multitudo fidelium, in iustitia fidei & obedientiæ, in qua Abraham placuit Deo, per totum mundum collecta, & in sinu Abrahæ in fine colligenda. Hinc Abrahæ, iuxta Apostolũ, repromissum est, vt hæres esset mundi, quia multarum gentium Pater futurus.

Rom. 4.

Secundum propriam spem singulorũ terra promissionis est in singulis terra cordis & corporis sui, vnicuique in possessionem data, per mansuetudinem in pace possidenda. Tertiò quoq; promissionis terra est terra viuentium, vbi societas est beatorum, vbi nemo moritur, vbi est Ierusalem illa, quæ ædificatur vt ciuitas, cujus participatio eius in id ipsum: non pertransibit per eam incircũcisus & immundus: Chananæi non habitant ibi; hinc exclusi sunt maligni spiritus, non est eis pars neque sors in terra sanctorum. Possessio huius terræ mansuetis promittitur: quia beatæ societatis participatio mansuetudine acquiritur. Omnis quippe sancta societas pace stabilitur: pax verò sine mansuetudine non retinetur. Sicut enim iumentum inquietum in iunctura non trahit, sed turbat; sic immansuetus in cõgregatione bonorum pacem turbat, fœdus amicitiæ rumpit, vincula societatis soluit, proximo detrahit, aduersus proximum opprobrium accipit; nunc pugnat, nunc litigat, nunc murmurat, nunc in disceptationibus cogitationum & suspicionibus de alijs iudicat, sicut iuvencus indomit⁹ & ceruicosus iugum detrectat: mens eius præceps ad iram, oculus ad inuidiam, lingua ad cõtumeliam; nec socialiter viuit: sæpe à communione societatis studij sui singularitate se disiungit; sibi perniciosus, alijs inquietus, negotium

communis salutis suo exemplo non adiuuat, sed
vnitatem dissipat: & sicut prauus socius cōmu-
niter impedit cōmune opus. Virtus autem man-
suetudinis sicut ab omnibus his malis semper est
aliena, ita paci familiaris semper est, & amica.
Huius autem virtutis proprium est, iniuriam nec
inferre nec referre; hoc est, non gratis nocere,
nec vindictam expetere: hoc est, nec inimicum
Psalm. 8. esse, nec vltorem. Ambo autem, & inimicus &
vltor, inimici Dei sunt: quos destruet ipse, vt ex
ore infantium & lactentium perficiat laudem
ꝓpter inimicos suos. Qui sunt lactentes & infan-
tes, nisi parui, humiles, simplices, mites, mansue-
ti, patientes, & non vincentes in malo bonum,
sed vincentes in bono malum? Infans verba nō
promit, lactens lac sugit. Audi tamen infantem
Psalm. 38. loquentem. *Posui ori meo custodiam, cùm consi-
steret peccator aduersum me.* Si maledicitur, non
maledicit; si percutitur, non comminatur. Mu-
tus est enim ad iniuriam, & dicit. Factus sum si-
cut homo non audiens, & non habens in ore suo
1. Petri 2. redargutiones. Lactentibus verò dicitur. *Depo-
nētes omnem malitiam, & omnem dolum, & simu-
lationes, & omnes detractiones: sicut modo geniti in-
fantes rationabiles lac concupiscite, vt in eo crescatis
in salutem.* In his enim beneplacitum est Domi-
no, & exaltabit mansuetos in salutem. Nonne
rectè terra viuentium est, vbi beatissima societas
electorū promittitur mansuetis; qui in præsenti
societate bonorum per innocentiam & patien-
tiam socialiter viuunt, seruātes vnitatem in vni-
culo pacis? Digna merces mansuetis quieta hu-
jus possessio terræ, vbi beata societas pace firma-
tur, quæ sine mansuetudine nō retinetur. Prop-
Psalm. 121. ter quod Propheta ad Deum dicit. *Fiat pax in
virtute tua.* Quam virtutem, Domine, quam re-
ctius dixerim, quàm eam, cuius exemplum in te-
Matth. 11. ipso proponis, dicens, *Discite à me, quia mitis
sum, & humilis corde?* In mansuetudine itaque
fit pax, & retinetur pax, vt in patientia primò
possideamus animas nostras, mox transferendi
ad regnum pacis, vbi quies æterna præparata est
quietis, & abundantia in turribus tuis, Domine,
tamquam in parvulis & humilibus. Si copiam
lactis & mellis quærimus, acceleremus gressus
nostros ad terram hanc. Audiuimus enim quod
regio ista lactis sit & mellis abundans, vtpote
aliena ab omni malo pro mercede prioris inno-
centiæ, & plena omni bono pro mercede prioris
patientiæ. Mansuetudo nempe hominis ad ꝓxi-
mū ex innocentia cōstat & patiētia; eritq; merces
patientiæ sicut mel, per omnem abūdantiā boni.

De mansuetudine hominis ad Deum.

SI iuxta quartum modū terra promissionis in
Christo, qui est finis promissionū, intelligim⁹,
quærentibus quomodo semen Chanaan habita-
uerit in terra illa, difficile videbitur respondere.
Nam quem locum inueniet maledictio, vbi ha-
bitat gratiæ plenitudo? Christus enim ex Maria
virgine de Spiritu sancto conceptus, à peccato-
ribus segregatus, excelsior cœlis factus, sicut ple-
nus fuit omni gratia, ita liber ab omni culpa. At
tamen pius inuestigator sibi fortè fideliter satis-
facere possit, si secum non contendat, sed piè at-
tendat vnitatem capitis & corporis Christi, &
mortalitatis nostræ conditionē in Christo. Nam
quia caput nostrum esse voluit, vt dilectis altius
commendaret charitatem, qua nos arctius tam-
quam membra sibi coniunxit, propter vnitatem
ineffabilem nos in se transfigurans, causam no-
stram agit apud Patrem, & dicit. *Quare me dere-* *Psalm. 21.*
*liquisti? Longè à salute mea verba delictorum meo-
rum.* Tamquam sua dicit nostra delicta, & nobis
imputāda, sed ab illo nobis non reputanda. No-
stra quidem erant, & ab ipso aliena, qui non ha-
buit conscientiam propriæ iniquitatis, & com-
passionem sensit alienæ calamitatis, vt nos recō-
ciliaret Deo; qui non nouerat peccatum, pro
nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia
Dei in illo. Christus nos redemit de maledicto
legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptū
est. *Maledictus homo, qui pendet in ligno.* Male- *Deute. 21.*
dictio autem iam finem accepit, quia Christ⁹ re- *Galat. 3.*
surgens ex mortuis iam non moritur, mors illi *Rom. 6.*
vltra non dominabitur. Tenemus ergo terram
promissionis, non terram à Dan vsque Bersabee,
non à flumine magno Eufrate vsque ad fluuium
Ægypti; non à mari vsque ad mare, & à flumine
vsque ad terminos orbis terrarum. Sed promis-
siones Abrahæ dictas intelligim⁹ in Christo esse
completas, cum Propheta dicēte. *Dominus pars* *Psalm. 15.*
*hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæ-
reditatē meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præ-
claris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Be-
nedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.*
In Christo ergo est hæreditas nostra, & portio
nostra, & secundum dispensationem naturæ pro
nobis susceptæ ibi est terra promissionis; terra,
de qua dictū est. *Benedixisti Domine terram tuā:* *Psalm. 84.*
& de qua iterum scriptum est. *Vt inhabitet gloria
in terra nostra, misericordia & veritas obuiauerunt
sibi.* Vt mansuetis Dominus daret terram hanc,
ipse qui sedet super Cherubim, venit mansue-
tus, sedens super asinum omni obedientia & pa-
tientia mansuetum: in quo Deus posuit & pro-
posuit nobis exemplum mansuetudinis; vt in o-
bedientia & patientia Christum sessorem & nos
portemus, mansueti mansuetum. O cōfusio no-
bis, ô pudor! Subiugale mutum corripit insipi-
entiam nostram; & magister mansuetudinis asi- *Asinus man-*
nus nobis constituitur: vt ab animali stolido sa- *suetudinem*
pientiam doceamur ipsi stolidiores. Væ nobis, *docet homi-*
quia sic aberrauimus, quia sic infatuati sumus in *nes.*
insipientia nostra. Et vnde hoc homini, nisi *Psalm. 48.*
quia in honore positus non intellexit: compara-
tus est iumentis insipientibus, & similis fact⁹ est
illis? Vtinam hoc exemplo salubriter confunda-
mur, ne de nobis dicatur, *Cognouit bos possessorē* *Isaie. 1.*
*suum: & asinus præsepe Domini sui. Israël autem me
nō cognouit.* Exhibeam⁹ ergo nos māsuetos Deo:
nam suscipiens mansuetos Dominus, nos sub iu-
go & sub onere suo sibi mansuescere per obedi-
entiam & per patientiam & præcipit & consulit.
In his autem duabus virtutibus, obedientia vi-
delicet & patientia, mansuetudo exhibetur, illa *Obedientia*
quæ est ad Deum. Obedientia implet, quæ no- *& patientia*
bis mandantur facienda; patientia sustinet, quæ *mansuetudi-*
à Deo imponuntur nobis toleranda. Obedien- *nem compo-*
tia non recalcitrat, patientia non murmurat. O- *nunt.*
bedientia assistit in præceptis: patientia persistit
in iudicijs. Obedientia iugum est sine iugo; quia
seruitutem eximit, & libertatē restituit. Patien-
tia onus est sine onere; non enim onerat, sed re-
leuat. Quidquid enim graue est impatientibus,
per patientiam releuatur: in qua quasi in spiri-
tuali vehiculo omnia onera faciliùs portantur.
Et sicut numerositas plumarum & pennarum
auem quasi onerat, & tamen in altum leuat; sic
patientia tribulationem sursum erigit, non de-
orsum premit. Qui autem sub iugo & onere

Christi mansuescunt, Deum mansuetum habent etiam in ira sua, qua hic corripit delinquentes, ne grauiùs iudicentur. Hinc scriptum est. Psalm. 89. *Superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Per has itaque virtutes, obedientiam dico & patientiam, mansuetus sessor Christus à mansuetis portatur & sustinetur. Qua mercede? Sustinentes autem Dominnm, ipsi hæreditabunt terram. Terram vtiq; lacte & melle manantẽ; vbi Christus Deus & homo videbitur in gloria sua: dulciter & jucundè in gloria glorificatæ humanitatis; dulciùs & iucundiùs, in gloria gloriosæ diuinitatis. Hanc tunc gloriam speculãtes lacte & melle redundabunt: fluent enim riui & lactis & mellis vsque ad eos. Nam quomodo peruenirent ad eos, nisi fluerent? Quidquid eos delectabit in cõtemplata specie diuinitatis, summæ pulchritudinis, summæque dulcedinis, dulce erit sicut mel. Tunc vnicuique dicetur. Prouer. 25. *Mel inuenisti, comede quod satis est.* Ibi enim plena erit satietas, cùm de torrente voluptatis replebuntur vasa misericordiæ; cùm seruo dicetur, Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui,* vt gaudio circumfusꝰ, quocumque se vertat, in gaudio se inueniat, & gaudium circa se inueniat, & dicat. Eccli. 24. *Hereditas mea super mel & fauum.* Tunc bonum erit ei mel, qui multum comederit, & contemplator majestatis non opprimetur à gloria. Interim verò non est bonum ei qui multum comedit: quia scrutator majestatis opprimetur à gloria. Psalm. 16. *Satiabor,* ait Propheta, *cùm apparuerit gloria tua.* Sed vnde satiabuntur, qui satiandi sunt? Si melle satiabuntur, vnde fluet mel? Psalm. 80. *De petra,* inquit, *melle satiauit eos. Petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. Mel, vt aiunt, colligitur de floribus cœlesti rore perfusis, propter quod secundum quosdam dicuntur roscida mella, quasi de rore cadente collecta. Hinc & Poëta dixit. Virgilius. *Protinus aërij mellis cœlestia dona:* siue dulcescat ros in floribus, siue flores ex rore, siue vicissim. Vtinam nos flores simus, de illis, quibꝰ dicitur. Eccli. 39. *Florete flores.* Et de quibꝰ dicitur, Cant. 2. *Fulcite me floribus;* & dulcescat in nobis, & nos in illo, ros Hermõ, qui descendit in montem Sion: & conficiatur in nobis mel, quale inuenitur in terra promissionis; quo nunc prægustato, & pòst pleniùs prægustãdo, gustantes & videntes, quoniã suauis est Dominus, experti dicamus. Psalm. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te.* Non solum mel abundat in terra promissionis, abundat & lac. Habet autem lac sementinam carnis originem, quo mater parvulos consolatur & alit ad vitam, qui sine lacte non haberent vitã. Ad hoc autem verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt potemur à lacte, & satiemur ab vberibus consolationis ejus. Propter quod dicitur, Isaiæ. 66. *Quemadmodum mater consolatur filios suos; ita ego consolabor vos: & in Ierusalem consolabimini.* In illa nempe Ierusalem cœlesti, vbi est visio pacis, ibi est lac consolationis. Quicquid enim delectabit manifestata gloria hominis Dei in Deo, blandietur intuentibus, & erit sicut lac, vnde alantur ad vitam, & sine quo non haberent vitã illam, de qua dicit ad patrem, ipse qui est vita. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17.

Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Sapientia Dei, & sapientia huius mundi, circa rerum æstimationem iudicia sua variant: & momenta rerũ ad vnius stateræ momentum non ponderãt. Sapientia enim mundi ea magni æstimat, quæ sapientia Dei abijcienda & contemnenda reputat. *Sapientia mundi diuinæ cõtraria est.* Mundi quoque sapientia suo iudicio reprobat, quæ Dei sapiẽtia pretiosa & magna iudicat. Dei sapiẽtia dicit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 6. Mundi sapientia dicit. Beati diuites: quia nunc dominãtur in orbe terrarũ. Sapientia Dei dicit. *Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram.* Mundi sapiẽtia dicit. Beati bellatores & immites: quoniam ipsi possident terram. Sapientia Dei dicit. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sapientia mundi dicit. Beati qui rident, quoniam ipsi jam nunc consolantur. Sapientia mundi diuitias & risum & gaudium præsentis vitæ probat & laudat & amat: quia præsentem afferunt consolationem: paupertatem & luctum odit & damnat, quia præsentem desolationem habent. Dei sapientia vitæ præsentis gaudia vana iudicat & noxia; vt pote vitiorum nutrimenta & impedimenta salutis. Paupertatem verò & luctum commẽdat & amat, tamquam purgatoria vitiorum, & interminabilis præparatiua felicitatis. Sapientia Dei & sapientia huius mundi sic suis judicijs sese impugnant, vt vicissim sese iudicent, & ab inuicem iudicentur. Sapientia enim hujus mundi stulta est apud Deum: sapientia quoq; Dei stulta est apud mundum. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est. Verbum autem paupertatis & luctus secundum quendam modum verbũ crucis est. Nam paupertas, siue luctus, quædam crux est. Sapientia autem Dei iustificata est à filijs suis, & filijs lucis. Filij autem hujus sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Propterea filij sęculi & filij lucis vicissim sese stultos reputant & insanos. Illi enim respiciunt ad vanitates & insanias falsas: hi stultitiam prædicationis, per quã decreuit Deꝰ saluos facere credentes, pro luce amant, quam animalis homo nõ percipit: stultitia enim illi est, & non potest intelligere. Hæc autem altercatio inter Dei sapientiam, & eam quæ est hujus mundi, in cordibus multorum ipsius fidei fundamenta concutit, & intantum inualescit, vt si fieri potest, moueantur etiam electi. Hinc vnus iustorum dicit. *Mei autem penè moti sunt pedes; penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Psalm. 72. At cùm intelligit in nouissimis eorum, admiratur & dicit. *Quomodo facti sunt in desolationem! subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Eccle. 2. Iudicio Salomonis risus condẽnatur, & luctus conviuio antefertur. *Risum,* inquit, *reputaui errorem; & gaudio dixi. Quid frustra deciperis?* Et iterum. *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij.* Idem cap. 7. Hæc Salomon: & ecce plusquam Salomon hic, qui dicit. *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 6. Luctum & luctum vanitas veritasque distinguit. Suntqui lugent non lugenda, & ideo ipsi lugendi, quia vanè lugent, sicut & vanè credunt. Sunt qui piè & salubriter lugent, beati futuri, quòd sic lugẽt, sicut ipse Dominꝰ discipulis loquens ait. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ioan. 16. Et Psalmista. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portãtes manipulos suos.* Psalm. 125. Hoc pio luctu quasi imbre gratiæ cœlestis rigantur semina nostra, vt compluta vberiùs surgant ad messem. Hæc est pluuia volun-

taria, quam segregauit Deus hæreditati suæ. In hac valle lachrymarum, in qua nati sumus, copiosa nobis suppetit causa lugendi, vbi totum quod occurrit, aut quod intra nos est, aut extra nos est, vix aliud est, quàm lugendi materia. Adeo toti miseri sumus, in miseria nati, in miseria vsque modo educati, in miseria deinceps victuri, in miseria demum morituri. Intus miseria pleni, foris miseria circumdati. Hinc quidam. *Repleta est*, inquit, *malis anima mea*. Et, *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*. Quid possum⁹ inter hæc mala, nisi gemere, plangere, & dolere mala, quæ indesinenter sentimus; & desiderare bona, quæ nondum sentimus? Aut si modicum quid boni forte sentimus, hoc ipsum nos admonet miseriæ nostræ, quòd rarò, quòd tenuiter, quòd non plenè sentimus. Vnde nobis hæc miseria tam multa, tam magna, nisi quia peccauim⁹ cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus? Viæ autem nostræ & iniquitates nostræ fecerunt hæc nobis.

Miseria nostra luctus materia copiosa.

Psalm. 87. & 39.

De Prima causa lugendi.

PRIMA ergo lugendi causa est de malis commissis, & de bonis omissis. Mala quæ commisimus quis dinnumeret? *Multiplicata sunt*, inquit, *iniquitatis meæ super capillos capitis mei*. Bona quæ perddiim⁹ quis dinumeret? *Cogitaui*, ait, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Nam & hos & illos perdidimus, dies scilicet antiquos, in quibus conditus fuit Adam bonus & beatus à Deo, vt posset numquam mori: & annos æternos, quibus donandus erat, si non peccasset, vt numquam posset mori. Hæc quidem nos in Adam. At nos in nobis quanta bona præripimus nobis! Quanta bona potuimus facere, & non fecimus! Quot curricula temporum inaniter cõsumpsimus! Quàm innumerabiles dies nobis malè aut nihil agentibus fluxerunt, & in decursum labiles nos secum traxerunt! O vbi estis fontes aquarũ, vbi nunc estis fontes lachrymarum, vt lugere queam damna vitæ meæ, & damna pariter innocentiæ meæ? Vtinam aperiantur cataractæ cœli desuper: vtinam dirumpãtur fontes abyssi magnæ, & inundet diluuium aquarum multarum super terram cordis mei, vt dispereant qui habitant in ea, & proni in malum omnes sensus mei ab adolescentia mea. Et ecce defecerũt in vanitate dies mei: & anni mei cum festinatione: & quis cõsolabitur me, nisi qui cõtristatur sicut & ego, vnus & ipse pœnitens, qui dicit, *Laboraui in gemitu meo?* Nam dum in his quæ mundi sunt gauderem ludens & ridens, & varijs successibus applaudens: dum id agerem, ne gemerem vel laborarem, sicut nunc expertus didici, verè tunc laboraui in gemitu meo. Nam quæ labore & gemitu commutanda sunt, vera æstimatione quod valent hic sunt. Hæc enim verè sunt, quod illis sunt, quibus obsunt. Hæc nempe sera nox est, serò gementium. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauim⁹ vias difficiles*. Vulgo dici solet, parientis gemitus risus annotinus. Dum ergo ambularem vbi volebam, agens quo gemerem, non tamen vt gemerem, sed magis ne gemerem, væ mihi, laboraui in gemitu meo. Nam quod cogitaui & volui, hoc labor est ante me. Tunc concepi dolorẽ & peperi iniquitatem: propter quod lauabo lectũ doloris mei, in quo æger iacui, & immundus secundum immunditiam mulieris parturientis. Lectus doloris caro infirma, delectatio mala, cõscientia mala: qui mihi lauandus est per secreta noctis silentia, vbi Deus videt in abscondito, & per singula delicta. Et quia diuisam gero conscientiam, tum de malis quæ feci, tum de bonis, si qua feci; lectum conscientiæ lavans, in quo æger laboro, stratum conscientiæ vbi mihi straui, vt ibi requiescerem, lachrymis meis rigabo. Lauabo maculas vitæ meæ, rigabo sterilitatem animæ meæ, si forte velut area compluta germinet. Nã innocentia pro parte malorum quæ non feci, & conscientia mea pro parte bonorum quæ feci, vtraque mihi facta est infructuosa, per mala quæ feci. Vbi mihi sternere, vbi requiescere volo, ibi dolendi materiam, & lachrymandi causam inuenio. Nã per ea quibus corruptus non sum; Quid dico, vbi corruptus non sum? Vbi enim incorruptus sum? Nam incorrupta mea sæpe sic existimo, vt magis ex his corrumpar. Quæ dum cogito, apud memet, dico nõ sum sicut cæteri hominum, sicut ille vel ille; quia talis ego, & non ille. Et dum superiùs de me iudico, sæpe ambiguus sum, an plus dolere debeã incorrupta, quæ sic elevant, an peccata mea, quæ meticulosè cogitata me humiliant.

Bona superbediẽdi materia interdum sunt.

Psalm. 39. & 76.

Bona liberè omissa.

Psalm. 6.

Sapient. 5.

De secunda causa lugendi.

CVm peccata lugens lugeo, & de remedio pœnitentiæ consolationem quæro, adest & alia lugendi causa de tentationibus immissis, licet non admissis, quæ me vndique circumuallãt & circumcingunt; vt non appareat, vbi exitus pateat. Nam millia tentationũ insurgunt in me; aliæ supra me, aliæ intra me, aliæ circa me, & omnes contra me: & cùm vna dereliquerit, mox alia apprehendit: & dum vna cedit, altera succedit; & non est pax spiritui meo in medio earum. Nam quod video, quod audio, quod ago, quod cogito, quod volo, quod placet, quod displicet, denique totum quod vivo, tentatio mihi est, sicut scriptum est. *Tentatio est vita hominis super terram*. Inter has autem tentationes tam multas, tam malas, tam importunas, tã perplexas & inextricabiles, quibus me expedire non possum, sæpe vita ipsa mihi tædio est, & dum consolationem quæro, magis eam inuenio in sanctorum infirmitate, quàm in propria virtute. Audio enim Paulum in medio tentationum ita coarctatum, vt clamare compellatur. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* O quanta cõsolatio Deo dispensante infirmitati nostræ prouisa est! Nam infirmitates sanctorum interdum nos plus confortant, quàm virtutes eorum. Virtutes desiderium accendunt, infirmitates spem erigunt. Cùm Paulus, cui dictum est, *Virtus in infirmitate perficitur*, ipse de se dicat, *Cùm infirmor, tunc fortior sum*: Possum & ego dicere; cùm Paulus infirmatur, ego fortior sum. Infirmitas ergo Pauli adiuvat me apud me, vt virtus eius adiuvet me apud Deum: vt eripiat me à tentatione, animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Tentationes nos vndique cingunt.

Iob 7.

Rom. 7.

2. Cor. 12.

De tertia Lugendi causa.

PRæter mala, quæ nostram vitam maculant, & mala quæ nos ad culpam tentant, vrgent nos alia, quæ culpã purgant. Alia rectè dixerim, quia alia sunt genera tentationum, quibus resistitur non consentiendo, alia genera passionum & tribulationum, quibus exercemur tolerando. Et quamvis in eisdem rebus plerumque tentemur ad culpam, & exerceamur ad pœnã, aliud tamen est, quod timemus in tentatione, aliud quod do-

Pœna lugendi materia.

lemus in tribulatione. Hic culpa in causa est, illic
pœna. Habent autem & hæc mala, quibus scili-
cet tribulamur, tædia sua, & lachrymas suas. Te-
stis est & Elias, qui proiecit se subter vmbram
vnius iuniperi, & petiuit animæ suæ, vt morere-
3. Reg. 19. tur, dicens. *Sufficit mihi, tolle animam meam.* Te-
2. Cor. 1. stis & Paulus, qui & ipse dicit. *Supra modum*
grauati sumus, ita vt tæderet etiam viuere. Testis
Iona 4. & Ionas, qui dicit. *Irascor vsque ad mortem.* Et
de tædijs sic dictum sit. Nam de gemitu vel la-
chrymis probat, qui dicit. *Omnis creatura inge-*
miscit & parturit vsque adhuc. Non tantum illa,
sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi in-
Rom. 8. *tra nos gemimus.* Et Psalmista. *A fortitudine ma-*
Psalm. 38. *nus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniqui-*
tatē corripuisti hominem. Et de lachrymis adjun-
git. *Exaudi orationem meam Domine, & depre-*
cationem meam: auribus percipe lachrymas meas. Si
autem hæ lachrymæ omnium iustorū sunt, quo-
modo contrarium non est, *Ibant gaudentes à con-*
Acto. 5. *spectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomi-*
ne Iesu contumeliam pati? Et quod Paulus dicit,
Rom. 12. *In tribulatione gaudētes*; & quod Iacobus, *Omne*
Iacob. 1. *gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentatio-*
nes incideritis? Sed qui infirmi sunt, in tribulatio-
nibus dolent; qui autem perfecti sunt, etiam de
tribulationibus gaudent, quod virtutis est; & ta-
men dolent, quod infirmitatis est. Neque enim
nulla est infirmitas perfectorum. Nam virt⁹ eo-
rum in infirmitate perficitur. Miro siquidē mo-
do Deus sanctos suos de infirmitate cōfortat, &
Psalm. 101. de virtute humiliat. Hinc iustus ait. *Quia cine-*
rem tamquam panem manducabam, & potum me-
um cum fletu miscebam. Acsi diceret. Memoria
infirmitatis & conditionis meæ, qua me memini
cinerem & pulverem, panis mihi est, & refectio
mea, cōfortans & roborans me; potus spiritua-
lis lætitiæ, quod me lætificat, non sine amaritu-
dine est, quia gaudium dolore temperatum est.
Si autem esset virt⁹ sine infirmitate, esset & gau-
diū sine mœrore. Nunc autem & infirmitas pro-
ficit ad virtutem, & hoc est, *cinerem tāquam pa-*
nem manducabam: & virtus humilitatis per in-
1. Timo. 5. firmitatem, & hoc est, *potum meum cum fletu*
miscebam. Sic quidē sic fieri oportet. Nam mo-
dicum vinum nobis necessarium, propter fre-
quentes infirmitates. Et si vinum temperatum
non esset, quis ebrius non esset? quis caput non
doleret? quis spiritum vertiginis non haberet,
quem miscuit Dominus in medio Ægypti? Ex-
pedit ergo, vt poculum fletu misceatur, vt gau-
dium mœrore temperetur, vt virtus in infirmita-
te humilietur.

De Quarta lugendi causa.

Terror inferni luctus materia. SI autem adeo graue est, quod nunc vrget, vt
lachrymas extorqueat, quantò magis lachry-
mas elicit, quod in posterum terret? Illud enim
æternum est, hoc trāsitorium. Hoc vix, sed quo-
Isaia. 33. quomodo tolerabile; illud omnino intolerabile.
Quis enim poterit habitare cum igne deuoran-
te: aut quis habitabit cum ardoribus sempiter-
nis? Quid ergo mirum, si timor iste habeat luc-
tum suum? Quis enim sapiens, & non desiderat
extinguere lachrymis ignem inextinguibilem?
Psalm. 87. *In me transierunt*, ait iustus, *ira tua*, Hoc ad pœ-
nam transitoriam, quæ nunc vrget: *& terrores*
tui conturbauerunt me; hoc ad æternā, quæ plus
Iob 6. terret. Et beatus Iob. *Sagittæ*, inquit, *Domini*
in me sunt; quarum indignatio ebibit spiritum meū;
& terrores militant contra me. Quid dicit, *Sagittæ*
Domini in me sunt; hoc est, *In me transierunt ira*
tua: quod dicit, *Terrores militant contra me*, hoc
est, *Terrores tui conturbauerunt me.* Hanc n. mœ-
roris causā insinuat Propheta, cùm dicit. *Pocu-*
lum meum cum fletu miscebam; a facie indignatio-
nis tuæ, quia eleuans allisisti me. Vide, quæ sit ele- Psalm. 101.
uatio, & quæ sit allisio. Homo ad imaginem &
similitudinē Dei factus, quia rationis capax est,
ideo & beatitudinis particeps esse potest. Hæc
est eleuatio. Sed quia potest saluari, & damnari,
hæc est allisio. At bruta animantia cùm non pos-
sint salvari, nec possunt damnari: nec rationem
tenentur reddere, quæ non sunt nata rationem
habere. Hæ quatuor causæ mœroris, prima de Quatuor
timore peccatorū quæ fecimus: secunda de pe- prædictæ causæ
riculo tentationum quas sustinemus; tertia de luctus.
pondere tribulationū, quo nunc vrgemur: quar-
ta de iudicio damnationis, quo terremur; à Pro-
pheta, sed alio ordine nobis insinuātur; *Circun-*
dederunt me dolores mortis, & torrentes iniquita- Psalm. 17.
tis conturbauerunt me. Dolores inferni circunde-
derunt me: præoccupauerūt me laquei mortis. Do-
lores quippe mortis sunt dolores in morte &
ante mortem, qui mortem indesinenter accele-
rant, & sicut præambuli mortis eam semper no-
bis nuntiant. Responsum enim mortis habemus
in nobis. Torrentes iniquitatis, inundantes im-
petus peccatorum, quæ sicut torrentes in præ-
cipitium semper vadunt, & nos secum trahunt.
Dolores inferni, qui sint, ipso eorū nomine ma-
nifestum est. Laquei mortis tentationes sunt,
quas more aucupis vel venatoris ad capiendas
animas parat is qui tentat. Hæ quatuor mensuræ
sunt, vel quatuor hydriæ, quibus si addantur
duæ, erunt sex hydriæ, & lapideæ, & singulæ ca-
pientes metretas binas vel ternas, secundum pu-
rificationem Iudæorum. Iudæi nempe sunt pœ-
nitentes & confitentes, qui suis lachrymis puri-
ficationem Iudæorum insinuant: quibus & po-
tus datur in lachrymis in mensura. Et quoniam
supplicia temporalia vel æterna nobis metuenda
sunt & lugenda, pro tentationibus admissis, &
peccatis commissis, quæ voluntate & opere feci-
mus, interdum autem & consuetudine, idcirco
singulæ istæ hydriæ metretas capiunt binas vel
ternas. Et si sola voluntate quis peccat, & pœni-
tentia compunct⁹ inde lugendi causam assumat,
nec his desunt metretæ binæ vel ternæ. Nam ap-
petitus & consensus & consentiendi delectatio
si adhibeatur, hunc vel illum numerum efficiut.
Lapideæ autem sunt, aut pro duritia cordis ha-
ctenus lapidei; aut pro firmitate melioris propo-
siti, quæ piè lugētibus necessaria est. Nam de du-
ritia cordis per Prophetam à Domino dicitur.
Auferam cor lapideum de carne vestra. De firmi- Ezech. 11.
tate verò mentis dicitur. *Posui faciem meam vt* & 36.
petram durissimam. Isaia. 50.

De Quinta lugendi causa.

LACHRYMÆ autem nostræ ex prædictis qua-
tuor causis obortæ, amaræ nobis semp sunt,
vel sicut aqua insipidæ, vtpote quæ de odio, aut
tædio, dolore, aut timore procedunt; & eorum
sunt, quæ nobis odio sunt, & tædio, dolori, vel
timori. His enim affectus erat, qui dicebat. *Heu*
mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Sed si- Psalm. 119.
cut istæ descendunt de odio malorum: sic quæ-
dam sunt lachrimæ dulciores, quæ erumpunt ex
desiderio bonorum. Bona autem nunc dicimus, Vera bona
ea quæ spiritualia sunt, & bonum faciunt; vel æ- faciunt aut
terna sunt, & beatum faciunt. Vtraque autem beatum.

bona nobis desiderio sunt, & vtrumque desiderium suas lachrymas habet. Sæpe enim compungimur desiderio boni, quod nos iustificet in via, sæpe desiderio boni, quo beatificemur in patria. Vtraque autẽ nobis à Deo repromissa sunt, & cum lachrymis & gemitibus inenarrabilibus
Psalm. 35. & 41. postulanda. Hinc Propheta. *Posuisti*, inquit, *lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua*. Et, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*. Iustitia autẽ nostra in affectu bonæ voluntatis est, aut in affectu operis, sicut incipientibus, aut in vsu bonæ cõsuetudinis, sicut exercitatis. At pro singulis his sua merces speratur, desideratur & expectatur. Ergo & hæ hydriæ sin-
Mali sicut & boni lugent, sed dissimiliter. gulæ capiunt metretas binas vel ternas. Omnes autem hæ lachrymæ, quæ de tædio malorum, siue ex desiderio bonorum manant, communes possunt esse bonis & malis. Nam pro omnibus his causis compunguntur boni, compunguntur & mali. Plorant boni, plorant & mali: sed salubriter boni, inutiliter mali. Nam Esaü, vt Apo-
Hebr. 12. stolus testatur, *Cupiens hæreditare promissionem, reprobatus est. Non enim inuenit locum pœnitentiæ,*
Matth. 27. *quamvis cum lachrymis inquisiuisset illam*. Et Iudas pœnitẽtia ductus retulit triginta argenteos; & Balaam inutiliter ad iustitiam compunctus est dicens, *Moriatur anima mea morte iustorum: &*
Num. 23. *fiant nouissima mea horum similia*. Mala itaq; dolenda & timenda possunt mali dolere & timere: bona quoq; spiritualia vel æterna sperare & desiderare; & horum spe vel desiderio, illorum verò dolore & timore ad lachrymas vsque compũgi, tantò sterilius, quantò inanius. Quia nulli sufficit mala lugere, & bona sperare vel desiderare; nisi adijciat peccata relinquere, & errata corrigere; & bona quibus bonus fiat, apprehendere. Aliud est enim bona hæc sperare, vel desiderare, aliud habere. Nemo siquidem solum sperando vel desiderando, vel se habere opinando bona, quibus bonus sit, sed magis hæc habendo, bonus est. Multi enim pœnitentiam & peccatorum veniam, quibus mali esse desinant, vel se habere putãt; vel habere posse cùm voluerint, sperant: sic charitatem & humilitatem, cæteraque bona, quibus boni fiant: sed vana est spes eorum, desiderium quoque & opinio eorum, & cor eorum vanum est. Propterea nonnumquã inutiliter compunguntur ad iustitiam; sicut boni innoxiè tentantur ad culpam. An non bonos se putant, qui de suis meritis superbius iudicant, vt se cum Domino iudicaturos confidant? De qua-
Psalm. 90. libus scriptum est. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Qui ergo huiusmodi sunt, etsi in spe sua abundantius gaudeant: etsi desiderijs & suspirijs & singultibus animæ lachrymis fluant, alieni tamen sunt à promissione
Matth. 5. hac, *Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur.*

De peculiaribus bonorum lachrymis.

SPes autem iustorum humilitate subnixa est, & desiderium charitate. De his autem, charitate scilicet & humilitate, quasi de fontibus Saluatoris, hauriuntur sanctarum aquæ lachrymarum. Piè enim plorat, qui post culpam salubriter compũctus, & in timore Dei humiliatus, iniquitatẽ detestatur; & semper dolet fecisse, quod non consentit iterare. Hæ sunt piæ lachrymæ,
Psalm. 118. de quibus Psalmista dicit. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuã*. Piè plorat, qui desiderio spirituali & gaudio resolutus in lachrymas diffluit & liquescit, & recordatione desiderabilium suorum miro modo interiùs se effundit, vt dicere possit. *Hac recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam* *Psalm. 41.*
transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Harum lacrymarum dulcedinem experta est illa amore languida, quæ dicebat. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*. *Cant. 5.* Bene, vt dilectus locutus est, quia dilectus est, quia locutus est. Cui enim dilectus est, mox vt locut[us] est, melliti sunt sermones eius sup oleũ, & ipsi sunt jacula. Vide, si nõ emollitur, si non liquefacta resoluitur ad sermones eius quæ amat, cùm scriptum sit. *Emittet verbum suũ, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus & fluent aquæ*. *Psalm. 147.*
Dilecto ergo loquente & spiritu flante, deliquescit quæ amat, & fluunt aquæ, quibus irrigatur hortus deliciarum, qui austro perflatur, vt fluant aromata illius. Et hæ quidem lacrymæ mellifluæ sunt. Etenim cœli distillauerunt, stillicidia scilicet, quibus lætabitur germinans, & pluuiam voluntariam, quam segregauit Deus hæreditati suæ. Hæc autem pluuia sæpe à iustis suspenditur, & cùm habetur non retinetur; cùm desideratur, non obtinetur. Sæpe enim derelicti pulsante infirmitate & virtute omnino delitescente, amaritudine replentur, tædio afficiuntur, in malis tabescunt, & in siti exardescunt, & prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo; neque ros neque pluvia cadit super eos: & nisi Deus adiuverit eos, paulominus habitare incipit in inferno anima eorum. Sed quid mirum, si iusti ad horã quasi in infernum descendant, vbi absynthio & aqua fellis potantur cùm scire expediat, vnde sint liberandi, vt plus gratulentur liberati: & superabundet cõsolatio eorum ad gloriam Dei?
Descendunt, inquit, *vsque ad abyssos, anima eorũ* *Psalm. 106.*
in malis tabescebat. Sed numquid obliuiscetur misereri Deus? Absit. Nam cùm spiritus Domini super mel dulcis spe & desiderio illi[us] hæreditatis, quæ est super mel & favum, mentem iustorũ afflauerit, & sua in æstimabili dulcedine omnia viscera & secreta languentis animæ impleuerit, tunc à superueniente gratia internæ dulcedinis, intimæque suauitatis, totum quod amarum est in lætitia cordis absorbebitur, & fluent aquæ lacrymarum sicut riui mellis. Et suggerente matre Iesu, *Vinum non habẽt*, aqua mœroris in *Ioan. 2.*
vinum lætitiæ conuertetur; sed cùm impletum fuerit, quod Iesus præcipit dicens, *Implete hydrias aqua*. Prius enim oportet hydrias aqua implere, hoc est, corda nostra largis lacrymarum perfusionibus pleniùs satiare, & pro commissis dignè satisfacere, & lugenda sufficienter lugere, & sic consolationem intimæ deuotionis, & gaudium in Spiritu sancto intra nos recipere, & tristitiam cordis nostri lætitia commutare. Nam quia lugenda nondum dignè defleuimus, ex hoc sæpe deuotionis detrimenta sentimus; & quia nondum soluimus quod debemus, id quod cupimus, tardiùs obtinemus. Sed cùm potum dederit nobis Deus in lacrymis in mensura, adeptione bonorum quæ anxiè desideram[us], multimoda in præsenti consolatione experiemur veram esse consolationem hanc, *Beati qui lugent, quo-* *Matth. 5.*
niam ipsi consolabuntur. Magis autem hoc experiemur & in futuro, quando Deus omnem lacrymam absterget ab oculis sanctorum: quando replebitur gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, ad laudem & gloriam Domini nostri

nostri Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.


MVlti pecuniam magis esuriunt, quàm iustitiam: nec ob aliud, nisi vt satientur, & satiati ducant in bonis dies suos. Beati enim reputantur, qui pecunia abundant, sicut scriptum est. *Psalm. 143.* *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Dixerūt, inquit, aliorum opinionem referens, non suam sententiam ponens. Nam iuxta suam sentētiam dicit. *Psalm. 33.* *Diuites eguerunt & esurierunt.* Eguerunt quidem, quia non sufficit eis quod habent: esurierunt verò, quia insatiabiliter appetunt quod non habent. Vera autem satietas non ex pecunia prouenit, sed ex iustitia. Est tamen quædam satietas diuitum, quia scriptum est. *Eccle. 5.* *Saturitas diuitis non sinit eum dormire.* Verum hæc saturitas superfluitas est vtendi, non finis egendi; oppressio ægri, non extinctio morbi; irritamentum vitij, non complementum desiderij. Inanis est ergo ista satietas, quæ esurientes non reficit, quia nūquam sufficit. Hæc est aqua de puteo Samariæ, de qua scriptum est. *Iohn. 4.* *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Esurientes, inquit, *Luc. 1.* *impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Qui sunt isti esurientes, qui bonis implentur, & ideo plenè & bene satiantur, nisi hi de quibus scriptum est, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam?* Aut quæ est iustitia, quæ beatificat & satiat, nisi Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo & iustitia? Hæc est nimirum sapientia quæ dicit. *Eccli. 24.* *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Christus nobis factus est iustitia, gratis nos iustificās, gratis iustitiam tribuens, & per iustitiā in nobis manens, author muneris cum munere suo. Ipse cibus noster qui iustitiam dat, & cibus noster est iustitia, quam dat. Hinc ipse, qui lapsus iustitiam perdidit, & perditā defleuit, *Oblitus sum,* inquit, *comedere panem meum.* Et quia per pœnitentiam reparari studuit, adiecit: *Psalm. 101.* *Cinerem tanquam panem manducabam.* Cibus iste iustorum est, quem nemo esurit, nisi qui comedit. Gustando enim esuritur, esuriendo gustatur; & cùm plus gustatur, plus esuritur: cùm plus reficit, plus dulcescit. Ita enim suo sapore allicit, vt semper in gustu crescat appetitus, & sine fastidio continuetur gustus. Ergone insatiabilis est amor iustitiæ, sicut amor pecuniæ? Si per incrementa iustitiæ semper inualescit & crescit esuries, quando finietur; & satietas quando inuenietur? Respondeat Propheta, & dicat. *Psalm. 16.* *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ergo esuries præsentis temporis est, satietas verò futuri, quando qui nunc esuriunt, saturabūtur. At qui sunt, qui nunc esuriunt: an omnes qui iustitiam desiderant; an soli qui iustitiam amant? Aliud nempe est, vtcumque desiderare, aliud est amare. Verūtamen amor sine desiderio non est; at desiderium & ante amorem est. Sunt enim nonnulli adhuc quidem mali, qui proponunt & desiderāt esse iusti; sed tempus pœnitentiæ differunt, & initia conuersionis suspendunt. *Quidā pœnitentiā desiderant & differunt.* Peccati enim delectatione vincti & victi, & peccandi cōsuetudine prægrauati, adhuc amant, quod non amare desiderant; & nondum apprehendunt, ad quod suspirant. Ad iustitiam enim compungūtur, sed iucunditatem peccati cōplectuntur: malo adhærent, & calore desiderij ad bonum feruent. Plus autem potest tenor mali vt mali sint, quàm solus feruor boni, vt boni fiant. Econtrario in bonis cùm tentantur ad culpam, plus potest tenor boni, quo iustitiam retinent: quàm incōsultus animi calor, quo subitò ad malum feruent. Habent semper boni tenorem boni, nunc cum feruore boni, nunc citra consensum cum feruore mali. Sunt nempe duæ concupiscentiæ in bonis ambæ, & in malis ambæ, concupiscentia carnis, & concupiscentia spiritus, quæ sibi inuicem aduersantur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē. Concupiscentia carnis in bonis ad peccādum mouetur, sed vsque ad cōsensum peccati non promouetur: dominatur enim in illis concupiscentia spiritus. Sic, & in malis compunctio ad iustitiam sentitur, & ei non consentitur: dominatur enim in illis concupiscentia carnis. Æmulatio autem boni in malis cum proposito & desiderio melioris vitæ quædam gratia Dei est, sed gratia internæ vocationis, & non iustificationis. Iustitia enim non solo affectu æstimanda est, sed consensu. *Quæ,* inquit Apostolus, *participatio iustitiæ cum iniquitate?* *2. Cor. 6.* Non igitur iustitiæ cōsentit, nisi qui ab iniustitia dissentit, nisi qui eam deserit, & incunctanter relinquit. *Quis iustitiæ cōsentiat.* Qui autem iustitiæ consentit, iam amare incipit, iam iustitiam esurit, iam dignè desiderat, nec omnino non habet quod desiderat; sed desiderat, vt plus habeat. Iam pedem posuit in via recta, & in ea ad interiora dirigi desiderat, dicens. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* *Psalm. 118.* Iam ad illum pertinet vox illa iusti. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore.* *Ibidem.* Iam concupiscens & desiderans, & non cōtentus desiderij sui modo, concupiscit plus desiderare, anhelans ad perfectum, vel suspirans ad profectū: vt bonum in se augeat, & in bono permaneat in omni tempore. Augetur autem iustitia suis incrementis, & dispositis gradibus ordinatur, consensu, affectu, effectu, vsu, habitu, & fructu. Incipit enim iustitia à consensu. Mens autem cùm odium iniquitatis cōceperit, & iustitiæ per amorem boni consentire cœperit, afficitur ad bene operandum. Et cùm affectum sequitur effectus, bono opere delectata satagit bonis operibus assuescere; deinde consuetudinem perseuerantia cōfirmare; & inter hæc, & magis post hæc, dulcissimum delectat iustitiæ fructum participare. Fructus autem iustitiæ simplex non est. Est enim fructus futuri temporis ipsa satietas quæ hic repromittitur; est & fructus præsentis temporis quædam prælibatio futuræ dulcedinis, quæ in delectatione iustitiæ interim percipitur. De qua delectatione per Prophetam dicitur. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* *Ibidem.* Futura autem satietas duas res desiderabiles complectitur, vitam æternam, & lætitiā sempiternam. Iustitia vtramque acquirit & rependit. Nam de satietate vitæ æternæ scriptum est. *Longitudine dierum replebo eum,* haud dubium, quin iustum. *Psalm. 90.* De satietate lætitiæ sempiternæ scriptum est. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis potabis eos,* haud dubium, quin iustos. *Psalm. 35.* Iustitia ergo, quæ viuificat & lætificat, cibus est & potus. *Iustitia est cibus & potus.* Cibus est & panis vitæ, cùm vitam præstat, & in perpetuū conseruat. Iustitia enim acquisitio immortalitatis est. Potus est, & vinum lætitiæ, cùm lætitiam tribuit, & sine fine custodit. Beati ergo qui esuriunt & sitiunt iustitiam, & beati qui desiderant viuere

H

& lætari, non in hoc sæculo, sed in Christo. Cōsequentur enim satietatem, quando replebit in bonis desiderium eorum. Dominus noster Iesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

TRACTATVS DECIMVS.

Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura quasi infernus æmulatio.



AMANS nos Deus, & amari desiderans, signaculum formauit, habens imaginem amoris insculptam, quo cor nostrum pressiùs signauit, vt coimaginatum similitudinem imaginis in se exciperet, & configuraliter exprimeret. Signaculum intellige, tum in eo quod signat, tum in eo quod signatur. Nam eo quod signat, dicit Apostolus ad Romanos. *Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* De eo verò quod signatur, idem dicit ad Corinthios. *Signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.* Et ad Angelum diuinæ similitudinis decore insignem per Prophetam dicitur. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti.* Christus autē & signat & signatus est. Hunc enim Pater signauit Deus. Hunc Pater sanctificauit, & misit in mundum. Hunc Pater singulari gratia à cæteris discreuit. Talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus, immaculatus, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Per hunc & nos signauit Deus, sicut scriptum est. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Signauit autem in die conditionis nostræ, quando nos ad imaginem & similitudinem suam formauit. Signauit in die redemptionis nostræ, quādo nos secūdum suā imaginem reformauit. Iniquitas quippe & mors inter Deum & hominem diviserunt. Deus autem odit iniquitatem, & homo mortem. Homo intantum odit mortem, inquātum diligit vitam. Quid autem in vita dulcius est ipsa vita, quidue amabilius? Quid morte amarius, quid odibilius? Quid igitur iniquitate detestabilius, per quam vitæ iucunditas est perdenda, & moriendi necessitas est nobis imposita? Quid magis amari potest quàm vita, maximè autem immortalis vita, & promissor & largitor ipsius Deus fons vitæ & ipse vita? Iustitia autem, sicut scriptum est, acquisitio immortalitatis est. Proinde iustitia diligenda est, non minùs quàm vita, per quam acquiritur; & sine qua non retinetur immortalis vita. Homo autem ab initio quodammodo immortalis erat, vt per iustitiam cōseruatam posset non mori, in hac parte, sed ex parte Deo similis: nunc autem similis iumentis insipientibus pro conditione moriendi, sed inferior obligatione peccati, & periculo pereundi, eisdem tantò nunc abiectior, quantò priùs dignior. Iniquitas ergo æquè odibilis est, vt mors, & magis quàm ista mors. Expedit enim magis mori, quàm peccare. Peccatū stimulus est mortis, & aculeus vsque ad interitum vulnerās. Stipendium peccati mors est, & merces iniquitatis perditio. Peccatum iniuria Dei est, in prouocationem zeli, iudicium mortis, sententia Dei est in condemnationem peccati. Homo verò peccator iustè morti addicitur, & multis miserijs irā Dei expertus, vix de dilectione Dei vel tenuiter sperare poterat. Potuit enim ei sua cogitatio suggerere, vt diceret. Quomodo me credam à Deo diligi, qui sic me affligit? Quid boni ab eo sperem, qui indignationem suam super me effudit, & nec à morte mihi pepercit? Si me diligeret, non sic suo iudicio me premeret; non in ira sua misericordiam cōtineret, sed indignationem quam demerui remitteret, veniam donaret, & à decreto mortis me absolueret. Visus quippe est Deus hominem odisse, cùm iram inferret, cùm sententiam mortis in eum ferret. Visus est dilexisse, cùm per abolitionem peccati & mortis mortem sufferret. Mors ergo signū odij & amoris extitit; sed odij aduersus culpam, quam homo commisit; amoris erga naturam, quam Deus cōdidit. Per mortem homini illatam effudit Deus iram & indignationem suam super omnes gentes, sicut scriptum est. *Calcaui eos in furore meo; & conculcaui eos in ira mea.* Per mortem pro homine susceptā effudit Deus misericordiam & dilectionem suam super omnes gentes; sicut scriptum est. *Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Ergo mors ira est & misericordia; iudicium & beneficium, condemnatio & absolutio, indignatio & recōciliatio. Deus autem reparationis nostræ remediū sic dispensauit, & sic temperauit, vt furorem suæ indignationis cōuerteret in Sacramentum redemptionis, & auxilium liberationis. Vnde & dicit. *Saluauit mihi brachium meum: & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Ergo vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, non dicat nunc omnis homo, non me diligit Deus, qui mihi à morte nō parcit: sed dicat potiùs, & obstupescat; ô quàm me diligit Deus, qui vt mihi parceret, sibi à morte non pepercit. Comparemus ergo mortem cū dilectione; & apparebit, quia fortis est vt mors dilectio. De fortitudine mortis quis dubitet? Quæ vis, quæ potestas, quæ dignitas, quæ nobilitas, quæ sapientia, quæ prudentia, quæ ars, quæ fraus, ei obsistere potest? Omnes debitores suos repetit, ab omnibus vectigal exigit, omnes inuoluit, nemini parcit, vbiq; terrarum regnat, omnes æquat, omnibus imperat, & expugnatores vrbium ipsa inexpugnabilis expugnat. Huius rei testes sunt, quotquot dormierunt in puluere terræ; & sepulchra mortuorum ipsa sunt testimonia huius veritatis. Quique potentissimi & reges & principes, qui dederunt terrorem suum in terra viuentiū, & ipsi experti sunt, quid mors possit. Omnes mundi sapientes, qui astra cœli contemplati sunt, qui menses & dies supputabāt, subito casu mortis præuenti sunt, & in astutia sua comprehensi. In hoc autem gemina apparet fortitudo mortis, quodque potuit omnes capere vel capere, potuit & omnes tenere, & nō erat, qui de manu eius posset eruere. Dilectio autē, qua nos dilexit Deus, vincula quibus mors à se captos constringebat, sua virtute dissoluit, vt non valeat nisi ad horam retinere, quos ad horam permittitur inuadere. Christus enim resurrexit primitiæ dormientium, fiduciam nobis resurgendi sacramento, & exemplo, & testimonio

Marginal notes: Rom. 4. — 1. Cor. 9. — Ezech. 28. — Hebr. 7. — Psalm. 4. — Sapient. 15. — Isaia 63. — Psalm. 67. — Isaia. 63. — Fortitudo mortis.

suæ resurrectionis, & verbo suæ promissionis confirmans. Fortis est mors, quæ nos munere vitæ valet destituere. Fortis est dilectio, quæ ad vsum melioris vitæ valet restituere. Fortis est mors, quæ nos exuvijs huius corporis potens est spoliare. Fortis est dilectio, quæ mortis spolia potens est diripere, nobisque resignare. Fortis est mors, cui non valet omnis homo resistere. Fortis est dilectio, vt ipsam mortem valeat triumphare, aculeum eius obtundere, contentionem sedare, victoriam confundere. Erit enim quando insultabitur, quando dicetur, *vbi est mors aculeus tuus? Vbi est mors contentio tua?*

1. Cor. 15.

Fortis est vt mors dilectio, quia mors mortis est Christi dilectio. Propter quod dicit. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* Dilectio quoque, qua à nobis diligitur Christus, & ipsa fortis est vt mors, cùm sit ipsa quasi quędã mors, vt pote veteris vitæ extinctio, & vitiorum abolitio, & mortuorum operum depositio. Hæc autem dilectio nostra ad Christum, quædam vicissitudo est, quamvis impar dilectionis ipsius quo ad nos, & coimaginata similitudo. Ipse enim prior dilexit nos, & per exemplum amoris quod nobis proposuit, factus est nobis signaculum, quo efficiamur conformes imaginis ipsius, imaginem terreni deponentes, & imaginem cœlestis portantes, sicut dilecti sumus, sic & eum diligentes. In hoc enim nobis relinquit exemplũ, vt sequamur vestigia ejus. Propter quod dicit. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Ac si diceret. Ama me, sicut amo te. Habe me in mente tua, in memoria tua, in desiderio tuo, in suspirio tuo, in gemitu & singultu tuo. Meméto, homo, qualem te fecerim, quantum creaturis cæteris te prætulerim, quali dignitate te nobilitaverim, quomodo gloria & honore te coronauerim, quo modo paulò minus ab Angelis te minorauerim, quomodo sub pedibus tuis omnia subjecerim. Memento, non solum quanta tibi fecerim, sed quàm dura, quàm indigna pro te pertulerim: & vide, si non iniquè agis contra me, si non amas me. Quis enim te sic amat, vt ego? Quis te creauit, nisi ego? Quis te redemit, nisi ego? Quis defensor vitæ tuæ periculum duelli subijt, nisi ego? Vt ergo vicissitudinem amoris mihi rependas, exere brachia, vires exerce; pone me vt signaculum super brachium tuum. Pugna pro me, sicut ego pro te. Ne mihi simulatoria adulatione blandiaris, vt dicas, Domine amo te. Si amas, ostende, quia amas. Ama, nõ verbo & lingua, sed opere & veritate. Ego vici mundum, pugnans pro te: sed adhuc mũdus & princeps mundi aduersatur tibi, aduersatur & caro, vt cum his pugnes pro me, magis autem pro te. Tuum enim periculum vertitur, pugna est de anima tua, de salute tua; nec vinci poteris, nisi ex te; nec vincere, nisi ex me. Proinde non confidas in te, sed in me. Non enim in gladio tuo obtinebis hostem, & brachium tuum non saluabit te: sed dextera mea, & brachium meum, & illuminatio vultus mei. Si posueris me quasi signaculum super brachium tuum, tibi victoria cedet. Sic pugna, non quasi aërem verberans. Castiga corpus tuum, & in seruitutẽ redige: ab omnibus abstine, sicut qui in agone contendit. Si tibi durum videtur hoc, quid accusari potes contra me? Et ego custodiui vias duras. Si me velis æmulari, scito, quia dura est sicut infernus æmulatio. Oportet bibere calicem, quem ego bibi. Ego sitivi, & ego bibi, ego

Osea 13.

Cantic. 8.

Qualis debeat esse amor hominis ad Deũ.

mortem gustaui, ego ad inferna descendi: sed solutis doloribus inferni resurrexi. Si tu per æmulationis studium volens me imitari, te senseris grauari, & quasi in inferno cruciari; hoc est quod à te exigo, hoc est quod moneo, hoc est quod consulo, vt ad modicũ crucieris, quasi in inferno, ne sine fine crucieris in inferno. Æmulatio enim quasi infernus est, similis loco pœnali; sed hæc est via, quæ ducit ad introitum regni. Oportet enim hæc pati, & sic ad vitam ingredi. Hinc & martyres veri mei æmulatores, nunc cõparticipes regni; sed priùs, abiectis corporib⁹ & ossibus suis super terrã morte, & pri⁹ morte contumelia affecti, dicẽtes, dissipata sunt ossa nostra sec⁹ infernũ. Vide, quomodo me amaverũt, qui qui me secus infernũ sequi voluerũt; & ab inferno deglutiri noluerũt. Si aduersa pateris, & ob hoc æstimatione aliorũ peccator & inferno proxim⁹ reputaris; habes, vt mecũ dicere possis. Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Æstimatus sum cum descendẽtibus in lacum. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt me tota virtute diligas; pone me super brachium tuum; vt quæ mihi placita sunt, tota dilectione perficias. Pone me super cor tuũ, per affectum amoris: pone me super brachium, per effectum operationis. Habe me in exemplũ & adiutorium purè sincereque diligendi; in exemplum & adiutorium bene operandi, & fortiter patiendi. Pone me super cor tuum, super omne quod cogitas, quod amas, quod tibi cordi est; vt omne quod carum est postponas, & me semper superponas, & me semper plus diligas, non solùm quàm quod extra te est; sed & plusquam quidquid intra te est. Deniq; plusquã te, vt te diligas propter me, non solùm me propter te. Sit amor tui secundum me in summo cordis, sit amor mei supra summum cordis. Quoniam autẽ probatio dilectionis exhibitio est operis, pone me super brachium tuum. Sic pugnes, sic te exerceas operando pro me, vt opereris ex me. Ego sum spes tua, ego fiducia tua, ego fortitudo tua, ego patientia tua. Mihi dicas, Domine spes mea à iuventute mea. Mihi dicas. Diligam te Domine fortitudo mea. Mihi dicas, Quoniam tu es patientia mea, Mihi dicas; Deus meus misericordia mea. Ne ponas carnem brachium tuum: sed mihi dicas; Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Dilectionem exigo de corde tuo, in his quæ intus sunt, æmulationem, in his quæ foris sunt. Sed vt scias, an vera sit dilectio, fortitudinem animi attende; quæ enim fortis non est, & vt mors, vera dilectio non est. Attende primùm ad dilectionem meã erga te, & mortem meam pro te. Cùm ponerem animam meam pro te, non persequentiũ malitia vel potentia, non mortis violentia animam meam extorsit me inuito, sed charitas ipsa me compulit, ipsa coegit, ipsa mihi vim fecit. Quod potuit in alijs mors, hoc in me potuit dilectio, cui obsecuta est mors. Vide & in cæteris quid possit mors, quid possit dilectio: vt scias quia fortis est vt mors dilectio. Mors diuidit carissima nomina, fœderaque iunctissima, diuidit & dilectio. Qui enim reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut agros, propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Diuidit mors animam & carnem, diuidit & dilectio. Qui enim non odit animam suam, non

Martyres quanta passi pro Christo.

Psalm. 87.

Christus est dilectione mortuus.

potest meus esse discipulus. Æmulatio verò in iis quæ foris sunt nõ apparet: quia vera est, si dura non est. Potest enim in prosperitate fingere, qui mecum non permanet in tentatione. Fortitudo ergo animi in diuisione affectuum, signũ est dilectionis, quæ intus est. Duritia vero tribulationis signum est æmulationis, quæ foris est. Hæc sũt signa à signaculo impressa. Domine, qui dicis, pone me vt signaculum super cor tuum, fac quod iubes. Vnde enim mihi, vt te ponam super cor meum? Quomodo hoc possum? Veruntamen nisi hoc aliquo modo possem, sic tamen quasi per te, non mihi diceres, pone me. O dignatio tua, Domine, ô dignitas & libertas mea, Domine. Non dedignaris enim à seruo tuo poni super cor serui tui: & me tam dignum reputasti, & liberum arbitrium mihi dedisti, quo possẽ reprobare, quidquid tibi displicet, & eligere bonum, quod tibi placet, & per electionem boni tibi placere, vel adhærere, te participare, te in me habere, te supra me, sicut dignus es, amare. Aufer à me Domine cor lapideum, aufer cor coagulatum, aufer cor incircumcisum: da mihi cor nouum, cor carneum, cor mundum. Tu cordis mundator, & mundi cordis amator, posside cor meum, & inhabita, continens & implens, superior summo meo, & interior intimo meo. Tu forma pulchritudinis, & signaculum sanctitatis, signa cor meum in imagine tua, signa cor meum sub misericordia tua, Deus cordis mei, & pars Deus, mea, in æternum, Amen.

Liberum arb. ad quid datum.

De miseria & egestate hominis ob culpam.

HOmo per culpam inobedientiæ discedens à Deo, reatus sui iustissimam pœnam luit. Deficiens enim ab incommutabili Deo, deficit & ipse in se, & per suos deficiendi gradus veterascit iugiter & senescit, donec nouissima morte dissoluatur. Quod enim antiquatur & senescit, prope interitum est. Recedens homo à Deo, qui semper est vnus & idem, diuisus est ab ira vultus eius; diuisus autem in se, ne sibi sit semper vnus & idem, sed semper alius atque alius, & impleatur illud quod scriptum est. *Stultus vt luna mutatur*. Ita enim à se dissidet & distat, ita dissẽtit & discordat, vt vix alter alteri magis contrarius queat inueniri, quàm vnus homo ipse sibi. Vult enim & non vult; idem vicissim odit & amat, tractat & retractat, probat & damnat, quærit & abiicit, curat & negligit. Sæpe post cæptũ negotium cæpti tædet, post factum facti pœnitet: vota sua & desideria, studia & consilia, cogitationes & affectiones & intentiones, quasi sẽper sibi displicens, multipliciter mutat, & in his omnibus ipse mutatur. Sanè, vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. Quænam est pax misero homini in tanta mutationum vicissitudine, in tanta inconstantis animi leuitate? *Nõ est pax impio, dicit Dominus*. Peruersus animus Deo sibique contrari⁹ ipse sibi tortor est & tormentũ; pœnas à se semper exigit, & semper soluit: & qui Deo aduersatur per reatum culpæ, quasi Dei minister est in exactione pœnæ. Vide, quomodo mali ab ira vultus Dei diuisi sunt, qui etiam sibi intantum aduersantur, vt sese persequantur, quantum Deo contrarij tantum etiam sibi: vt qui in sua voluntate pacem non inueniunt, quia in voluntate Dei offendunt. Sed numquid soli mali diuisi sunt? Quid mens iusti, quæ in rerum temporalium dispensatione occupata est, & multitudine curarũ distenta, & ideo Deo

Eccli. 27.

Isaia 57.

minus intenta, nonne & ipsa diuisa est? Nonne ad Martham dicitur, *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima?* Quid sibi vult ista congeminatio? Anne satis non erat dicere semel, Martha; nisi per repetitionem diceretur, Martha Martha? An diuisionem significat ista repetitio? Martha, inquit semel, & iterum Martha. Martha certè diuisa, Martha solicita, Martha turbata; turbata per prouidentiã futuri temporis, turbata per curã instantis necessitatis. Solicita es, & turbaris erga plurima. Plurima quidem turbant, miseri enim hominis plurimæ sunt necessitates. Miseriæ quippe semp necessitas cohæret: & semper indiget, qui miser est. Necessitates verò hominis tam multæ sunt & variæ, tam inextricabiles & perplexæ, vt in tota vita hominis expediri nullatenus possint. Rerum & temporum indefessa mutatio semper nouam affert necessitatem, nouamque parit solicitudinem: & dũ vna necessitas decedit, altera succedit. Altera enim necessitas alterã ad se trahit, & dum sequẽs extrudit præcedentẽ, ipsa se intrudit in alterã sequentem: & dum vni occurritur & succurritur, alia mox suboritur. Sicut qui mutuum ab alio accipit, & alij soluit, inde se obligat, vnde se liberat. Sic in tota vita hominis dum nodus necessitatis soluitur, alius stringitur; & miser homo qui se semper soluere nititur, semper seipsum ligare ingeniosè molitur. Viæ siquidem hominis stratæ sunt spinis. In hunc modum necessitas sẽper fugitur, & semper offenditur: & pro vitanda necessitate abundantia semper quæritur, & egestas inuenitur. Nam de ipsis diuitibus, qui in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, quid aliud sentiendum est, nisi quod Scriptura loquitur, diuites eguerũt & esurierunt? Semper enim qui multa habent, multis indigent: & vbi sunt multæ diuitiæ, multi sunt qui comedunt eas: & sæpe qui extorquent ab inuitis, similia patiuntur inuiti: sæpe & nolentes dant, quæ accipiunt à nolentibus. At qui diuitias habent, nec dispensant, quia eas semper seruatas esse volunt, ne egeant, hi magis egent: quia & his quæ habent, & his quæ non habent, æquè egent. Morbus enim illorum suo remedio semper augetur, & irremediabilis est eorum necessitas, quorum inexplebilis est cupiditas. Necessitates has, quas patiuntur homines miseri & miserabiles, facit amor rerũ non necessariarũ: qui in multis non necessarijs consolationem quærunt & non inueniũt. Porrò vnum est necessarium. Verè vnum est necessarium, sine quo nihil est necessarium, vnum summum & commune bonum. Hoc vnum omnibus potest sufficere, sine quo non omnia vni possunt sufficere. Propter hoc vnum Petrus reliquit omnia, vt in vno haberet omnia, ne carens vno, nec vnum haberet, nec omnia. Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram. Qui hanc vnam inquirit, non minuetur omni bono. Qui hanc vnam non habet, seipso caret, & inops mẽtis nec rationem suam possidet, nec cor suum in potestate sua habet. Qui autem mentis inops est, quid habet, cum seipsum non habeat? Si verò is qui Deum non habet, cùm seipsum non habeat, verè ratione nihil, nisi peccata habet: miro Dei iudicio agitur, vt iniquus, qui sua æstimatione multa habet, ibi verè sit vacuus, vbi sibi videtur plenus: & vnde sperat abundantiam, indè patiatur egestatem. Non potest solui Scriptura, quæ de Deo loquitur dicens. *Esurientes impleuit*

Luc. 10.

Varia hominis necessitates.


Psal. 33.

Qui multa habent, multis egent.

Psalm. 26.

Luc. 1.

bonis & diuites dimisit inanes. Et alibi scriptura de diuitibus dicit. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Si diuites dormiunt somnum suum, & somniant se multa habere in manibus suis, nihil tamen divitiarum habentes; etsi vana opinione deluduntur, vt bonos se æstiment, cùm miseri sint, numquid sanæ mentis sunt?



TRACTATVS VNDECIMVS.

De Verbis Apostoli,

Vetus homo noster crucifixus est, &c.

Rom. 6. *1. Petri 2.*



VETVS *homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nõ seruiamus peccato.* De triplici cruce. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Passus est autem in cruce, vt per mysterium crucis virtus patientiæ confirmetur in nobis. Nos etenim pati oportet, vt digna factis recipiamus. Vnde & nobis crux portanda imponitur à Christo, qui ait. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* (*Luc. 9. Matth. 16.*) Suam, inquit, crucem tollat, non meam. Est enim crux Christi corpore dedicata, quam solus Christus ascendit, solus inter mortuos liber; qui nec peccato obligatus, nec debito mortis adstrict⁹ erat: in quo is qui habebat mortis imperiũ, nihil omnino habebat: sed oblatus est, quia ipse voluit. Crux itaque Christi crux innocentis est & iusti, non per crucem mundati aut iustificati, sed per crucem mundantis & iustificantis. Est alia crux, non hominis Dei, sed hominis rei, murmurantis & impatienter patientis. Est adhuc alia crux hominis rei, sed pœnitentis & confitentis, & audientis, *Hodie mecum eris in paradiso.* (*Luc. 23.*) A necessitate crucis tollendæ nemo absoluitur, nemo excusatur. (*Nullus à cruce immunis*) Portant mali crucem suam, *Multa enim flagella peccatoris.* Portant & boni crucem suam, *Multa enim tribulationes iustorum.* (*Psalm. 31. & 33.*) Portant mali crucem suam nonnumquam volentes, & læti, & hilares. Nam pro rebus vanis, quas vanissimè amant, quærendis, augendis, conseruandis, spõte suscipiunt labores multos & magnos, tribulationes multas & malas. Sed quia malunt pati pro mundo, quàm pro Christo, inanis est eorum patientia; & apud Deum nec nomen meriti habēt, nec spem præmij. Contritio enim & infelicitas in vijs eorum, & vias pacis non cognouerunt. Hi quidem felices essent, si conuerterent ad veritatem, quod disponunt ad vanitatem. Nunc autem sponte miseri sunt; & tantò miseriores, quantò se æstimant beatiores. Nam quia beatos se putant, miseriam quam sponte perferunt, nõ vitant; sicut Ephraim vitula docta diligere trituram. (*Osee 10.*) Propter spem inanis paleæ diligit vitula laborem trituræ. Rectè assimilatur generatio hæc iumentis insipientibus, equo & mulo, quibus non est intellectus: quorum maxillas in camo & fræno constringuntur; quia non approximant ad te, Deus, qui in ignem deijciens eos in miseris nõ subsistentes. (*Psalm. 31.*) De miserijs ad miserias currunt, & supplicijs supplicia mercantur. Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Portant mali nonnumquam crucem suam in angaria. (*Mali crucẽ in angaria portant.*) Flagellati enim à Deo contra stimulum calcitrant & murmurant, suo iudicio sese excusant, & Dei iustitiã accusant, & sicut serpentes prostrati querulis sibilant, alijs qui similia nõ patiuntur, meliores se iudicantes, et tam⁹ flagellis indignos se æstimant, De qualibus scriptum est. *Præcordia fatui, sicut rota plaustri;* (*Eccli. 33.*) fœnum portat, & murmurat. Murmuratio plaustri onus non releuat; murmurat, sed nihilominùs portat. Sic & fatu⁹ onere tribulationis pressus per impatientiam ipse sibi grauis est, ipse sibi sarcina est; & verè fœnum est, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Fatuus fatua loquitur, & os stultorum ebullit stultitiam. Quid autem stultius est, quàm in aduersis sese extollere, & in cœlum os suum ponere, & in ipsa infirmitate infirmitatem suam non cognoscere, & ita Dei iram prouocare? Quantò rectiùs annuntiant, qui cum beato Iob dicunt, *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum?* (*Iob 1.*) De talibus scriptum est. *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & bene patientes erunt, vt annuntient, quoniam rectus Dominus Deus noster, & nõ est iniquitas in eo.* (*Psalm. 91.*)

De Veteri homine terreno, carnali, animali.

Malorum crux est à sinistris.

CRux quam portant mali, siue nolentes siue volentes, à sinistris est; crux digna cruce dignis. In hac cruce vetus homo crucifigitur, sed non simul crucifigitur. Apostolus enim de cruce Christi prælocutus, subintulit. *Vetus homo noster simul crucifixus est,* (*Rom. 6.*) ostendens simul cũ Christo, hoc est pro Christo, veterem hominem crucifigendum esse. Vetus homo quis est, nisi ille qui ait. *Inueteraui inter omnes inimicos meos?* (*Psalm. 6.*) Qui sunt inimici eius, inter quos veterauit, nisi domestici ejus? Novus certè homo eosdem habet domesticos & amicos, qui sunt ciues sanctorum & domestici Dei. Nam & ego inueteraui inter omnes inimicos meos. Nec solùm inimicos illos loquor, qui extra me sunt, inter quos habitaui cũ habitantibus Cedar; sed illos inimicos magis nunc dico, qui in me sunt, qui inhabitant terram cordis mei, & terrã carnis meæ. Nam Chananæi, & Iebusæi, & Pherezæi habitant ibi, & inimici facti sunt mihi. Et ego ipse tamquam homo malus & vir iniquus, mihimetipsi inimicus sum, vt rectè sicut pro me, ita & contra me orare possim, & dicere. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.* (*Psalm. 139.*) Eripe me Donine à me. Non est enim Domine, quem timere debeam post te, quantum me. Quis enim ita insidiatur animæ meæ, vt ego? Quis ita aduersatur saluti meæ, vt ego? Quis ita ingeniosus est in exitium meum, vt ego? Quis ita seductoriè blanditur mihi, vt peream, sicut ego? Quis ita quærit animam meam, vt auferat eam: quis pretium meum cogitat repellere; quis, Domine, preclarã illam hæreditatem à te repromissam, molitur mihi auferre, ita vt ego? Quis odit animam meã odio iniquo, plusquam ego? Et ego quidẽ grauis. Quid enim mihi mali fecisti, anima mea? Tuũ est, quod viuo; tuum est, quod audio; quod video, quod vigeo, quod valeo; tuum est, quod

sentio, quod intelligo, quod sapio; si tamen sapio, & non magis desipio. Nonne ingratus sum, nonne malignus, & maliuolus sum, quia iniquitatem diligo, & te odi? Qui enim *diligit iniquitatem, odit animam suam.* O anima mea, nonne iniquitas magna est, si ego odi te diligentem me? Quod si odi te, quomodo non odi me? Nonne tu es anima mea, & vita mea, imò quid es nisi anima mea, & vita mea. Quo iure possum te non amare, vita mea, & vnica mea? Væ mihi, si mea culpa peritura es semper, & ego semper tecum. Si peritura es, cui rectiùs imputare possum, quàm mihi? Si periturus sum ego, quod auertat Deus, cui imputem, mihi, an tibi? Si mihi, & tibi, væ pariter & mihi & tibi. Si culpa tua malus sum, & dignus perire, qua ratione possum amare te causam perditionis meæ? Si sic mihi futurum erat; melius mihi esset, si natus nõ fuissem. Quid mihi consilij superest, antequam peream, vt non peream? Nam si semel periero, quod absit, quid vltra potero, nisi tantum perire? Domine Deus, ex tunc ira tua; ex tunc non est consilium, non est prudentia, non est sapientia, non est ratio: perire perseuerabit, quem semel perire contigerit. Scio quid faciam, antequam peream, imò ne peream. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Altissimus est Deus, & ego in profundo sum iniquitatis: clamore valido opus est, alioqui non audiet me, quia altissmus est. Dicam iniquitates meas Deo, qui gratis sanctificat impium. Confitebor Domino, quoniam bonus. Sicut pœnitens dolore compunctus loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo. Noli me condemnare. Ipse me judicabo, ipse me condemnabo. Noli tu Domine me condemnare. Sine me laborare in hac parte. Semel laborasti pro salute nostra, laborem & dolorem considerans, vt traderes nos in manus tuas. Bone Iesu non est res tui nominis, damnare damnantem se, perdere iudicãtem se. Saluatorem te vocat mundus, non perditorem. Tu quidem malos malè perdes; sed perseuerantes in malitia sua. Ego nolo perseuerare in ea. Dic ergo animæ meæ, salus tua ego sum. Anima mea, quamvis multũ sis rea, & pro multo reatu multùm pauida, nonne tibi arridet spes veniæ in dulcissimo nomine benignissimi Iesu? Quid mœrore consumeris? quid in amaritudine tabescis? Numquid consiliarius non est tibi? Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei & De' meus. Dũ me consolari desidero in soliloquio meo, suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Tædet enim animam meam vitæ meæ. Nec mirum. Vita quippe mea mala est, & ego vetus homo sum, & morti vicinus; homo malus, & vir iniquus: homo terrenus, portans imaginem terreni: homo carnalis, venundatus sub peccato; homo animalis, non percipiens ea quæ sunt spiritus Dei; homo reus mortis, & cruce dignus; nec vna tantum cruce. Alia enim crux debetur terreno, alia carnali homini, alia animali. Et ego vnus homo omnes isti; & omnes isti in me vno: & aduersum me omnes cogitationes meæ in malum. Inhabitabunt & abscondent, ipsi calcaneum meum obseruabunt. O dura & grauis, ô misera & miserabilis humana conditio. Inimici enim nostri viuunt, & confirmati sunt super nos: & inimici nostri ipsi nos sumus, terreni, carnales, animales: nec pax, nec securitas est nobis à nobis, donec in cruce appensi simul cum Christo crucifigamur, vt in nobis destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato, sed peccatis mortui iustitiæ vivamus: & sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Psalm. 10.

Psalm. 56.

Iob 10.

Ierem. 8.

Psalm. 41.

De homine terreno.

PRimò crucifigendus est in nobis terren' homo, deinde carnalis, postea animalis: deinde induendus est homo, qui secundum Deũ creatus est. Apostolus de terreno homine loquens, sic ait. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Et iterum. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Terrenus ergo vetus homo est. Cœpit enim à diebus antiquis, à diebus præuaricationis Adæ. Hujus imaginem portant, qui terrena sapiunt, qui tantum cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant mundo; qui nimis amant terrenam substantiam & terrenam gloriam. Quæ sit autẽ imago terreni hominis, psalmista ostendit dicẽs. *Homo vanitati similis est.* Homo siquidem auersus à Deo, vana diligens, & vana faciens, ipse quoque vanus, imò ipsa vanitas efficitur. Qualia sunt opera eius, talis & ipse opifex. Qualis est homo extra se, in opere quod facit, talis est apud se in corde, vbi facienda disponit. In opere enim suo quasi in speculo author exprimitur. Erat autem in homine ante peccatũ imago, scilicet Dei, qui est veritas. Post peccatum verò deformata est in homine imago veritatis, & depicta est in eo imago vanitatis. Vanitati enim similis factus est; & quia in veritate non stetit, dies eius sicut vmbra prætereunt. In imagine enim pertransit homo. Nonne vides, quomodo terrenus homo auaritiam sectatus postposita imagine Dei cœpit amare imaginem nummi; cuius pretium in errore & stulta hominum opinione consistit? Nummum autem imaginem & superscriptionem hominis continentẽ, quasi ad imaginem & similitudinẽ hominis facit homo, mutans imaginem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, seruiẽs potiùs creaturæ quàm creatori, per errorem philargyriæ quæ est idolorũ seruitus. Quid sunt enim argentum & aurũ, publicæ monetæ charactere signata, nisi quædam simulachra Regum, & opera manuum hominum? Hi sunt, auare, hi sunt Dij tui, quos toto corde, tota anima, tota mente diligis, quos præcipuo honore colis, in quibus cõfidis: in quibus totam spem in omni necessitate ponis. Vbi enim *est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Erit autem tempus, quando dicetur talibus. *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes & bibebant vinum libaminum. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Conuersatio autem terreni hominis nõ in cœlis est, sed in terra. Non enim respicit cælũ, sed oculos suos statuit declinare in terrã: terram lingit, terrã comedit omnibus diebus vitæ suæ; conglutinat' est in terra venter ejus: infix' est in limo profũdi, & nõ est substãtia. Non enim statuit supra petrã pedes suos. Semper intrat in inferiora terræ, donec degluciatur à terra, sicut Dathan & Abiron: pro terra litigat, pro terra pugnat, donec fodiatur peccatori fouea, & donec obruatur terra, re-

1. Corin. 15.

Ibidem.

Psalm. 143.

Matth. 6.

Deute. 32.

Vbi sit conuersatio hominis terreni.

soluendus in terram, qui factus est de terra. Verumtamen tota vita sua superbit in gloriam suã. Alienæ felicitati inuidet, tam alienus à charitate, quàm plenus cupiditate. Non est benignus, non est patiens; sed est ambitios⁹, & æmulatur, & agit perperam: quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Cor eius graue est; diligit vanitatẽ, & quærit mendacium: os eius abundat malitia, lingua eius concinnat dolos. De terra est, & de terra loquitur. Egestatẽ semper timet, & ad cautelam futuri temporis sicut semper seruat augẽda, ita semper auget seruanda. In omnem casum superuenturæ necessitatis sibi ꝓspicit: odore lucri semper replentur nares eius, & dextera muneribus. Omnem artem augendi quæstus prudentiam vocat: paupertati insultat: in illius ęstimatione paupertatis nomẽ probro ducitur. Omnes res suas in tuto collocat: spẽ longioris vitæ semper sibi promittit, donec dicatur ei. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: ea autem quæ parasti, cuius erunt?* Hic ergo cùm interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius. Hic homo amicus mundi est, & inimic⁹ Dei cõstituitur. Hic est enim, qui contra Christum clamat, dicens. *Tolle, tolle, crucifige eum.* Terreni nẽpe erant, qui dicebant. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Nondum inuidia terreni hominis contra Christum quieuit. Persequitur enim Christum in nobis, ne viuat Christ⁹ in nobis. Siquis igitur Christi est, armet se zelo vindictæ contra persecutores Christi. Clamem⁹ ad alterutrum pro Christo cõtra inimicum Christi. Tolle, tolle, crucifige eum. Sed quam accusationem afferemus adversus hominem hunc? Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suũ: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Tolle, tolle, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Dei. Sicut fecit, sic fiat ei. Crucifixit, crucifigatur. Dignus est enim cruce, & re⁹ est mortis. Quænam, inquis est crux hominis istius? Æstimo, quia contempt⁹ mũdi. Quæquidem crux quasi ex duobus lignis aptatur, contemptu scilicet terrenæ substantiæ, & contemptu terrenæ gloriæ. Amat nempe terrenus homo duas res: quia confidit in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarũ gloriatur. In mundo confidit: liberet eum, si potest. A cõtemptoribus mundi extendatur in cruce, & tot⁹ extendatur in longum, & in latum. In cõtemptu terrenæ gloriæ, hoc est, in voluntaria vilitate, extẽdatur altitudo eius. Hæc est autẽ altitudo eius, terrena gloria, in qua quærit exaltari. In contẽptu terrenæ substantiæ, hoc est, in volũtaria paupertate, extendatur latitudo ei⁹. Hæc est enim latitudo eius, terrena substantia, in qua quærit, siue ad dexteram, siue ad sinistram, dilatari. In hac cruce appendatur terrenus homo: hic extendatur, & extensus moriatur, & mortuus sepeliatur, & non adiiciat, vt resurgat: sed destruat eũ Deus in finem. & evellat eũ de tabernaculo suo, & radicem suam de terra viuentium, & dispereat de terra memoria illius: pro eo ꝙ non est recordat⁹ facere misericordiam, & persecut⁹ est hominem inopem & mendicum.

Luc. 12.

Ioan. 19.

Idem cap. 11.

Psalm. 51.

Crux hominis terreni.

De homine carnali.

EST alia crux, in qua appendendus est homo carnalis. Nam quãvis idem homo sit terren⁹ & carnalis: secundùm causam nominis tamen, & differentiam amoris, aliquid interesse videtur. Apostolus de lege peccati, quæ est in membris, loquens, inter cætera sic dicit. *Ego carnalis sum venundatus sub peccato.* Qui venundatus sub peccato est, servus aliquomodo, & non plenè liber est. Non enim quod vult bonum, hoc facit: sed quod non vult malum, hoc agit. Et si malum penitus vult, & malum facit, iam servus est peccati, quia ipse facit peccatum. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati, iam plenè venundatus est sub peccato, pro consensu voluntatis accipiens nummum illicitæ delectationis. Passiones siquidem peccatorum operantur in membris nostris, vt fructificent morti: & has quidem passiones nos omnes, siue boni, siue mali, communiter, quamvis non æqualiter, sentimus; sed non omnes his consentimus. Qui autem sentit, & non cõsentit, non omnino immunis est à culpa. Malum enim quod non vult, illud facit. Nã sentiendo passionem concupiscentiæ, malum cõcupiscit, & non vult concupiscere malum Facit itaque malum, quod non vult: nam malum cõcupiscere, malum est. Qui autem cõcupiscit malum, & non consentit, malum facit quodammodo, inquantum concupiscit malum: & quia non cõsentit, aliquo modo non operatur illud; quia tentatus à concupiscentia, quasi inuitus patitur, quod pati non vult. Hinc Apostolus concupiscens & non consentiens, vtrumque dicit; se facere malum, quod non vult, & se nõ operari illud. *Quod nolo*, inquit, *malum, illud facio*; hoc est concupisco, & cõcupiscere nolo. *Et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; quasi diceret. Concupiscere nolo, & concupiscentiæ non consentio; sed legem peccati quæ est in membris meis, inuitus sentio. Mouetur enim in me, ita vt à me sentiatur: sed non me intantum mouet vt ei cõsentiatur. Iustus itaque cùm tentatur à concupiscentia sua, aliquam habet excusationem, quamuis non sufficientem, vt omnino immunis sit à culpa. Requisitus enim cur titillationem carnis in carne sentiat, cùm non consentiat, habet quod respondeat. Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sẽtire autem vel non sentire passiones membrorũ, non semper est in nostra potestate; cõsentire autem sic est in nostra potestate, sicut non est sine nostra voluntate. Aliquando verò qui sentit, & non cõsentit, fixum habet in corde, omnino non consentire: & in desiderio habet, tentationem omnino non sentire: sed quod sentit, infirmitatis est; quod non cõsentit, virtutis est: quod desiderat omnino non sentire, studium pacis & securitatis est. Aliquando verò qui dispositum habet non consentire, vult tamen huiusmodi passionem sentire; quia ex ipsa tẽtatione aliquis proventus speratur, & expectatur. Tantò enim victoria gloriosior existimatur, quantò validior fuerit tentatio, cui resistitur. Propterea nonnulli volunt sentire, qui non volunt consentire; vt non consentientes sentiant, & tentati resistant. Periculosum est autem, huiusmodi tentationem sponte appetere, & etiam venientem, quatenus datur, non statim repellere. Securius est enim non tentari, quàm cũ tentatione congredi. Varius est enim euentus belli, & anceps est victoria sub discrimine pugnãdi. Hinc nos Dominus sic docet orare dicens. *Orate, ne intretis in tentationem.* Nam quod Propheta dicit, *Proba me, Domine, & tenta me,* ad illam tẽtationem pertinet, qua tentantur iusti à Deo; qui tentat electos

Rom. 7.

Ibidem.

Consentire tentationi est in nostra potestate.

Matth. 26.

Psalm. 25.

suos, vt inueniat illos dignos se. Qui autē à carne tentatur, & tentationi cedit, hic est qui passiones sentit, & omnino consentit; tantò magis carnalis homo est, quantò magis curam carnis in desiderijs perficit, non spiritui consentiens contra carnem; sed carni acquiescens, quæ concupiscit aduersus spiritum. Homo iste amat vinum & pinguia, otium, & securitatem, & saturitatem; indui purpura & bysso, epulari quotidie splendidè, quæcumque desi derant oculi eius, non negantur eis. Omnia desideria sua in impetum voluntatis relaxat. Quicquid delicijs carnis non seruit, vanum reputat: & hanc ratus est partem suam, si fruatur bonis suis in vita sua: nihilque amplius habet de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole. Quis sit finis carnalis hominis, in parabola Evangelica de diuite & paupere, ostēditur, vbi dicitur. *Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Et de Babilone scriptum est. *Quantum exaltauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Melius ergo nobis est, hujusmodi hominem in interitum carnis tradere morti, quàm cum ipso trahi in puteum interitus. Mortificanda est itaque caro nostra, & crucifigenda, vt destruatur corpus peccati, iuxta vocem Prophetæ dicentis ad Dominum. *Confige timore tuo carnes meas.* Quoniam verò ad carnalem hominem dictum est, *Tu verò odisti disciplinam*, nulla dignior crux inuenitur, quàm austeritas regularis disciplinę, qua crucifigatur carnalis homo, cui cruciatus est disciplina, quam odit. Regularis disciplina crux est, quæ ex legibus abstinentiæ & continentiæ, quasi ex duobus lignis extruitur. Abstinentia enim gulam temperat, & lex continentiæ in omnibus sensibus mentis & corporis luxum frænat; & in his est omnis carnalis homo.

Luc. 16.
Apoca. 18.
Psalm. 118.
Psalm. 51.
Crux hominis carnalis.

Item vnde suprà.

LVxuria in nobis frænari, & gula temperari sic possunt, vt passionibus peccatorum, quæ habitant in membris nostris, non consentiatur: non sic autē, vt lex quæ est in mēbris nostris, omnino non sentiatur. Concupiscentia enim quæ nobis innata est & connata, longo vsu disciplinæ, & assiduitate spiritualis exercitationis, in viris iustis debilitari potest, & infirmari, ne præualeat; omninò autem extirpari non potest: salua tamen spiritus Dei libertate, cuius gratia nulla lege constringitur, quò minùs possit vel abundare, vel superabundare, in quibus velit, & quātum velit. Sed sicut Gentes in medio filiorum Israël derelictæ sunt, vt erudiret in eis Dñs Israelem; nec poterat Iebusæus eijci de Ierusalem: sic concupiscentia carnis in terra corporis vel cordis nostri semper habitat, vt erudiamur in ea: & numquam nobis hostis deest, contra quem pugnemus. Militia est enim vita hominis super terram. Hæc autem concupiscentia infirmitas nostra est, quæ jugiter repræsentat nos nobis, ne simus fidentes in nobis. Ostendit enim nobis, quales simus ipsi in nobis, & à nobis. Qui autem ab infirmitate tentatur & vincitur, supra modū infirmus ipse inuenitur: nam ipsa infirmitate qua vincitur, infirmior esse conuincitur. At is qui ab infirmitate tentatur, & non vincitur, ex ea parte infirmus est, qua infirmitates sentit: ex ea verò parte virtutem sibi adesse sentit, quæ infirmitati non consentit. Nam virtus in infirmitate perficitur. Si cui autem Sanctorum desuper datum est, sicut de beatissima virgine, maximè post supervenientem Spiritū piè creditur, in hac mortali carne nullam mali concupiscentiam omnino sentire: sicut est hæc vel rara, vel singularis gratia, ita & rara, vel singularis gloria. Si quis autem talis est, non iam pugnat, sed triumphat, sed regnat, habens pacem super pacem: pacem à cōsensu, pacem à sensu: non jam accinctus in prælio, sed discinctus in triumpho. *Non glorietur,* inquit Rex Israël, *accinct⁹ æquè vt discinctus.* Sed quis gloriabitur castum se habere cor? Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Sicut verò confusione dignus est, qui ab infirmitate vincitur: sic qui infirmitatem vincit, inglorius esse videtur. Quid est enim infirmitas, nisi quod dicitur; quid est nisi infirmitas, nisi debilitas, nisi imbecillitas? Quæ verò gloria est, aut quæ virtus, infirmitatem vincere? Magna quidem gloria est, & magna virtus est, si cùm simus infirmitate ipsa infirmiores, infirmitatem vincimus. Verùm hæc gloria, hæc virtus nostra non est, sed Domini virtutum, qui est Rex gloriæ, qui glorificatur in electis suis, & mirificat misericordias suas in infirmitatibus Sanctorum, ad quem & dicitur. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Si pensemus, quid possimus à nobis, qui nec ipsi infirmitati resistere nostris viribus sufficim⁹, nulla est omnino virtus nostra. Sed Propheta dicit. *In Domino sperans non infirmabor.* Et iterum. *Dominus fortitudo plebis suæ.* Si autem Deus noster virtus nostra est, & fortitudo nostra, maior est virtus nostra, quàm nos ipsi sumus; imò nos ipsi quid non possumus in eo, qui omnia potest? In omnipotēti virtute quid nō possum⁹? *Omnia,* inquit Paulus, *possum in eo qui me cōfortat.* Cùm ergo infirmitas vincitur, quia fortitudo nostra non est, nec laus nostra est: quia virtus nostra non est, nec gloria nostra est. Rectissimè ei ascribitur gloria, cuj⁹ virtute obtinetur victoria. Dominus enim virtutum ipse est Rex gloriæ. Dominus gloriosus in triumpho, Dominus potens in prælio. Hinc Propheta dicit. *Fortitudo mea & laus mea Dominus:* fortitudo in pugna, laus in victoria. Dominus enim est, qui pugnat pro nobis: Dominus est, qui vincit in nobis. Quando autem infirmitas sentitur in nobis, cui non consentitur à nobis, destruitur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Si per corpus peccati rectè intelligitur cōsensus peccati, tunc corpus peccati verè destruitur, cùm tentanti concupiscentiæ non consentitur. Carnalis autem homo, quia homo peccati est, & filius perditionis, habens corpus peccati, cui concupiscentia est quasi pro anima eius, & consensus quasi pro corpore: & cùm concupiscentiæ plenè consentitur, quasi corpus peccati viuificatur, & iam peccato seruitur. Fortè alicui videbitur concupiscentia, cùm ad carnem illam, scilicet quæ concupiscit aduersus Spiritum, pertineat, magis carni similanda; consensus verò magis animæ, quàm carni. Consensus enim in volūtate est, & voluntas consentiens in anima. In spirituali quidem homine sic est, in quo sensualitas ratione regitur, & suo superiori quasi inferior subijcitur. In carnali autē homine non sic; versa enim vice, & peruerso ordine voluntas spiritus concupiscentiæ carnis & consentiendo subijcitur, & inferior inuenitur quæ consentit, quàm cui consentit. Concupiscentia enim mouet animā, vt sentiat quod priùs non sentiebat: cùm verò mota sentit, commota consentit,

Iob. 7.
B. Virgo immunis à concupiscentia.
3. Reg. 20.
1. Ioan. 1.
Psalm. 88.
Psalm. 25. & 27.
Philip. 4.
Psalm. 117.
Corpus peccati consensus est.

consentit, à sua dignitate degenerat, & locum suum deserens inferiori suo se subijcit, & quasi inde viuificatur, vnde mouetur: nec iam agit vt spiritus, sed patitur vt caro. Vnde & corpori nõ immeritò assimilatur. Per legem verò disciplinæ consensus refrænatur, & corpus peccati destruitur, caro castigatur, vt non mens carni in lege carnis subijciatur, sed à carne in lege mẽtis menti seruiatur. Hinc Apostolus ait. *Ego castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* De carnali autem homine hæc dicta sint.

1. Cor. 9.

De animali homine.

ANimalis autẽ homo quis sit, ex verbis Apostoli innotescere potest. Ait enim sic. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur.* Carnalis homo à terreno homine amoris proprietate differre videtur Amat enim ille terrã: amat hic opera carnis. Animalis autem homo vel sensu vel affectu cognoscitur. Animalis est sensu, qui non sapit ea, quæ sũt spiritus Dei. Animalis est affectu, cui non sapiũt ea, quæ sunt spiritus D ei. In spiritualibus enim animalis hominis examinatio fit: ibi examinatur, quisquis animalis est. Audit animalis homo verba Dei, & fortè non intelligit, quia animalis est: aut si fortè intelligit, statim aut tædio, avt odio, aut contemptu, aurẽ auertit. Stultitia enim est illi: quia animalis est. Hinc Apostolus ait. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est.* Illi quippe, qui crucem non credit, verbũ crucis stultitia est: quia animalis est sensu, in vanitate sui sens᷒ ambulans, & obscuratũ habens intellectũ. Illi verò, qui crucem credit, & exemplum crucifixi non imitatur, verbũ crucis pro Christo tollendæ stultitia est: quia eiusmodi animalis est, nõ iam sẽsu, sed affectu. qui animalis est sensu, ignorat & errat, in tenebris ãbulat, nescit quo vadat: obscuratum est insipiẽs cor eius; sapientiam Dei in mysterio absconditam stultitiam reputat: sapientiam huius mundi, quæ stultitia est apud Deum, prudentiam vocat: aliud pro alio probat; bonum dicit malum, & malum bonum: ponit tenebras lucem, & lucem tenebras; ponit dulce in amarum & amarum in dulce. Qui animalis est affectu, sine affectione est, diuini amoris affectũ in se non sentit. Duro enim & indomabili & insensibili corde aut tepet, au riget, au torpet, aut stupet: spiritualis militiæ exercitia aut odit, aut fastidit, aut contemnit, aut negligit. In principio vigiliarum suarum non consurgit ante conspectum Domini Dei sui; cor suum sicut aquam non effundit: ignitas compũctiones, & arcanas iubilationes in corde non sentit; non anhelat sanctis suspirijs, non æstuat pijs desiderijs: non in lege Dei delectatur, non sanctis meditationibus inflammatur, non contemplatione suspenditur; non sedet solitarius & tacitus, vt eleuet se super se: non petit vt accipiat, non quærit vt inveniat, non pulsat vt aperiatur illi: diuinis laudibus non occupatur: non loquitur sibimet in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus inter cantantes & psallẽtes in cordibus suis Domino. Sicut æger languet stomacho, & ore amaricato fastidit cibum spiritualem, cibum qui non perit, qui permanet in vitam æternam. Omnem escam abominatur anima illius: appropinquauit enim vsque ad portas mortis. Homo animalis magis secundum animam, quàm secundum corpus

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

Homo quoad animam animalis.

agnoscitur. Animale enim corpus habent in hac mortali carne degentes, non solum animales, sed & spirituales. Corpus enim nostrũ secundũ præsentẽ statũ hoc accipit ab anima, vt sensificetur ab ea, sicut cætera animalium corpora. Sua mole pressum graue est & ponderosum, varijs passionibus & corruptionibus obnoxium; necessitate moriẽdi astrictum, & vt modico tempore viuat, alimentis, fomentis, & medicamentis indigens; nunc proficiens, nunc deficiens, & in ipso suo profectu in defectum vergens, sicut vetus vestimentum, quod dum sarcitur, magis magisque veterascit & atteritur. Apostolus verò dicit. *Si est corpus animale, est etiam corpus spirituale.* Non est credendum, id eum dubitando dixisse. Non enim erat Apostolo incertum, quod nulli debet venire in dubium. Constat enim, corpus esse animale: & cõstare debet, corpus esse spirituale. Alterum docet ipsa rerum experientia, & cõmunis infirmitas nostra: alterum suadet conscientia fidei, & exemplũ resurrectionis Iesu Christi. Sed non priùs quod spiritnale, sed ꝙ animale, deinde quod spirituale. Erit autem corpus nostrum spirituale, cũ corruptibile hoc induerit incorruptelam: quando quod mortale est, absorbebitur à vita; quando consummabitur tabernaculũ nostrum; quando Templum Dei, quod nos sumus, dedicabitur, & coronis aureis facies Templi ornabitur: quando caro nostra quasi ænea solidabitur, & quasi petra firmissima durabitur: ad omnem causam læsionis, & violentiam passionis, & vim tentationis impenetrabilis & inaccessibilis. Erit autem corp᷒ spirituale sua virtute gloriosũ, leue, & agile: non iam cibo indigens, vt post peccatum, & ante peccatum: ab omni seruitute corruptionis & necessitatis liberum: non in spiritus naturã versum, sed in summa libertate absq; omni contradictione spiritui subiectũ. Interim autẽ corp᷒ animale cõmuniter habent homo animalis, & homo spiritualis: & magis secundùm statũ mentis quàm corporis alter ab altero discernitur. In corde enim animalis homo à spirituali spiritualiter crucifigitur. Crux autem est æmulatio Dei secundùm sciẽtiã. Sciẽtia enim & æmulatio arma sunt *militiæ nostra, non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum:* quibus nos armamur, *destruentes cõsilia & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei; & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Adverte in illis verbis Apostoli, altitudinem adversus scientiam Dei extolli. Quæ est autem hæc altitudo, nisi de qua dicitur, *Noli altum sapere?* Hæc est altitudo animalis hominis, qui in vanitate sui sensus ambulat. Altitudo autem crucis scientia Dei est, quæ in captiuitatem redigit omnem intellectum in obsequium Christi. Latitudo verò animalis hominis animalis est affectus. Vagatur enim per illicita in via lata, quæ ducit ad perditionem. Latitudo verò crucis est affectus deuotionis in latitudine charitatis. Sunt autem nonnulli, qui æmulationem Dei habent, non secundum scientiam: alij autẽ scientiam Dei habent, & non æmulationem. Verùm, vt ex duobus lignis crucis statura compingatur, iungenda est scientiæ æmulatio, & scientia æmulationi; ne fit indiscreta deuotio, vel indeuota discretio. Mundum siquidem animal est, quod & ruminat, & vngulam findit. Indiscreta deuotio à tentatione rerum impossibilium plerumque Deum tentat, & ignorantia rerum vti-

1. Cor. 15.

De statu corporis gloriosi.

2. Cor. 10.

Rom. 11.

Deuotio sine discretione non debet esse, & vicissim.

lium aut præsumit, quod non expedit; aut quod expedit, prætermittit. At indeuota discretio licet non erret in cognitione rerum vtilium, errat tamen in electione. Videt meliora, probatque, deteriora sequens. Non minor error est, eligere quod est deterius, quàm ignorare quod melius. Sua sententia sese cõdemnat, qui electione probat, quod iudicio reprobat; & in alterutra parte stultitiæ se arguit, qui citra necessitatis violẽtiam aliter eligit, & aliter sentit. Ad aliquam visibilem speciem cõtemplandam non sufficit interior lux oculorũ sine adminiculo lucis exterioris, sicut nec ista versa vice sine illa lux lucem adjuvat, vt res visibilis videri queat. Non videt oculus clausus in meridie; non videt oculus apertus in tenebrosa nocte. Habet aliquid huic simile discretio sine deuotione, aut deuotio sine discretione. Ad contemplandam speciem inuisibilis Dei perduci desideram⁹ & speramus. Duo oculi necessarij nobis sunt, quos illuminari à Dño petit, qui dicit. *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte.* Oculus discretionis sine luce deuotionis, aut oculus deuotionis sine luce discretionis, minùs videt: sicut oculus qui in luce clauditur, vel in tenebris aperitur. Iungenda est ergo discretio deuotioni, & deuotio discretioni: vt abundet in nobis charitas cum scientia, & scientia cum charitate, iuxta cõsilium Apostoli dicentis. *Charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu: vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensione in die Christi,* Qui verò scientiam habet, & charitatem non habet, hic infatuatus est ab scientia sua. Sine charitate enim nec magnitudo scientiæ, nec contemptus mundi, nec castigatio disciplinæ, ante conspectum Dei aliquid est. Sola charitas gloriam crucis sibi vendicat, per quam nos gloriari oportet in cruce Domini IESV-CHRISTI, qui est super omnia diligendus & benedicendus in sæcula sæculorum, AMEN.

Psalm. 12.


Philip. 1.

TRACTATVS DVODECIMVS.

SEV EXHORTATIO AD SACERDOTES,

In illud Actor. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, *&c.*

Actor. 20.



ATTENDITE *vobis, & vniuerso gregi; in quo vos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Apostolicus sermo ad vos dirigitur, ô Sacerdotes Domini, ministri Dei nostri. Vobis dicitur, Attendite vobis, & vniuerso gregi. Primùm vobis, deinde gregi. Habenda est ratio salutis propriæ, his qui negotium procurant salutis alienæ. Castigatis moribus decet eos viuere, quibus credita est censura moralis disciplinæ. A se debent incipere, & sese non negligere, quos primùm oportet pro se rationem reddere. *Attendite,* inquit, *vobis.* Attendite, quid estis secundum naturam infirmæ conditionis, quid secundum functionem iniunctæ legationis, quid secundum dignitatem acceptæ potestatis; quid secũdum humilitatem debitæ seruitutis. Attendite, quid estis cũ alijs, quid propter alios, quid supra alios, quid denique infra alios. Cum alijs quidem quid estis, nisi homines similes alijs passibiles; in peccatis concepti, moriendi necessitate adstricti: etsi per gratiam de peccatis liberati, nondum tentationibus inaccessibiles, nondum insuperabiles? Nam & tentari potestis adhuc, & à tentationibus superari, vtpote infirmitate circumdati, vt possitis compati infirmitatibus alienis. Tales enim decet esse Pontifices, qui norint esse cõpassibiles, eoquod sint & ipsi passibiles. Ergo quia homines estis, infirmi estis, sicut homines, secundum naturam infirmæ conditionis. Secundum functionem injũctæ legationis propter alios, Angeli pacis estis, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, vt cum Apostolo dicere possitis. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Nam quòd Angeli sitis, Malachias ostendit, cùm ait. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* Si autem Angeli estis, in cœlis est conversatio vestra. Non enim estis in carne, sed in spiritu; sicut administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Missi autem à Deo, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Et vos quidem sicut ministri Dei, non solum sicut ignis ardens, sed & ignis vrens rectè nũcupamini; ardentes sicut Seraphim, sicut vicini Deo, & vrentes & illuminãtes subditorum corda, vt calore igniti eloquij pariter ardeãt, & à calore ejus non se abscondant. Deputati estis singuli ad custodiam multorum, & nemo subditorum sine Angelo custode est, qui præsit ei, & custodiat eũ in omnibus vijs suis; sicut de Deo ad virum iustum Propheta loquitur dicens. *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Verumtamen cùm Sacerdotes Dñi pro similitudine officij Angelis assimilari, Angeliq; possint dici; sicut bonorũ Angelorum semp est societas affectãda, sic malorum Angelorum similitudo semper est fugienda. Mali nempe sacerdotes cùm boni Angeli non sint, malis Angelis rectiùs comparantur, qui de cœlo lapsi in veritate non steterunt, & honorẽ Angelicæ dignitatis perdiderunt. Cœlestis autem conversatio sanctorum Sacerdotum si cœlo comparari potest, nonne qui de sublimi vitæ sacerdotibus dignæ, ad indigna vilioris vitæ dejecti sunt, sic corruisse videntur, sicut Angeli cadentes de cœlo? Qui etsi in illo sublimi culmine virtutum nũquam fuerunt, locum tamen nihilominus illum perdiderunt, quem habere potuerunt & debuerunt, sed non meruerunt. Inde enim excidisse videntur, vbi essent, si mali non essent; & vbi sunt, qui tales non sunt. Propterea ad eos tamquam homines, nec jam Angelorum nomine dignos, pertinere videtur illa Prophetica comminatio. *Vos autem sicut homines moriemini; & sicut vnus de principibus cadetis.* Cecidit vnus de principibus, cui multi adhæserunt, sicut vna membra vni capiti. Ne ergo & vos cadatis, sicut vnus de principibus, attendite, quia non solum Angeli estis propter alios; sed & dij estis supra alios; & hoc secundum dignitatem acceptæ potestatis. Bene ergo Propheta comminaturus malis ruinã cum Angelis malis, de bonis præmisit. *Ego dixi*

Quatuor considerare debeant sacerdotes.

Psalm. 90.

Mali Sacerdotes de cœlo corruisse videntur.

2. Cor. 6.

Psalm. 81.

Malac. 2.

Sacerdotes sunt Angeli

Psalm. 81. *Dij estis, & filij excelsi omnes.* Potestas vestra de cœlo est, an ex hominibus? Non ex hominibus, sed ex Deo est. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Et tamen vobis data est potestas dimittendi peccata: quia Deus Deorũ Dominus locutus est, & dixit. Matth. 18. *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* In hac autem potestate vestra Deus repræsentatur in terra à vobis, qui repræsentatione vnius veri Dei Dij nuncupamini, & dij estis, vt per vestrũ ministerium Deus semper præsens sit quærentibus eum, non solum præsentia maiestatis, sed repræsentatione suæ authoritatis & potestatis. Attendite, quãtus honor debeatur illi à vobis, qui tã honorabile nomen dedit vobis. In hoc enim nomine timendi estis & honorandi. Timendi vt iudices, honorandi vt patres. Timendi pro potestate, honorandi pro sanctitate. Si cui vestrum sanctitas deest, quod absit, timeat ille, quoniam Deus judex est. Timeat, quoniam Deus stetit in medio Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Dum enim discernit cœlestis Reges, hoc est, qui se & alios regere debent, Deos dijudicat. Nouit enim qui sunt ejus, nec latere possunt ante oculos ejus, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Nam qui amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominib⁹ Rabbi, qui sunt mercenarij, qui sunt fures & latrones; qui non intrant per ostium, qui sunt nummularij, qui vendunt columbas in templo, qui sunt canes muti, qui sunt operarij mali, qui sunt percussores, qui litigiosi, qui non sobrij vel casti, totum hoc genus Deorum inter falsos Deos cõputandum videtur. *Mali Sacerdotes simulachris similes.* Simulachra enim sacerdotũ sunt, & sicut imagines Deorum aut idola abominationum in templo. Quemadmodum enim vnius veri Dei cultus per idolatriam idolo indebitè exhibetur, ita honorem dijs, idest sanctis Sacerdotibus debitum, indebitè sibi vsurpant, qui sibi sumunt honorem, non vocati à Deo tãquam Aaron. Ad hoc pertinere videtur, quod scriptum est. Prouer. 26. *Qui honorem tribuit insipienti, sicut qui lapidem mittit in aceruum Mercurij.* Verumtamen in quocumque sacerdote sanctum est ministerium, & honorabile sacerdotij sacramentũ: nec licet nobis Christos Domini tangere, & iudices à Deo constitutos iudicare. Est qui quærat & iudicet. Deus est enim qui Deos dijudicat. Omnia quidem vitia per se & in se publicæ reprehensioni sunt obnoxia, vt pote diuino iudicio prædamnata: sed non passim permittitur personas pro ipsis vitijs, vel vitia in ipsis personis, palam arguere: vel publicè condemnare. Vos autem Sacerdotes Domini, qui sicut decet Christi ministros, potestati diuinæ reuerentiam exhibetis, in omni iustitia & sanctitate attendite dignitatẽ vestram, quanta sit. *Sacerdotum dignitas quanta.* Nam plusquam homines estis, quia Angeli Dei, & quasi messores Angeli, vt tollatis de regno eius omnia scandala. Adhuc autem plusquam Angeli estis: quia Dij sicut nomine, ita & honore præcelsi. Attendistis dignitatem, & quia supra alios estis: attendite nunc, & iterum dico, attendite humilitatem vestram, & seruitutis necessitatẽ, & quid infra alios estis. Si vultis audire, dicat prius Propheta, ne vobis contumelios⁹ videar, quid estis: qui ad Dominũ loquens ait. Psalm. 103. *De fructu operum tuorum satiabitur terra. Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum.* Ecce quid estis. Iumenta & seruitus hominum. De tam alto in tam imũ deuoluti estis, sicut scriptum est. Psalm. 106. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* Nam & in alio loco scriptum est. Iob 26. *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Vos sicut gigantes procerioris staturæ præ cæteris secundum præeminentiam dignitatis, sub aquis populorum gemitis, multiplici cura & solicitudine degrauati. Sicut exaltati sunt cœli à terra, sic exaltati sunt Dij à jumentis, id est, vos à vobis. Vos Dij rectores animarum, inter cætera quæ attendenda sunt, hoc summopere attendite, quàm sit res difficilis animas regere, & moribus singulorum seruire, omnibus sese conformare, vt nihil differant à seruis, cùm sint domini omnium. Propter quod qui major est in vobis, vt fiat sicut iunior, non confunditur vocari servus servorum Dei. *Papa seruũ seruorum Dei se dicit.* Hujus seruitutis legem ostendẽs Apostolus, quæ sit, dicit. 1. Corint. 9. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci. Omnibus omnia factus sum: vt omnes facerem salvos.* Ad rationem huius seruitutis demonstrandam pertinet etiam, quod scriptum est. Eccli. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Ac si diceret. Secundum magnitudinem dignitatis, æqua sit mensura humilitatis. Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas enim sicut causa, ita est & custodia honoris. Omnis siquidem honoris promotio, quæ cum suo ordine procedit, ab humilitate incipit, & exaltatione consummatur. Nam qui se humiliat, exaltabitur, dum modo se non humiliet, vt exaltetur, sed magis se humiliet, ne exaltetur. Dico in mundo: exaltetur autẽ in Deo. Nam qui verè humilis est, non ambit honorem; cùm honorem accipit, non per ambitionem rapit honorem, sed propter humilitatem rapitur ad honorem, ne sit ipse prædo honoris, sed quasi præda ipsius honoris. Humilitas enim sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem: *Humilitas sibi sufficit ad honorem.* honor autem sine humilitate sese perducit ad confusionem. Sicut ergo humilitas dignè præuenit honorem, & sic & dignè custodit. Videant itaque qui in honore sunt, vt se humiles in omnibus exhibeant exemplo Christi; qui sicut magister humilitatis, cùm esset præcessor, factus est sicut ministrator: cùm esset prim⁹, factus est quasi nouissimus, inclinãns se vsque ad pedes discipulorum. Exemplo humilitatis suæ sicut mole graui premit vos Christus vsque ad humilia, vt subditi sitis etiam subditis. Hoc ergo sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Cùm esset ille Deus in forma Dei, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et vos Dij estis, exinanite vosmetipsos, & servilem formã assumite: vt interim efficiamini sicut homines propter homines, infirmi propter infirmos, omniũ necessitates & infirmitates in vobis ipsis suscipientes, sicut ille, qui dicit. 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Oportet vos omnibus plus laborare, quia pro omnibus. Propter quod non solum serui hominum estis, sed & seruit⁹ hominum, sicut boues triturantes; sicut iumenta, quæ necessitatibus hominum laborando deseruiunt. Terra plebium subiectarum, si datum quæritis, fœnũ & herbam vobis producit in temporibus, quæ vobis debentur, & quæ habetis & possidetis. Si fructum quæritis, & non datum, cùm Apostolo dicente, Philip. 4. *Non quæro datum, sed quæro fructum.*

abundare debet fructus iustitiæ in terra vestra, sicut in agricultura Dei. Per ministerium vestrũ, fœnum & herba vobis debentur: at vos quid debetis? Primùm quidem omnia vestra, deinde vosmetipsos, totum quod potestis, totum quod estis. Denique animas vestras pro animabus vobis commissis, & libentissimè, sicut ille, qui dicit. *Libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Ergo debitores estis, non quasi vni parti gregis cōmissi; sed vniuerso gregi. Sicut vniuersis, ita & singulis, sapientibus & insipientibus. Pro omnibus enim reddēda est ratio. Propterea vniuerso gregi attendite, in quo vos Spiritussanctus posuit. Ad illos enim pertinet hic sermo, qui non sibi sumunt honorē, sed vocati sunt à Deo tamquam Aaron. Hi enim cùm spiritu hujus mundi aguntur, à Spiritu sancto positi nō sunt, nec à Deo electi sunt sicut Aaron, quem elegit ipsum: sed ipsi vocauerunt nomina sua in terris suis. Quænam sunt illa? Nomina fortè honorum, nomina dignitatum. Archidiaconus, Episcopus, Archiepiscopus, cæteraque similia, magna nomina sunt. Multi hæc nomina nondum habentes, & habere cupientes, nondum sua, vocauerunt quasi ad se, vt essent sua. Vocauerunt autem clamore valido, fortè obsequijs, fortè muneribus, fortè assentationibus, vel alijs modis, quibus vocare solent, qui ad hæc vocati non sunt. Hi sunt quos agitat spiritus huius mundi, spiritus vertiginis. Hos Deus non vocauit, & ideo non justificavit, nec glorificabit. Nam ab hominibus gloriam quærunt, non gloriam quæ ex Deo est. Etsi coram hominibus gratiosi & gloriosi inueniantur, coram Deo confusi sunt, quoniā Deus spreuit eos. Vos autem non sic, quos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Nomen vestrum & causa nominis vos admonet officij vestri, vt nihil negligēter agatis in cura vobis commissa; sed satis superque attenti & intenti sitis regere Ecclesiam Dei. In hoc posuit vos Spiritussanctus. Hoc est enim officium vestrum, secundum geminum regendi modum dirigere & corrigere in iustitia & iudicio; his enim virtutibus sedes Dei aut præparatur, aut corrigitur, sicut scriptū est. *Iustitia & judicium præparatio sedis tuæ.* Et alibi. *Iustitia & judicium correctio sedis ejus.* Cathedra enim vestra, siue sedes vestra plebs subjecta est, cui præsidetis, sed ad tempus; sicut vicarij Christi, qui vobis præsidet, & in eis sedet, sicut in sede sua, & vos in illis sicut in sede vestra, sed magis illius. Ergo sedetis sicut sedes in iudicio, quia justitia & iudicium præparatio sedis eius. Per vestram enim iustitiam & vestrum iudicium præparanda est sedes Dei in directione virtutum, gratia ipsius cooperante, cui dicitur. *Tu parasti directiones.* Per vestram iustitiam vestrumque iudicium præparanda est sedes Dei, in his qui nondum sessibiles se Deo sessori præbuerūt; hoc est, in his, qui nondum Deo per obediētiam subjecti esse cœperunt: præparanda est & in ijs, qui cœperunt, ne deficiant, sed magis & proficiant, donec quæ bene inchoata sunt perficiant: præparanda est & in ijs qui lapsi sunt, vt Deo juvante erigantur, quia Dominus supponit manum suam. Ad vestram iustitiam vestrumque iudiciū oculi omnium respiciūt. Inde pendet salus subditorum, & vita multorum. Vita vestra speculū est sanctitatis, honestatis exemplum, iustitiæ signaculum: personæ multarum facierum quæ sūt in Ecclesia, ibi vidēt aut suæ pulchritudinis gratiam, aut deformitatis maculam. Ibi vident quid imitari debeant, & cui conformari cupiant, designatur vita subditorū sicut cera mollior, vt imaginem accipiat signo sanctitatis expressam. Diligite ergo iustitiam, qui iudicatis terram. Si Christum diligitis, & iustitiam diligite. Ipse enim factus est nobis sapientia à Deo & iustitia, quando cùm non nosset peccatum, factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur gratia Dei in ipso. Christus factus est hostia pro peccato, & sicut bonus pastor animam suam posuit pro ouibus suis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Christus Ecclesiam sanguine suo acquisiuit, ad ostensionem nimiæ charitatis suæ qua dilexit eam, sanguinem suum pro ea fudit, & sic charitatem effudit. Hanc sic acquisitam, tam caram atque dilectam vobis commendauit, vobis commisit, quasi confidens de vobis, vt per vos confidat in ea cor viri sui. Propterea sicut diligitis Christum, & sicut de vobis cōfidere potest, sic custodite sponsam eius in fide vestra, zelantes eam, non vobis, sed illi; vt exhibeatis eam virginem castam sponso suo Domino nostro Iesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

2. Cor. 12. — Psalm. 98. — Psalm. 88. & 96.

TRACTATVS DECIMVS TERTIVS.

SEV SERMO, DE VERBIS ILLIS,

Rom. 5. **Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.**



CHARITAS Dei, qua nos dilexit ante mundi constitutionem, & elegit in dilecto filio suo, ipsa est fons & origo omnium bonorum: quæ nobis collata sunt in die creationis nostræ, & in die redemptionis nostræ, & in die iustificationis & sanctificationis nostræ: insuper autem & eorum, quæ nobis conferenda sunt in die glorificationis nostræ, quando glorificabitur in nobis Deus, & nos in illo. Non tenuiter dilexit nos Deus, non mediocriter, non exiliter, sed pleniùs, sed pinguiùs; non simulatè, non fictè, sed purè & sincerè: non specietenus, non forinsec᷒, quasi in superficie, sed intrinsecùs & medullitus; non verbo & lingua, sed opere & veritate. Si habitudinē attendis, pinguis est ista charitas & medullata. Omnes enim miserationes Dei super nos vnde processerunt, nisi de insolita eius benignitate? nisi de mera liberalitate, nisi de pura gratia, nisi de plenissima beneuolētia? Quidquid enim possunt merita nostra, hoc ipsius est gratia; & quod supra merita est, hæc est gratia super gratiam, vtpote cumulans & cumulatior gratia. Si dimensionem quæris huius charitatis, quia magna est, apud illum quidem mensurabilis est; apud nos immensa & immensurabilis. Si quo autem modo possimus comprehēdere cū omnibus sanctis, quæ sit dimensio eius, quāta tamen sit, cōprehendi vix potest, aut omnino non potest: supra id enim quod possumus, aut dicere, aut cogitare, alta

Dimensiones charitatis. est & profunda, longa nihilominus & lata. Altitudo eius sublimitas gloriæ, quam præparauit Deus diligentibus se: hoc est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit. Profunditas eius exinanitio vnigeniti filij Dei, & inclinatio tantæ maiestatis de sinu Patris vsque ad opprobrium crucis; de principio vitæ vsque ad finem vitæ, à summo ad imum, de cœlo vsque ad infernū, à fine vsque ad finem. Quis autem sufficit cogitare finem & finem? Quis potest cōprehendere, de quàm alto venit, aut quātum intersit inter summum vnde descendit, & imum quò descendit? Altitudo ergo huius charitatis est hominis prouectio, profunditas ej[9] Dei est inclinatio; & vt dictum est, à summo vsque ad imum, ab initio vsque in finem. At longitudo eius sine initio est & fine. Nam dilectio eius erga nos sicut nec desinit, sic nec incipit. *Psalm. 102.* *Misericordia enim ejus ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* Latitudo eius ampla est & diffusa, cōmuni & generali vtilitate beneuolentiæ ipsius & beneficentiæ. *1. Timo. 2.* *Omnes enim homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quod beneuolentiæ est. *Rom. 8.* *Et proprio filio suo non pepercit; sed pro omnibus nobis tradidit illum*, quod beneficentiæ est. Beneficentia autem eius eò maior æstimanda est, quò non solum ad omnes, sed & per omnia extenditur. Qui enim proprium filium nobis dedit, *Ibidem.* *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hæc autem charitas ante mundi constitutionem in cōsilio & proposito Dei clausa fuit, sed ordine suo reuelata est, profusa & effusa, infusa, & diffusa. *Charitas Dei profusa, &c.* Largiter quidem profusa est, quando Deus ad imaginem & similitudinem suā hominem creauit: largiùs & abundantiùs effusa est, quando per mortem vnigeniti filij sui hominē redemit. Infusa verò est, quando cor hominis ad tantam excellentiam charitatis intelligendam per gratiam fidei illuminauit. At tunc diffusa est, quando æmulationis proposito, & imitationis desiderio, & vicariæ dilectionis studio ampliati cordis latitudinem impleuit. Hæc est diffusio, quæ spem nostram confirmat, vt non nobis timenda sit confusio. *Spes*, inquit Apostolus, *Rom. 5.* *non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, quæ Dei est ad nos. Hanc enim illo in loco commendat Apostolus: sed per hanc diffusam diffusa est & illa in cordib[9] nostris, quæ est à nobis ad ipsum. Sic autem diffusa est hæc per illam, & in illa, sicut lux oculorum qui à sole illuminantur, diffunditur in luce, per quam illuminantur. Audi attentiùs huius comparationis similitudinem; vt de corporali luce ad spiritualem ratio deducatur. Est lux illuminās, qua quid videat vel videatur. Est lux illuminata, vt videat cuiusque rei species: est lux illuminata vt videat. Lux illuminās, vt quid videat vel videatur, est lux ista solis, quæ in ipsa palpebra diluculi infunditur, vt ipsa primùm videatur: deinde latiùs diffunditur, vt in ipsa videantur variæ rerum species, quæ cum coloribus & formis & figuris suis oculis nostris exhibentur. Lux illuminata vt videatur, istæ sunt visibilium species, quæ dum in tenebris sunt, ibi videri non possunt: sic quasi tenebræ sunt indistincta confusione informes: quando autem in luce sunt, quasi quædam lux sunt illuminata, vt videri possit. Nam vt Apostolus ait, *Ephes. 5.* *omne quod manifestatur, lux est.* Sic autem visibilis species videtur in luce, vt simul videatur lux in spiritu; & tantò clariùs, quantò clarior est lux, quàm species. Lux illuminata vt videat lux est oculorum, quæ latè diffunditur in luce diffusa, cùm latè patent oculis, quæ luce diffusiore illustrātur. Lux autem spiritualis, quę oculos nostros illuminat, charitas Dei est ad nos. Beneficia autem Dei multa & magna nobis exhibita & prærogata, lucem Charitatis quasi in se excipiunt, & oculis nostris ostendunt. In ipsis enim apparet, quantum diligat, & diligi debeat Deus. Nam dum magnitudo beneficiorum eius ante oculos nostros se expandit, immensa Dei charitas latè patens palam innotescit: & in eius contemplatione aspectus quoque mentis nostræ latiùs se diffundit: & dum charitas qua nos diligit Deus secundum dignam æstimationem beneficiorum eius altiùs cogitatur, imis sensibus intimata dulcescit, & mira suauitate mutui amoris cor afficit, ampliùs illud & dilatans, vt Dei capax efficiatur: cuius charitati secundum vicissitudinem amoris se coaptat & conformat, secundum altum & profundum, longum quoque & latum. Alta est enim charitas ad Deum, cùm altitudo speratur, & sublimitas gloriæ desideratur, non in hoc sæculo, sed in Deo, qui dicit. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* *Ioan. 12.* Cui & sponsa dicit, *Trahe me post te.* Profunda est, cùm propter Deum veritas ambitur; & abiectio eligitur, exemplo illius qui dicit. *Elegi abiectus esse:* *Psalm. 83.* vbi ostenditur, quod nolit eligi ad honorem, qui ipse sibi elegit abiectionem. Longa est charitas, quæ perseuerat vsque in finem, imò magis sine fine. Charitas enim numquam excidit. Lata est, quæ memor beneuolētiæ & beneficentiæ Dei, inter aduersa & prospera in ipso semper delectatur, in ipso lætatur, illi iubilat semper & exultat, tam lata quàm læta, sine angustia pusillanimitatis & murmurationis. Charitatis quippe latitudo ipsa est cordis dilatatio, quæ & ipsa est iustitiæ delectatio. Hanc diffusionem charitatis in dilatatis cordibus nostris operatur Charitas Dei, Patris scilicet vel Filij, operatur autem per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: qui & ipse Patris & Filij amor est, amborum connexio. Vt cætera Dei beneficia ad præsens reticeantur, quantum est ad exigendam à nobis charitatem, quòd vnigenitum filium suum dedit nobis, vt nos in eo sibi gratificaret, nec non & Spiritum sanctum, qui cor nostrum præpararet, quo cum Filio & Spiritu sancto Pater ipse veniret, & apud nos māsionem faceret! Diuisiones quidem gratiarum sunt, & in his omnibus charitas superexcellit: cuius diffusio per Spiritum sanctum fieri, & ipse Spiritus dari non frustra dicitur, non sine causa. Magnum & eximium est gratiæ munus, cum quo seipsum dat ipse muneris author, non sustinens diuidi ab hoc suo munere, vel hoc mun[9] à se. Qui ergo charitatē accepit in munere, rectè in Deo gloriari potest, & dicere. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* *Rom. 5.* At qui sermonem sapiētiæ habet, vel sermonem scientiæ, vel genera linguarum, vel interpretationē sermonum, vel gratiam cuiuspiā administrationis vel operationis, quamuis hæc dona sint Spiritussancti: tamen si charitatem non habet, tam non habet Spiritum sanctum in se, quàm verum est illud, quod scriptum est, *Spiritussanctus disciplinæ effugiet fictum.* *Sapient. 1.* Charitas autem cōtrarijs modis cor nostrum & angustat & dilatat. Sæpè sentire potes, quomodo stomachus ad cibos abominabiles, quos ref-

puit, se angustat & arctat. Vix enim strictis faucibus ingreditur, quod non libenter accipitur. Nihilominus sentire potes, quomodo ad cibos desiderabiles se relaxat & dilatat, & qua facilitate glutitur, quod cùm magna auiditate percipitur. Sic & charitas ad sæcularia desideria quæ non recipit, cor angustat: ad quæque salubria & sancta voluntatem dilatat, & libertatem desiderij sui relaxat. Cupiditas verò ad hæc transitoria se dilatat, quantú se ad cœlestia coarctat; & quantum cor magis retrahit, tantum ad minima constringit. Magna autem & ampla sunt quæ æterna sunt: parua verò sunt, quæ angustia temporis mox clauduntur, & breui voluptate citò finiuntur. Habet autem cupiditas suam altitudinem per affectatam honorum ambitionem: habet suã profunditatem per simulatam humilitatem, vel affectatam exaltationem: habet & lõgitudinem, per irreuocabilem continuationem: habet & latitudinem per inexplebilem capacitatem. Nos igitur qui mundo renuntiauimus, qui non spiritum huius mundi accepimus; sed spiritum qui ex Deo est, vt charitas Dei in cordibus nostris diffusa permaneat, sicut decet religionem nostram, diligam' Deũ toto corde, tota anima, tota virtute, eodem Spiritu intus operante, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

Auidè sumuntur quæ placent, non quæ displicẽt

Cupiditatis dimensiones

TRACTATVS QVARTVSDECIMVS,

Cant. 2. & 4.

Seu Sermo, De verbis illis, Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem; Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.



AMOR langor est, & infirmi animi passio. Ad quam veritatem asserendam si indigna & minùs idonea videtur authoritas Poëtæ, qui dicit, *Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis:* apud Religiosas mentes sufficere debet vox sponsæ, quæ loquitur quod sentit, & dicit, *Amore langueo.* Videamus ergo, an omnis amor languor sit. Est naturalis amor, quo parentes se diligunt & liberi; & in brutis animantibus vim suam obtinet. Nam & hæc super fœtus suos variè afficiuntur. Vrsa quippe catulis suis blandè murmurat, & gallina sup pullos suos infirmatur. Quid nisi amor effecit, vt plangeret Iacob, & diceret, *Fera pessima comedit filium meum, bestia deuorauit Ioseph?* Quid nisi amor impulit David, vt plangeret, dicens, *Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi det, vt ego moriar pro te, Absalom, fili mi, fili mi Absalom?* Est socialis amor, quo amicitiæ fœdera junguntur: quo quidem amore David & Ionathas sese dilexerunt, cujus dolore cruciabatur David, cùm diceret. *Doleo super te frater mi, Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum: & sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Est conjugalis amor, quo sese castè diligũt sponsus & sponsa, qui plerumque amariùs separantur, quàm dulciùs copulantur. Est incæstus amor, vel aliàs impudicus. Habet hic amor passiones suas, & dolorum angustias. Probat Amnon diligens Thamar, cui locutus est Ionathas. *Quare sic macie attenuaris, fili Regis, per singulos dies?* Probat & Sichem, qui Dinã dilexit, & agglutinata est animæ ejus anima illius. Est van' amor, amor huius mũdi, quo diligitur, quod ad vitam beatam obesse potest, & prodesse non potest. Quem amorem coarguit Propheta dicens. *Filij hominum, vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem?* Hic vanus amor, sicut & impudicus amor, non solùm languor est, sed & vitium animæ, & mors. Est sanctus amor, quo Deus verè, castè, purèque diligitur, qui & ipse languor est. Hoc enim anxiè laborat, quæ dicit. *Amore langueo.* Sed si amor Dei charitas est, & charitas virtus est, & inter virtutes summa est, quomodo amor Dei languor est? An amor Dei vel charitas infirmitas est? Erit virtus languor, & sanitas morbus & medicina. Quomodo sanitas vel medicina non est, per quam ab ægritudine curata est? De qua scriptum est. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quomodo charitas sanitas non est, quæ languentis animæ vulnera curat, & operit multitudinem peccatorũ? Si autem charitas sanitas est, quomodo languor est? Et si languor, quomodo incurabilis lãguor non est, cùm scriptũ sit, *Charitas numquam excidit?* An amor aliter habetur in desiderio vtendi, aliter in vsu desiderij? Ita planè. Interim quippe amor languor est, dum quæ amat, æstuat, anhelat, & suspirat: dum non habetur, quod desideratur; dum cruciatur, quæ à cupitis sponsi amplexibus differtur, & quia differtur. Sed qui sanat omnes infirmitates tuas, ô sponsa, & hunc lãguorem tuũ curabit, cùm se videndum ad habendum & fruendũ præbebit sponsus, id est, quando videbis eum sicuti est, oculo ad oculum, facie ad faciem, semel ei iungenda, & ab eius colloquio, visu, osculo, & complexu, numquam disiungenda. Ex tunc excidet languor tuus, sed nũquam amor tuus. Non erit, vt tũc dicere possis, *Amore langueo;* sed magis, Amore gaudeo; & inde tibi gaudium, quòd gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Hic finis languoris, sed non finis amoris. Interim autem quid? Sponsa grauiter infirmatur, & languida lecto tenetur. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Quid opis, quid consilij, quidue solatij dabitur illi? Nam de remedio amoris non nunc agitur. Procul enim est, & vltra fines terræ, & sub cœlo non inuenitur. Ipsa autem quæ clamat, & vim suæ passionis sentit, quia remedium hoc tempore vel loco sperare non potest; solatia saltem à domesticis suis postulat, quibus cõsolentur eam, donec transeat infirmitas. Sed & more languentium primò declarat initium, & causam, & processum, deinde requirit solatium; quia nondum sperat remedium; quod nouit aliquantisper differendum. Quasi requisita, ô mulier languida, vnde tibi hæc infirmitas? Respondet. *Introduxit me in cellam vinariam.* Quis te introduxit? Sedi quidem sub vmbra illius quem desideraveram, & ille cibauit fructu suo, qui dulcis erat gutturi meo, introduxit in cellã vinariã, vt cibatã potaret poculo amatorio, quod depromptũ de cella vinaria miscuit mihi, & cùm gustassem, volui bibere. In hunc modum amore langueo. Qui desideratis poculum salutis (hic enim languor salus est,) cum sponsa bibere, attendite quæ sit cella vinaria, vt introducamini in eam. Et si vultis audire, cella cordis ipsa est, cella vinaria, vbi est

Diuersæ species amoris.

Genes. 37.

2. Reg. 19.

2. Reg. 1.

2. Reg. 13.

Psalm. 4.

Cant. 5.

Amor Dei quomodo lãguor sit.

Luc. 7.

1. Cor 13.

Cant. 5.

Cant. 1.

vinum amoris. Cella, inquam, cordis, sed eorum qui convertuntur ad cor. Nam qui extra se vagantur, ambulantes in desideriis erroris, lõge facti à corde suo, tamquam vecordes, qui respiciũt ad vanitates & insanias falsas, hi extra cellam vinariam sunt: qui ad se revocantur per Prophetã dicentem. *Redite prævaricatores ad cor.* Fortè non omnes qui ad cor redeunt, statim in cellã vinariam introducuntur. Sponsa enim priùs sedet sub vmbra, & desiderat, & fructus dulcedinem laudat, & pòst introducitur in cellam vinariam. Sũt nempe multi, qui priùs licitè vtuntur hoc mundo, & sedent sub vmbra, & desiderant, & suauẽ fructum iustitiæ laudant, & de via perfectionis secum tractant, & gratia diuinæ miserationis cõpuncti, disponunt propter Christum omnia relinquere, eiq; soli in omni puritate cordis adhærere. Qui cellam vinariã tunc intrant, cùm ꝓpter Christum omnia contẽnenda iudicant, & à corde suo alienant. Nec intrat Sponsa quasi per se, sed introducitur: quia nemo viam perfectionis rectè ingreditur, vel ad cor reuertitur, nisi vox illius, in corde conualescat, cui per Prophetam dicitur. *Dixisti, conuertimini filij hominum.* Et iterum. *Animam meam conuertit.* Tunc ergo Sponsa introducitur in cellam vinariam, cùm per cõtemptum mundi amor mundi de toto corde tot⁹ excluditur. Propter ꝙ introducta, & omni cupiditate postposita, & per vinũ compunctionis sobriæ mẽtis abalienatione iam mundi oblita, nihil in se nisi charitatem sentiens, dicit. *Ordinauit in me charitatem.* Vtramq; hic intellige charitatem, & Dei & proximi. Nam ea quæ est proximi reducitur ad charitatem Dei: cùm proxim⁹ non sit diligendus, nisi secundùm Deum, in Deo, vel propter Deum. Charitas autẽ ordo virtutis est: sed virtus ordo amoris est, differenter tamen. Sic enim virtus ordo amoris est, vt ab amore ordinetur: sic charitas ordo virtutis est, vt eam ordinet ipsa pri⁹ ordinata, vt ordinare possit. Ordinatur autẽ charitas æstimatione, æmulatione, & electione. Æstimatione quidem, cùm vero iudicio mẽtis omnibus melior, dignior, & pretiosior æstimatur. De ęstimatione charitatis Apostolũ consule: ipse tibi dicet, quàm dignè & magnificè ęstimãda sit. *Adhuc,* inquit, *excellentiorem viam vobis demonstro.* Et iterũ dicit. *Nunc autem manẽt fides, spes, charitas, tria hæc. Maior autem horum est charitas.* Et iterum. *Scire etiam supereminentẽ scientia charitatem Christi.* Parùm est autem de charitate sic sentire, & sola æstimatione omnibus eam pręferre, nisi & affectione æmulationis omnibus pręponatur: vt antè omnia & super omnia desideretur. Ad quod admonet Petrus, cũ dicit. *Ante omnia autem mutuam in vobismeipsis charitatem continuam habentes.* Et Paulus, cùm dicit. *Æmulamini charismata meliora.* Et iterũ. *Super omnia hæc charitatem habẽte.* Quoniã autem nonnulli charitatem ęstimatione vel æmulatione ꝓbant, & electione vel sectatione non probãt, ordinanda est & electione: quatenus sic quæratur, vt habeatur, & teneatur. Ad obtinendam enim charitatẽ, non sufficit cũ æstimatione qualiscũque æmulatio, sine sectationis studio. Nonnulli enim ad eam aspirant & suspirant, qui in ea nũquam respirant. Concupiscunt enim, & non apprehendunt: ꝓpterea vanè concupiscunt, ideoq; vanè, quia consilio non vtentes, morib⁹ improbant, quam iudicio, & qualicumq; desiderio, nõ consilio probant. Æstimatio autẽ in iudicio rationis est. æmulatio in desiderio voluntatis, electio in consilio discretionis. Discretio autem electionis non est, vbi eligitur ꝙ deterius est. Propterea Apostolus dicit. *Sectamini charitatem.* Sectado enim, hoc est, Dei consilio vtendo, charitas apprehenditur. Hoc est autem consilium: rebus illicitis pro amore Christi renuntiare, vt charitas habeatur: & à rebus licitis, quantũ possibile est, abstinere, vt perfectiùs habeatur. Hoc est consilium, vt cupiditas omnino abijciatur, quatenus sic charitas acquiratur. Hoc consilium insinuat, qui dicit. *Si dederit homo omnem substantiam domus sua pro dilectione; quasi nihil despiciet eã.* Despectione labẽtium acquiritur amor æternorum. Cõtemptu cupiditatis emitur aurum charitatis. *Omnia,* inquit Apostolus, *detrimentum feci, & arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacere.* Charitas autem primo loco cordis tum iudicio dignæ æstimationis, & toto desiderio æmulationis, & omni studio sectationis collocata, suo loco constituta est, ideoque ordinata. Is etenim locus ei debetur. Ipsa verò sic ordinata omnia ordinat, vt secũdum ordinem omnia fiant. Cùm enim Apostolus dicat, *Omnia secundum ordinem fiant in vobis*; & ipse idem dicat, *Omnia vestra in charitate fiant*; colligi potest, secundum ordinẽ fieri, quæ in charitate fiunt, & extra ordinẽ esse, quæ in charitate non fiunt. Charitas Angelos ordinat in officijs & ministerijs suis: ordinat vitas & mores iustorum in professionibus & studijs suis: ordinat agmina virtutum in stationibus suis: vt virtutum chorus ordinatus, id est castrorum acies ordinata, ab hostibus irrumpi nequeat, vel turbari. In charitate ordinata est lex per Angelos in manu mediatoris. Radiãte enim virtute Christi in charitate, quam in nobis cõmendauit, post spiritum timoris accepimus spiritum adoptionis filiorum, vt non in timore, sicut sub lege, non ex tristitia vel ex necessitate, sed ex intimo amore in lætitia cordis, in libertate spiritus, seruiamus illi. In charitate ordinatur testamentum super sacrificia bonorũ operum, quia super omne bonum quod agimus, testamentum promissionis Dei ponitur, dum per amorẽ Dei semper æterna retributio cogitatur, & omnibus meritis nostris superior æstimatur. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Ordinauit charitas mysterium redẽptionis nostræ, quæ Deum de loco dignitatis suæ quasi deposuit, & in loco dignationis suæ posuit, & paulominus ab Angelis minorauit, & hominem inter homines collocauit. *Ab æterno,* inquit Dei sapientia, *ordinata sum,* haud dubium quin æqualis Patri, vt iure sit super omnia, per quam facta sunt omnia. Sed attingit à fine vsque ad finem: à fine, qui est fons vitæ, vsquè ad mortem, quæ est finis vitę: fortiter quidem, quia mortem moriendo destruxit; disponens omnia suauiter, in humilitate & charitate omnia ordinauit; pacificans, & restituens, & componens, vt sibi subiecta sint omnia. Tunc enim omnia ordinata sunt, cùm sub eo sunt, à quo sunt. Ordinem suum deseruit, qui loco suo stare renuit, volens Deo per æqualitatem coesse, non per humilitatẽ subesse, dicens, *Ero similis Altissimo.* Ordinatione tua, Deus, perseuerat dies; tua quidem, non propria cuiusq; sua. Propterea ille non perseuerauit, quia ordinationem turbare præsumpsit, minimè attendens, quoniam omnia seruiunt tibi. Hinc Angelus lucis, qui erat sicut

Qui longè facti à corde suo. — *Isaia 46.* — *Psalm. 89. & 22.* — *Cant. 2.* — *Charitas ordo virtutis est.* — *1. Cor. 13.* — *Ephes. 3.* — *1. Petri. 4.* — *1. Cor. 12.* — *Colos. 3.* — *1. Timot. 6.* — *Cantic. 8.* — *Philip. 3.* — *1. Cor. 14. & 16.* — *Charitas ordinẽ statuit.* — *Prouerb. 8.* — *Isaia 14.*

dies cœli, factus est princeps tenebrarum, & caligo noctis. Charitas verò, quæ per obedientiā omnia Deo subiecit, suo arbitrio cūcta disponit: & nunc consulit quod perfectius est, nunc præcipit quod necessarium est, nunc permittit quod illicitum non est, nunc eligit quod melius est, nūc suscipit quod necessariū est. Licet enim libertas adiuncta sit charitati, cedit tamen charitas necessitati; dum nonnumquam prætermittit quod melius est, vt devitet quod deterius est. Sæpe enim dum æmulamur bonum quod meli⁹ est, dignius, & perfectius, impedimur authoritate superioris potestatis, aut violentia alicuius difficultatis, aut imbecillitate propriæ infirmitatis: vnde evenit, vt quod æmulatione fuerit prius, electione & sectatione sit posteri⁹. In disponēdis itaq; ijs, quæ facienda sunt, vtitur charitas nūc ordine libertatis & dignitatis, nunc ordine dispensationis & necessitatis. Nam cū nec vis maioris authoritatis, vel cujuspiā difficultatis, nec trepidatio pusillanimitatis obsistit, liberè eligit & sectatur, quod dignius est & perfectius. Cùm autem libertas electionis, imò electio melioris aliquomodo impeditur, ordine præpostero, ordine tamen, suscipit charitas, quod necessitas imponit, aut infirmitas suggerit. Charitas quippe cùm sua libertate vtitur, accedit meliori: cùm necessitati cedit, aut infirmitati concedit, subijcit se bono inferiori. Vnde cùm æmulatur quod melius est, & aliqua vi actionis vrgetur ad id quod inferi⁹ est, nonnūquā electione hæsitat, & quid eligat, ignorat: sed quid magis appetat, non ignorat. Hinc Paulus magis desiderās esse cum Christo, multò enim melius; & necesse habens propter fratres in carne manere, electionis ābiguo arctatur, & dicit. *Et quid eligam, ignoro.* In omnibus autem iustis, siue in his qui meliora liberè eligūt, siue in ijs qui inferiora bona suscipiunt, ipsa charitas semper ordinata est; semper prima æstimatione, æmulatione, sectatione vel electione. Nemo enim magis bonus est, nemo minùs bonus, dummodo bonus, qui non ipsam charitatem cæteris anteponat, etiamsi dilectione præponēda electione postponat. Cùm autem charitas fuerit ordinata, cumque ipsa ordinauerit, & quocumque modo ordinauerit, omnia pariter ordinata sunt. Ipsa enim ordo est gerendorum; & extra ordinem non sunt, quæcumque in charitate fiunt. Sponsa autem jam mundum contemnens, iam ordinatam charitatem habens, jam præ amoris magnitudine æstus sui pectoris ferre non prævalens, quibus putas passionibus angitur, quibus dolorib⁹ cruciatur? Quomodo torquetur inter scandala odio & tædio, quàm grauiter suspenditur dilatione & expectatione à spe & desiderio! Quis explicare queat ōnes angustias languentis Sponsæ, quas pro dilecto patitur, cui min⁹ est omne quod patitur? Ad languorem eius pertinet, quod ipsa de se dicit. *Nolite me cōsiderare, quòd fusca sum: quia decolorauit me sol.* Sed numquid vbi passiones Christi abundant, consolationes Christi non abundāt? Imò abundant. Habet ergo Sponsa cōsolationes suas, tum in suis bonis, tum in aliorū, sed bonorum, exemplis. Videt enim in numero bonorum alios incipientes, & quasi initijs virtutum florentes: videt & alios maturitate morum ad culmen perfectionis pertingentes. Quid sunt autem amātium, & amore languentium exēpla, in initiis & complementis virtutū, in primis rudimentis, & maturiorib⁹ patientiæ exercitiis, nisi flores & fructus honoris & honestatis? Gaudet Sponsa incipiētes præcedere, gaudet & fortiores æquare. Gaudet illos habere subtus se: vt tāquam floribus suffulta molliùs quiescat. Gaudet & illos habere ex latere, & juxta se: vt quasi malis stipata & circūsepta, nec ad dexteram, nec ad sinistram se vertat: sed indeclinabiliter & fortiter ad fortia convalescat. Propter quod dicit. *Fulcite me floribus: stipate me malis.* Tamquā diceret domesticis suis. O intimi sensus & affectus mei, consolamini me, & hoc agite in me, vt substratis floribus molliùs incumbam: & vt circūpositis malis stipata, aliorsum me non vertā. Iuuat sic ægrotare, dum mihi pro solatio sint, qui mecum pariter doleāt, & simili mœrore languescant. Habet præterea sponsa lāguoris solatium de meritis suis, & meritorum præmijs. Attendit siquidem tria in præmium sibi repromitti à Domino dicente. *Nemo est, qui reliquerit illa vel illa propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc cum persecutionibus; & in fine saeculi vitam æternam.* Postquam per incrementa virtutum diu profecerit, & circa studia spiritualis disciplinæ sese strenuè exercuerit, tunc demum centuplum inuenit in cordis pace & tranquillitate, serenitate & securitate, delectatione iustitiæ, & inenarrabili spiritualis iucunditatis dulcedine. Hæc sunt mala, hi sunt fruct⁹ iustitiæ, qui ex floribus inchoatæ disciplinæ proueniunt. Non solum autem hæc, sed & mala tribulationum & persecutionum, quæ ad exemplum patiētiæ nonnumquam prærogat Deus desiderantibus pro nomine Iesu pati, vel etiam mori. Vnde & patiens Iob dicit. *Qui cœpit, ipse me conterat. Soluat manum suam, & succidat me: & hæc mihi fit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Et iterum. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat.* Nonne qui hoc dicit, ipsa flagella in se prouocare videtur, & quasi dicere, Stipate me malis? Quæ quidem non diceret, nisi floribus virtutum suffultus fuisset. Erat enim simplex & rectus, & recedens à malo. Sponsa ergo perfectionis æmula non solum virtutum charismata, & internæ pacis gaudia beneficia Dei reputat; sed dona Dei in tribulationibus suis agnoscit, & flagella eius quasi quædam beneficia gratanter acceptat. *Vobis*, inquit Apostol⁹, *donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Si autem his malis, quasi quibusdam iustitiæ fructibus sponsa stipari desiderat, quantomagis ad illos inæstimabiles iustitiæ fructus, qui in futurum reseruantur, suspirat! Nam & hos cogitare potest fructus, cùm dicit, *Stipate me malis.* His siquidem malis spe saltem interim sese consolatur, ab omni tribulatione malorum & dolore; donec videat quem amat, spōsum suum IESVM CHRISTVM, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, AMEN.

Officia charitatis.

Philip. 1.

Cantic. 1.

Sponsæ consolationes & gaudia.

Cant. 2.


Mar. 10.

Iob 6.

Iob. 9.

Philip. 1.

Cant. 2.



TRACTATVS 17

TRACTATVS QVINTVS DECIMVS.

DE VITA COENOBITICA, SEV COMMVNI,

Gratia Domini nostri IESV-CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus vobis.



NSTITVTIO vitæ communis non parua, non levi, non mediocri authoritate suffulta est & subnixa. In vita communi primitiua fundata est Ecclesia; à vita communi nascentis Ecclesiæ cœpit infantia. Vita communis ab ipsis Apostolis accepit suæ professionis exemplum, sui honoris titulum, suæ dignitatis priuilegium, authoritatis suæ testimonium, defensionis patrocinium, spei suæ firmamentum. Apostoli, qui à Deo constituti sunt principes super omnem terram; principes populorum, qui congregati sunt cum Deo Abraham: dij fortes terræ, qui vehementer eleuati sunt: amici Dei, qui nimis honorati sunt, & nimis confortatus principatus eorum: Senatores cœli, Iudices mundi, quibus facta est repromissio sedere super duodecim thronos, & iudicare duodecim tribus Israel; Patres cõscripti, quibus dati sunt gladij in manibus eorum, ad faciẽdam vindictam in nationibus, & increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum: hi tanti viri, tam potentes, tam præclari, induti virtute ex alto, instinctu Spiritussancti vitam communem obseruandam susceperunt, & exemplo suo confirmauerunt, & suis moribus comprobauerunt, nobisque seruandam tradiderũt; vt in terra positi, per communis vitæ similitudinem incipiam[9] Angelis Dei configurari, quibus sumus in æterna vita sociandi, æquales similesque futuri. Vita cõmunis iuxta exemplaria cœlestium instituta est, de cœlo traducta, de cœlesti cõuersatione Sanctorum Angelorum ad nos vsque trãssumpta. Si ad commendationem vitæ communis parum est, ꝙ ad nos vsque ab Apostolis, ad Apostolos ab Angelis Dei peruenit; est adhuc, quod adijci possit, super omnem laudem eius. Ab ipso enim fonte vitæ manauit vita cõmunis. Illum nunc loquor fontem, de quo scriptum est. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ.* Vita sanè cõmunis quasi quidam splẽdor est æterni luminis, quædam emanatio vitæ æternæ, quasi quædam deriuatio de perenni fonte, vnde manant aquæ viuæ salientes in vitam æternam.

Cœnobitica vita ab Apostolis instituta.

Vita communis ad instar Angelica est

Imo ab ipso Deo est. Psalm. 35.

De Communi vita Patris & Filij & Spiritussancti.

DEVS vita est, Sancta & indiuidua Trinitas vna vita est. Non alia vita Pater est, & alia Filius, & alia Spiritussanctus: sed hi tres vna sũt vita; & sicut vna est eorum communis essentia, communisq; natura, ita vna est eorum communis vita. Non est enim Deus singularis aut solitarius, quia Deus trinus & vnus est. Nec vita Dei non communis est, quia tribus personis vna est, indiuidua & indifferens vita. Fortè salua pietate fidei alicui videri poterit Dei essentia vel potentia singularis, vel singularis sapientia, quia incomparabiliter supereminens est, & superexcellens, ideoque cùm communis sit, quasi singulariter cõmnnis, & idcirco quasi singularis fortè existimabitur. Ne sub verbi ambiguitate, quod certum est in dubiũ renocetur, indubitanter cõstat, Dei vitam non ita esse singularem vitam, vt communis non sit, quia scriptum est. *Sicut Pater habet vitã in semetipso sic dedit & Filio vitã habere in semetipso.* Non decebat Deum solitarium esse, non congruebat dignitati eius, gloriæ beatæque vitæ cõsortem non habere. Iuxta fidem Sanctorum Patrum vera fidei professio, vera assertio, vera est protestatio, Deum trinum & vnum esse, non solitarium: & in adiutoriũ huius fidei ipsa nostra ratio quodammodo assurgit. Deus enim qui habitat lucẽ inaccessibilem, ne omnino ignoretur, & per ignorantiam non ametur, quadam sua luce, licet tenui, in cordibus nostris scintillat; & ex ea parte sese magis nobis aperit, suamque naturam nobis prodit, qua nobis magis expedit naturam eius cognoscere; quam pro modulo cognitionis indultæ debemus toto corde, tota anima, totaque virtute diligere. Deus autem charitas est: & sicut ait Apostolus, *Charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Charitas autem, quæ per gratiam in nobis est, aliquo modo repræsẽtat nobis, qualis sit illa incomprehensibilis charitas, quæ Deus est: cuius natura siue charitas, siue benignitas est. Natura charitatis hæc est, sicut quodam intimo sensu ipsius charitatis nobis medullitus intimatur, & amare, & velle amari. Sicut enim ignis non potest non ardere, sic & charitas non potest non amare. Amor enim ignis est, & amare hoc est ardere. Et sicut ignis non sese continet intra se, sed in hoc moueri videtur, vt semper attingat quæ incendat, ne in se tantum viuat, sed calorem suum, his quæ vel attacta vel incensa fuerint cõmunicet, sic & amor quodam sensibili conatu gestit sese transfundere, & bonum quod habet, ad alterum, qui plena dilectione diligitur, transmittere, & in commune deducere, & in communem suæ possessionis consortem asciscere. Æstimatione enim charitatis omne bonum pulchrius elucescit, cùm in commune deducitur, quantum decet. In his autem bonis, quæ sufficere possunt amanti, & ei qui plena dilectione amatur, amat charitas communionem, & mavult cum dilecto suo communiter habere, quàm sola possidere, ꝙ ambobus possit sufficere. In ijs autem bonis, quæ non possunt vtrique sufficere, sæpe charitas præeligit ipsa carere, ne amicus careat, quem nouerit sua benignitate indigere. In præstandis autem beneficijs id semper agit charitas, vt qui amatur amet, ne solus ametur. Semper enim, vt predictũ est, amat amari, neç amãri sufficit amor communionis, si non adsit cõmunio amoris. Nam cùm bona sua velit esse communia; ipsum amorem multò magis. Nescit amor non esse benignus, odit esse solitari[9]. In profusione largitionis, quasi per amorem communionis, conciliare satagit communionem amoris. Quæ est enim benignitas amoris, si bona sua sibi soli retinere velit, & communicare non velit? Aut quæ est cõsolatio amãtis, si solus non ametur, & solus amet? Scriptum est. *Væ soli.* Amor solitarius ipse sibi crucia-

Ioan. 6.

Rom. 5.

Charitas humana diuinam repræsentat.

Deus non est solitarius, licet sit vnus.

Charitas appetit cõmunionem.

Eccle. 4.

tus est, & quodammodo seipsum odit, cùm omnino nolit esse solitarius, ne non sit mutuus: & sicut non potest sua benignitate suaque natura priuari, sic non potest non amare cõmunionem boni, communionemque sui. Charitati itaque quæ in nobis est, duæ res, quantum ad desideriũ ipsius charitatis, inseparabiliter annexæ sunt, amor communis, & communio amoris. Si autem alterutra desit, nondum beata est charitas, quæ nihil nisi beatitudinem quærit in communione boni, & communione sui. Sed si bonum commune adsit, & amor communis non adsit, aliquid charitati deest, quod ipsa velit adesse. Si amor communis sit, & bonum commune desit, aliquid charitati deest, quod ipsa nolit deesse. Hæc sic se habent in ea charitate, quæ nostra est, & in nobis est, & inter nos est; per quam charitatem nondũ plenè beati sumus, sed in futuro beatificandi sumus, in communione summi boni, quod omnibus poterit sufficere, & in communione amoris mutui, per quem nobis nihil non cõmune. Vide, mens mea, & considera, quoniam experientia charitatis tibi notæ idipsum tibi de natura Dei demonstrat, quod Deus ipse de se per gratiam fidei reuelat. Poteras quidem, ô mens, si peccato contenebrata non esses, Deum in ipsa tui natura, sicut in imagine sua, quàm familiariter cognoscere. Nunc autem penè excæcata es, vt nec in te, nec p te, vel Deũ vel te valeas peruidere. Quomodo ergo cæcus non sum? Fateor in hac parte, quantum in me est, cæcus sum; vt verè vox mea sit hæc. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Quia semel cœpi, adhuc loquar ad te, mẽs mea. Credo, quò d Deum videre, & in Deum ire desideras, & duce indiges, quia cæca es. Si ducatum fidei sequaris, non aberrabis; sed in ipsa luce fidei jã nũc videre Denm poteris. Sed numquid in sola fide videtur Deus. Numquid non in charitate? imo & in charitate, & magis in charitate. Ipsa enim charitas præceptum lucidum est, illuminãs oculos. In nobis enim nihil simili[9] est charitati, quæ Deus est, quàm ipsa charitas, quæ in nobis à Deo est. Per hanc imago Dei in nobis reformatur: per hanc Deus in nobis videtur & sentitur, multoq; pleniùs, quàm in sola fide cognoscitur. Si ergo inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt in nobis intellecta conspiciuntur; si æstimare licet naturam Dei ex gratia sua: si ex munere authorem muneris cognoscere datur: proculdubio naturæ Dei cõgruit amor communionis, & communio amoris. Nam cujus natura charitas est, & benignitas est, naturaliter amat, & vult amari; & quantum amat, tantum vult amari. Nec plenam beatitudinis suæ cõmunionem sustinet illi deesse, à quo vult amari, quantũ dignus est amari: ne minor sit cõmunio amoris, quàm amor cõmunionis. Tanta est autẽ charitas Patris, vt vitã quã habet in semet ipso, hanc & filio daret habere in semetipso, vt vna vita sit cum Patre Filius coæqualis Patri, & cõsors Paternæ glorię in omni plenitudine ęterni honoris, & indiuiduæ potestatis. Beata enim charitas sine consorte non est, vnde nec sine cõmunione est. Beata autem charitas beata vita est, & beata vita beatitudo est: & beatitudo summum bonum est. Summum autem bonum naturaliter commune est. Omne enim bonum, eo ipso quo bonum est, & laudabile est: quòd si & bonum est & commune est, cumulatiorem habet gloriam & bonitatis & cõmunionis. Summa enim bonitas boni ipsa communio est. Proinde summum bonum communionis laude priuari non potest; ne summum bonum non sit, si ei tãta virtus laudis, & laus virtutis desit. Summum autem bonum & plenum & perfectum bonum est: cui omnino nulla digna laus boni deesse possit. Vnde & naturaliter commune est, & per gratiam communicabile, sicut fons & origo omniũ bonorum. Hæc est autem vita æterna, vita beata, vita communis, charitas infinita, & incomprehensibilis, Deo Patri, ejusque vnigenito Filio cõmunis. Sicut enim pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. In se habet vitam Filius, quã habet & Pater; quia vna vita est ipse cum Patre. Verumtamen vitam, quam habet Filius in se, quia vita est, non habet à se, sed à Patre. Quidquid enim secundum substantiam dicitur Filius vel esse, vel habere, hoc communiter cum Patre est, & commnniter cum Patre habet; hoc est, à Patre habet. Hoc à Patre habet, vt viuens Deus sit, vt beatus & omnipotens & sapiens sit, vt ipsa vita, & beatitudo, & virtus, & sapientia sit. A Patre etiam habet, vt Filius sit; nec habere cœpit, quod à Patre accepit: quia nascendo accepit, quod Pater gignendo dedit. Coæternus est enim Patri, & consubstantialis, & coæqualis, & per omnia similis: De[9] de Deo, lumen de lumine, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, & imago Dei invisibilis. Pater autem qui Filio dedit vitam habere in semetipso, sicut & ipse vitam habet in semetipso, Filium diligit sicut semetipsum; & Filius Patrẽ, sicut semetipsum: horumque amor Spiritus sãctus est, amborum nexus & communio. Horum amor ita individuus est, vt qui Patrem amat, amet & Filium; & qui non amatur à Filio, non ametur à Patre. Vnus est amor eorum, & honor indiuiduus, vna virtus, & indiuidua operatio: tantaque communio, vt Filius dicat ad Patrem. *Et mea omnia tua sunt; & tua omnia mea sunt.* Et Ioannes Baptista dicit. *Pater diligit Filium & omnia dedit in manus ejus.* Ipse quoque Dominus iterum loquitur dicens. *Pater diligit Filiũ, & omnia demonstrat ei, quæ ipse fecit.*

Duo [illegible] nexa sunt charitati.

[illegible] 37.

[illegible] præceptum lucidum est.

Beata charitas non est sine cõsorte.

Summum bonum non potest communione priuari.

Filius à Patre habet, quidquid habet.

Ioan. 17.

Ioan. 3. & 5.

De communione Angelorum.

HVjus vitæ communis, quæ in Deo est, & Deus est, quædam repræsentatio est communis, vita Angelorum, quam in summa pace conciliat Spiritussanctus, sicut amor, & nexus & communio. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt; & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Cœli Angeli sunt, in cujus amore concorditer & feliciter vivunt. Amant enim singuli vniuersos, & vniuersi singulos; omnes idem volunt, & idem nolunt: quod vni placet, nulli displicet; quod vnus vult, nullus non vult: vna est omnium sententia, vna voluntas: omnes idipsum sentiunt, & idipsum sapiunt. Vbi non inflatur superbia, non tabescit inuidia, non excandescit ira, non litigat discordia, non murmurat impatientia, nõ detrahit lingua dolosa. Omnia ibi pacifica sunt, omnia composita, omnia tranquilla; nihil inordinatum, nihil indisciplinatum, nihil ordini vel obedientiæ contrarium, occasione habẽdæ proprietatis nihil in occulto repositum: sed omnia manifesta sunt, omnia clara; & quæ singulorum sunt propria, per communioné amoris, & amorem cõmunionis, omniũ sunt communia. Omnes in vno templo in commune Deo iubilant, in libro vitæ omnes simul legunt, meditantur &

Psalm. 32.

contemplantur: ad vnam mensam omnes communiter reficiuntur. In loco externæ quietis simul pausant, nihil à quoquam singulariter agitur, quod communem pacem, vel obedientiam, vel ordinem, vel turbare valeat, vel offendere. Talis est illa jucundissima & felicissima societas supernorum ciuium communiter viuentiū; quorum conuersatio à nobis adhuc in terra positis communis vitæ similitudine semper repræsentāda est; vt tantò familiariùs illorū consortio mereamur adiungi, quantò viciniùs desuper nobis datum fuerit illorum vitam imitari, per gratiā Domini nostri Iesu Christi, & charitatem Dei, & communicationem Sancti Spiritus, Amen.

Societas sanctorum imitanda nobis proponitur.

De communione naturæ, cui annectitur communio culpæ.

VItam communem communio facit. Est autem quædam communio naturæ, quædam communio gratiæ, & quædam communio gloriæ. In communione vnius naturæ totum genus humanum colligitur, quod de vno parente cum traduce peccati propagatum est, totaque hominum numerositate longè lateque disseminatum est. Huic communioni naturæ annexa est quædā communio culpæ & iræ. Natura enim in radice vitiata cum ipso vitio propagatur cum originali culpa & originali ira. Naturâ enim filij iræ sum⁹. Omnes enim nati sumus & mali & miseri. Labe peccati ita infecta est humana natura, vt nec nitro, nec herba borith, nec vllo genere ablutionis vel mundationis purgari possit, nisi in sanguine Domini nostri Iesu Christi, in cujus morte baptizati sumus. Quotquot enim baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Ira autem indignationis Dei de occulta iustitia, sicut sagitta de pharetra prodiens, humanæ naturæ altiùs infixa est, & ad interiorum intima pervenit, & ita firmiter inhæsit, vt nulla vi, nisi validissima manu omnipotentis Dei, extrahi possit. De hac sagitta per Prophetam dicitur. *Filiam pharetræ suæ misit in renibus meis.* In zelo iustitiæ suæ concepit De⁹ indignationem contra peccatum, & effudit irā. Hæc nobis innata est ira, cuj⁹ naturâ filij sumus. Hęc est filia pharetrę, de occulta Dei iustitia quasi de pharetra de prompta; ibi concepta est, & hinc in nobis nata, & nobis innata, & connata filia pharetræ, sed quasi vterina soror nostræ naturæ. Hanc in renibus suis missam dicit Propheta. Recte quidem in renibus. Ibi enim est sedes concupiscentiæ, vnde propagatur languor naturæ. Communio hæc vitiatæ naturæ, in qua nos omnes vnius naturæ consortes, & peccato obnoxij, & debito mortis tenemur adstricti, triplicem necessitatem nobis imponit: charitatis, humilitatis, & pietatis. *Dilige*, inquit Dñs, *proximum tuum, sicut teipsum.* Si ratio diuinorum mādatorum humanæ curiositati reddenda est; quāvis sufficere debeat ad omnem curiosam inquisitionem compescendam, Deum mandasse, cuj⁹ omnia mandata fidelia sunt, facta in veritate & æquitate, solicito tamen, cur Deus hoc mandatum velit custodiri nimis, non deerit, quod respondeat fides. Nouit fidei cōscientia, Deum diligere sibi cōsubstantialem, naturæque suę consortem. Hoc exemplo respondere potest homini, fac & tu similiter: dilige consortem naturæ tuæ, futurum participem repromissæ tibi gloriæ. Dilige naturam tuam, dilige quod natus es, ne non diligas te, non diligens in altero naturā, quæ est in te. Ad diligendum itaque naturæ nostræ consortem, ipsius Dei exemplo trahimur, authoritate præcipiētis vrgemur, communione naturæ constringimur, & pro communis infirmitatis conscientia inuicem nos oportet humiliari, inuicem misereri: ne superba gloriatio diuidat, quos vna conditionis infirmitas æquat. Nondum seipsum novit diligere, qui communē naturam in altero præsumit contemnere: & cōditioni suæ iniuriam facit, qui jus suum in Dei imagine non agnoscit. Et humanæ societatis jus violat, qui communionem naturæ in proximo non honorat. Misericordiæ aditum sibi intercludit, qui fraternæ necessitati vel miserationis affectum non impendit. De communione naturæ hucvsque dictum sit.

Rom. 6.

Thren. 3. Filia pharetræ est sagitta.

Renes sedes concupiscentiæ.

Deutero. 6.

Quæ nos ad proximum diligendum trahant.

De Communione gratiæ.

EST quædam communio gratiæ; cunctos qui Christianæ professionis cēsentur, bonos malosue, in vna fidei cōfessione, & sacramentorum participatione generaliter complectens. Hic est ager, in quo crescunt zizania & triticum. Hæc est area, habens grana permixta cum paleis. Hæc est sagena, in qua sunt pisces boni in vasa eligendi, malique foras mittendi. Hæc est arca Noë, in qua sunt animalia mūda & immunda, & coruus & columba. Fidem enim habent, & qui opera fidei congruentia non habent: & sacramentis Ecclesiæ participant, qui virtutem sacramentorum indignis moribus in sese euacuant. Proinde qui in fidei confessione sacramentis communicant, alij ab alijs, sicut boni à malis ab invicem diuisi sunt. In his enim numerari possunt schismatici, qui canonicæ obedientiæ iugum detrectant: fictique fratres, qui humilitatem Christianæ professionis magis simulant, quàm seruant. Omnium autem iustorum, qui in fide & obedientia fidei congrua Ecclesiasticis sacramentis participant, vna est peculiaris specialisque communio, cui non communicat alienus. Sed nec alienis communicat, quisquis in hac communione invenitur, vt cū Propheta dicere possit. *Non communicabo cum electis eorum.* Hæc autem communio iustorum vnitas est Ecclesiæ, quæ in omnibus membris Christi seruat vnitatē spiritus in vinculo pacis. Hæc est Christi tunica inconsutilis, quæ non est diuisa; de qua Christus dicit. *Partiti sunt vestimenta mea sibi: & super vestem meam miserunt sortem.* Sub vnius fidei professione & sacramentorū participatione, alij ab alijs, vt dictum est, diuiduntur, quasi vestimenta Christi partientes. Ecclesiastica enim sacramenta alij dignè, alij indignè percipiunt: & aliorum fides sine operibus mortua est: iustus autem ex fide viuit. Super vestem verò, quæ non est diuisa, sors mittitur. Qui enim Ecclesiasticæ societati in Christi charitate & obedientia sese adjūgit, ad illam sortem pertinet, de qua scriptum est. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* Iusti autem vbicumq; sint, siue singulariter, siue communiter viuant, per vnitatem Ecclesiasticæ pacis, per communionē obedientiæ & charitatis, quasi membra vnius corporis, diuisionem non admittunt. Aves enim non sunt diuisæ, turtur scilicet & columba, cùm tolleret Abraham, Domino iubente, vaccam & & capram & arietem, diuidens vniuersa hæc per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus ponens. Hanc communionem iustorum insinuat Apostolus, dicens. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Vni Domino debetur obedi-

Matth. 24.

Omnium iustorum specialis communio.

Psalm. 140.

Psalm. 21.

Psalm. 124.

Genes. 15.

Ephes. 4.

entiæ, ficut Christus manifestè ostendit, dicens. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Obedientia autem charitatis indiuidua comes est, ficut idem ipse testatur, dicens. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et, *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Vnius itaque Domini obedientia, vna fides, vnum baptisma, vnam efficiunt cõmunionem iustorum. Quisquis in hac cõmunione permanserit vsque in finem, inter electos fors illius erit, & de populo Dei non peribit. Verumtamen multi de hac communione, quia remissiùs & indulgentiùs, sed non perditè viuũt; quia non super fundamentum, quod est Christus, ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos; sed lignum, fœnũ, stipulam: merito fundamenti salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Hæc verò communio gratiæ, de qua nunc dictũ est, etsi necessaria sit ad eam vitam instituendã, quæ communis dici solet; sola tamẽ ad communis vitæ religiosum propositum sufficere nullatenus potest.

Math. 6. *Ioan. 14.* *1. Cor. 3.*

De Communione gratiæ, quæ facit vitam communem.

EST adhuc quædam cõmunio eorum qui, cõmuniter viuunt, de quibus dictum est. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Vitam itaque communem efficiunt cor vnum & anima vna, & communio omnium. Hæc in terris, quantum permittit humana infirmitas, Angelorum vitam repræsentat. Habentes enim cor vnum & animam vnam, omniaque communia, in omnibus concordes & vnanimes, publicam vtilitatem & commune bonum priuatis cõmodis semper præponentes, intantum sibi suisque renuntiant, vt quisquis in his fuerit, si tamẽ ex his, siue in iudicijs, siue in consilijs, non præsumat propriam sententiam pertinaciter defendere, nec in desiderijs cordis sui propriam volũtatem impetuosiùs attentare, nec proprietatis nomine vel modicum quid habere; sed ficut serui Dei sub manu conserui sui propter Deum ita sese humiliant, vt ex vnius arbitrio, cui & in quẽ omnis potestas collata est, omniũ sententia pendeat, ordinetur voluntas, temperetur necessitas, qui solus potest velle, quia potest & nolle; cæteris libertati & potestati suæ renũtiantibus; vt nõ liceat eis velle, quod volũt, nec posse, quod possunt, nec sentire, quod sentiunt, nec esse, quod sunt, nec suo spiritu viuere, sed spiritu Dei, quo aguntur, vt sint filij Dei, qui est amor & nexus & cõmunio eorum: & quantò maior est amor, tantò firmior est nexus, pleniorque communio; & versa vice, quanto maior est communio, firmior est nexus, amorq; plenior. Amorem autem nunc dico illũ, quo Deus est ante omnia & super omnia diligendus: quiquidem amor omnem bonã vitam, siue singulariter, siue communiter viuentium, informat, vt bona sit: nec bona vita putãda est, nec etiam vita, sed imago mortis dicenda est, quam charitas Dei bonam non fecerit. Homines enim seipsos amantes, & suis desiderijs seruientes, viuentes mortui sunt: ficut de vidua in delicijs agente Apostolus scribit, dicens. *Vidua quæ in delicijs agit, viuens mortua est.* Ille autem verè viuit, qui voluntati Dei consentit; quia vita est in voluntate eius. Ille verè Deum diligit, qui voluntati eius cõsentit. Deus enim sic se vult diligi, vt eius voluntati consentiatur: sic & nos amari volumus vt concordi voluntate nobis consentiatur: & qui magis nobis consentiunt, magis amici putantur. Amor certè semper consensum amat, quia amat communionem, ad quam & cõsensus pertinet. Nam qui consentit, cum altero communiter sentit. At quoniã homo & bonam voluntatem habere potest, & malam, potest vtique homo & bene diligi, & malè. Sed melius est, bene odio haberi, quàm malè diligi: sicut melius est bene odisse, quàm malè diligere. Bene autem diligere, & bene odisse, vtrumque bonum, & vtrumque proximo debetur. Vnde & inimicos jubemur diligere, & amicos odio habere. Sic sic præcipiendum fuit, & omnino sic juberi oportuit; ne voluntas nostra in odium inimicorum, & amicorum gratiam nimis præceps, vtrobique modum suæ affectionis excedat, & ad incõcessa proruat, & in immẽsum se extendat. Amicorum enim gratia odio temperanda est, vt non laudetur peccator in desiderijs animæ suæ, quamvis amicus sit. Nemo enim proximum bene diligit, nisi qui bene odit. In dilectione autem Dei longè alia ratio est. Sicut enim toto corde, tota anima, tota mente diligendus est, sic & ipse totus diligendus est. Totus enim amabilis est, totus desiderabilis; nihil inueniri in eo potest, quod odio dignum sit, vel amore indignum. O bone Deus, ô benigne, ô amabilis, ô amande, ô desiderabilis, ô amor Deus, ô charitas Deus, ô dulcis natura Deus, quanta iniquitas est in illis, qui te oderũt, & gratis; non enim demeruisti. Propter quid irritauit impius nomen tuum? Quæ vtilitas, quid commodi, quid emolumenti est, irritantibus nomen tuum? Pax vtique multa diligentibus nomen tuum. Sed qui te oderunt, quid oderunt, nisi vitam, nisi salutem, quid nisi benignitatem; nisi misericordiam, quid denique nisi charitatem? Quia tu Deus charitas es. O quàm longè est à salute, qui charitatem odit, & quem ipsa charitas odit. O quãta insipientia est, charitatem odisse, hoc est enim ipsam sapientiam odisse. Tu Domine summa sapientia es, & te nosse sensus est consummatus; sed nosse per amorem, quia amor ipse notitia est: & quisquis te non diligit, nondum sicut oportet nouit, qui tu sis, quantacumque florentis eloquentiæ gloria quis superbiat, quantacumque rerum mirabilium scientia se extollat, quantacumque rerum desiderabilium opulentia perefluat, stult⁹ est & insipiens, si te non diligit, egẽs est & pauper, si te non diligit. Diuitiæ enim salutis sapientia & scientia: sed illa sapientia, qua sapit, qui te diligit, quæ pretiosior est cunctis opibus; & omnia quæ desiderantur, non valent ei comparari. Custodi me, Domine, vt pupillã oculi; custodi me à graui peccato, quod valde timeo, ab odio amoris tui; ne peccem in Spiritum sanctum, qui est amor & nexus, vnitas & pax & cõcordia, ne diffideam ab vnitate spiritus tui, ab vnitate pacis tuæ, peccans peccatum, quod non remittetur hic neque in futuro. Conserua me, Domine, inter fratres meos, & proximos meos, vt loquar pacem de te: conserua me inter seruãtes vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Fratres dilectissimi, quod ad professionem vitæ communis pertinet, solicitè agamus; vnitatem spiritus seruantes in vinculo pacis, per gratiam Domini nostri IESV-CHRISTI, & charitatem Dei, & cõmunicationem Sancti SPIRITVS. Ex charitate Dei vnitas spiritus procedit; ex gratia Dñi nostri IESV-CHRISTI vinculum pacis: ex commu-

Actu. 4. *Cætus religiosi vnitas & cõcordia.* *Bona vita sine charitate nulla.* *1. Timo. 5.* *Potest homo bene & male diligi.* *Qui Deum non diligit pauper est.*

nicatione Sancti SPIRITVS communio illa, quæ communiter viuentibus vt communiter viuant est necessaria. Charitas Dei vnitatem spiritus operatur: qui enim adhæret Deo, vnus spiritus efficitur. Charitas Dei, illa scilicet, qua diligendus est Deus, alio quidé modo necessaria est singulariter viuentibus, alio verò modo communiter viuentibus: & charitati quæ Deus est, similis est charitas, quæ vitæ congruit communi. Deus enim iustitiam diligit, & maiorem iustitiam magis diligit, iniquitatem quoque odit, & maioré iniquitaté magis odit. Temporalia verò, in quibus & pro quibus humana superbia gloriari solet, malignitas inuidere, cupiditas litigare, voluptas deliciari: hæc inquam temporalia præ amore & desiderio æternorum, Deus vult à nobis contemni magis quàm amari: tamen ad vsum moderatum, prout humana necessitas exigit, contempto omni superfluitatis luxu, à nobis hæc permittit assumi: odit nimirum obseruátes vanitates superuacuè. Si autem charitas Dei quæ est in nobis, charitati qua nos diligit Deus ita concordat, vt ea diligat, quæ ipse diligit; & perfectionis æmula semper meliora sectetur, probás potiora: & in peccatis etiam leuioribus vitandis semper solicita, si quæ Deus vult contemni, ea

Charitas Dei quando vnitatem spiritus operetur in nobis. quoque cótemptibilia ducat; tunc hæc ipsa charitas Dei vnitatem spiritus operatur in nobis: & sicut vnigenit⁹ filius Dei cum Deo Patre in vnitate Spiritussancti viuit; vnus est enim Spiritus Patri cum Filio: sic & nos tamquam filij adoptionis sub Deo Patre in vnitate Spiritus viuimus, in quo clamamus, Abba Pater. Clamamus quidem, tamquam de longinquo, vtpote inferiores longè lateque inæquales, sed tamen aliquo modo similes: non sicut vnigenitus filius Dei, qui est ad dexteram Patris per omnia æqualis. Ipse enim inuocare magis dicitur, quàm clamare, sicut scriptum est. *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu.* (*Psalm. 88.*) Hæc autem vnitas, quam in nobis efficit charitas Dei, seruatur in vinculo pacis per gratiam Domini nostri IESV-CHRISTI. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: in cuius natiuitate cócinunt Angeli. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (*Luc. 2.*) Qui ascensurus in cœlum discipulis dicit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (*Ioan. 14.*) Quænam est hæc pax, quæ à Christo nobis datur, in cuius pacis vinculo vnitas spiritus seruatur? Hæc est mutua charitas, qua nos inuicem diligimus, quæ non rumpitur, si id ipsum dicamus omnes, & nó sint in nobis schismata. De hac B. Petrus admonet dicens. *Ante omnia mutuam charitatem continuam habete.* (*1. Petri 4.*) Quæ est mutua charitas, nisi quæ mea est & tua; vt de ea ad alterum, quem diligo, loquar? Si autem diligam te, non dilect⁹ à te: vel si dilectus à te, non diligam te; nondum charitas mutua est, quæ vel mea vel tua non est: mutua enim charitas cómunis est, & amoris cómunione non caret. Quæ autem mutua est, hanc & continuam esse oportet: alioqui vinculum pacis non erit, nec nexus amoris. Continua est, quæ veritate solidatur, quæ nec odijs, nec suspicionibus interrumpitur, quæ mutuis obsequijs, mutuaque patientia semper fouetur, nutritur, & ne deficiat, diligenter & cautè custoditur, & nulla simulatione adumbratur. Hæc autem charitas eorum est, qui se in Christo verè diligunt, non verbo neque lingua, sed opere & veritate. Hanc charitatem Christus cordib⁹ nostris altiùs imprimit,

Mutua charitas quanã sit.

infigit, inscribit, verbo, & exemplo, dicens. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* (*Ioan. 15.*) In hac autem charitate, sicut in vinculo pacis, vnitas spiritus seruatur. Hæc est ergo lex vitæ communis, vnitas spiritus in charitate Dei, vinculum pacis in mutua & continua charitate fratrum omnium, communio in omnibus bonis communicandis, omni occasione habendæ proprietatis à sanctæ religionis proposito procul relegata. Vt hæc in nobis sint, & in nobis maneát, tanquam habentibus cor vnum & animam vnã & omnia cómunia, *Gratia Domini nostri IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis, Amen.* (*2. Cor. 13.*)

Lex vitæ communis.

De mutua charitate inter communiter viuentes.

Consulamus super mutuæ charitatis cócordia ipsam naturã nostram, naturã corporis nostri: ipsa enim admonet de pace seruãda. Multi quidem vnum corpus sumus, alter autem alterius membra. Vnus autem spiritus totum corpus nostrum per membra & iuncturas & compages eorum viuificat, pacemque mutuam conciliat, in qua ipsa vnitas spiritus conseruatur: conciliat autem in mutuis obsequijs membrorũ, mutuaque patientia. Attendite & videte, quomodo quæ singula sunt propria, toti vtilitati deseruiant. Oculus non tantum sibi videt, sed pedes dirigit in gressibus suis, & manus in operibus suis. Os non tantum sibi comedit, nec stomachus digerit, sed commune negotium geritur, & quod toti corpori nutriendo & sufficiat & proficiat, ore sumitur, stomacho digeritur. Nonne lingua, si qua pars corporis læditur, quasi affectũ compatientis & vocem patientis assumés, contra lædentem clamat, quid me lædis? Nonne cor de communi vtilitate solicitum consilia disponit apud se, ita & pro alijs, sicut & pro se? Nonne manus ad ministrandum natæ, & ad seruiendum deuotæ, vt quotidiana docet experientia, ad obsequium pedum sese humiliant? Quid si manus, vt nonnumquam accidit, altera ab altera vulneretur, numquid quæ læsa est, zelo vindictæ armatur, & percussa repercutit? Nonne illa quæ læsit, quasi reatus sui conscientia, & quasi dolore pœnitentiæ compuncta, velut satisfactionis nomine sorori læsæ medelam curationis, quam meliorem potest, adhibere festinat? Nonne ipsa obsequij humilitate pro venia supplicat, & vt sibi ignoscatur, exorat? Nonne deuota sedulitate & suæ benignitatis studio omnem malignitatis suspicioné excusat? Est & aliud, quod nos ædificare possit. Si præsenserit oculus minacem gladium in caput feriendum vibrari, mox quasi inconsultè aut amoris aut furoris calore manus se interponit, & gladio opponit, aut etiam occurrit: & in suum periculum festina, dum capiti metuit, sibi non metuit; & vt parcatur capiti, non parcit ipsa sibi. Fratres in Christo amantissimi, quò nos trahunt hæc exempla, nisi ad mutuam patientiã, mutuam humilitatem, mutuã charitatem? Nonne Deus scripsit legem amoris in nobis, quæ nos erudiat de nobis? Si, qui legem dedit, det nobis & benedictionem, & pascat nos in innocentia cordis nostri, & in intellectibus manuum nostrarum deducat nos in viam pacis, ad seruandam vnitatem spiritus in vinculo pacis, ad conseruandam dilectionem Dei in dilectione proximi. Si vnanimiter & concorditer secundum professionis nostræ puritatem Deum diligimus, procul-

Officium membrorum ad inuicẽ, quid nos doceat.

dubio charitas Dei per Spiritum sanctum diffúditur in cordibus nostris, vnusque spiritus Dei quasi vnum corpus omnes nos viuificat, vt nemo nostrum sibi viuat, sed Deo; vtque omnes nos simul per vnum spiritum qui habitat in nobis in vnitate spiritus viuamus. Hæc autem vnitas spiritus, quæ in charitate Dei inuenitur in nobis, per dilectioné proximi seruatur in nobis, vt maneamus simul in dilectione Dei; & manentes in hac dilectione maneam' in Deo, & Deus in nobis. In dilectione Dei innotescit, & conualescit, & coalescit dilectio Dei. Deus quidem seipso contentus esse potest, & in omni bono ipse sibi sufficiens est, & bonorum nostrorum non eget, nec ei quisquam nocere potest, si non amat: nec prodesse, vel præstare, si amat. Propterea cùm omnia bene fecerimus, dicendú à nobis est, serui inutiles sumus. Quidquid enim boni fecerimus, nobis prodest, magis quàm illi. Verumtamen quoniam diligendus est Deus, non verbo neque lingua, sicut dilexerunt, de quibus scriptum est, *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei*; Deus qui beneficijs in se nó indiget, quasi delegauit nobis fratres & proximos nostros, qui indigent, vt vice ipsius beneficia à nobis præstanda suscipiát. Nemo igitur de dilectione Dei sibi blandiatur, nemo se decipiat, putans se amare Deum, quem non amat, si proximum non amat. Si non, habet omnis homo vnde experimétum capiat sui, vnde seipsum probet. Si non diligit proximum quem videt, quem præsentem habet, quasi à Deo sibi delegatum, cui charitatis debitum soluat: Deum, quem non videt, qui se præsentem non exhibet, quippe qui non indiget, quomodo potest diligere? Quonam alio modo potest Deo beneficia prĕstare, nisi illi prĕstando, in quo Deus indiget, qui in se non indiget? Deus enim in membris suis petit, & accipit, diligitur, & contemnitur. In dilectione ergo ꝓximi, sicut per nexum amoris & vinculum pacis, charitas Dei & vnitas Spiritus retinetur à nobis, & conseruatur in nobis. Qui enim nó diligit fratrem, ab vnitate Spiritus recedit, nec Deum diligit, nec spiritu Dei vivit, sed suo spiritu; quia iam sibi vivit, & non Deo.

Vnitas spiritus per dilectioné Dei seruatur.

Luc. 17.

Psalm. 77.

Deus non indiget in se, sed in membris suis.

Item de Communione gratiæ.

AD dilectionem proximi communio pertinet, & vbi plena est dilectio, plena est cómunio; plena communio non est, quàm omnium communio, sicut scriptum est. *Erant omnia communia.* Sed mouere nos potest, quod sequitur. *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat.* Quid communioni & divisioni? quid communioni & proprietati? Si singulis diuidebatur, prout cuique opus erat, in singulorum vsum & proprietatem cedebat, quod cuiusque necessitas requirebat. Si habebant singuli varias necessitates, & propter illas propria subsidia; si ꝓprias infirmitates, & contra illas propria remedia: si aliquam propriã desolationem, & contra illã propria solatia; quomodo erãt illis omnia communia, cùm singulis nonnulla essent ꝓpria? Aggrauat hanc quæstionem Apostolus, dicés. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem*: &, *vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Et iterum. *Divisiones gratiarum sunt, & diuisiones ministrationum sunt, & diuisiones operationum sunt.* Quomodo ergo potest esse communio omnium, vbi tot sunt diuisiones gratiarũ, vbi sunt propria dona singulorum? Ad hæc quid dicemus? Et ad hæc quis idoneus? Hoc labor est ante me. Videamus tamen, si nodum amoris, qui solui non debet, solvere possit nondum huius quæstionis. Potest vtiq;. Nouit enim charitas suo arbitrio proprietatem ad cõmunionem reducere; non ita tamé vt proprietas non sit; sed ita vt proprietas ad cómunionem conducat, vt cõmunioni nó obsistat, vt communionis bonum non impediat. Diuisio vel proprietas, quæ communionis bonum impedit; à charitate aliena est. Charitas enim communionem amat, amat quoque proprietatem, quæ ad communionis bonum proficit, vel communionem non impedit: communio enim sine proprietate esse non potest; quamvis sine bono communionis esse possit. Quomodo enim erit aliquid commune, si proprietas non discernat alterum ab altero, quibus sit aliquid commune? In illa etiam summa & indiuidua Trinitate est vnica vnitas, vna æternitas, vna virtus, vna sapientia, vna vita, vna essentia, tribus personis cómunis. Proprietate verò persona à persona discernitur, quibus est vna beatitudo communis. Nec commune bonum impedit, quod solus Pater pater est, Pater enim non sibi Pater est, sed Filio, quem de sua substantia genuit, & gignendo dedit vitam habere in semetipso. Et vt sermonem ad ea, quæ nobis magis nota sunt per consuetudinis experientiam, conuertam; proprietas qua homo pater est, cõmunionem humanę naturæ non impedit, sed per generationem natura de altero in alterum propagatur, nec communioni naturæ proprietas generationis præjudicat. Nó minor virtus est gratiæ, quàm naturæ creatæ. Excellens autem gratia charitas est, quæ in cordibus sanctorum diffunditur. Spiritus enim sanctus, per quem charitas diffunditur, effusionem amat; nam & ipse effunditur. *Effundam*, inquit Dominus, *de spiritu meo.* Quisquis ergo proprium donum habet ex Deo, sic habeat, vt non sibi soli habeat, sed Deo, sed proximo: Deo quidem, vt ex dono Dei non quærat suam gloriam, sed gloriam Dei. Proximo verò, vt communem vtilitatem semper attendat, non propriam. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Communionem enim amat, non proprietatem sine communione. Intantum autem amat communionem, vt bona ad ius suum pertinentia ab alio possessa interdú repetere nolit. Liberalis est enim charitas, & fugitans litiú, non quærit quæ sua sunt, nó vult iudicio contendere, vbi ipsa charitas periclitatur: mavult fraudem pati, quàm ipsa perire; pati dãnum, quàm dispendium sui. Cur contentiosè repeteret, quæ non habet, quæ prompta est dare quæ habet? Nam proprium cuiusque donum trahit ad communionis bonú: vt quod vnius est proprietate accepti doni, alteri' fiat vtilitate cómunicati boni. Hinc beatus Petrus dicit. *Vnusquisque sicut accepit gratiam ad alterum administrantes. Siquis loquitur, quasi sermones Dei; siquis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honoretur Deus.* Paulus quoque dicit. *Vnicuique data est manifestatio Spiritus ad vtilitaté.* Quæ est manifestatio Spiritus ad vtilitatem data, nisi donum gratiæ ad ꝓximorum vtilitatem manifestandam, & quantum decet publicandam? Qui sapiens est, non sibi sit, sed dicat. *Sine fictione didici, sine inuidia communicaui.* Qui habet, communicet non ha-

Act. 2. & 4.

1. Cor. 12. & 7.

Vnitas cum proprietatibus in Trinitate.

Ioel. 2.

1. Petri 4.

1. Cor. 12.

Quæ sit manifestatio spiritus ad vtilitatem.

Sapient. 7.

Luc. 6. benti; sicut monet qui dicit. *Date & dabitur vobis*. Auaritia enim, quæ animo non cōmunicandi sibi retinet quod habet, quantum communioni est contraria, tantum charitati est inimica. Si apud Gentilem Poetam homo Gentilis sine vera fide, sine vero Deo, sine vera spe veræ resurrectionis, & veræ beatitudinis, ita laudatur, vt eum dicat, *Non sibi, sed toti natum se credere mundo:* quātò magis apud homines Christianos, & maximè apud viros Religiosos vitę communis professores, ratio cōmunionis in omnibus est habēda, in omnibus præferenda! vt qui sibi bon⁹ est, aliis quoq; bonus sit, & non grauis: qui sermonem sapientiæ vel scientiæ habet, qui gratiam operationis vel administrationis habet, qui aliam quācumque maiorem vel minorem gratiam habet, sic habeat, quasi propter alios à Deo sibi datam: semperque timeat acceptam gratiā sibi obesse, si non studet ex ea alteri prodesse. In vacuū enim gratia Dei accipitur, si ex ea gloria Dei, & vtilitas proximi non quęratur. Tunc sanè gratia Dei conuertitur in gloriam Dei, si proprium cujusque à Deo donum deducitur in cōmune bonum. Et communicatio Sancti Spiritus tunc verè nobiscum est, cùm donum quod sigillatim singulis datur, per communionem amoris communiter possidetur.

Religiasis cō munio dolet esse cordi.

Item de cōmunione gratiæ, & de cōmunione gloriæ.

SPIRITVSSANCTVS cōmunio est, & communionem intātum amat, vt velit ipse dari. Ipsa enim benignitas est. Nec contentus est sua dare, nisi & seipsum dederit; sed his quos tanti doni acceptione dignos ipse fecerit. Donum enim est, & ab æterno fuit summum bonum, & summum donum. Qui verè acceptam Dei gratiam vsu & vtilitate proximo communicat, ille verè habet, quod accepit, & habenti dabitur & abundabit. Ei verò qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Gratia Dei credita & accepta, quasi in nomen & causam mutui transit. Accipientem enim obligat Deo & proximo. Deo quidem, ad gloriam reddendā: proximo ad gratiam, communicandam. Qui communicat gratiā, miseretur proximo. Qui reddit, gloriam tribuit Deo. Et hic est iustus, qui miseretur, & tribuit. Injustus enim esset, si debitum non solueret: si contra fidem conuentionis, & contra rationem crediti & accepti veniret. Hinc scriptū est. *Mutuabitur peccator, & non soluet.* Mutuatur, quando accipit; non soluit, quodo non restituit. Et in hoc peccator est, quia mutuatur, & nō soluit. Non soluit, quia proximo non communicat, nec Deū glorificat. Exigit enim Deus de collata gratia & quod nondum dederit. Vsuram enim requirit; & metit vbi non seminauit; cōgregat quæ non sparsit. Metit in malis, congregat in bonis. Ad malos in fine missurus est messores Angelos, quos de lucro non reportato cōdemnabit, quando colligent Angeli zizania, & alligabunt ea fasciculos ad comburendum. Bonos autem cōgregabit sicut triticum in horreum suum, remunerans in eis, quod ipse dedit, & lucrum reportatū quod accipit. Congregat quæ non sparsit, ipse scilicet per se sine illis, quibus dedit. Illi autem sparserunt, qui dona accepta proximis communicauerunt, euntes & fructum ferentes; sicut ij, de quibus scriptum est. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.* Nec ad duritiā Domini videtur pertinere, quod de bonis, sed quod de malis dictum est. Si autem vtrumq; de malis intelligi potest, vel vtrumque de bonis, salua pietate Dei, aliquo modo ostendēdus est durus esse Dominus, qui ad suam duritiā in altero, vel in vtroque demonstrandam, duo dicit. *Meto, vbi non seminaui; cōgrego, vbi non sparsi.* Ergone Deus durus est Dominus? Quis hoc audeat dicere? Sed quis audeat contradicere spiritui Dei? Nonne in spiritu loquēs dicit Propheta, *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris?* Et cùm Propheta diceret, *Quàm bonus Israel Deus*, subjunxit, *ijs, qui recto sunt corde*; significans, quibus bon⁹ sit. Durus enim Dominus videbitur ijs, qui duro sunt corde. Quos & ipse indurat iusto iudicio, quamuis occulto. Fortè videor destruere, quod priùs ædificaui. Nam cùm de benignitate & charitate Dei sermonem institui, ad demonstrandā duritiam indignationis eius cōtra malos sermonem retexi. Sed ex contraria collatione veritas interdum meliùs clarescit. Nam cùm scriptum sit, *Benignus est spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labijs suis*: ne benignitas Dei in occasionem & securitatē peccandi assumatur, quasi non velit peccata districtè punire, hoc præmisso, *Benignus est spiritus sapientiæ*, hoc adjungitur, *Non liberabit maledictum à labijs suis.* Benignus est autem ijs, qui cōmunitatis studio bonum collationis amant. Benignus est illi, qui bonū quod habet, alteri habet. Benignus est & illi, qui bonum quod non habet, amat in altero, qui habet. Duobus modis diuisiones gratiarum ad communionem reducuntur, cum dona quæ singulis sigillatim dantur, per communionem amoris communiter habentur: & cùm per amorem communionis cōmuniter amantur. Communis est enim gratia quodāmodo habēti & non habēti: cùm is qui habet, alteri habet, quia communicat: & qui non habet in altero habet, quia amat. Proprias quoque necessitates & infirmitates singulorum ad communionem trahit Spiritussancti cōmunicatio. Sicut enim charitas patiens est, ita & compatiens; & qui patienti compatitur, alienam necessitatem suam facit, vt ambobus communis sit vna necessitas Nam alterius necessitas est per passionem dolendi, alterius per affectum condolendi. Quod si necessitates iustorum communes sunt; consequens est, vt & consolationes eorum communes sint. Qui enim novit per affectum charitatis cū flentibus flere, nouit & cum gaudentibus gaudere. O quantum abundabat affectibus amoris, & visceribus charitatis Apostolus, cùm diceret. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Et quod ipse facit, hoc monet esse faciendum, dicens. *Alter alterius onera portate.* Nec sibi obloquitur, cùm dicit, *Vnusquisq; onus suum portabit.* Nam de onere peccati hoc rectè intelligitur. Solum enim peccatum ad communionem charitatis non admittitur. Quidquid enim boni facimus, communiter prodest: quamvis non æqualiter bonum quid sit communiter amantibus. Mutuis enim precibus mutuisque meritis apud Deum vicissim adiuvari speramus, & meritis & precibus Sāctorum quos amamus, & à quibus amari desideram⁹, ad cōsequendam veniam peccatorum gloriamque promerendam apud Deum magnam fiduciam obtinemus: maximè si merita eorum recolentes, fidem, charitatem, patientiam, pietatem intuentes, zelamus, amamus, si ad æmulationem prouocamur, si ad imitationem virtutum accendimur. Si ex pro-

Spiritussanctus non est cōtentus sua dare, nisi & det se.

Psalm. 36.

Matth. 13.

Psalm. 125.

Matth. 25.

Psalm. 17.

Psalm. 72.

Quibus durus videatur Deus.

Sapient. 1.

Quibus benign⁹ sit Spiritussanctus.

2. Cor. 11.

Galat. 6.

Ibidem.

Communio sanctorum.

prijs meritis quis iudicandus esset, ita vt aliena merita per communionem charitatis suffragari non possent, pondus diuini iudicij quis posset portare? Nam & iniquitates nostræ multæ sunt & magnæ, & Propheta dicit. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit?* Et bona opera nostra insufficientia sunt, & vniuersæ iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Et sicut scriptum est, *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ergone desperabimus? Absit omnino, absit. Quia Deus charitas est. O Deus charitas, vim patior, responde pro me, quid dicam, aut quid respõdebit mihi? Aut si ætatem habeo, imò quia habeo, vt pro me loqui debeam; ore profiteor, quod corde credo. Credo Domine, in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiã Catholicam, Sanctorum communionem. Hic est spes mea, hic est fiducia mea, hic est confidentia mea, hic est quantulacumq; securitas mea in cõfessione fidei meæ: in benignitate Spiritussancti, in vnitate Ecclesiæ Catholicæ, in communione sanctorum. Si mihi datum fuerit desuper diligere te, & diligere proximum meum; quamvis merita mea parua sint & pauca, supra merita mea spem habeo ampliorem, confidens per communionem charitatis merita sanctorum mihi profutura, vt insufficientiam & imperfectionem meam supplere valeat sanctorum cõmunio. Consolatur me Propheta dicens. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* O lata & dilatans charitas, quã magna est domus tua, & ingens locus possessionis tuæ! Ne angustiemur in visceribus nostris, ne arctemur intra fines & limitem quãtulæcumque iustitiæ nostræ. Dilatat charitas spem nostrã ad communionem Sanctorum, in communione meritorum, & communione præmiorum: sed communio præmiorũ futuri temporis est, communio scilicet gloriæ, quæ reuelabitur in nobis. Cùm itaque tres communiones sint, communio naturæ, cui annexæ sunt cõmunio culpæ, & communio iræ; altera gratiæ, tertia gloriæ: per communionem quidem gratiæ incipit reparari communio naturæ, & excluditur communio culpæ: per communionem verò gloriæ perfectissimè reparabitur communio naturæ, & omnino excludetur comunio iræ: quando Deus absterget omnem lachrymam ab oculis Sanctorum: & tunc omnium sanctorũ erit quasi cor vnum & anima vna, & erunt illis omnia communia: quãdo erit Deus omnia in omnibus. Vt ad hanc communionem omnes perueniamus, & in vnum conueniamus, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & cõmunicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus nobis, Amen.*

Psalm. 129. *Rom. 8.* *Sanctorum merita alijs prosunt.* *Psalm. 118.* *Communio meritorum & præmiorum.* *Tres communiones.* *2. Cor. 13.*

TRACTATVS DECIMVS SEXTVS,

PERFECTORVM RELIGIOSORVM ENCOMIVM CONTINENS, IN ILLVD,

Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, pulchriores sapphiro.



VLCHRITVDINEM Nazaræorum describit sermo Propheticus, quã miris laudibus effert, miris præconiorũ titulis extollit & superextollit. Laudat enim in Nazaræis candorem, laudat & nitorem, laudat & ruborem. Cumque hæc tria ad pulchritudinem pertineant, & gratiam pulchritudinis augeant, postremò tamen ipsam pulchritudinẽ nominatim laudat. Et hæc omnia laudat, non simpliciter, sed ex comparatione: vt ex collatione rerum laudabilium magis magisque clarescant; non ex qualitate parilitatis illis collata, sed præcellentis dignitatis honore prælata. Cumulatior est gloria laudis, cùm id ꝙ eminet, præeminet; cùm quod excellit, præcellit; perfectaque gloria laudis tunc est, cùm res quæ sua virtute propropijsque meritis subnixa, in se laudabiliter constat, ipsa eadem cæteris laude dignis laudabiliùs præstat. Laudatur in Nazaræis pulchritudo, non corporum, sed morum: non gloria carnis, sed mentis, sed virtutis, sed honestatis. Habet quidem gloria carnis nonnullam gratiam in oculis carnis; sed vanam, sed fallacem, sicut scriptum est. *Fallax gratia est, & vana pulchritudo.* Quid est vana pulchritudo, nisi pulchra vanitas? Aut quid est fallax gratia, nisi grata fallacia? Grata est, sed fallacia: fallacia est, sed grata. Cernentibus quidem gloriosè placet, sed spectantes fallit, & intuentium oculos quasi quibusdam præstigijs illudit. Nam si interioris oculi acumine intima humani corporis penetrãtur, quid est pulchritudo carnis, nisi velamẽtum turpitudinis? nisi prætextus quidam latentis ignominiæ & cõfusionis? Sub gloria enim carnis latent occulta dedecoris, quæ pudor est nominare: sed & ipsi homini horror etiã cogitare. Homo siquidem putredo est, & filius hominis vermis. Quod si ita est, imò quia ita est, quid est pulchritudo filij hominis, nisi pulchritudo vermis? quidue pulcher homo, nisi pulchra putredo? Quid deniq; superbus homo, nisi vilissimæ corruptionis generosa propago? qui cum beato Iob dicere possit putrediui, *Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus?* Corporalis ergo pulchritudo etsi gloriam habeat apud homines, sed non apud Deum, quippe quæ virtute meriti caret, & spem præmij non habet. Internus arbiter Deus, cordis inspector, interiorem amat pulchritudinem. Filiam Regis alloquitur Propheta, dicens, *Concupiscet Rex decorem tuum;* & vbi sit decor ille, ne quem lateat, quia intus est, subinfert, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis.* Nazaræorum verò dècor intus est, non foris. Qui sic cognominati sunt à flore sanctificationis, non à flore fœni, flore carnis. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni. Scriptum est. *Iustus vt palma florebit.* Et iterum. *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.* Et alia Scriptura dicit. *Florete flores, quasi lilium, & frondete in gratiam.* Vbi floret lilium? Christus in Nazareth concipitur, flos in flore virginitatis & sanctificationis. De Christo enim sic Pater dicit. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Et Christus de se, *Ego flos campi, & lilium cõuallium.* In libro sapientiæ legitur. *Florete flores quasi lilium.* Christus dicit, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Huius lilij odorem spirant & redolent omnes Nazaræi. Nam qui tempore legis fuerunt Nazaræi, Dño sanctificati, in figura Christi præcesserunt, & futuros

Tria in Nazaræis laudanda. *Prou. 31.* *Pulchritudo carnis vanitas est.* *Iob 7.* *Deus interiorem amat pulchritudinem.* *Psalm. 44.* *Psalm. 91.* *Eccli. 39.* *Psalm. 131.* *Cantic. 1.* *Eccli. 39.* *Leuit. 11.*

turos Christi imitatores abstinentia sua & moribus expresserunt, abstinentes à vino & sicera, & omni quod inebriare potest. Sed & filij Ionadab abstinebant à vino. Præcepit enim Ionadab filijs suis, vt non biberent vinum. Et illi quidem voci Patris sui obedierunt. Propterea hæc dicit Dominus. *Non deficiet de stirpe Ionadab cunctis diebus stans in conspectu meo.* Si iuxta vocem Domini cunctis diebus non deficit de stirpe Ionadab stans in conspectu eius: ergo & his diebus nostris sunt filij Ionadab, imitatores Christi, stantes in conspectu Domini. Christus enim verus est Ionadab, in omni obedientia spontaneus & volũtarius, quod sonat nomen Ionadab. Spõtaneus est, qui dicit. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Nazaræus & spontaneus est, cujus illa vox psalmi est. *Et refloruit caro mea; & ex voluntate mea confitebor ei.* Quod dicit, *ex voluntate mea*, ad spiritum pertinet: quia vbi est spiritus, ibi libertas. Quod præmittit, *& refloruit caro mea,* non pertinet ad præsentem gloriam delicatæ carnis, quæ est flos fœni: sed ad spem gloriosæ resurrectionis, & ad florem sanctificatæ carnis, quæ cum vitijs & concupiscentijs mortificatur.

Ierem. 35.

Filij Ionadab imitatores Christi sunt.

Psalm. 53.

Psal. 27.

De candore Nazaræorum.

ABstinentia Nazaræorum & filiorum Ionadab Sacramentum fuit, & exemplum, & signum. Illis quidem fuit sacramentum ad sanctificationem, nobis exemplum ad imitationem, & signum ad eruditionem. In hoc enim ad triplicem abstinẽtiam spiritualiter informamur. Tria siquidem sunt, quæ mẽtes hominum ebriosa obliuione, & obliuiosa ebrietate ab amore Dei alienant: amor animæ, amor carnis, amor mundi: hoc est, amor propriæ voluntatis, amor carnalis voluptatis, amor mundanæ vanitatis. Amor mũdi vanus est, amor voluptatis dulcis est, amor propriæ volũtatis pertinax est. Tantò enim pertinaciùs & peruicaciùs anima seipsam amat, & sibi quodammodo hæret, quantò difficiliùs ipsa à se auelli vel separari potest. Vix enim quidquã anima plus amare potest, quàm propriam volũtatem, propriamque sententiam. Propterea cùm à propria voluntate retrahitur, quasi à se auulsa velut inflicto vulnere cruentatur. Amor propriæ voluntatis vinum est mentem inebrians, & omnes sensus eius perturbans; vt puta auditum, ne audiat obedientiam; oculos discretionis, ne videant veritatem: cæterosq; sensus officijs suis destituit, in medio eorum miscens spiritum vertiginis. Non est hoc vinum, quod mœrentibus jubetur dari. Mœrentes & propriæ voluntatis peccata lugentes inebriantur vino compunctionis, & potantur à vino quod lætificat cor hominis in repromissione & spe veniæ. *Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* De hujusmodi dicitur. *Date vinũm mœrentibus, & siceram ijs qui amaro sunt animo.* Econtra dicitur. *Noli Regibus, Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: ne forte bibant & obliuiscantur judiciorum Dei.* Vinum propriæ voluntatis eliquatum est, & expressum in torculari inobedientiæ, de vua acerba, quam comederunt Patres nostri, & dentes filiorum obstupuerunt. Adam pater inobedientiæ vinum hoc propriæ voluntatis miscuit, & poculum mortis solus suis propinauit; quasi diceret, Bibite ex hoc omnes. Et adhuc quidem bibunt ex eo omnes peccatores: Christus econtra, qui non venit facere volũtatem suam, sed Patris, calicem obedientiæ vsque

Triplex hic abstinentia spiritualis cõmendatur

Mat. 5.

Prouer. 31.

Ibidem

Vinũ propriæ voluntatis de vua acerba expressũ.

ad mortem propinauit, nobis dicens, *Bibite ex hoc omnes.* Ex hoc, inquit, quod ego ministro, nõ quod Adam ministrauit. Iudæi increduli & inobedientes, Domino in cruce pendenti & sitienti salutem eorum, obtulerunt vinum, quale fuit in reprobis moribus eorum: & cùm gustasset, noluit bibere. Non enim approbauit, à vino abstinens tamquam Nazaræus. Erat enim de vua fellis, de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ. Vinum hoc propriæ voluntatis & inobedientiæ interdicitur Nazaræis, & filijs Ionadab, ne bibant illud. Bonum est enim homini non bibere hoc vinum. Norunt hoc, qui omnẽ voluntatem suam suspectam habent, qui se sibi non credunt, sed alieno arbitrio sese regendos committunt: qui semper trepidant à se & quasi per se aliquid velle. Et propterea vinculis obedientiæ sese ligant, & sub legibus regularis disciplinæ sese coarctant, & voluntatem suam in necessitatem conuertunt, & libertatem in seruitutem redigunt, sed hæc omnia propter Christum; vt in Christo seruitus libera sit, & necessitas voluntaria. Tantò enim in Christo sunt liberiores, quantò ad obediendum ei ex propria sponsione facti sunt obligatiores. Hæc est prima, hæc est præcipua abstinentia Nazaræorum. Sicera verò carnalis voluptatis, & ipsa expressa est in torculari inobedientiæ, quasi de pomo ligni vetiti. Vidit enim mulier, quod esset pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Ibi nata est voluptas gulæ, cõcupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum. A sicera abstinent Nazaræi, qui curam carnis nõ perficiunt in desiderijs, qui per abstinentiam & continentiam & disciplinam, mortificationem IESV in carne sua circumferunt. Abstinent & ab omni quod inebriare potest, quia multiplices vitæ sæcularis errores fugiunt, rebus perituris fidem non habentes, & omnem gloriam mundi quasi sub pedibus calcant, cernentes terram de longè. In hac perfectione triplicis abstinentiæ consistit candor Nazaræorum; & hic candor super candorem niuis. Nix est candor abstinentium; sed discernitur abstinens ab abstinenti, & candor à cãdore, sicut perfectio ab imperfectione. Hinc scriptum est. *Dum discernit cœlestis Reges, super eam niue dealbabuntur in Selmon.* Qui mundo licitè vtuntur, quasi niue candidati sunt: sed qui mundo non vtuntur, candidiores sunt Illorum candor est ab illicitis abstinere, istorum candor etiam à licitis temperare. Illi turbantur, & soliciti sunt erga plurima; quia multa amant præter Deum, & non propter Deum, etsi nil plus quam Deum; & est illorum amor diuisus. Nam quantum amoris rebus perituris impenditur, tãtum perfectioni diuini amoris subtrahitur. Semper enim minus est, quod est sparsum, quàm quod est in vno collectum. Aqua per riuos plurimos diuisa in singulis minoratur: sic est & amor. Hinc quidam, quamvis de vano amore, de amore tamen. *Secta bipertito cùm mens discurrit vtrimque, alterius vires subtrahit alter amor.* Colligamus ergo totum amorem in vnum, ne spargatur per plurima, & omnes affectiones & intentiones amoris à multis reuocemus; vt totus amoris impetus in vnum & ad vnum currat; ad illud scilicet vnum, quod tota dilectione dignum est: cui totus amor debetur: cui dignè amando vix totus amor sufficere potest. Nonnulla enim fit injuria, cùm ex parte subtrahitur, cui totum debetur. Hic est candor super candorem niuis. Hunc

Mat. 26.

Deuter. 32.

Suspecta esse debet propria sententia & voluntas.

Sicera carnalis voluptat. vnde expressa.

Psal. 67.

Deo totus amor debitus

Psalm. 50. fortè candorē desiderauit, qui ait. *Lavabis me, & super niuē dealb.* De nitore Nazaraeorum.

NAZARÆI hoc titulo laudis honorantur, vt candidiores niue dicantur; & vt laus laude cumuletur, additur, *Nitidiores lacte.* Oleum, lac, adeps, pinguedinem habent & nitorem. Hæc est misericordia, de qua Dominus ait. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* (Ose. 6.) Nitorem & dulcedinem lactis hi habent, qui necessitatibus indigentium misericorditer subveniunt; vt potentur à lacte, & satientur ab vberibus consolationis eorum. (Quid per lac designetur.) Sunt autem quædam necessitates corporales, quædam spirituales. Indiget enim corpus multis necessitatum subsidijs, indiget multis infirmitatum remedijs. Indiget & anima ijs, quæ sibi necessaria sunt ad spiritualem cōsolationem, veramque salutem. Plerumque iusti hi qui secūdum carnem infirmi sunt, circa corporales proximorum necessitates majori pietate & affectione mouentur: magisque student esurientem pascere, quàm errantem ad viam veritatis reducere. Teneriùs, credo, circa ea infirmantur, ad quæ toleranda seipsos infirmos sentiunt, & quasi domestico edocti exemplo paupertati amāt pro Christo compati. At qui animas proximorum perfectiùs quàm corpora amāt, eos sustinēt pro Christo pati, Deo zelāt, circa spirituales necessitates affectuosiùs mouentur, cum infirmis infirmantur, pro scandalum patientibus vruntur. Inter secretas lacrymas, & secreta cum Deo colloquia, pro inimicis orant, & plorant: pro alienis peccatis dolent & lugent, & in visceribus charitatis, & in intima medulla pietatis proximos suos qui ignorant & errant, Deo cui in spiritu suo seruiunt, lacrymosis suspirijs commendant. Sæpè tamen circa corporales necessitates, quasi duri & sine affectione videntur: & fortè quia paupertatem in se sponte patiuntur, minùs ei in alijs compatiuntur. Nec paupertatem miseriam reputant, sed salutis viam; securiusque existimant mediocriter egere, quàm superfluis abundare: & miserabiliores iudicant diuites in sua abundantia pereuntes, quàm pauperes ad tēpus salubriter egentes. Vera autem misericordia vtriusque necessitatis compassionem habet, sed majoris majorem, minorisq; minorem. Magna misericordia est cōdolere proximis, eoquod egeant: sed longè maior est, curare ne pereant. Magna affectio est misericordiæ, dolere de malis quæ patiūtur homines. Vtriusque misericordiæ exemplum in se Christus exhibuit. Videns enim turbam prope deficientem dixit, *Misereor super turbam*; (Marc. 8.) & multiplicatis panibus corporali beneficio spiritualis gratiæ mysterium figurauit. At cùm videret ciuitatem Ierusalem, fleuit super eā, dicens, *Quia si cognouisses & tu.* (Luc. 19.) Et cur ipse fleret, vel cur illi flēdum esset, subdidit dicens. *Et nunc quidem in die hac, quæ ad pacē tibi.* Cùm duceretur Dñs ad passionē, cōuersus ad mulieres, quæ præsentes aderant & flebant, dixit. *Nolite flere super me, sed super vos, & filios vestros.* (Luc. 23.) Major ergo est zelus animarū, quàm pius affect⁹ circa passiones corporū. Ille nitor lactis est, hic olei: ꝙ omnibus liquoribus superfertur. Ille quasi exterior pinguedo est in sacrificio; hic est adeps interior. Ille diuitibus familiaris est, sua misericorditer tribuentibus; alter Nazaræis magis est accommodus. Ibi enim intima medulla sinceræ dilectionis ad proximum. Ad quid enim magis diligendi sunt proximi consortes vnius naturæ, nisi vt sint participes communis gloriæ? Proinde Nazaræi zelum animarum præferentes, & necessitates corporum nullomodo contemnentes, quasi gemino nitore prænitente, vt lacte candidiores, nitorem gratiæ & gloriæ apud Deum semper habent, qui ait. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (Matth. 5.) Qui communem vitam professi sunt, quibus in futura vita omnia communia futura sunt, sic interim sua communicant, vt nil velint sibi superesse, quod alijs possit prodesse: & totum reputant superfluum, quod in communionis gratiam non fuerit deductum: nil libeat habere propriū, sicut nil licet vsurpare alienum.

De Rubore Nazaraeorum.

IN describenda facie Nazaræorum color colori appingitur; candori & nitori rubor adjūgitur; vt sit facies eorum per gratiam candoris luculentè colorata; per gratiam ruboris hilariter affecta. Rubor in facie caloris aut pudoris indicium præferre solet. Rubicundi sunt Nazaræi calore deuotionis feruidi, & honestatis reverentia pudibundi. Zelo enim zelantes in lege Dei, non solum feruent ad studium virtutis, sed ardenter amant pulchritudinem honestatis. Delicati sunt sensus eorum, ad omnem turpitudinem erubescunt. Omne quod inhonestum est abominantur: ad omne quod non decet, verecūdantur: pudici & verecundi sunt sensus eorum. Pudet inhonesta videre, pudet non de se solum, sed & de alijs turpia audire: pudet turpia dicere, pudet & cogitare, juxta quod quidam ait. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* (Iob 31.) Pudet & turpia fecisse, sicut de quibusdam Apostolus ait. *Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* (Rom. 6.) Parum est ad laudem Nazaræorum, vt rubicundi dicantur, nisi & ebori antiquo præferātur. Ebur, vt ajunt, os elephātis est. Elephas est animal ossibus extructum, robustum, & firmum, adeo vt sufficiat belli machinas, & ædificata desuper propugnacula sustinere. Talis est fortitudo sanctorum, habens sicut ebur inter ossa excellentem gloriam soliditatis, firmitatis, & pulchritudinis. Si caro infirma est, vt infirmitatem sanctorum possit designare; cur non os virtutem eorum prædicare possit? De illis nimirum scriptum est. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* (Psalm. 33.) Ebur antiquum fortitudo justorum est, qualis fuit in antiquis justis sub lege: qualis & nunc est in ijs qui sunt imitatores eorum. Fuit in antiquis magna morum grauitas, magna maturitas, inconcussæ mentis magna cōstantia, in duris & indignis pro lege sua tolerandis insuperabilis animi robur immobile. Nulla enim rerum aduersitate, nulla hominum perversitate, nullis injurijs, nullis contumelijs, nullo terrore, nullo pudore, à sanctæ Religionis reuerentia poterāt separari. Hinc vnus cæteros sanctos in se transfigurans ait. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me: à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrum.* (Psalm. 43.) Hæc quidem sub lege, quæ tamen neminem adduxit ad perfectum. Deerat enim adhuc Euangelica perfectio. Nondum erat dictum. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* (Matth. 19.) Adhuc dicebatur, *oculum pro oculo, dentem pro dente, liuorē pro liuore.* (Exod. 21.) Nondum illud, *Si quis percusserit te in maxilla, præbe ei & alteram.* (Luc. 6.) Non-

dum mundo innotuerant cōsummata perfectionis de cœlo allata cōsilia arcana per Christum, & in Christo propalanda; consilia, quæ non omnes capiunt, de virginitate seruanda, Deoque dicanda, de voluntaria paupertate pro Christo ambienda, de extremitate amanda, de dignitate contemnenda, de vindicta non expetenda, de omni injuria remittenda, de re sua cum lite non repetēda, de odio patris & matris, & amicorum omnium, insuper & animæ suæ, de inimicis diligendis, de anima pro amicis ponenda, etiam si sint inimici nobis, de quibuslibet injuriis, de cōtumelijs, conuitijs, opprobrijs, denique de quibuscumque siue duris, siue indignis pro Christi honore & amore perferendis, & hilariter perferendis in gaudio Spiritus sancti, sicut scriptum est. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hæc & hujusmodi Christianæ perfectionis consilia, etsi quibusdam antiquis justis diuinitus essent inspirata, non tamen per legem erant publicata; sed Christo reseruata sunt hæc, qui perfectionem legi daret, & tamen non legem solueret. Bone Iesu, si pace tua quærere licet, quid fecisti nobis sic? Sperabamus, quod in mundum veniens leuares onera, mitigares iram tuam, & factus homo humanus fieres, vel solito humanior. Nunc autem onus oneri addis, & grauibus grauia superponis. An non satis graues erant manus Moysi? An ad hoc venisti, vt scorpionibus nos cædas? Annon, vt aggraues jugum nōstrum? Amicos non licet diligere, & inimicos non licet odisse? O nouarum legum conditor. Quis potest audire sermones tuos? An occasionem quæris, vt nos perdas? Nonne Iesus est nomen tuum? Nonne Deus noster es, Deus salues faciendi? Ergone perdendi? Absit. Quid me iubes inimicum non odisse, imò & diligere? Quomodo hoc possum? Ecce si leui conuitio prouocatus fuero, interius ardeo, & excandesco, feruet cor meum ad vindictā, lingua mea præceps est ad cōtumeliā. Interim Deum nescio, leges tuas non cognosco, & tu dicis, *Si quis irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Si dixero fratri *racha* vel *fatue*, magis me terres. Reus enim sum concilij, vel gehennæ ignis. Vtique tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Vt verum fatear, ego immemor beneficiorum esse possum, at injuriarum esse non possum. Ita natura sum filius iræ, vt non possim non irasci. At tu Iesu, iratus es, sub quo mihi non licet nec irasci, nec contra inimicum vel leuiter commoueri, vel in corde mussitare? Vnde hoc mihi, vt ita stabiliam cor, vt omnino non commouear, & ad omnes injurias insensibilis fiam? Vnde nobis vt faciamus, quæ à nobis fieri vis, & patiamur quæ nos velis pati, nisi benedictionem dederis tu, ô legislator? Vnde hoc nobis, nisi nos præueneris in benedictionibus dulcedinis, nisi manserimus in charitate dulcedinis tuæ? Cui & quæ amara sunt dulcescunt, & quæ dura sunt mitescunt, in qua sola iugum tuū suaue est, & opus tuum leue. Amanti enim quid est difficile? Quicquid enim districtius injungitur, minus est à deuotione charitatis. Patiens est enim charitas, fortis est charitas, nec labore fatigatur, nec sarcina deprimitur. Omnia suffert, omnia sustinet, & cùm sancti pudoris sibi cōscia sit, tamen reuerenter quasi impudens est: erubescit quidem turpia sed non sermones Christi, nec improperium Christi, nec exemplum Christi. Christus qui perfectionem legi addidit, quod faciendum docuit, quantum docuit, in se impleuit, & seipsum in exemplum proposuit. Quicquid autem Christus & ipse fecit, & faciendum docuit, etsi mundo contemptibile videatur, verè tamen honoris gratia carere non potest. Paupertas Christi & humilitas eius mundo vilis est. Quippe nam & pauperibus Christi mundus ipse vilis est, mutuoque contemptu sese despiciunt, dum despicit mundus à quo ipse despicitur. Verùm, quod mundus despicit, fastus superbiæ est: quod despicitur, humilitatis nobilitas est. Vera enim humilitas Christi nobilis superbiæ typhū in se videtur habere. Dedignatur enim sub jugo peccati seruire, omnemque vanitatis fastum, & tumentis superbiæ colla propria virtute audet calcare. Perfectus enim Christi æmulator memor conditionis suæ, in qua factus est ad imaginem & similitudinem Dei, memor quoque pretij, quo redemptus est à filio Dei, pro reuerentia dignitatis suæ contra superbiam, quæ omni dignitate indigna est, nobiliter superbit, & indignum sua nobilitate judicat, mundani honoris vanitatem amare; & promissiones Dei, quæ omne desiderium superant, non amare. Hinc de Ecclesia scriptum est. *Ponam te in superbiam seculorum.* Et de ministris Dei dicitur. *Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis.* Quæ est fortitudo Gentium, aut quæ gloria eorum, nisi quam amant, qui cōfidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur? Quorum gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. Scriptum est. *Quotquot erant possessores agrorum, vendebant & ponebant pretia ante pedes Apostolorum.* Meritò ante pedes, quasi pedibus conculcanda, quæ indignū erat vel manibus attrectari. Vox Petri est, *Argentum & aurum non est mihi.* Digna vox principatu principis Apostolorum, principis Ecclesiæ. Quid Petro, & argento vel auro? Nonne Petrus dicit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quid ergo erit nobis?* De mercede requirenti non argentum repromittitur, non aurum. Hæc enim contemnebat, quia in gloria Gentium superbiebat. Contempsit & Paulus qui ait. *Victum & vestitum habentes, his contenti simus.* Non erubuit paupertatem Christi, panem gratis non mānducans; nocte dieque operans. Non erubuit humilitatem Christi, dicens. *Facti sumus tanquam purgamenta hujus mundi, omnium peripsema vsque adhuc.* Et iterum. *Spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus.* Rubicundi ergo Nazaræi perfecti Christi discipuli, pro confusione duplici & rubore, & ebore antiquo tantò sunt rubicundiores, quantò antiquis justis perfectiores: tantò fortiores, quantò magis Christianæ disciplinæ facti sunt veri æmulatores.

Consilia Euangelica.

Acto. 5.

Matth. 5.

Charitatis onus leue.

Laudabilis superbia.

Isai. 60. & 61.

Acto. 4.

Acto. 3.

Matth. 19.

1. Corin. 4.

Ibidem

De intentione Nazaræorum.

ADHVC laus laudi adijcitur, & honor honore cumulatur. *Sapphiro*, inquit, *pulchriores.* Ordine pulcherrimo perfectionis pulchritudo commendatur. Primus gradus perfectionis est, ab omni corruptione vitæ præsentis immaculatum se custodire, quātum permittit humana fragilitas. Secundus gradus est, curam proximi omnino non negligere, quantum suppetit vel auxilij vel consilij facultas. Tertius gradus est in calore sanctæ deuotionis, & cum rubore sancti pudoris, dura & indigna fortiter tolerare, quantum sinit humana infirmitas. Quartus gradus est

Gradus perfectionis

in bonis agendis & in malis perferendis semper oculum intentionis ad Deum dirigere, & ad ejus gloriam cuncta referre, quantum praeualet humana possibilitas. Prima virtus est perfecta ad seipsum innocentia, secunda est ad proximum plena misericordia, tertia ad inimicum insuperabilis patientia, quarta ad Deum sincerae intentionis pura simplexque conscientia. Primam virtutem operatur vel pium odium sui, vel dura misericordia aequè sui: secundam charitas benigna, charitas proximi: tertiam charitas patiens, charitas inimici; quartam charitas excellens, charitas Dei. Haec nouissima caeteras informat, vt virtutes sint, solidat & implet, ne inanes sint. Quantumcumque enim boni quis fecerit, quantumcumque itidem mali pertulerit, totum reputabitur inane, nec solidum, nec laude dignum, nisi oculum intentionis eò dirigat, vt placeat coram Deo in lumine viuentium, nisi honorem Dei sic attendat, vt gloriam propriam non quaerat. In corde Nazaraeorum sic est puritas intentionis, vt in decoro vultu oculorum pulchritudo. Gratiam nempe venustatis & gloriam huiusmodi vultus nil magis auget, quàm decus oculorum. In decora enim facie oculorum gratia pulchritudo est pulchritudinis, & decor ipsius decoris: & praecipua pulchritudo boni operis ipsa est puritas voluntatis. Haec est autem pulchritudo sapphiri. Sapphirus nempe habet coeli colorem, puri & sereni coeli speciem imitatur. Imitatur quidem coeli puritatem, sed non planè assequitur, à superiore enim superatur. Pulchrior quippe est puritas coeli quàm sapphiri. Sic pia rectaq; intentio cùm spe coelestium & desiderio, in alijs habet puritatem sapphiri, coeli speciem imitantis: in alijs verò majori pulchritudine puritatem exprimit purissimi coeli. Sunt enim, qui Deum purissimè diligunt, non quasi cum caeteris, sed prae caeteris. Alij verò prae caeteris, sed cum caeteris. In his amor solus est, in illis summus est. Summ⁹ amor alterum non excludit, solus amor alterius amoris consortium non admittit. Purior enim est in suo genere, qui inferioris generis admixtionem non recipit. Qui prae caeteris, sed cum caeteris Deum diligunt, in his quae patiuntur vel agunt, oculo purae intentionis Deum, qui praecipuum amoris locum tenet, saepe saepeque respiciunt, & promissiones Dei & in se compleri confidenter sperant, & ante omnia & super omnia desiderant. Verumtamen quia nonnulla vana diligunt, in quibus Deum non diligunt, quia ea non rectè propter Deum diligunt; propterea multoties oculum ab intentione supernae retributionis aliorsum, ad id nimirum quod vanè amant, deflectunt. Vbi enim amor, ibi oculus. Proinde desideria sua in ijs quae amāt, ad libitum compleri & sperant, & desiderant, & orant: & dum totum cor sursum non erigitur, vel paululum ad inferiora inclinatur. Hi verò qui solum Deum & quae Dei sunt purè diligunt, intantum probantur sapphiro pulchriores, quantò sincera intentione inueniūtur puriores, coelestia semper meditātes, cum Propheta ad Dominum dicente. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Qui oculos intentionis ad vana non reflecti desiderans, ait. *Auerte oculos meos; ne videant vanitatē.* Puritatem verò desiderij sui exponens, ait. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine, requiram.* At puritatem spei declarans ait. *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.* Nazaraei in tanta puritate & intentionis & desiderij & spei constituti, quasi semper Deum vident; & in gloria pulchritudinis suae ab ipso semper videntur, sicut opera manuum eius, qui semper laetatur in operibus suis. Mutuo ergo aspectu sese aspiciūt, & mutua visione iucundantur. Nam Propheta dicit. *Oculi Domini super iustos.* Et iustus dicit. *Oculi mei semper ad Dominum.* Ecce jam nunc in praesenti Nazaraei quodammodo Deum vident, oculo ad oculum. Ecce nunc futurae gaudia visionis anticipāt. Ecce nunc futurae satietatis primitiuam dulcedinem degustant, plenius satiandi, cùm apparuerit gloria Dei, Qui est super omnia benedictus in saecula, AMEN.

Quinam sapphiro similes.


Psalm. 18. *Psalm. 118. & 26.* *Psalm. 17.* *Psalm. 33. & 24.*



LIBER

EIVSDEM VENERABILIS BALDVINI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

De commendatione Fidei.



OMNIA foedera societatis humanae, & amicitiae leges, vt sua stabilitate constare possint, fidei sinceritate firmantur, & firmata seruantur. Omnes homines fidē sibi seruari volunt: etiam ij, qui eam seruare nolunt. Fidem exquirit amicus ab amico, soci⁹ à socio, dominus à seruo, Imperator à milite, marit⁹ ab vxore: omnis qui viuit, ab eo cum quo viuit. Sine fide nec gubernacula rerum ministrari, nec hominū officia vel ministeria dispensari, nec amantium paria valent combinari: non regna, non ciuitates, non singularum domicilia familiarum; non quicūque coetus majores vel minores hominum socialiter viuentium, sine fide possunt constare, & in statu suae felicitatis permanere. Si fidem de medio tollas, vinculum dilectionis rumpetur, & omne foedus pacis dissoluetur. Non erunt, qui se inuicem diligant, qui inter se pacē habeant: nisi sint, qui sibi inuicem credant. In omni communione socialis vitae inter homines gratiam dilectionis & pacis fides media conciliat. Inter domesticos & seruos statim quaeritur, vt fidelis quis inueniatur: & familiaritate & laude dignus habetur, cuius fuerit fides experimento comprobata sincera & vera. Sine amicitia vera numquam pax vera; nā cùm falsa pax praetenditur, & fides pariter fingitur, & amicitia simulatur. Quoniam autē bonum pacis cum hominibus & inter homines optabile est, & ad hoc bonum per veram fidem & amicitiam rectissimé peruenitur: monemur ex hoc, si ad pacē Dei, quae exuperat omnem sensum, pertingere speramus, fidem Deo seruare, & amicitiā eius quaerere: vt amicitiae eius participes effecti, ad ipsum, & cum ipso, pacem habere mereamur. Habet vnitas fraternae societatis tria haec, fidem, charitatem, & pacem: Apostolo hoc edocente, qui ait. *Fidelis autem Deus, qui nos vocauit in so-*

Fides passim inter homines exigitur.

Ad pacem cum Deo habendam quid requiritur.

1. Corint. 1.

ciuitatem filij sui. Hac etiam cum filio suo societatem constituit fide, charitate, & pace quærendã, habendam, & sine fine retinendam. Fide autem Deo placuerunt & quotquot à diebus antiquis amicitiæ eius participes effecti sunt. Absque fide enim impossibile est placere Deo.

De fide ad proximum.

FIdes proximo debetur, vt cum eo simpliciter loquamur, & in omnib⁹ simpliciter agamus: ambulãtes sine malitia & dolo, hoc est, sine voluntate nocendi, & intentione fallẽdi. Duo hæc, iniquitas & dolus, sinceritatem fidei, quæ in sociali vita seruanda est, corrumpunt: & qui ex proposito satagit proximum fallere vel nocere, ius humanæ societatis violat: dum fidem communi fraternitati debitam non obseruat. Ius autem nõ violandæ societatis hoc est, quo cuique naturaliter intimatum est, alij non facere, quod sibi fieri non velit. Qui excusabili igorantia deceptus, in simplicitate sua dicit aut facit, quo alius læditur aut fallitur; non intendẽs, vt eum lædat vel fallat: de hoc dicendum est, ꝙ fidem non deserit, dum simplicitatẽ cordis custodit. Qui verò agit vt fallat, quamuis aliquo casu impedit⁹ non fallat, hic fidem non custodit: quia simplicitatem deserit. Simplicitas enim conscientiæ, præter voluntatem & opinionem fallendi, vel aliquomodo nocendi, ipsa est comes & custos fidei, qua fidelis est homo homini, in omni genere conuiuẽdi, & cõversatione communi. In ijs quippe, quæ fideliter dicuntur vel geruntur, non euentu bonorum vel malorum, quæ accidere possunt, fides est æstimanda; sed simplicitate conscientiæ, qua sibi conscij sunt fideliter loquentes & agentes, se velle credere, nec fallere nec nocere. Fides ergo numquam verbo vel opere fallere intẽdit, ipsam tamen falli contingit. Hoc autem accidit, pro eo quod non semper nititur veritatis judicio, sed aliquãdo opinionis incerto. Æstimat enim quod ignorat, & aliud pro alio errando probat. In his quæ licenter vel excusabiliter ignorari possunt, cùm ignorantia veri quis decipitur, vt alteri faciat, quod sibi fieri non velit, simplicitas cordis errantẽ apud Deum aliquo modo excusat: quãuis Deo factum ipsum displiceat. Vnde Domin⁹ veniens ad Abimelech per somniũ nocte, qui tulerat vxorem Abraham, miro modo cùm factum arguat, authorem excusat: nam factum arguens, & pœnam intentans, dicit. *En morieris, propter mulierem, quam tulisti.* Authorem excusans, & à peccato conseruans, subiũgit. *Ego scio, quòd simplici corde feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me: & non dimisi, vt tangeres eam.* Hæc, quæ inter nos est, mutua societas, fidẽ requirit, qua dignè nobis credatur: is uerò, qui alteri credit, fidem dicitur habere verbis eius, cui credit. Quæquidem fides opinione credentis æstimanda est: cùm opinatur, non mentiri eũ, cui credit. Is autem cui creditur, fidem seruare debet sibi credenti: quæquidem fides simplicitate cõscientiæ æstimanda est.

Quæ fidem inter homines violent.

Fides non intẽdit fallere.

Genes. 12.

Quod Deus non fallit.

ADeo autem nemo fallitur: sicut & ipse à nemine fallitur. Multa tamen Deus occulta dispensatione facit & dicit, mutat & dissimulat; quibus accidit occultæ dispensationis ignaros falsa pro veris, & incerta pro certis opinari, & sic seduci. Vnde Ieremias audet & dicit. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum; fortior me fuisti, & inualuisti.* Sancti nimirum Prophetæ, quamvis ad quædam videnda vel prævidendã à sancto Spiritu illuminati essent: tamen sicut hõmines multa permissi sunt ignorare, quæ Deus ab eis quasi celabat, quia non reuelabat. Vnde sæpe sperabant & expectabant, quæ non eueniebant. Hinc idem Propheta dicit. *Expectauimus pacem, & non est bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio.* Et Elisæus Propheta, cùm mulier Sunamitis mortuo filio ad eum accederet, dixit. *Anima ejus in amaritudine est; & Dominus celavit à me, & non indicauit mihi.* Quid autẽ mirum, si Prophetæ permissi sunt aliquid ignorare, & in aliquibus aliter existimare, quàm tunc erat, vel postea futurum erat: cùm de parentibus IESV scriptum sit, *Remansit puer Iesus in Ierusalem; & non cognouerunt parentes ejus: Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei; & requirebant eum?* Deus autem nihil in dolo dicit aut facit: sed iusto judicio aliοque consilio gratiam subtrahendo, vel non impertiendo, permittit, & aliquando non impedit, vt decipiantur, qui digni sunt decipi. Vnde sicut in Regum volumine scriptum est, dicit. *Quis mihi decipiet Regem Achab?* Et Isaias ad Dominum. *Quare nos errare fecisti, Domine, de vijs tuis? Indurasti cor nostrum, ne timeamus te?* Et iterum Isaias dicit de Ægypto loquens. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptum.* Et Psalmista de peccatoribus alleuatis & deijciendis loquens, ait. *Verumtamen propter dolos posuisti eis. Dejecisti eos dum allevarentur.* Et Iob de Dño loquens dicit, *Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuiũ: palpant quasi in tenebris, & non in luce, & errare facit eos, quasi ebrios.* Hæc autem & similia, quæ in sacra Scriptura inueniuntur frequenter, ad judicium districtionis, vel consilium dispensationis referenda sunt. Hæc autem Deus facere dicitur; quia sic judicat, aut sic dispensat. Cum autem Deo iudicante aut dispensante mali in laqueum erroris deueniunt; aut quæ à Deo sperãtur, bonis vel malis non eueniunt: iustitia Dei hæc est vel misericordia, in qua non est iniquitas & dolus: qui in omnibus simpliciter loquitur, & simpliciter agit: fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Ierem. 20.

Ierem. 8.

4. Reg. 4.

Luc. 2.

Deus nihil in dolo dicit aut facit.

3. Reg. 22.

Isaia 63.

Isaia 19.

Psalm. 72.

Iob 12.

Quòd duobus modis fides Deo debetur.

FIDES ergo Deo debetur; quia nec fallere nouit, nec falli. Veritas enim est, & sapientia. Veritas non fallit, sapientia non fallitur. Fides duobus modis à nobis exigitur. Primò quidem in verbis ipsius ad nos: deinde in verbis nostris ad ipsum. Verbis Dei fides debetur, qua dignè credamus de Deo, & de his quæ Dei sunt: quæ ipse in Scripturis sacris reuelare dignatus est. Est & fides sponsionis in promissis nostris, & votis Deo oblatis: quibus tenemur impietatem & sæcularia desideria abnegare, solique Deo fideliter obediendo seruire. Ad hanc sponsionis fidem ptinet, quod Apostolus, cùm de adolescentioribus viduis loqueretur, dixit. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Qui fidem rectæ sponsionis malè viuendo irritam faciunt; quamvis credant, vel credere videantur, fidelium nomine indebitè censentur, sicut scriptum est. *Lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Qui autem fideliter credunt, & obediendo fideliter seruiunt, hi rectissimè fi-

Psalm. 77.

deles nuncupantur: fidem habentes, qua rectè credunt; fidemque seruantes, qua fideliter obsequuntur. Fides qua Deo creditur, ad saluté obtinendã ante omnia est necessaria: sed per se nõ sufficit, absque fide promissi obsequij, quæ illæsa seruetur, vel per pœnitentiam læsa redintegretur. Qui credit & seruit, fidem quam lingua cõfitetur, motibus profitetur. Qui credit & non seruit, Deum quem verbis confitetur, factis negat. Vnde Apostol⁹ ad Titum de coinquinatis & infidelibus, quorũ coinquinatæ sunt mens & conscientia, sic dicit. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et iterum ad Timotheũ in epistola prima. *Siquis suorum, & maximè domesticorũ, curã non habet, fidẽ negauit, & est infideli deterior.*

Fides ad salutem ante omnia est necessaria.

Tit. 1.

1. Timo. 5.

Quòd vitia fidem minuant, vel extinguant.

QVi factis Deum negat, semper fidẽ minuit, & fidei meritum perdit: quandoque autẽ per vitiũ incredulitatis & fidem extinguit. Vnde Apostolus de ijs, qui bonam conscientiã malè viuendo repulerant, in eadem Epistola sic dicit. *Milites bonam militiam, habens fidem & bonã conscientiam; quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus & Alexander; quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Attende, quòd cùm præmisisset, *habens fidem,* addidit, *& bonam conscientiam*: ostendere volens, sine bona conscientia fidem non sufficere, sed fidei naufragium fieri, quod ad blasphemiã Dei pertinere videtur, ex eo quod sequitur. *Vt discant non blasphemare.* Rursum in eadem Epistola ex cupiditate fidem periclitari ostendit, dicens. *Radix omnium malorum est cupiditas: quã quidam appetentes, exciderunt à fide.* Aliam iterum causam fidei deficientis ostendens, in eadem Epistola dicit. *Deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Ex præmissis Apostoli verbis constare potest, quòd fidem violant profanæ vocum nouitates, quæ in errorem mittunt; & scientia falsi nominis, quæ se opponit simplicitati fidei, & extollit se aduersus scientiam Dei; & non solùm hæc, sed non bona cõscientia, & radix omnium malorum cupiditas, & luxuria: opera quoque mala, quibus Deum negant, qui verbis confitentur; cùm sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Vnde patet, quòd sine bona vita vel conscientia, fides aut non proficit, aut deficit. Quomodo autem non deficit, aut quomodo non extinguitur, quæ mortua est? *Fides autem sine operibus mortua est*: quia nec motum habet, nec sensum: quæ non mouetur per effectum boni operis, nec sentit per affectum dilectionis.

1. Timo. 1.

1. Timo. 6.

Ibidem

Iac. 2.

De fide, qua per dilectionem operatur.

IVstus autem ex fide viuit, non quidem ex ea, quæ mortua est; sed ex fide, quæ per dilectionem operatur. Hæc est enim quæ viuificat, hæc est, quæ verè & dignè fides dicitur; qua fit quod dicitur, impletur quod promittitur. Hæc vera fides est subnixa veritate credulitatis, & veritate sponsionis. Hanc sacra Scriptura summo studio commendat; hanc tota vita iustorum confirmat. Hanc Deus à nobis requirit; hanc oblatam gratanter accipit. Ficta est fides hæreticorum; qui de corde suo fingunt, quod credunt. Ficta quoque est fides eorum, qui falsum spondent obsequium: qui promittunt, & non faciunt, vota offerunt, & non soluunt. Fides autem quæ per dilectionem operatur, ficta non est: quia scriptũ est. *Finis præcepti charitas est, de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta.* Fides autem hæc, quæ Deo placere comprobatur, errore caret, & fictione, & hæsitatione. Errore quidem & fictione: quia veritati acquiescit, & in sinceritate obedit. Hæsitatione verò, quia nullam impiam dubitationem admittit; sed in suæ sententiæ firmitate immota persistit. Hinc de Abraham scriptũ est. *In promissione Dei non hæsitauit diffidentia: sed cõfortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens, quia quæ promisit, potens est & facere.* Et Iacobus Apostolus ait. *Qui indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur.*

1. Timo. 1.

Rom. 4.

Iac. 1.

De hæsitatione in fide.

HÆsitatio de impietate nascitur, cùm de fidei ambigitur veritate, vel de Dei promissione diffiditur. Exemplum non diffidendi in Abraham proponitur: de quo Paul⁹ dicit in epistola ad Romanos. *Non hæsitauit diffidentia.* Consilium de fide non ambigendi nobis datur, cùm à Iacobo dicitur, *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Qui enim monetur postulare, monetur non hæsitare, siue in fide, siue in postulatione. Hæsitatio autem in fide, pietati contraria est. Qui enim in fide hæsitat, fluctuat, & similis est fluctui maris, nec plenè consentiens, nec plenè dissentiens. Sicut autem qui à fidelibus contraria opinione dissentit, non credere dicẽdus est: ita & is non credere iudicandus est, qui dubitatione vacillans, cum fidelibus non consentit. Ipsa enim veritas per se dicit. *Qui non est mecum, contra me est.* Qui ergo dubitat, inquantum dubitat, non credit; quia non consentit, non acquiescit. Sicut autem impia est illa dubitatio, qua dubia sunt, quæ firmissimè credere oportet: ita impia non est illa dubitatio, qua dubia sunt, quæ ignorare licet. Illa autem hæsitatio, qua in periculis trepidamus, vel in orando non exaudiri timemus; & sæpe tantò magis timemus non exaudiri, quantò magis desideram⁹ exaudiri; illa inquam dubitatio non semper de damnabili impietate, sed quãdoque de humana infirmitate, vel pusillanimitate, vel fidei imperfectione nascitur. Iusti quippe sæpè orant, cùm non exaudiuntur; sæpè exaudiuntur, cùm se nesciunt exaudiri: sæpe etiam ignorant, quid orare debeant, sicut oportet. Quòd non semper iusti exaudiuntur, ostenditur ex eo, quod Paulus dicit 2. Epist. ad Corinthios. *Datus mihi stimulus Angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt auferretur à me: & dixit mihi Dominus: sufficit tibi Paule grátia mea.* Hoc idem ostẽditur ex eo quod Dominus dicit ad Samuëlem. *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego abiecerim eum?* Et rursum ex eo, quod dicit ad Ieremiã. *Si steterint Moyses & Samuel corã me, non est anima mea ad populum istum.* Ecce Paulus orat pro se, & non est exauditus: Samuel, & Ieremias pro aliis orãt & non sunt exauditi. Quòd exaudiantur cùm se non credant exaudiri, ostenditur ex eo, quod beat⁹ Iob dicit. *Cùm inuocantem me exaudierit, non credo, quòd exaudierit vocem meam.* Quòd autem iusti aliquando ignorant, quid petere debeant, sicut oportet, manifestè ostendit Paulus, cùm dicit ad Romanos. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse*

Iac. 1.

Luc. 11.

Non omnis hæsitatio damnabilis.

2. Cor. 12.

1. Reg. 16.

Rom. 8.

...m. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, qui secundùm Deum postulat pro Sanctis. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: his qui secundùm propositū vocati sunt sancti.* Quòd autem Apostolus dicit, *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, nō de omnibus generaliter videtur intelligendum, quæ à sanctis postulantur. Postulantur enim, quæ per se bona sunt, & salutem operātur in vitam ęternam. Postulantur & æterna bona, quæ in pręmium repromissa sunt: postulantur & ea, quæ per se bona non sunt, & bonos non faciunt, nec salutem operantur, sed tantùm in bonū quandoq; cooperantur. In his autem quæ in bonum cooperantur, nesciūt iusti, quid orent, sicut oportet: quia cùm pro necessitate vel tribulatione releuanda, aut tentatione tollenda postulant, non agnoscūt fructum necessitatis vel tribulationis, vel prouentum tentationis. Ignorant enim, quid eis vtilius sit ad salutē, habere vel carere ijs, quæ desiderant. Verumtamen quia duas voluntates habent, vnam infirmitatis, alteram virtutis: vnā, secundùm quòd caro concupiscit adversùs spiritum; alteram, secundùm quòd spiritus concupiscit aduersùs carnem: præscripta est in huiusmodi certa orandi forma, quando dicant. *Verùtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hanc siquidē voluntatem virtutis, quæ est secundùm spiritū, qua Dei voluntatem pręferri volunt ei voluntati, quæ est secundùm carnem, suggerit & operatur Spiritus sanctus: propter quod dicit. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Adiuuat autem, sicut sequentia declarant, cùm desiderat & postulat pro sanctis. Desiderat autem & postulat, cùm corda nostra in feruore sancti desiderij accendit, & quæ illi sunt placita, nobisq; salubria, postulare facit. Spiritus quoq; hominis Spiritu sācto afflatus, & ipse suo modo infirmitatem adiuuat: quia non pro ijs quę infirmitas desiderat, definitè orat: sed totū Deo committens, quod illi placeat, nobisq; expediat, fieri postulat & desiderat. Ad hoc pertinere potest, ꝙ B. Iob dicit. *Cùm inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meam.* Ac si apertè dicat. Cùm exaudierit spiritū postulantem secundùm Deum ad salutē, non tamēn credo, quòd ēxaudiat vocem meam: quia non exaudit ad voluntatem. *Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundùm Deū postulat pro sanctis.* Ipse enī nouit, quid sibi placeat, quid homini expediat. Homo autē cùm postulat, & hæc ignorat, nescit quid petat. Vnde ad filios Zebedęi dictum est *Nescitis, quid petatis.* Si autem generaliter alicui intelligendū videtur, quod Apostolꝰ dicit, *Quid oremus, sicut oportet, nescimus:* ad generalē intelligentiam valere potest, quòd Apostolus non ita dicit, *Quid oremus, nescimus:* sed addit, *Sicut oportet.* Scimus enim quòd ea quæ in Dominica oratione postulare monemur, à Deo postulanda sunt; sed qui dat cui vult, & quantum vult, & quando vult, & quomodo vult, causam & mensuram donationis suæ, & modum, petentibus non semper revelat. Propterea cùm sapientiam à Deo, charitatem, humilitatem, patientiam, mentis tranquillitatem, quæ certissimè petenda sunt, postulamus; scientes quid petamus, nescimus tamen quid petamus, sicut optimum est nos accipere, vel illum dare. Nam & Paulus in re certa hæsitat. Sciens enim quia multò melius est cū Christo viuere, quàm manere in carne; attendens tamen, quàm necessaria esset pręsentia eius in carne ijs quibus loquebatur; ignorat quid eligat magis orandum, magisque secundùm tempus optandum: an cum Christo esse, an propter fratres in carne manere. Propter quod dicit. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne hic mihi fructus est operis, & quid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui; & esse cum Christo multò melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* In tanta caligine incertitudinis & ignorantiæ, qua nesciunt, se iusti exaudiri, vel quid à se, sicut oportet debeat peti, infirmitatis suæ certitudinem habentes, & iustitiæ suæ fiduciam plenam non habentes, quamuis de misericordia Dei constanter confidant, tamen pro fragilitate sua trepidant & hæsitant, nec sine timore sperant; sicut & sine spe non trepidant. Si tantùm timerēt, quomodo non desperarent? Si tantùm sperarēt, quomodo per nimiam securitatem sese nōn resoluerent? Constituti autem inter spem & metum cùm orant, quomodo postulant in fide nihil hæsitante? Sed in fide non hæsitant, quam in omnibus & per omnia veram esse non dubitant. In oratione verò, cùm pro incertitudine exauditionis vel oportunæ petitionis dubitant, non tamen diffidentia hæsitāt. Hujusmodi enim dubitatio, quam & Apostolus de Abraham negauit, cùm diceret, *non hæsitauit diffidentia*, semper periculosa est, veræque fidei contraria, & à fideliter orantibus semper aliena. Quis enim orat, & non sperat? Credere ergo & sperare oportet, piè tamen timere & dubitare licet. Diffidentia autē hæsitare in promissionibus Dei omnino non licet. Vnde patet, quod pia dubitatio licitę ignorantiæ ad vindictam & custodiam humilitatis iustis necessaria fidei pietatem non destruit, nec mentis confidentiam desperatione subuertit; sed sicut pium est indubitanter credere quæ Deus credenda monstrauit, ita impium non est, ea simpliciter ignorare, & de his simpliciter dubitare, quæ Deus non reuelata abscondit. Multum autem refert, an de potentia Dei quis dubitet, an de eius voluntate. De potentia visus est dubitasse, qui allato filio ad IESVM, apud Marcum dixit. *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et ille. Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.* De potētia dubitauerunt illi, qui dixerunt. *Nūquid poterit Deus parare mensam in deserto?* De voluntate, & nō de potentia dubitauit leprosus, qui apud Matthæū dixit ad Iesum. *Domine, si vis, potes me mundare.* Qui mox audiuit. *Volo, mundare.* Attēdite hæc: qui de sola voluntate dubitauit, certitudinē voluntatis cū gratia curationis accepit. At qui de potentia dubitauit, & dixit, *Si quid potes*, mox ad se dictum audiuit. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Vbi ostenditur, gratiam quæsitæ misericordię de fide omnipotentię eius pēdere, quem dubitauit in hac parte aliquid posse.

Due in iustis voluntates. — Math. 26. — Rom. 8. — Iob 9. — Rom. 8. — Math. 20. — 2. Timo. 4. — Rom. 4. — Quæ hæsitatio illicita, quæ non. — Marc. 9. — Psalm. 77.

De hæsitatione in periculis.

Illa dubitatio, qua in periculis hęsitatur, ad diminutionem fidei pertinere videtur, ex eo, ꝙ Dominus per increpationem ad Petrum dixit. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Dubitasse arguitur, vel quia de salute dubitauit, cùm videns ventum validum veniētem, timuit: vel quia de Saluatoris præsentia turbatus dubitauit. Nam cùm Mat. 14.

supra mare ambulans, ijs qui viderant turbatis, & dicentibus, *Quia phantasma est*, & præ timore clamantibus, Dominus diceret, *Ego sum*, non debuit Petrus de præsentia Saluatoris sese ꝑdentis, & adesse profitentis, dubitare: maximè cùm diceret, *Habete fiduciam, nolite timere*. Petr⁹ cum cæteris jussus fiduciam habere, & non timere, jussus etiam, sicut ipse petierat, ad Dominū super aquas ambulantem venire, ambulans & ipse sup aquas; inter tot fidei & securitatis præsidia timere non debuit. Timuit tamen vt homo, non tamen omnino desperauit, nec omnino fidem perdidit. Dixit enim. *Domine, salvum me fac*. Quō autem invocaret, in quem non credidisset? Petri vtique dubitatio talis fuisse videtur, quæ confidendi constantiam turbaret: sed fidem omnino non extingueret. Sicut apud Matthæū Petri arguitur dubitatio: sic quorumdā timiditas apud Marcum increpatur. Cùm enim facta esset procella magna, & Dominum in puppi super cervical dormientem excitarent, dicentes, *Magister, non ad te pertinet, quòd perimus*, exurgēs dixit mari, *Tace, obmutesce*: & facta tranquillitate dixit. *Quid timidi estis? Nec cdū fidem habetis*. Quod autem dixit, *Necdum fidem habetis*, sic intelligi potest, quasi interrogando dictum sit: ac si diceretur ad eorum fidem excitandā, *An nondum fidem habetis?* Cui cōcordat, quod apud Lucam, quibusdam dicentibus, *Præceptor, perimus*, Domin⁹ legitur respondisse. *Vbi est fides vestra?* Si autem apud Marcum, quibus increpando dictū est, *Quid timidi estis*, illis non interrogando, sed astruendo dictū est, *Necdum fidem habetis*: valde nobis metuendum est, qui in periculis trepidamus præ timore, fidendi constantiam, & mentis securitatē perdimus: ne & nobis dicatur. *Necdū fidem habetis*. Sed alicui videbitur, meritò illos obiurgādos, iureq; increpandos, qui in periculo cōstituti, eum secum habuerunt, præsentemq; viderunt, & ideo timere non debuerunt. Quomodo autē & nos, qui in periculis trepidamus, increpandi non sumus: qui semper Dn̄m, etsi non per præsentiam carnis, vt illi, tamen per præsentiam diuinitatis nobiscum manere confidimus? Vnde & ipse Dominus de iusto dicit. *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum*. Et in Evangelio. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi*. Quanta autem de Dn̄i præsentia nobis debeat esse fiducia, ostendit, qui dicit. *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, nō timebo mala: quoniā tu mecum es*. Et iterum. *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quē timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Si autem vox iustorum hæc est, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*: quid sibi vult illa vox in Psalmis, nihilomin⁹ iustorū, siue Martyrum, *Exaudi Deus, orationem meā, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam?* Et in alio loco. *Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ*. Sed sciendū nobis est, quòd justi nunc per excessum cōtemplationis supra se levantur in quādam mentis securitatem, & fiduciæ constantiam; vnde cuncta mala præsentia, mortisque pericula, in Deo despicienda cognoscunt, & cognoscendo despiciunt. Nunc verò ꝓpriæ infirmitati dimissi, sicut homines, inter pericula metuunt: & metuendo, propriā infirmitatem quantò humiliùs, tantò veriùs recognoscūt. Hinc de illis scriptum est, *Ascendunt vsq; ad cælos, & descendunt vsq; ad abyssos*. Ascendunt per excessum contemplationis & securitatis in Deo: descendūt per excessum pauoris & pusillanimitatis in semetipsis. Hinc Elias Regi Achab quasi intrepidus occurrit: & à facie Iezabel non sine timore aufugit. Hinc & Iacob cum Angelo luctatus, cùm ei diceretur, *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis*: tamē in timore orauit, dicens. *Erue me de manu fratris mei: quia valde eum timeo*. Sic autem Deo vices varietatum dispensante iusti & securi sunt, & in se timidi: sicut & eodem mirabiliter dispēsante & in Deo lætantur, & in semetipsis cōtristantur. Paulus ad Philippenses scribens, admonet dicēs. *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete*. Idem in 2. Epistola ad Corinthios scribens de se, dicit. *Nolumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniā supra modum gravati sumus, ita vt tæderet nos etia vivere*. Et Psalmista dicit. *Anima mea exultabit in Domino*. Idem dicit. *Ad meipsum anima mea cōturbata est*. Et iterum. *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me?* Sæpe autem iusti timore pulsantur, sed à spei stabilitate non mouētur: sicut scriptū est. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non cōmouebitur in æternū qui habitat in Ierusalem* Sæpe autem timore pulsantur, adeoq; concutiūtur, vt & spe infirmētur, & in periculum desperationis paulominus inclinentur. Deus quippe, qui Electos ꝓbat, vt inveniat eos dignos se, sicut adjutor est in oportunitatib⁹ in tribulatione, sic despicit in oportunitatibus in tribulatione. Tūc autem despicit, cùm inter mala non respicit, cùm clamantem in tribulatione ad votū non exaudit. Hoc autem salubriter fit, vt iusti sibi derelicti experiantur, quid in se sint. Cùm autem nimio timore supra modū gravati, sæpe adeo in firmātur, vt vicinæ desperationis, nisi gratia Dei celeri⁹ subveniat, discrimen incurrant: tunc ad eos pertinet increpatio illa, *Quid timidi estis? necdū fidem habetis?* Deus verò occulta dispensatione iustos nōnumquam, vt magis humilientur, & fortiores resurgant, vsque ad incredulitatis reatum, fide infirmari permittit. Vnde in libro Numeri scriptum est. *Cùm elevasset Moyses manum, percussit virga bis silicem: & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt biberet populus & iumenta. Dixitq; Deus ad Moysen & Aaron. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dedi eis. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel corā Domino*. Ecce quō à Domino Moysi & Aaron incredulitas exprobratur, & punienda monstratur. Hinc rursus per Isaiam ad populū Israël Dominus dicit. *Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui prævaricati sunt in me: & contaminaui principes sanctos*. Quod dicitur, *Pater tuus primus peccauit*, de Abraham intelligi potest, si fortè & ipse dubitauit, quando Domino terram promissionis pollicenti respondit. *In quo sciā, quòd possidebo eam?* Vel hoc intelligi potest de Patribus in deserto, qui malè locuti sunt de Deo. *Nūquid panē poterit dare: aut parare mensam in solitudine?* De quibus & scriptū est. *Quia non crediderūt in Deo, nec speraverunt in salutari eius*. Quod dictū est, *Interpretes tui prævaricati sunt in me*, de Moyse & Aaron rectè intelligitur: qui inter Deum & populum medij, vt dictum est, prævaricati sunt. Contaminauit autem Deus Principes sanctos, occulta dispensatione contaminari permittens: justoque

Marginal notes: *Mat. 14*; *Ibid.*; *Petri hæsitatio fiduciæ contraria, non fidei.*; *Marc. 4.*; *Luc. 8.*; *Christus sēper nobiscū.*; *Psalm. 90.*; *Psalm. 22. & 26.*; *Psalm. 63. & 54.*; *Iusti diuersos status habent.*; *Psalm. 106.*; *3. Reg. 18. & 19.*; *Genes. 32.*; *Philip. 4.*; *2. Corint. 1.*; *Psalm. 34. & 41.*; *Psalm. 124.*; *Iusti quid in se sint quo modo discāt*; *Num. 20.*; *Isaia 43.*; *Hic sensus nō est bonus.*; *Genes. 15.*; *Psalm. 77.*

iustoq; iudicio cõtaminatos ostendens. Possunt autem iusti citra periculum fidei, & detrimentũ spei, in quibusdam desperare. Nam quæ licet nõ desiderare, licet & non sperare: & quæ licet cõtemnere, licet desperare, & in eis spem non ponere. Vnde & beatus Iob à temporalib⁹ ad æterna suspensus, quasi carnalis vitæ contemptor & mortificator dicit. *Elegit suspendium anima mea, Desperaui: non vltra viuam. Parce mihi Domine, nihil n. sunt dies mei.* Pẽsate, quia de Domino nõ desperauit, qui dixit, *Parce mihi, Domine:* nec tamen nullomodo desperauit, qui dixit, *Desperaui.* Ibi ergo desperauit, vnde per sanctum contemptum, sanctumq; odium, spem retraxit: non ibi, quò totam spem, totumque desideriũ transtulit. Ex prædictis colligendum est, quòd dubitatio nunc cor leviter pulsat, nunc validiùs pulsat, & ad incredulitatẽ inclinat: nunc maiori perturbatione in reatũ incredulitatis præcipitat. Illa verò dubitatio, quæ infidelitati propinquat, vel in eã præcipitat, quædam fidei defectio est; lumen fidei vel imminuens, vel extinguens: donec mens suæ perturbationis caligine discussa, per gratiã Dei confortata resurgat.

Iob 7.

Quæ desperatio nõ mala.

De Fidei certitudine.

QVoniam per fidem in Deum confidimus, & Deo credimus, cum Deus veritas sit; tãta certitudinẽ, tanta non dubiæ assensionis firmitate eadem fides debet esse subnixa, vt rectè sciẽtia dici possit. Omnem enim sensuum experientiã excedit, omnem conjecturã humanæ rationis transcendit: verissimè & certissimè comprehendens, quæ nec sensu explorari, nec humana ratione vllatenus valeant inuestigari. Cum enim Deo magis credẽdum sit, quàm vel sensibus corporis, vel humanis rationibus, omnem mundanam sapientiam fidei dignitas superexcellit: invisibilia videns, insensibilia sentiens, incomprehensibilia comprehendens. Certa quippe comprehensio est incommutabilis ipsius veritatis authoritate firmissime roborata. Quamvis autem fides sensu vel ratione ex aliqua parte possit adjuuari, vt in sequẽtibus ostenditur, fides inoffensa vltra progrediens procedit, quàm vel sensus vel imaginatio vel ratio inquisitione possit pertingere; vel intentione peruenire. Lumen quippe rationis, quo mens naturaliter illuminatur, vt intelligat, incomparabili claritatis splendore superat lux gratiæ, qua mens illuminatur, vt non intellecta credat, donec quodam ordine gratiæ quæ nunc credit, intelligat. Quapropter cùm rerum comprehẽsibilium vera cognitio scientia dicatur & sit, multo magis incõprehensibilium verissima cognitio Deo reuelante nobis indulta pro sui certitudine & infallibilitate sciensia dici debet, non solum supra incertum opinionis, sed supra omnem humanam scientiam, & supra judicium rationis collocanda; quasi scientia scientiæ præferenda. Sed non ei quæ futuri temporis aliquomodo cõferenda. Hæc est antẽscientia salutis, quæ illuminat & saluat, de qua scriptũ est. *Praibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.* Si qua est autem cognitio per fidem in incipientibus vel proficientibus, adeò mediocris & tenuis est, vt nondum scientiæ nomine digna sit: in prouectis tamen & perfectis, qui firmissimè & certissimè credũt, & ratione fidei per inspirationem abundantioris gratiæ plenius intelligunt, cognitio per fidem tantò

Fides ob certitudinem scientia dici potest.

Luc. 1.

certiùs scientia dicitur, quantò frequentiùs in sacra scriptura sciri referuntur, quæ sola fide percipiuntur. Fidem Abrahæ commendans Apostolus in Epistola ad Romanos sic ait. *In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere.* Attendite, quod non dixit, *sciens*, sed *plenissime sciens*, vt certitudinem fidei ex plenitudine scientiæ altius nobis commendaret. Idem in 2. Epistola ad Timotheum. *Scio cui crédidi, & certus sum, quia potens est depósitum méum seruáre in illum diem.* Idem ad eundem. *Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Scire monuit, quod credẽdum prædixit. Et beatus Iob ait. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Et Martha dixit ad Iesum. *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Quòd autem Apostolus ad Romanos dicit. *Existimo, quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis*, non ad incertum opinionis referendum est, quãvis existimare se dicat: sed ad conscientiam scientiæ & certitudinis: q ex 2. epistola ad Corinthios cõprobatur, vbi sic dicit. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactã æternam in cœlis.* Ecce Apostolus, quæ ad statum futuri temporis pertinent, & existimare se dicit, & scire: vt existimationem fidei à scientiæ certitudine nõ separemus.

Rom. 4.

2. Tim. 1.

Cap. 3.

Iob 19.

Ioan. 11.

Rom. 8.

Fides nullomodo incerta.

2. Corin. 5.

De eo quod scriptum est, Fides est substãtia rerum sperãndarum, argumentum non apparentium.

QVanta sit certitudo fidei, Apostolus ostendere volens, simulque quanta sit eius vtilitas, prætermittere nolens, de vtilitate præmittẽs, certitudinẽ subiungens, sic ait. *Fides est substãtia sperandarum rerum, argumentum non apparentiũ.* Rerum sperandarum tria genera sunt: bona tẽporalia, quibus indigemus ad sustentationẽ corporis: bona spiritualia, quibus indigemus ad informationem mentis: bona æterna, quibus fruendum erit in statu beatitudinis. Hæc à Deo petenda & speranda sunt: à quo etiam nobis hæc omnia repromissa sunt. Nam de temporalib⁹ ad vsum huius vitæ necessariis dicit. *Hæc omnia adjicientur vobis.* De spiritualibus dicit. *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Per spiritum quippe, danda spiritualium charismatum munera intelligit. Æterna repromittit, cùm in regno suo beatificãdos nos ostendit, dicens. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorũ est regnum cœlorum*: & cetera, quæ sequũtur. Hęc omnia merito fidei obtinentur. Vnde & vtilitas fidei rectè ostenditur, cùm dicitur. *Fides est substantia rerum sperandarum.* Melior est autem fidei substantia, q̃ terrena substantiæ, quàm pecuniæ thesauri, qui veterascunt, & deficiunt. Fides enim causa est, p quam à Deo obtinentur, vel in re, vel in spe, quæ ab ipso petenda sunt, speranda, & desideranda: Iustus nimirum ex fide viuit: habens ex ea omnẽ vitæ sufficientiam, & virtutum gratiam, & præmiorum gloriam. Iustus autem est, quem fides iustificat eo ipso, quòd in Deum credit. Quid enim iustius est, quàm in illum credere? aut cui magis debet credi, quàm illi; quid ve certius esse debet, quàm quod ille dicit, aut promittit? Fides ergo non humana ratione nititur, vt acquiescat veritati, sed verbis Dei assentiẽs, ipsa sibi sufficit ad certitudinẽ veritatis: propterea argumentum dicitur

Hebra. 11.

Rerum sperandarum tria genera.

Mat. 6.

Luc. 11.

Matth. 5.

Hebr. 11.

Fides optima substãtia

esse rerum non apparentium: quia vera & certa appensione non apparentia approbat.

De argumentatione fidei.

Fides est argumentum & ipsa argumēto adstruitur.

Acto. 1.

ALiud est argumentum, quod est ipsa fides: aliud est argumētum, quo astruitur ipsa fides. Nam Christus in multis argumentis per dies 40. apparens discipulis, & fidem Resurrectionis suæ astruere volens, multa argumenta foris exhibuit, quibus discipulorum corda ad fidē suę Diuinitatis & Resurrectionis ex mortuis mirabiliter informauit: vnde factum est, vt quod foris mirabiliter est exhibitum, argumentum esset fidem roborans: & nihilominus ipsa fides argumentū esset, infallibili assensione nō apparentia cōprobans.

De non apparentibus.

NOn apparētia autem intellige, quæ vel sensibus corporis, vel naturali mentis rationi non apparent. Quæ autē fide conspiciuntur, nō apparentia dicūtur, quamvis fide percipiātur: ea videlicet ratione, quòd nec sensu, nec ratione cōprehenduntur. Cùm autem eędem res sensu vel ratione & fide percipiuntur, etiam tunc secundū quemdam modum fides nō apparentia comprehendit: quia altiùs se erigit, quò sensus vel ratio non assurgit. Per visibilia enim invisibilia cōspicit: & circa ipsa apparentia non apparentia cōprehendit. Nam cùm latro in cruce Deum confiteretur, passionem hominis vidit, passionē Dei agnouit, quod sensus vel ratio non valuit: eadēque passio, quæ Dei & hominis fuit, secundùm ꝙ Dei erat, oculis fidei apparuit, & oculis carnis non apparuit. Ita & opera Christi, quæ mirabiliter in carne gessit, & infirma quæ pertulit, & hominis erant, virtute Dei mirabiliter operātis: & Dei erant, in infirmitate hominis mirabiliter patientis. Fides autem Christum Deum & hominem comprehendens, Deique fortia & hominis infirma discernēs; vtraq; , siue infirma, siue fortia, Dei esse conspicit: quia hominem Deum agnoscit. Ad hoc autē sensus vel ratio nullatenus attingit.

Quomodo apparentia etiā credantur.

Quòd fides sensu adiuuatur.

FIdes tamen nouit, quàm sensu adiuuatur. Cū enim Thomas cōdiscipulis suis dixisset, *Nisi videro, non credam*: Dn̄o postea apparēte, & ad videndum & palpandū eum invitante, quia vidit, credidit: sicut Domin⁹ testatur, dicēs. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Qui autem tardi sunt ad credendum, visione signorum perducuntur ad fidē. Quod ostendit Dominus, cùm secundùm Ioannem ad Regulum dixit. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Propterea prædicantibus Apostolis, sermonem eorum sequentibus signis Dn̄s confirmauit, vt visis signis crederent, qui sine signis non crederent. Sed multi signa viderūt & tamen non crediderūt, sicut & multi signa non viderūt, & tamen crediderūt. *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* Potest ergo fides esse sine visu: verūtamen non sine auditu. Hinc Apostolus ad Romanos dicit. *Quō credent ei, quem non audierunt?* Et infrà. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbū Christi.* Verbū autē vel foris auditur, cū prędicatur: vel int⁹ auditur, cū Spiritu reuelāte creditur.

Ioan. 20.

Ioan. 4.

Psalmi 17,

Rom. 10.

Quòd fides cogitationibus praeuenitur.

VT verbum credatur, mens Deo inspirante cogitationibus præuenitur, quibus ad credendum mirabiliter inclinatur. Dum enim cogitat vel opera Dei, vel iudicia Dei, vel præcepta Dei, vel promissa Dei, secūdum quod ei à Spiritu sācto suggeritur, in se turbatur, & admiratur, & admirando contremiscit & credit. Admirando & timendo ingreditur fides, & credendo timor. Sic incipit enim credere & timere, vt credendo timeat, & timendo credat. Nec præoccupat fides, nec anticipat timor; sed vtrumque initium est, nam de timore scriptum est. *Initium sapientiæ timor Domini.* Et in libro Sapientiæ de timore & fide ita scriptum est. *Timor Domini initium dilectionis eius.* Fidei autem initium agglutinandum est ei. Fidei initium intellige fidem initium. A fide incipit iustificatio nostra. Nec dæmones contremiscerent, nisi crederent. Credunt autem & cōtremiscūt: sed eos nec credulitas iustificat, nec sanctificat timor. Nobis autem, quos fides iustificat in timore sancto, vtrumque à Deo donatum est, timere & credere, in iustitia & sanctitate. Non enim sufficimus cogitare, vnde Deum timeamus, vel in eum credam⁹, nisi nobis datum fuerit desuper. Propter quod Apostolus dicit. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Fides ergo ex auditu est, auditus autem per verbum Christi cum verbum prædicatur & auditur, & Deo suggerente & agente sic cogitatur vt credatur. Propterea fides Dei donum est & opus Dei.

Psalm. 110,

Eccli. 34.

A fide incipit iustificatio.

1. Cor. 3.

Quod fides donum sit Dei.

QVod fides Dei donum sit, ostendit Apostolus in Epistola ad Ephesios dicens. *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, vt nequis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ preparauit Deus vt in illis ambulemus.* Et iterum ad Philippenses. *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Ex his manifestū est, fidem non merito operum præcedētium, sed sola gratia nobis dari, vt ne quis glorietur in fide, quasi eā ex se habuerit, vel quia merito suo acceperit.

Quod fides sit opus Dei.

QVod fides sit opus Dei ostendit Christus apud Ioannem: qui interrogatus à quærentibus, *quid faciemus vt operemur opera Dei,* respondit, *hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Requisitus de operibus Dei quasi de multis, de vno respōdit; quod ipse per se operatur in nobis, in quo bona quæ nos operamur in illo formātur, vt bona sint Deo bene placita, nobisque salubria. Vnde scriptum est. *Omnia opera eius in fide.* Hac itaque Domini responsione, quærentes, *quid faciemus, vt operemur opera Dei,* monentur fidem habere, quæ est opus Dei, sine qua non possunt opera Dei operari. Ac si diceret. Habete fidem, quæ per dilectionem operatur opera Dei. Hoc opus operatur Deus nos trahendo, sicut scriptum est. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ad Christum venit, qui in eum credit. Venit autem tractus, non quia inuitus, sed quia infirmus; non jam non volens, sed per se non valens. Propter quod sponsa in Canticis Canticorum infirmitatem suam agnoscens & adiutorio gratiæ indigēs dicit. *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Qui credit tractus, venit abstractus ab errore, attractus veritatis amore, tractus vi gratiæ, tractus sancti desiderij feruore. Tractus qui ab inuito dimittitur, qui non inuit⁹ admittitur. Trahitur autem manu potentis, voce inuitantis, intusque monentis & docentis, sicut

Ioan. 6

Psalm. 32.

Ioan. 6.

Cant. 1.

Ioan. 6. idem Ioan. ostendit dicens. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Docibilis Dei est, qui ab eo audit & discit, & ad Christum venit. Audit, cum verbum Dei diligenter attendit, cum altius cogitando secum mente reuoluit. Discit, cum acquiescit, & corde non contradicit. Venit, cùm vera confessione & professione oris & operis ad discipulatum Christi accedit. Per fidem ad Christum trahimur, cùm iudicio sensus vel rationis reluctante, mens virtute verborum Dei aut signorum attonita admiratione stupet, & jam sibi credere non audet, jamjamque sibi quodammodo renuntians, ad gratiam fidei tantò magis humiliatur, aptiusque præparatur, quãtò ex his quæ audit vel videt, ipsa à se inferior & infirmior iudicatur.

Quid sit, à Deo discere.

Quod obduratio cœcitas est & surditas.

Obduratio autem mentis, quæ nec virtute verborum quæ audit, nec virtute signorum quæ videt, ad fidem perducitur, ipsa rectè surditas & cœcitas nominatur, iuxta illud Isaiæ. Isa. 6. *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggraua.*

Quod fides lux est & verbum.

Fides autẽ siue per verba, siue & per signa, aures cordis & oculos aperit. Vnde videre & audire dicũtur, qui credunt: quia fides lux est & verbũ: lux quidẽ, secũdum illud Apostoli. 2. Cor. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* Tunc autem dixit de tenebris Deus lumen splendescere, quando de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum: quando discussis ignorantiæ tenebris, dixit, *Fiat lux, & facta est lux.* Iac. 1. Fides vero verbũ est, secundum illud Iac. Apostoli. *In mãsuetudine suscipite insitum verbum.* Insitum autem verbum est Deo intus loquente cordi inditum, de quo Apostolus Rom. 10. sic dicit. *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore & in corde tuo.* Deuter. 30.

De eo quod scriptum est. Prope est verbum &c.

Hoc est verbũ fidei. Quæris quomodo prope sit in ore & in corde. Audi quod sequitur. Rom. 10 *Corde creditur ad justitiam: ore autem cõfessio fit ad salutem.* Prope ergo est, quia insitum est. Insitum autem quia per gratiam inditum. Si ergo fidem habes in corde, & eam ore confitearis, *Prope est verbum in ore & in corde tuo.* Vtilitate autem prope est, quia vicinus es saluti. Longè autem à peccatoribus salus. Tu autem inferiùs es, & ex fide viuis. Nec longè es à regno Dei, appropinquauit regnum cœlorum. Iam Deum inuocas in veritate, *Et prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* Psal. 144. Iam Deum times, prope timentes eum salutare ipsius. Ergo si credis, *Prope est verbum in ore & in corde tuo.* Vtilitate quidẽ, quia vicina tibi est salus, pro cõfessione fidei in ore, & cõscientia fidei in corde. Si autem nondum credis & potes credere, prope est, non quasi iam sit in corde, sed prope est vt sit in corde; & tam prope est, quàm facile tu potes credere. Prope est, nondum præsenti vtilitate, sed credendi possibilitate vel etiam facilitate. Fides quippe preterquàm in his, qui vitio suo insanabiliter corrupti sunt, non longè est à natura nostra, quæ rationis est capax: & iustitiæ, & beatitudinis per fidem particeps esse potest. Quod autem quidam non possunt credere ostendit Dñs, cùm in Euangelio Ioannis dicit. Ioan. 5. *Quomodo potestis credere, qui gloriã ab invicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Et iterum in eodem. *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Ioan. 8. Ad gloriam siquidem ibat, ad quam venire non poterant, quia in errore confirmati credere non valebant. Et ipse Ioannes dicit. *Propterea non poterant credere*; quia iterum dixit Isaias. Ioan. 12. *Excœcauit oculos eorum, & indurauit corda eorum, vt non videant oculis, & intelligat corde.* Ijs autem qui credere possunt, prope est verbũ, non solum credẽdi possibilitate, sed gratiæ præparatione. *Lex enim per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ioan. 1. Præparata sunt omnia, quæ ad vocationem Gentium erant necessaria. Verbum caro factum factum est, carnalis observantia legis abolita est. Euangelium mũdo prædicatum est, hostia pro salute mundi oblata est. Nil restat, nisi vt verbum fidei corde suscipiatur, per quã ad beatitudinẽ perueniatur. Vnde apud Matth. scriptum est, *Omnia parata sunt, venite ad nuptias.* Mat. 22. Rectè ergo in Deuteronomio scriptum est. *Prope est verbum in ore & in corde tuo.* Deuter. 30. Non carnalia Iudæorũ, non superstitiosa Scribarum & Pharisæorum requirit Deus, sed fidẽ: fide corda purificãs, puritatẽ cordis diligit, quæ nobis sufficit ad salutem.

De eo quod scriptum est,

Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere.

Fidei autem gemina vtilitas est, inferni supplicia vitare, & cœlestis regni dona obtinere. Quod ostendit Apostolus, cum in Epistola ad Romanos dicit. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere: Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare.* Rom. 10. Horum verborum ratio hæc est. Iustitia quæ ex fide est, hoc suggerit cogitandum, firmiterque tenendum, Christum ascendisse in cælum, & descendisse in infernum, iustos de supplicijs inferni liberaturum, & eisdem cœlorum præmia largiturum. Hoc autem nulli est negandum, hinc nulli est dubitandum. Propter quod dicit. *Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum.* Si enim dixeris nullum ascendisse in cœlum, consequẽs est, vt dicas, nec Christum ascendisse: si autem dixeris Christum non ascendisse, quantum in te est, Christum de cœlo deducis. Et sicut quis pro impia volũtate reus esset, & damnatione dign', si vellet Christum de cœlo deducere, cùm non posset: sic qui negat Christum ascendisse, certa damnatione dignus est; & quasi inuidens gloriæ Christi, vult eum ibi non esse, vbi negat eum esse. Omnis enim impietas studio sui erroris resistentem odit veritatem, & gloriæ invidet Auctoris: qui veræ fidei initium ponit, & impietatis fundamenta subvertit. Hinc odium Iudæorum adversus Christum, quem impia negatione, impiaque volũtate pariter psequuntur. Hinc est, quòd de cælo deducunt, quem in cælum ascendisse nõ credunt. Deducunt autem per reatum criminis, non per effectum voluntatis. Similiter qui dixerit, *Quis descendit in abyssum*: credens, neminem descendisse: vel credẽs ꝑ liberandis iustis Christũ non descendisse: hic, quantùm in se est, Christũ ex mortuis revocat: cùm impia volũtate, impiaque negatione, eum pro liberãdis iustis non descendisse contendat. Hęc autẽ verba Apostoli de Christi Ascensione, eiusq; descensione, non solùm contra infideles, vt nunc dictum est, sed etiam pro fidelibus, vt post dictũ est, ꝗ̃ possunt intelligi. Sicut enim impij impia volũtate & ne-

Obscurus locus exposit'.

Error resistẽtem odit veritatem.

Verbum cordi prope est, quando potest credere.

gatione Christum deducunt, sed de cælo: ita iusti pia fidei devotione & confessione Christum deducunt, sed in cælum. Deductionem autē in bonam partem accipi posse, ostendit Psalmista, dicēs. *Tenuisti manum dexteram meam. & in voluntate tua deduxisti me, & cū gloria suscepisti me.* Psalm. 72. Sed hoc de membris Christi. De ipso autē Christo scriptū est. *Deducet te mirabiliter dextera tua.* & 44. Si ergo non dixeris in corde tuo, quis ascēdit in cælum: hæc est pia deductio. Hoc enim non dicere, quod impium est dicere, est Christū piè deducere. Ergo qui iustificati sunt ex fide, Christū in cælum ascendentem pio favore devotionis prosequuntur, & prosequendo in cælum deducunt. *Quinam piè deducāt Christum in cælum, &c.* Sed qui non credunt in cælum ascendentem, odio malignitatis suæ persequuntur, & persequēdo de cælo deducūt. Horum pia deuotio, pia est deductio: illorum impia negatio impia deductio est. Similiter qui non dicunt, quis descendit in abyssum, & Christum descendisse credunt, piè Christum ex mortuis revocant, quem à mortuis resurrexisse credunt: impiè revocant, qui resurrectioni contradicunt, & descendisse negant.

De eo quod scriptum est in Ieremia.
Quis ascendit in cælum?

QVærendum est autem, quid sibi velit, quod in libro Ieremiæ de sapientia scriptum est. *Quis ascendit in cælum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit eam: & attulit illam super aurum electum?* Baruch. 3. Quomodo conveniunt, *Quis ascendit in cælum,* &, *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cælum?* Sapientia de qua hæc dicuntur, Christus est, Dei virtus & Dei sapientia, de quo in eodem libro post pauca subjungitur. *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ: & dedit illam Iacob puero suo, & Israel electo suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ibidem. Hanc autem sapientiā, vt ait Apostolus, nemo Principum huius mundi cognouit: nemo Sapientium huius mundi investigare potuit. Inter Sapientes nempe huius sæculi excellere videbantur: qui, vt verbis Isaiæ vtamur, sidera contemplabantur, & supputabāt menses, vt annuntiarent ex eis ventura. Isaia 47. De quibus quidam illorum Poëta sic ait.

Felices animæ, quibus hæc contingere primis,
Inque domos Superûm scandere cura fuit.

Quis autem istorum ductu ingenij sui ascēdit in cœlum, & accepit ibi sapientiam, & deduxit eam de nubibus? Nemo sanè illorum veram sapientiam illic sibi percepit, vel ad aliorum notitiam perduxit: sed tota illorum sapientia in obscuris eorum dictis vel scriptis, sicut aqua in nubibus clausa, longè erat à via disciplinæ, quam dedit Deus Iacob puero suo, & Isräel electo suo. Hanc sapientiam nec illi invenerunt, qui per terras & maria literas toto orbe fugientes persecuti sunt. E quib' erat Plato. De quibus dicitur. *Quis trāsfretauit mare, & invenit eam, & attulit eam super aurum electum? Invenit, & attulit.* Baruch. 3. simile est ei, quod priùs dixit, *Accepit, & deduxit.* Hæc ergo sapiētia non de Schola Academicorum, vel Stoicorū, alteriusve similis erroris sectæ manauit: sed illi viam disciplinæ non inuenerunt, propterea perierunt. Et quoniam non habuerūt sapientiam, perierunt propter suā insipientiam. Dei ergo sapientia nec subtilitate humanæ rationis in alta se erigentis investigatur, nec labore longinquæ nauigationis acquiritur, vt de remotioribus finibus adducatur: sed de cęlo veniens erudit nos, & admonet terrena despicere, & amare cęlestia. Mundū autem despicere, hoc est, mare transire, & enavigatum post se relinquere. Cælestia amare, hoc est, spe & desiderio in cælū tendere. Nemo autem iustorum, vel mundum contemnens, vel cælestia concupiscens, merito suo aut cōsilio hanc sapientiam prævenit, vt acciperet, deduceret, inveniret, & afferret eam super aurū electum Quis enim consiliarius ei' fuit: aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Ipsa verò secūdùm cōsilium voluntatis suæ ad nos veniens, sicut voluit, elegit, quibus se daret, qui eam diligerent super aurum electum. Pretiosior est enim cunctis pibus: & omnia quæ desiderātur, ei non valent comparari. Proue. 3. Non ergo Enoch, non Elias, nō Paulus, merito suo sapientiam præveniens, in cęlum ascendit, vt præventam ibi acciperet & deduceret: non filij Isräel qui sicco vestigio mare trāsierūt: non Ionas, qui de mari & de ventre ceti liberatus: non Petrus supra mare ambulans: non Paul' de profundo pelagi ereptus, hanc sapientiā prævenit, vt eam inveniret: sed hi omnes, cęteriq; iusti in his figurati, à sapientia Dei pręuēti sunt vt iusti fierent, & mira facerent. *Nullus iustus sapientiam præuenit.* Non est ergo contrarium, quod à Paulo commemoratum est, *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cælum:* Rom. 10. & quod in libro Ieremiæ scriptum est, *Quis ascēdit in cælum?* Baruch. 3. Ibi enim negatio ascensionis Christi in cælū interdicitur: hic verò nec Christi ascensio, nec nostra per Christum futura negatur: sed hoc ostenditur, quòd vera sapientia, si de malis agitur, studio humanę curiositatis non apprehenditur; si de bonis agitur, hoc insinuatur, quòd merito sanctitatis hæc eadem sapientia nō prævenitur: sed ipsa pręveniens omnes qui sanctificandi erant, sapientiam revelauit in antiquis iustis: viam disciplinæ ostendens in Lege & Prophetis, vbi latebat, sicut aqua in nubibus; donec effunderetur in tempore suo, radiante gratia & gloria Resurrectionis & Ascensionis Iesu Christi domini nostri: qui fact' est sapiētia nobis à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redempio.

Quòd Christus auctor fidei Diuinitatis suæ potentiā miraculis indicauit, & fidei virtutem figurauit.

HÆc autem sapientia Christus est, qui se & Patrem per fidē nobis reuelauit.: & ipsius fidei, per quam se nobis manifestauit, auctor est, & consummator: iuxta quod Apostol' in epistola ad Hebræos dicit. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* Hebra. 12. Auctor autem fidei & consummator rectè dicitur, qui ipsam fidē in nobis operatur, inchoās & consummans. Miracula autem, quæ Christ' visibiliter operat' est, vt fides Diuinitatis eius reciperetur, ipsius Diuinitatis potentiam indicabant: & ipsius fidei virtutem figurabant. Nam illuminās oculos cæcorum, & aperiens os mutorum, aures surdorum, dirigens gressus claudorū: ægros curans, leprosos mundans, mortuos suscitans; per hæc signa virtutē fidei signabat: quæ oculos mentis aperit ad intelligendum, aures aperit ad obediendum: os reserat ad confessionē, regit affect', diluit peccata, purgat crimina, mortificatos carne spiritu viuificat.

De noua creatura.

FIdes autem quasi noua quædam creatio est, immutans de non esse ad esse. Infideles nimirum quia in Deo non sunt, non esse dicuntur. *Fides quædā creatio est.* Cum ad fidem conuertuntur, esse incipiunt, quia à Deo esse accipiunt. Quod ante conuersionem

Isaia 40. ad fidem nihil sint, ostendit Isaias: qui de Gentib⁹ non credentibus dicit. *Omnes Gentes quasi nõ sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Mox vbi fides incipit, noua creatura incipit. Vnde Apostol⁹ ad Ephes. cùm præmisisset, *Gratia salvati estis per fidem*: post pauca subiũgit. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Et iterum in 2. epistola ad Corint. *Nos ex hoc neminem nouimus secundũ carnẽ. Et si cognouimus secundùm carnẽ Christum: sed nunc iam non nouimus. Siqua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt oĩa noua.* Innouatis siquidẽ in fide Christi vetustas transiit, novitas accessit, Et in epistola ad Galat. *In Christo Iesu neque circũcisio aliquid valet, neque præputium: sed noua creatura.* Creatura ergo Dei sumus per naturã: sed noua creatura per gratiã. Quod autem natura sumus, in peius mutatũ est per culpã: sed in meli⁹ reparamur per fidei gratiam: vt quasi de nouo incipiamus, quia de vetustate innouamur. Hinc Psalmista dicit. *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Dixi, inquit, nunc cœpi, quasi Deo confitens, & laudes referens, & non esse meæ virtutis intelligens, quòd nunc cœpi: non enim manus mea excelsa, sed dextera Domini fecit virtutem: propterea dixi, hæc mutatio dexteræ excelsi.

Ephes. 2. *Corin. 5.* *Galat. 6.* *Psalm. 76.*

Quod per fidem filij Dei efficimur.

PER fidem autem non solùm in nouam creaturam mutamur, sed & filij Dei efficimur, Hinc Ioannes ait. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Potestatem, inquit, dedit eis filios Dei fieri, non potestatẽ, qua solùm possent aliquando filij Dei fieri, sed qua mox cum crederent, filij Dei fierent. Potestas ergo hæc quæ credentibus datur, non in euentu expectationis est, sed in præsenti potentis gratiæ effectu. Nam qui per fidem iustificari incipit, mox in filiũ Dei adoptatur, statim nomine filij honoratur. Hanc potestatem, quæ credentibus datur, nondum habent, qui nondum credunt. Hæc enim potestas non naturæ est, sed gratiæ. Credentib⁹ autem sic datur potestas filios Dei fieri, vt ex Deo nati sint.

Ioann. 1.

Quòd per fidem ex Deo nati sumus.

QVomodo autem ex Deo nati sint, ostendit B. Iacobus dicens. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis; vt simus initium aliquod creaturæ ejus.* Initium aliquod creaturæ dixit, quasi aliquomodo initium creaturæ, nouo scilicet & singulari. Frequens nempe est, & commune, per creationis conditionem initium habere, sed per præparationis gratiam initium sumere, novum est in homine, & singulare. Nouitas ergo est, & dignitas, esse aliquod initium creaturæ Dei. Vt hoc essemus, voluntariè genuit nos Deus verbo veritatis. Volũtariè quidem, quia gratis, non merito nostro. Genuit autem, non sicut filium sibi consubstantialem; quem non fecit, sed genuit. Nos autem quos creauit de non filijs per fidem filios fecit, & sic genuit. Vnde etiam illud in Deuteronomio. *Deum, qui te fecit, dereliquisti; & oblitus es Domini creatoris tui.* Genuit autem verbo veritatis. Verbum siquidem Dei quasi semen in corde, si per assensionem mentis fidei admisceatur, ad divinam proficit generationem, vt filij Dei simus, secundùm illud. *Genus enim Dei sumus.* Quòd si sermo auditus fidei non admisceatur, non proficit ad nouæ generationis exordium. Vnde Apostolus in Epistola ad Hebræ s de quibusdam nõ credentibus dicit. *Non profu t illis sermo auditus, & non admixtus fidei.*

Iaco. 1. *Quomodo simus initiũ creaturæ Dei* *Deuter. 32.* *Acto. 17. ex Arato.* *Hebr. 4.*

Quòd fides est initium substantiæ ejus.

FIdes ergo nos efficit aliquod initium creaturæ Dei; ideoq; initium, quia ipsa est initium substantiæ eius. Vnde Apostolus in Epistola ad Hebræos. *Participes enim Christi facti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Initium substantiæ eius fidem dicit, quæ est initium omnium bonorum, & substantia nostra à Deo: substantia scilicet rerum sperandarum, vt prædictum est. Substantia nostra dicitur, & quod sumus, & quod habemus. De eo quod sumus scriptum est in Psalmo. *Memorare, quæ mea substantia.* Hoc ad Deum, qui nouit figmentum nostrum. De eo quod habem⁹ scriptum est. *Honora Dominum de tua substantia.* Substantia autem nostra tota & in carnalibus bonis, & in spiritualibus donis, de munere Dei prouenit. In spiritualibus verò donis, quæ salutem operantur in nobis, primum locum obtinet ipsa fides: propterea initium substantiæ dicitur. Substantia autem nostra sunt & naturalia bona, quæ in conditione suscepimus, & gratuita, quibus in reparatione renouamur. In Euangelio apud Lucam dixit adolescentior filius ad Patrem suum. *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Quæ est ergo substantia nostra, nisi natura nostra, quam à Deo accepimus; vel gratia, vel gloria, quam æquè ab ipso accipimus, sicut scriptum est, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Gloriam autem substantiam dici posse, ostendit Apostolus, qui in 2. Epist. ad Corint. ait. *Quemadmodum dixi, parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos, (vt non dicamus vos,) in hac substãtia gloriæ.* Hortabatur Apostolus Corinthios ad opera charitatis. Gloriabatur de eorum charitate apud Macedones. Substantiam itaque gloriæ dicit ipsam terrenam substãtiam charitatiuè erogatam, vel erogandam, quæ erat gloria ipsorum in Domino, vel Apostoli pro ipsis apud Macedones. Vel ipsam gloriam dicit esse substantiam; quia bona gloriatio, vel Apostoli pro ipsis, vel ipsorum in Deo, spiritualiter vera substãtia erat. Iterum in eadem epistola seipsum commendans, & præferens se illis, qui gloriabantur secundùm carnem, sic ait. *Quod loquor, non loquor secundùm Deum; sed quasi in insipientia in hac substantia gloriæ.* Gloriam carnis substantiã dicit, prout illis videbatur, qui hanc magni æstimabãt. Vera autem æstimatione gloria in Deo bona substantia est. Fides ergo initium est substantiæ; quia in reparatione nostra initium nobis est & gratiæ & gloriæ. Per hanc enim Deus gratificauit nos sibi in dilecto filio suo, & glorificauit in illo. Glorificauit sic, vt simus filij Dei; non solum autem, sed & dij, sicut scriptum est.

Hebr. 3. *Quid dicatur substantia nostra.* *Psalm. 98.* *Prouer. 3.* *Luc. 15.* *Psalm. 33.* *2. Cor. 9.* *2. Corin. 11.*

Quòd per fidem filij Dei sumus.

EGo *dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* Nondũ apparet, quid erimus, sed nec quid nunc sumus. *Cùm autem apparuerit Christus vita nostra; tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria:* & tunc apparebit, quantæ dignitatis sit, & quanti honoris, Deos esse, aut filios Dei. Cùm pulcherrima visione diuinæ substantiæ perfruemur, cùm videbimus eum, sicuti est, tunc apparebit, quis finis, & quis fructus sit fidei, quæ est initium sub-

Psalm. 81. *Coloss. 3.*

stantiæ Dei cognoscendæ: qua cognitione nihil est beatius, nihil dulcius. Quomodo fides sit initium substātiæ eius, videlicet Dei, hoc est & illius substantiæ, quæ natura Dei est, quæ in se nec initium habet, nec finem, vtrumque beatus Petrus in 2. Epistola ostendit, dicens. *Omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute: per quem maxima & pretiosa promissa nobis donauit, vt per hoc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Fugientes ejus, quæ in mundo est, cōcupiscentiæ corruptionem.* Ex his verbis intelligitur, *per cognitionem eius qui nos vocauit*, hoc est per fidem Christi, omnia diuinæ virtutis charismata, quæ nobis ad vitam in futuro obtinendā, & ad pietatem in præsenti conseruandam, sunt necessaria, jam nobis donata; & promissa Dei in nobis jam esse completa; vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ: cōsortes quidem, non in vnitate substantiæ, sed participatione gratiæ. Quod autem personam immutat, dicens, *nobis promissa donauit*, scilicet Iudæis, vt vos Gentes, per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, per hoc indicatur, promissionem in Iudæis completam, sed fructum communem esse & Gentibus.

2. Petri. 1.

...Dei jam in nobis impleta sunt.

Quod fides est fundamentum & signaculum.

Fides autem, quæ initium est substantiæ, vsque ad finem firmiter tenenda est, vt sit & ipsa firmum fundamentum, quod nullo modo possit subverti. Hinc Apostolus in 2. Epistola ad Timotheum ait. *Subverterunt quidam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc.* Fidem autem fundamentum dicit, quod fundauit Deus, & non homo, ideoque Dei dicitur. Hoc est fundamentum, quod nemo mutare potest. Hæc est petra, super quam fundata est Ecclesia. Hoc est fundamētum Apostolorum & Prophetarum, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. Hoc fundamentum firmum stat, cum adversus omnes tentationum impulsus perseuerandi constantia incōcussa permanet, & citra finem finem non habet. *Habens*, inquit, *signaculum hoc.* Constantia fidei ipsa est signaculum, quo nos signauit Deus, & discreuit electos à reprobis. Propterea qui ad tēpus credunt, & in tempore tentationis recedunt, hoc signaculo signati non sunt; sed magis illi, quibus dicitur. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Nullum enim certius signum salutis in nobis apparet, quàm illud, de quo scriptū est. *Qui perseverauerit vsque in finem, hic salus erit.*

2. Timo. 2.

Ephes. 2.

Luc. 22.

Mat. 10.

Quod per fidem habitaculum vel templum Dei sumus.

SVper hoc fundamentum ædificamur in templum & habitaculum Dei in Spiritu sancto. Vbi est habitatio Dei per fidem? Audi Apostolum in epistola ad Ephesios sic dicentem. *Vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine; habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Si ergo virtus in nobis corroboratur per spiritum Dei in interiori homine; si per fidem habitat Christus in nobis, tunc nos habitaculum sumus & Templum Dei viui; & fundamentum firmum stat, Christo inhabitante, & Spiritu sancto virtutem corroborante, & Deo nos signante; sicut ait Apostolus in 2. Epistola ad Corinthios. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Quomodo fides initium sit & fundamentum, manifestiùs ostendit Petrus in 2. Epistola. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu-Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Verba ista diligenti meditatione pensata manifestè declarant, quòd de fide, quasi initio & fundamēto tota spiritualis ædificij fabrica cōsurgit. Et huc occurrit Ezech. Propheta, loquens de ædificio in monte constituto, & dicens. *Et in octo gradibus ascensus ejus.* Quam parabolam Petrus edisserens, octo virtutum gradus hoc loco distinguit; fidem, virtutē, scientiam, abstinentiā, patientiam, pietatem, fraternitatis amorē, charitatem. *Ministrate*, inquit, *in fide vestra virtutem.* Non generaliter hoc omnem intelligere debemus virtutem. Nam scientia & abstinentia, & cæteræ quæ sequuntur virtutes sunt: sed specialiter ea virtus hic intelligenda est, quæ primos conatus nostros adiuuat contra priora delicta, ne rursum contra nos prævaleant, ne iterum vincamur, vbi victi sumus. Virtus ergo hic specialiter dicitur, non quæ sola virtus est, sed quæ prima est. Primum autem est in nova cōuersatione fugere eam, quæ in mundo est, cōcupiscentiæ corruptionem. De qua fugienda idem Apostolus in proximo præmiserat. De hac virtute scriptum est in Psalmo. *Et præcinxisti me virtute ad bellum; & supplantasti insurgentes in me subtus me.* Scientia hoc loco intelligenda est, non ea quæ bonum intelligit & negligit; sed ea quæ potiora probat, & salubria eligit. Hæc sciētia apud Deum laudem habet & meritum, & post virtutem rectè ordinatur; quia reprobare malum, & eligere bonum, virtus est & scientia. In abolitione quippe veteris vitæ opus est virtute: in inchoatione nouæ conversationis pernecessaria est scientia, qua discamus post lapsū cautiùs ambulare. Huic adiungitur abstinentia, ea videlicet, qua etiam à quibusdam licitis temperamus. Nam illa abstinentia, qua ab illicitis abstinetur, ad virtutē pertinet, de qua præmissum est. His adiungitur patientia, qua mala vitæ præsentis æquanimiter portantur. Has quatuor virtutes nobis debemus ad custodiam nostri: vt mala vitantes, & bona facientes, & hoc mundo tēperanter vtentes, & in aduersis patientes, immaculati custodiamur ab hoc sæculo. Duas virtutes quæ sequuntur, pietatem videlicet, & amorem fraternitatis, proximis debemus: pietatem quidem iis, qui nostro adiutorio indigent, amorem autem fraternitatis & iis, qui non indigent. Affectus enim amoris ad omnes dilatatur: pietatis verò affectus siue effectus indigentibus impenditur. Fidem autem & charitatē Deo debemus: in quem credere, & solum ante omnia, & super omnia diligere, arctissimè tenemur. Fides in imo est, charitas in summo. Hæc est scala, quā vidit Iacob, cuius summitas cælum contingit. Per hāc ascendit, qui ascensiones in corde suo disposuit: qui per virtutū incrementa proficit, & in virum pfectum crescit. Sic vita fidelium super fidei fundamēto ordinatur: sic templum Dei ędificatur: si fundamētū immobiliter sua firmitate stabiliatur.

Ephes. 3.

Quando tēplum Dei simus.

2. Cor. 1.

2. Petr. 1.

Ezech. 40.

Octo grad. virtutum.

2. Pet. 1.

Virtus hoc loco quid.

Psalm. 17.

Genes. 28.

Gradus scalæ Iacob.

De probatione fidei.

VT stabiliatur, oportet fidē probari. De qua probatione Petrus in 1. epistola sic ait. *Modicum nunc si oportet cōtristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu Christi:* Probatur autem fides tentatione, vt innotescat, qualis, & quanta sit: vel aliis ad exemplum, & fidei testimonium, vel ipsi qui tentatur, ad sui laboris solatium, & spei firmamentū, & perseuerandi studium. Ante tentationem enim nec ipsi homini nota est fides sua. Hinc scriptum est in libro Sapientiæ. *Qui non est tentatus, quid scit?* Et post pauca. *Qui non est expertus, pauca cognoscit.* Deus autem, qui non permittit nos tētari supra id, ꝙ possumus, facit cum tentatione prouentū: vt possimus sustinere Prouentus autem est multiplex vtilitas ex tentatione ꝓueniens. Nam cùm testimonium fidei in tribulationę per constantię virtutem redditur, proximus ædificatur, in nobis autem meritū fidei augetur, fiducia proficiendi validiùs confortatur, charitas ardentiùs inflammatur, nomen Dei magnificentiùs honoratur, & misericordia eius gloriosiùs mirificatur, mirabiliusq; glorificatur. Deus autē fidem probat, non vt ipse scire incipiat, qui omnia nouit, anteq̄ fiant: sed vt virtutem suā in nobis, ad gratiæ & gloriæ suæ magnificentiam, notam faciat. Et tamen tūc scire dicitur, cùm scire nos facit, ꝙ nobis de nobis reuelare dignatur. Vnde est illud, *Proba me, Deus, & scito cor meum.* Ac si diceret, Probando cor meum notum mihi facito.

Fides probatur tentatione. — *Eccli. 34.* — *Ibidem* — *Psalm. 138.*

Probatio autem vel tentationis est, dum adhuc tentatur, qui nondum probatus est: vel cōmendationis, cùm dignè laudandus est, qui in tentatione fidelis inventus est. De illa dictū est. *Proba me, Domine, & tenta me.* De ista verò scriptū est, *Non n. qui se cōmendat, ille probatꝰ est, sed quē Deus commendat.* Altera inquirentis est, altera inuenientis. Aliter enim probat Deus, cùm patientiā in nobis quærit, aliter cùm patientiam in nobis invenit. Aliter, cum nos interrogat & emendat: aliter, cùm interrogatos & emendatos commendat. Aliter, cùm dicitur, *Quis putas est fidelis seruus & prudens:* aliter, cùm dicitur, *Euge serue bone, & fidelis.* Aliter, cùm dicitur, *Petre, amas me:* aliter, cùm respondetur, *Tu scis, Domine, quia amo te.* Aliter, cùm probatio operatur patientiā: aliter, cùm patientia operatur ꝓbationē. Vtrumque enim scriptum est. Iacobus enim sic ait. *Probatio fidei vestræ patientiā operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* Paulus verò in epistola ad Romanos sic dicit. *Tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem.* Quod Iacobus dicit, *Probatio fidei ves. patient. oper.* hoc est quod Paulus dicit, *Tribulatio patientiā operatur.* Tribulatio quippe probatio fidei est. Vasa enim figuli probat fornax: & viros iustos ignis tribulationis. Quod verò Iacobꝰ dicit, *patientia opus perfectum habet,* proficit ad hoc intelligendum, ꝙ Paulꝰ dicit, *patientia operatur probationem.* Cùm enim patientia laudē habeat perfecti operis, cōsummatiq; laboris, per patientiam probatus ostenditur, qui in tribulatione fidelis invenitur.

Probatio duplex est. — *Psalm. 25.* — *2. Cor. 10.* — *Matth. 24. & 25.* — *Ioan. 21.* — *Iac. 1.* — *Rom. 5.*

Quòd fides & fideles sibi invicem testimoniū dent.

Qui autem fideles inveniuntur, hi testimonio fidei probati dicuntur. Vnde Paulus in epistola ad Hebręos de tentationibus antiquorum iustorum præmittens, subinfert, dicens. *Et hi oēs testimonio fidei probati sunt.* Et in eadem de fide loquens dicit. *In hac testimonium consecuti sunt senes.* Fides quippe in tentatione probata, testimoniū dat perseuerantibus, quòd iusti sunt, & mercede digni Et nihilominus testimonium dāt ipsi fidei, quòd vera sit, vereque tenenda, & in tempore tribulationis nullatenus deserenda.

Hebr. 11. — *Ibidem*

Quòd fides & oratio se vicissim adiuuant.

Fides autem in tribulatione crescit: & patiendo & orando pondus tribulationis vincit. Adiuuatur enim fides oratione, vt nō deficiat, & vt vim tentationis superare præualeat: maximè autem eius oratione, qui ad Petrū dixit. *Ego rogabo pro te, vt non deficiat fides tua.* Oratio autem semper fit in fide, tum pro ipsa fide, tum pro quacumque liberatione, vel consolatione, quæ contra premētem tribulationē vel necessitatem impetratur ex fide.

Luca 22. — *Oratio semper fit in fide*

De iis quæ scripta sunt in Euangelio de monte transferendo, & ficulnea.

SI enim virtus fidei sic ꝓficit ex tribulatione, sicut virtus sinapis crescit & acuitur attritione, nulla est difficultas iustis desideriis obsistens: nulla est moles aduersitatis, instar mōtis nos opprimens, quæ orationis instantia & perseuerātia transferri non possit, vel vt tran[illegible], vel ne noceat. Hoc est, ꝙ Dominus dicit apud Matthęum. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis mōti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Et iterum, mirantibus, quòd ficulnea continuò aruit, apud eūdem Evangelistam dicit. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si mōti huic dixeritis, trāsi, & iacta te in mare, fiet.* Quamvis ad istos visibiles & corporales montes transferendos, qui collocati sunt, vt graui molę consistant, virtus fidei sufficere possit, si ita fieri oporteret, vel expediret: cuius rèi exemplū in Dialogis beati Gregorij de Gregorio Neocæsareæ Ponti Antistite refertur, tamen à spiritualibus, quibus spiritualia cōparantur, hæc Dn̄i verba magis spiritualiter accipienda sunt de montibus spiritualibus, qui maiori virtute fidei potentius & mirabilius trāsferuntur, quàm si visibilium montium immensæ moles de suis sedibus transponerentur. Montes ergo sunt alta vitiorum, & ediuerso excelsa virtutum. Montes quoque sunt alta & grauia tribulationum & tentationum. Montes etiam boni, qui sublimitate virtutum præminent, quales sunt Apostoli, cæterique merito sanctitatis præcelsi. Mōtes quoque sunt homines, vel mali Angeli, qui tumore elationis superextollūtur. Circa huiusmodi montes adimpletur, quod Dominus hoc loco dicit: & illud, quod scriptum est in Psalmo. *Transferentur montes in cor maris.* Cùm ergo diabolus cum vitio, per quod quempiā peccatorem possidebat, fide prædicata & recepta cor credentis & pœnitentis deserit, & aliū in mundo, quem mare significat, inuadit, tunc virtute fidei mons de loco suo translatus in mare se iactat. Cùm is qui viriditatem boni operis habere videbatur, prædicata veritate & non recepta infructuosꝰ inuenitur, vel manifestè deterior efficitur; tunc ficulnea sine fructu in ariditatem vertitur. Talis erat Synagoga infidelis; quæ fructum non habuit, & maledictione digna aruit. Vtrobique autem virtus fidei agnoscitur, & cùm ficulneam non receptā damnat, & cùm receptā mōtem in mare iactat. Pulchrè autem in ijs Dn̄i verbis post ficulneam damnatam virtꝰ fidei tanta monstratur, quæ possit montem transferre,

Matth. 17. — *Mat. 21.* — *Montis trāslatio corporaliter & spiritualiter intellecta.* — *Psalm. 45.*

quia per fidem Apostolorum mundo prædicandam Iudæa erat excæcanda, & mons de loco suo transferendus, hoc est diabolus de Gentilitate eijciendus, ita quidem, vt se iactaret in mare, hoc est in profundum Synagogæ, quæ dudum terra erat, nunc autem mare: sicut Gentilitas nunc est terra, quæ fuit mare. Quod autem Iob de Domino loquens, dicit, *Transtulit montes, & nescierunt ij, quos subuertit in furore suo*, de Apostolis intelligitur, qui montes sunt; sicut scriptum est de eis. *Iustitia tua sicut montes Dei*. Hos montes trâstulit Dominus à Iudæis ad Gentes; quod nescierût Iudæi, qui in hoc submersi sunt, putantes sibi gaudium, quod lumen perdiderût. De his montibus ad Gentilitatem sic translatis rectè intelligi potest, quod paulò antè præmissum, & ad alium intellectum est assumptum. *Transferentur montes in cor maris*. Montes ergo transferuntur, cùm iustorum desideriorum impedimenta, têtationum & tribulationum pondera adiutorio gratiæ Dei tolluntur. Montes transferuntur, cùm sancti prædicatores de alijs qui excæcâdi sunt, ad alios, qui per gratiam illuminandi sunt, mittuntur. Montes transferûtur, cùm dæmones ab obsessis corporibus expelluntur. Montes transferuntur, cùm amentia corda malorum de suis sedibus, hoc est, prauis moribus transponuntur. Hinc & montes fluere dicuntur, cùm corda peccatorum per pœnitentiam liquefacta, sicut cera, soluuntur. Hinc scriptum est. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini omnis terra*. Hæc autem operatur fides in conuersione peccatorum. Econtrariò in auersione bonorum accidere solet. Nam fide in tentatione deficiente, qui meritis præcelsi vel sunt, vel esse putantur, in prona dilabuntur, & de loco suo transferuntur. Hinc & Iob dicit. *Mons cadens defluit, & saxum de loco suo transfertur*, cùm repentina tentatione propositum sanctitatis deseritur. Hoc autem quod de monte transferendo per virtutem fidei Dominus dicit, ex aliqua parte simile est illi loco Isaiæ, vbi scriptum est. *Nonne adhuc in modico, & conuertetur Libanus in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur?* Quid enim significat hæc conuersio montis in môtem, & reputatio montis in saltum; nisi fidei & impietatis in circuncisione & præputio alternâ vicissitudinem? Quod enim dudum per infidelitatem præputium fuit, hoc nunc circuncisio est. Quod dudum circuncisio fuit per fidei pietatem, hoc nunc præputium est per fidei commutationem. Secundùm Hieronymum super Isaiam Libanus mons Phœnicis est. Carmelus qui hebraicè dicitur Chermel, in côfinio Palæstinæ atq; Phœnicis Tholomaidi imminet. Alius quoque in Scripturis sanctis mons Carmelus appellatur, in quo fuit Nabal Carmelus. Rursus super Isaiam idê dicit. *Idioma Scripturarum est, quòd semper Carmelum montem optimum atque nemorosum, qui Tholomaidi imminet, & in quo orauit Elias, fertilitati & abundantiæ côparet*. Hæc ergo conuersio Libani in Chermel, & reputatio Chermel in saltum, in præputio & circuncisione secundùm fidei commutationem, vt dictum est, accipienda est. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia. Vbi tunc fertilitas, ibi nunc sterilitas inuenitur.

Iob 9. — Psalm. 45. Quãdo môtes spiritualiter transferantur. — Psalm. 96. — Iob 14. — Isaiæ 29. — Hieron.

Quòd virtus fidei aliquando per malos ministratur.

TAnta est virtus fidei, vt montes transferre, & dæmonibus imperare, etiam per malos præualeat. Quod ostenditur ex verbis Apostoli, & ex verbis Euangelij. Nam Apostolus ad Corinthios charitatem commendans, sic ait. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatê autem non habeam, nihil sum*. An non hinc vides, quomodo fides sine charitate montes trâsferre præualeat? In Euangelio verò Matthæi ex persona quorûdam, qui vtique mali intelligendi sunt, dicitur. *Nonne in nomine tuo prophetauim⁹, & dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus?* Ex Euangelio Lucæ ostenditur, quidam, qui Christum non sequebatur, in nomine eius dæmoniû eiecisse, dicente Ioanne ad Iesum. *Domine, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibimus eum, quia non sequitur nos*. Et dixit ad illos Iesus. *Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est*. Ecce quid possit fides, etiam per malos, qui inuocato nomine Christi dæmonia eijciunt: quem non inuocarent, nisi crederent, sicut scriptum est. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Si autem isti, qui in nomine Christi dæmonia eijciebant, non credebant, nec ex fide nomen Christi inuocabant, sed tantùm Christum nominabant, vt virtutem nominis probarent, tunc virtus secuta huic nomini attribuenda est: quod potuit, licet non ex fide inuocatum, sed tantummodo ad probationem nominatum, dæmonibus imperare: nec eorum fidei hoc ascribi potest, si non crediderunt, qui hoc fecerunt.

1. Cor. 13. — Matth. 7. — Luc. 9. — Rom. 10.

Potentia fidei ex incredulitatis potentia monstratur.

POtentia quoque fidei, quæ fit contra dæmonum malitiam, ex côtraria incredulitatis impotentia ostenditur; vbi apud Matthæum pater lunaticum filium offerens, dixit ad Iesum. *Obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum*. Quo curato dæmonioque eiecto, cùm quærerêt discipuli, *Quare nos non potuimus eum eijcere*, dixit eis Iesus. *Propter incredulitatem vestram*. Qui propter incredulitatê non potuerunt, ostenduntur, quòd potuissent, si credidissent. Vnde Dominus consequenter subiungit. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, trâsi hinc, & transibit; & nullû impossibile erit verbum*.

Luc. 9.

An potestas signorum semper fidei adjuncta sit

DOMINVS in plerisque locis sic fidem commendat, quasi ei semper potestas signorum faciendorum inseparabiliter adiuncta sit. Nam in quodam loco dicit. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. In alio loco apud Marcum dicit. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*, &c. Rursus apud Ioannem dicit. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet*. Hæc & his similia, de virtute fidei sic à Dño dicta videntur, quasi omnia possit, qui credit: & quasi non credat, qui non omnia possit. Sed manifestum est, & fide dignum, quòd fides multis data est, quib⁹ potestas miraculorum data non est. Nâ multi Prophetarum signa non fecerût, inter quos fuit Ioan. Baptista, non solum Propheta sed plusq̃ Propheta. De quo in Euangelio Ioan. scriptû est. *Multi venerunt ad Iesum, & dicebât, quia Ioannes nullum quidê fecit signum*. Quod quasi admirando dixisse videntur: quasi magna admiratione fuisset dignum, virum tantæ sanctitatis signum fecisse nullum. Hostes verò fidei futuri potestatem signorum habituri monstratur, ex eo quod Dominus in Euangelio Matthæi dicit. *Surgêt pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Apostolus verò in

Marc. 9. — Ioan. 14. — Fides in multis sine potestate signorû, vt in Ioa. Baptista. — Ioann. 10. — Matth. 24.

epistola ad Thessalonicenses de filio perditionis loquens, ait. *Destruet eum Dominus illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* 2. Thess. 2.
In prodigijs mendacibus dictum est, quia ad seducendum fient, vt credatur mendacio: vel quia non vera signa erunt, sed apparentia. Forte enim signa quædam falsa facturus est, vt quocumque modo seducat. Hoc ex eo videtur, quod Apostolus adjũgit, dicens. *In omni seductione iniquitatis.*

Quod fides & oratio similem habent cõmendationẽ.

SI ergo fides sine potestate signorum, & potestas signorum sine fide collata est, & conferenda: quid sibi vult hæc commẽdatio fidei tam magna, tam valida? Sed attẽdendum, quòd oratio in plerisque locis similem habet commendationem. Dicit Dominus discipulis suis. *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et in Evãg. secundũ Marcum. *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* In Evangelio verò Matthæi: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam petierint fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Ex his attẽde, quòd diuina penetrabilia sunt oranti, sicut omnia dicuntur possibilia credenti. Fides enim & oratio similem virtutem habere noscuntur, & altera ab altera vicissim adjuuatur. Vnde Dñs apud Marcum, virtutem fidei discipulis ostendens, virtutem orationis statim adiungit, eique similitudine quadã coniunctam ostendit, dicens. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia qui dixerit monti huic, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, quia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* Pensate ex his verbis, quàm potens sit fides ad omnia, quæ sine hæsitatione dicuntur, vt fiant: quàm potens sit oratio æquè ad omnia, quæ in fide petuntur, vt eueniant.

Ioan. 16.

Marci 11.

Matth. 18.

Marc. 11.

An nostræ possibilitatis sit, circa impossibilia non hæsitare.

SEd dicet aliquis: Quis potest dicere sine hæsitatione huic monti, tollere, & mittere in mare? Nonne æquè impossibile videtur, super hoc non hæsitare, sicut & hoc facere? Si autem vtrumque, & hoc facere, & super hoc non hæsitare, non nostræ possibilitatis, sed diuinæ virtutis est: poterit videri Deo indigna talis promissio, qua promittit montem [illegible] transferendum, si non fuerit in dicendo hæsitatum: cùm ipsa hæsitatio, quantùm in nostra potestate est, [illegible] mobilis de corde nostro, sicut & hic mons de loco suo. Quid ergo dicemus ad hoc? An ostendere voluit Dñs, virtute fidei & orationis posse fieri impossibilia, si non obsistat hæsitatio nostra? An & ipsa hæsitatio, etiam circa impossibilia, post promissionem Dñi, non sine culpa nostra est, & [illegible] cordis nostri est? An [illegible] sumus ad facienda impossibilia, quia [illegible] sumus ad ea credenda? An postquam à Domino dictum est, *Omnia sunt possibilia credenti, & nihil impossibile est ei;* [illegible] sermonis, vt quædam imperfectio fidei dicenda sit, omnis super huius sermonis veritate hæsitatio? Si hæsitatio circa impossibilia imperfectio fidei est, quantò magis circa possibilia? Si hæsitatio fidei circa impossibilia imperfectio fidei est, quis sanctorum est, in hac infirmitate carnis

Marc 9.

Hæsitatio imperfectio fidei.

constitutus, qui dicere non possit, *Credo, Domine, adjuua incredulitatem meam?* Quis est, qui interdum non hæsitet? Quis, qui sibi fidem augeri non indigeat? Nam & Apostoli fidem sibi augeri postulabant. Sic enim scriptum est in Evangelio Lucæ. *Dixerunt Apostoli Domino. Auge nobis fidem. Dixit autem Dominus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare, & trãsplantare in mare, & obediet vobis.* His verbis sanctum desiderium Apostolorum videtur approbare Dominus, & commendare. Nam cùm paulò ante dixisset Dominus. *Impossibile est, vt non veniant scandala*, desiderantes Apostoli fidem sibi augeri, vt fide fortes scandalis non cederent, audierunt à Dño, quod de grano sinapis & arbore moro hic præmissum est; hac si eis diceretur. Rectè desideratis fidem augeri: quia si augeatur inter scandala, vt sit sicut granũ, quod attritione plus potest, virtute eius poterit hæc arbor eradicari, & trãsplantari in mare. Vnde certum esse debet, aduersus eam scãdala prævalere non posse. Mysticè autem arbor hæc, cuius fructus sanguine rubet, Christum designare potest, sanguine passionis rubricãdum: qui, feruente persecutione cõtra fidem Apostolorum instar sinapis attritione augendam, de Synagoga ad Gentilitatem transferendus erat, sicut arbor de terra eradicata, & mirabiliter in mare transplantata. Vt hæc transplantatio fieret, necesse erat, fidem Apostolorum augeri contra scandala, quæ sicut Dominus prædixerat, impossibile erat, non euenire. Sic autem Christus per hanc arborem mori seipsum designat, sicut per hanc Petram seipsum designauit, cùm diceret. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Per hoc templum, cùm diceret, *Soluite templum hoc.* Exemplo igitur Apostolorum edocti, qui contra ventura scandala postulabant sibi fidem augeri, necesse semper habemus & nos, dum per fidem ambulamus, orare & dicere. *Domine, auge nobis fidem*, ne hæsitatione tentati deficiamus: qua tentatione pulsatus est Moyses ad aquas contradictionis: pulsati sunt & Apostoli, qui de lunatico propter incredulitatem suam dæmonium ejicere nequiuerunt, cùm data esset eis à Domino potestas infirmos curãdi, & dæmonia ejiciendi. Hac tentatione pulsamur & nos, quamvis nõ circa signa facienda, vt illi. Pulsamur tamen hæsitatione tentati inter multas vrgentes necessitates, quæ nos impellunt; inter multas difficultates, quæ à bono nos retrahunt; inter multa boni propositi, sanctique desiderij impedimenta, inter multa vitæ & salutis nostræ discrimina. Quamvis enim Dominus [illegible] suum nobis repromittat, quamvis nec capillum de capite nostro periturum dicat; & ad hoc dicat, vt securos nos faciat, quis tamen vsquequaque fide firmus, & vbique securus est? Quis semper sibi constitit? Quis aliquando non titubat? Quis nunquam hæsitat? Proinde qui vix modicam fidem habemus, fidem nobis augeri indigemus, semper quoque [illegible] Deo offerre, & pro [illegible] incredulitate indesinenter supplicare, dicentes: Credo, Domine, adjuua incredulitatem meam. Sic autem dictum est, *Adjuua incredulitatem meam*, sicut ab Apostolo dictum est, *Spiritus adjuuat infirmitatem nostram*; & sicut à Propheta dictum est, *Deus meus illumina tenebras meas.* Tenebras illuminat, cùm dat intelligere quod minus intelligimus. Infirmitatem adjuuat,

Marc. 9.

Luca 17.

Mat. 18.

Christus moro designat.

Matth. 16.

Sæpè hæsitamus.

Marc. 9.
Rom. 8.

Psalm. 17.

Quomodo incredulitatem adjuuet Deus.

cùm dat posse, quod minus possumus. Incredulitatem adjuuat, cùm facit credere, quod minus credimus.

Quòd potestas signorum sanctitatem non facit, sed ostendit.

FIdes itaque à Deo semper postulāda est, non potestas signorum. Fides enim nos justificat: at potestas signorum sanctitatem quidem aliquando ostendit, sed sine fide numquam facit. Qui credūt, & signa non faciunt, non ex hoc pusillanimes fiant, cùm scriptum legant, *Ioannes nullum signum fecit.* (*Ioan. 10.*) Qui signa faciunt, non inde superbiant, cùm Dominus dicat. *Surgent pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ & dabūt signa magna.* (*Matth. 24.*) Non glorientur, qui signa faciunt, ne fortè elati, in judicium incidant diaboli. Attendant, quod in Euangelio Lucæ scriptum est. *Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes. Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis. Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* Et infrà. *In hoc nolite gloriari, quia spiritūs subijciuntur vobis.* (*Luca 10.*)

De vana securitate.

IS autem qui tentat, qui & per superbiam laps' est, quos decipere non valet hæsitatione pusillanimitatis, seducere molitur præsumptione securitatis. Propterea multi non fidei pietate, sed temeritatis securitate, audaces ad ardua, impossibilia tentant, cùm scriptum sit. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* (*Deuter. 6.*) Hinc est, quòd pericula, quę vitare possunt, vitare nolunt: dum dignos, quibus mala non noceant, se arroganter credunt. Et quia magna volunt, de voluntate virtutem metientes, & infirmitatem suam non agnoscentes, se posse credunt, quod se velle cognoscunt. Hinc & Petrus infirmitatem suam non intelligens, & voluntatem suam attendens, præsumpsit & dixit. *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* (*Mat. 16.*) Postea timuit & negauit; vtrobique tentatus, hic hæsitatione pusillanimitatis, illic præsumptione nimiæ securitatis. Vtramque tentationem fidei & nos ipsi intra nos experimur, nunc vanè timidi, nunc vanè securi: nunc pusillanimitate deficientes, nunc securitate præsumentes. Mira Dei dispēsatio hæc, qua permittit electos suos ad horam cadere, vt fortiores resurgant, vt cautiores fiant, vt de se minùs confidant, vt infirmitatem suam perfectiùs agnoscant, vt Deo firmiùs hæreant, vt gratiam eius, sine quo nihil possunt, commendatiorem habeant.

Quomodo omnia possibilia sunt credenti.

QVoniam autem multi non credentes, hæsitatione vel præsumptione tentati, alijsque modis impediti, nec signa possunt facere, nec omnia quæ desiderant, valent obtinere: rectè quæritur, quomodo sit intelligēdum, quod Dominus dicit. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* (*Marci 9.*) Sed IESVS, qui dixit, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* hanc quæstionem absoluit, ostendens à Patre nobis danda, quæ in nomine eius, quod est Iesus, à nobis fuerint postulata. Hæc sunt autem, quæ nobis sunt salubria, quæ nostris profectibus sunt vtilia, quæ nostræ saluti sunt accommoda. Hæc sunt, quæ nobis expedit dari, quæ sola debent à nobis postulari. Omnia ergo possibilia sunt credēti, quādo virtus fidei & orationis potens est ad omnia, quæ justè desiderantur, & salubriter postulantur. Et qui credit, ad hæc omnia potens est, in eo qui omnia potest. Vnde Apostolus in Epist. ad Philippenses ait. *Omnia possum, in eo qui me cōfortat.* (*Philip. 4.*) Omnia ergo possibilia sunt credēti: quia in Deo omnia possunt credentes. Non solùm autem; sed & Deus omnia potest circa credentes. Circa infideles autem non sic. Nam beneficia Dei nonnumquam peccato infidelitatis impediuntur à Deo: vt quodammodo dicatur Deus non posse, quod obstante infidelitate prohibetur facere. Vnde in Euangelio Marci scriptum est. *Abijt Iesus in patriam suam; & non potuit ibi virtutes multas facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* (*Marc. 6.*) Non potuit, inquit; quia peccata eorum gratiam Dei ab eis prohibuerunt; juxta quod Ieremias dicit. *Peccata nostra prohibuerunt bonum à nobis.* Mirabatur, dixit; quia nobis mirandum ostendit, tātam eorum incredulitatem fuisse, propter quam non potuit ibi signa facere.

Quam in nomine Iesu postulentur.

In Deo omnia possunt credentes.

De eo quod scriptum est,

Signa eos qui crediderint, hæc sequentur.

HOc autem, quod scriptum est, *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur,* (*Marc. 16.*) si literaliter intelligatur, non generaliter ad omnes credentes pertinet, sed specialiter ad quosdam: maximè autem ad illos, quibus datum est in initio nascētis Ecclesiæ virtutes facere, vt per signa fidem reciperent, qui sine signis ad fidem non venirent. Sic enim oportuit, vt noua facerent, qui noua prædicarent, Domino cooperante, & sermonē confirmante sequentibus signis. Fide autem lōgè latèque recepta, & nouitate signorum confirmata, signa tamquam minùs necessaria, cessare cœperunt; & multitudo testium, & testimonia populorum successerunt; quæ pro signis, & præ signis, ad assertionem fidei sufficere potuerunt. Hinc Apostolus in 1. ad Corinthios, *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: prophetia autem non infidelibus sed fidelibus.* (*1. Cor. 14.*) Illud quoque spiritualiter intelligendum est, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet; & majora horum faciet.* (*Ioann. 14.*) Quod dictum est, *Majora horum faciet,* duobus modis intelligi potest; vel sic. Quæ maxima feci, faciet; vel majora quàm fecerim, faciet. Si de majoribus agitur, majus videtur, quòd vmbra Petri sanauit, minùs quòd fimbria vestimentorum Christi. Cùm autem fides pluribus cōmunis sit, quàm corporalium potestas signorum, per fidem tamen mira intus operantur, qui foris visibiliter signa facere non possunt. Hinc scriptum est. *Beátus vir, qui inuentus est sine mácula, & qui post aurum non ábijt: nec sperāuit in pecúnia thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.* (*Eccli. 31.*) In vita sua nimirum mirabilia faciunt, qui in Christo mirabiliter viuunt. Plus est enim quàm signa facere, inter vitę huius corruptiones sine macula viuere. Plus est, aurum non concupiscere, & cupiditatem sæculi in se extinguere, quàm hydropicum sanare. Plus est, lepram mentis, & animi vitia declinare, quàm languores corporum curare. Plus est, peccandi consuetudine inueteratum per pœnitentiā resurgere, quàm quatriduanum à mortuis suscitare. Hæc spiritualia signa per fidem operantur omnes justi: quæ corporalibus signis comparata, majora inueniuntur, & majori admiratione digna habentur. Hæc autem & illa operatur Deus, mirabilis in sanctis suis; qui semper hoc vel illo modo mira facit; innouans signa, & immutans mirabilia.

Immaculatè viuere pl' est, quàm signa facere.

Quæ miranda sint circa fidem.

IPSA autem fides non humanæ possibilitatis, sed diuinæ virtutis & voluntatis opus; inter mirabilia opera Dei magnā facit admirationem. Quis enim incomprehensibilia fidei mysteria fide intuens, & diligenter perpendens, non miretur ea posse credi; cum omnem sensum superent, omnemque humanæ sapientiæ rationem transcendant? Quis hæc tam mira, tam profunda, tam inscrutabilia, credere potest; nisi ei datum fuerit desuper, vt credere possit? Quis non miretur circa ipsam fidem, quod alijs datur, alijs non datur; & quibus datur, alijs per signa datur, alijs sine signis datur? Similiter autem quibus non datur, alijs inter signa non datur, alijs sine signis non datur. Alij signa viderunt & crediderunt; alij viderunt, & non crediderunt: alij non viderunt, & crediderunt: alij non viderunt, nec crediderunt. Cumque omnia signa fiant aut per fidem, aut propter fidem; ipsis signis quæ circa nos, aut in nobis fiunt, mirabilior est ipsa fides. Est autem & hoc mirabile, quòd signa quibusdam exhibita sunt, qui viderunt, & credere noluerūt: alijs autem exhibita non sunt, qui si vidissent, credere potuerūt. Hinc in Evangelio Matthæi scriptum est. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiā dicens. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicij, quam vobis. Et tu Capharnaum, numquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes. Quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die judicij, quam tibi.* Quis in his non miretur occultam Dei iustitiam? Ad hæc inuestigāda quis idoneus? Sed omittam⁹ inquirere, quod Deus noluit reuelare.

Fides ipsa mirabilis.

Signa alijs exhibita, alijs non.

Matth. 11.

Quomodo Dominus quorumdam fidem cōmendat.

ILLVD autem attendēdum est, quòd quorumdam fidem commēdat Dominus ante signum curationis; quorumdam verò post factam curationem. Aliquando verò fidem, vel etiam confessionem fidei exigit ante curationem. Quædā etiam signa facit merito fidei alienæ: quædam merito fidei propriæ. Fidem Centurionis commendans, ait. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Deinde addidit. *Vade, & sicut cupis, fiat tibi.* Ecce hic commendatio fidei præcedit, & sequitur curatio pueri à Domino facta patrocinio fidei & intercessionis alienæ. Sed quærendum occurrit, quomodo Dominus dixerit, se non inuenisse tātam fidem in Israël. Quis enim fidem Centurionis præferre audeat fidei Iacob & Prophetarum? Quòd si de hominibus tēporis illius agitur, quis eam præferre audeat fidei Ioannis Baptistæ, aut beatæ Virginis, de qua scriptum est, *Beata, quæ credidisti; quoniam perficientur, ea quæ dicta sunt tibi à Domino?* Sed hoc pro majori parte populi Israëlitici tunc temporis accipiendum videtur: cùm dignum esset, in illis, quibus credita sunt eloquia Dei, majorem fidem inueniri, quàm in homine Gentili; qui sine lege & Prophetis Christo intus vocante ad fidem veniens, fidem Gentium præfigurabat. Fides ergo Centurionis ipsa est fides Gentium, quæ fidei Israël comparatā, in hoc major inuenitur, quòd & vocatione mirabilior est, & numerositate credentium copiosior. Hinc est, quòd Evangelista præmittit. *Audiens Iesus, miratus est.* Et addidit. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Ad hoc nimirum Iesus miratus fuisse describitur, vt ex eius admiratione vocatio Centurionis siue Gentium magna admiratione digna nobis ostendatur. In Matthæo de paralytico sic scriptum est. *Offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Attende in hoc loco, quid possit fides aliena, quę paralytico ad hoc valuit, vt ei diceretur, *Confide fili;* quatenus fide confidens, filij nomen sibi acquireret, & peccatorum remissio mox adesset. Si autem ad nondum credentem dictum est, *Confide,* admonitus est incipere. Si ad jam credētem, admonitus est perseuerare. Sic ad mulierem, quæ fluxum sanguinis patiebatur, dictum est, *Confide filia:* & adiungitur, *Fides tua te salvam fecit:* vbi ostēditur, quid possit fides propria. Similiter apud Lucam ad mulierē peccatricem in domo Pharisæi dicitur, *Fides tua te saluam fecit.* Ad duos verò cœcos clamantes & dicentes, *Miserere nostri fili David,* dixit IESVS. *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Dicunt ei. *Vtique, Domine.* Tunc tetigit oculos eorum, dicens, *Secundùm fidem vestram fiat vobis,* & aperti sunt oculi eorum. Hoc in loco à credentibus confessionem fidei exquirit. Qua audita, secundùm fidem eorum eis fieri præcipit. Ad mulierē Chananæam dicit. *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petisti,* & sanata est filia eius ex illa hora. Attende & hic, quòd fide matris filia sanatur: cuius fides magnā prædicatur, secūdùm eam rationem, quam de fide Cēturionis suprà posuimus. Apud Lucam ad principem Synagogæ de filia mortua dicit. *Noli timere; crede tantùm, & salua erit.* Hic fidem exquirit, quam solam sufficere ostendit, vt salus sequi possit. Apud Ioannem, cùm Martha soror Lazari diceret, *Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est:* dixit ei IESVS. *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* Aduerte ex superioribus exemplis, quàm misericorditer Dominus quosdam inuitat ad fidem; quàm magnificè quorumdam fidem commendat.

Matth. 8.

Fides Centurionis laudata.

Luc. 1.

Marc. 8.

Matth. 9.

Fides aliena quid valeat

Ibidem

Fides propria.

Luc. 7.

Matth. 9.

Matth. 15.

Luc. 8.

Ioan. 11.

Qualiter Dominus incredulitatem increpat, sibique displicere demonstrat.

ADverte ex alijs locis, qualiter incredulitatem increpat, sibique displicere demōstrat. Apud Marcum, cùm obseruarent Iesum, si Sabbato curaret hominem habentem manum aridam, vt accusarent eum, sic scriptum est. *Circunspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini. Extende manum tuā.* Apud eumdem cùm vnus de turba diceret, *Magister, attuli filium meum ad te, habētem spiritum mutum; & dixi discipulis tuis, vt ejcerent illum, & non potuerunt;* respondens eis, dixit. *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero; quamdiu vos patiar?* Iterum apud eumdem dicitur. *Recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.*

Marc. 3.

Marc. 9. & 16.

Quod fides est semen.

EX parabolis, in quibus locutus est Christus, fidei virtus, profectus, & defectus, & credentium diuersitas, nobis per similitudinem demonstratur. *Exijt,* inquit, *qui seminat, seminare semē suum.* Semen autem est verbū Dei. Hoc est verbum fidei. Semen secus viam, quod volucres cœ-

Luca 8.

li comedunt, hoc est verbum fidei cum prædicatur, & non recipitur, diabolo agéte, ne credatur. Semen supra petram, quod natum aruit, fides est eorum, qui ad tempus credunt, & in tépore tentationis recedunt. Semen inter spinas, fides est eorum, qui spinis solicitudinum pro diuitijs & voluptatibus vitæ suffocātur. Semen in terra bona, fides est cum patientia in corde eorum, qui non steriliter viuunt, sed fructum faciunt. E diuerso zizania sunt hæreses, & schismata, & scandala, quæ inimicus homo, hoc est diabolus superseminauit, dum dormirent homines. Hæc enim per negligentiam vitæ & doctrinæ in subuersionem fidei diabolus suscitare non cessat.

Quid sit semen in via, in spinis, &c.

Quod fides est granum sinapis.

Fides est granum sinapis, *quod minimum est omnibus seminibus. Cùm autem creuerit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Semina & olera sunt dogmata Philosophorū, traditiones hominum: plantationes scilicet quas non plātauit Pater cælestis. His comparata simplicitas fidei, cōtemptibilis videtur: sed cùm creuerit in multitudine fidelium sublimiùs eleuatur per mysterium crucis, sicut arbor, ita vt iusti habitent in protectione eius.

Matt. 13.

Quod fides est fermentum.

Fides est fermentum diuinæ iustitiæ: *quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentaretur totum.* Mulier hæc fidelis anima intelligitur; farinæ sata tria sunt tria dona, quæ in conditione nostra Deo donante accepimus, posse bonum, scire bonum, velle bonum. Ex his conficitur panis vitæ & intellectus, vnde satientur, qui esuriunt iustitiam. Hæc autem in nobis labe peccati quasi ferméto malitiæ & nequitiæ corrupta sunt. Nam possibilitas boni sine difficultate, & scientia boni absque errore, & voluntas boni sine tepore, circa ea quæ nobis bona sunt & vtilia, in contrarium immutatæ sunt, aut priuatione, aut imminutione. Priuatione quidē, circa ea bona, quæ ex infirmitate carnis omnino non possumus, vel ex cæcitate mentis omnino ignoramus, vel ex peruersitate volūtatis omnino nolumus. Imminutione verò circa bona, quæ minùs liberè possumus; aut non plenè scimus, aut nimis tepidè volumus. Hoc est quod corruptio nostra pro possibilitate boni impossibilitaté aut difficultatem nobis ingerit. Propterea scientia boni ignorantiam vel indiscretionem nobis immittit. Pro voluntate boni tædium boni, vel etiam odium infundit. Propterea nec virtus, nec scientia, nec voluntas nobis suppetit ad bonum diligendum, sicut diligere oportet. Quomodo diligere bonū possumus, sicut oportet, nisi ipsum authorem boni Deum dignè diligamus? In quo & propter quem omnia bona diligenda sunt; qui & ipse in omnibus & præ omnibus diligendus est: quia ab ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quem dignè diligis, si tantùm diligis, quantùm vis, & quantùm scis, & potes quidquā diligere. Hoc est enim toto corde diligere; hoc est tota anima, tota mente, tota virtute diligere, Hoc est tota voluntate, tota discretione, tota possibilitate diligere. Sed quomodo hoc fieri potest, nisi mulier fermentum fidei à Deo accipiat, & acceptum in sinu conscientiæ abscondat; vt feruore fidei virtus reparetur, lumen scientiæ redeat, voluntas ignita recalescat, donec totum fermentetur, & toto corde Christus diligatur?

Ibidem.

Tria Dei dona, posse, scire, & velle bonum.

Deum qui dignè diligamus.

Quòd Christus, siue fides Christi, thesaurus est, & bona margarita. *Mat. 13.*

Christvs autem thesaurus absconditus est in agro, hoc est in corde tota cura colendo. Hunc agrum inuenit, qui de cura sæculi ad curā sui redit. Inuentum abscondit, qui ex hoc soli Deo placere intendit: vniuersa vendit, & agrum emit, qui negotiatione fidei omnia relinquit, & cor suum à se possidendum recipit. Sic quippe cor suum emit, qui exteriora cōtemnit; sicut animam suam vendit, qui pro intimis suis diligit. Hinc scriptum est in Ecclesiastico. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Agro empto thesaurus in agro abscōditus possidetur; quia possessione cordis acquisita, pro thesauro pecuniæ relicto melior thesaur⁹ in intimis habetur, hoc est bona margarita, quæ omnium vēditione acquiritur; quia contemptu terrenorum amor Christi perficitur. Fides quoque & ipsa thesaur⁹ abscōditus est, & bona margarita; quæ omnibus venditis acquiritur: quia quātò perfectiùs relinquitur quod habetur, tantò perfectiùs & ipse habetur.

Omnia quis relinquat.

Eccli. 10.

Quod Ecclesia siue fides sagena est.

Sed quia non omnes, qui aliquomodo fidem habent, tātum feruorem & vigorem fidei habent, vt velint omnia relinquere, cùm multi sint, qui nolint etiam illicitis renuntiare, idcirco regnum cœlorū, quod est Ecclesia, non immeritò sagenæ comparatur; quæ in mare huius sæculi missa, sub vnius fidei confessione, & Christiani nominis professione, bonos & malos simul ad littus, hoc est ad finem vitæ trahit. In Ecclesia enim sunt boni siue mali, quicumque fidem habent, & qui salubriter habent, & qui malo suo habent. Qui malo suo habent, hi sunt, qui agnita veritate in veritate non stant, sed retrorsum conuertuntur. Nam vt ait Petrus in canonica Epistola secunda. *Melius erat, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum cōuerti ab eo sancto mandato, quod illis traditum est.*

Ecclesia est sagena bonos & malos cōtinens.

2. Petri 2.

Quòd ij, qui salubriter fidem habent, omnia relinquunt, vel omnibus renuntiant.

Qvi salubriter fidem habere desiderant, necesse habent, omnib⁹ renuntiare: vt discipuli Christi sint, qui dicit. *Omnis ex vobis, qui nō renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed aliud est, omnia relinquere, aliud omnibus renuntiare. Primum perfectorum est, qui cum Apostolo omnia detrimentum faciunt propter Christum, vt Christū lucrifaciant: qui à licitis abstinentes, & in hoc mundo nihil habere cupiētes, cum Petro dicere possunt. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Huius perfectionis viam arripere volenti dicitur. *Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Cùm dicit: *Si vis esse perfectus*, voluntati permittit, non necessitatem imponit. Sed cùm dicit, *Qui nō renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: necessitate nos arctat, qua constringimur omnibus renuntiare, si volumus eius esse discipuli. Ergo diuites, qui juxta consilium Apostoli norunt non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarū, qui student bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare: thesaurizare sibi fundamentū bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternā: qui huiusmodi sunt, extra numerū discipulorum Christi non sunt. Ideo omnib⁹ re-

Luc. 14.

Mat. 19.

Luca 14.

Boni diuites qui sint.

nuntiare intelligendi sunt, quãvis non ad omnia Omnibus n. renuntiant, quantũ ad illicitũ quęstum, & illicitum vsum, quem in omnibus damnant: quia neq; ex causis illicitis acquirere, neq; ad illicitos vsus res quæsitas assumere, depositũ penes se habent. Vtuntur n. hoc mundo, tamquam non vtentes: non rebus transitorijs hærẽtes, nec labentia bona retinere volentes, sed facile tribuentes, & cõmunicantes proximo pro Christo, Christum omnibus præponunt, & præ omnibus ambitiosius diligunt.

Omnibus renuntiare qu. si.

Quòd fides vincit mundum in bonis.

VTrique autem, siue qui perfectè omnia relinquunt, siue qui minùs perfectè omnibus renuntiant, fide mundum vincũt. Illum loquor mundum, de quo Ioannes in Canonica epistola dicit. *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mũdo sunt. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupi. oculorũ. & superbia vitæ.* Hic est mundus, de quo scriptum est. *Mundus in maligno positus est.* Et, *Mũdus eum non cognouit,* haud dubium quin Deum. Christus autem, qui dixit, *Confidite, quia vici mundum*, ipse & principem vicit huius mundi: vt credentes in eum per fidem victoriæ eius vincamus & nos mundum. Hæc est enim victoria, quæ vincit mundũ, fides nostra. Fides autẽ non nostra victoria, sed Christi est. Sic enim Christus mundum & principem mundi vicit, vt nos triumpharet, & sibi subiiceret per fidem. Ergo fides nostra confusio est diaboli, & victoria Christi. Manifestè apparet, qũo fides vincit mundũ, in iis qui fidei obediunt, & fide vincunt concupiscentiam mundi.

1. Ioan. 2.

Ibid. Cap. 5.

Ioan. 1.

Quomodo fides vincit mundum etiam in malis.

SEd quomodo vincit fides mundum in Iudæis Paganis, & Hæreticis: qui ei contradicunt, eamque semper linguis, & cùm possunt, gladiis persequuntur? Qũo vincit fides mundum in falsis fratribus, fictisq; Christianis: qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant? An omnes vincit, & eos quos sibi subiiciẽdo euincit, & quos sibi resistendo conuincit? Planè sic est. Christus enim de Paraclito dicit. *Cùm uenerit ille, arguet mundum de peccato. & de iustitia, & de indicio. De peccato quidẽ, quia non crediderunt in me. De iustitia verò: quia ad Patrẽ vado, & iã non videbitis me. De iudicio autẽ: quia princeps mũdi hui⁹ iudicat⁹ est* Damnationem Infidelium tria hæc accumulant, peccatum propriæ infidelitatis, quo in Christum non creditur, iustitia rectè credentiũ, quæ à non imitantib⁹ contemnitur, iudicium diaboli, quod ab incredulis non attenditur. Hoc est autẽ iudicium, de quo scriptum est. *Nunc iudicium est mũdi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* In conuersione autem ad fidem princeps mundi iudicatur, siue à Christo, à quo foras eiicitur, siue ab ipsis, qui conuertũtur ad fidem, cùm diabolo omnino renuntiatur. Vita autem iusti, & eiectio diaboli, pro fide testimonium dant, ꝙ vera sit, Deoque accepta, diaboloq; contraria. Quod nõ attendentes increduli, condẽnandi sunt, non solùm ex reatu huius delicti, quia non credunt, sed ex testimonio fidei, hoc est, uita iusti, & eiectione diaboli, quibus non credunt. Sicut enim dominatio diaboli in malis, eorũq; iniustitia, qua malè viuunt, bonorum meritum auget, qui horum exemplo tentati ad malum, non seducuntur: sic eiectio diaboli, & iustitia piorum, iudicium malorum ad malum auget: quoniã exemplis ad meliora prouocati, iustos non imitantur. Iniustitia malorum ipsis malis obest, & bonis prodest. Tẽtatio enim bonorum est, quæ vincitur, cùm contemnitur. Iustitia è diuerso habentibus prodest: non imitantib⁹ obest, Prouocatio enim est ad æmulationem, exemplum ad salutem, iudicium in condemnationem. Hinc scriptum est apud Matthæum. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cũ generatione ista, & condemnabit eam; &c. & ecce plus quã Salomon hic* Vides qũo mundus arguitur de iustitia. Si de iustitia, ergo & de fide. Iustitia enim ex fide est. Scriptum est enim. *Iustus ex fide viuit.* Hoc Christ⁹ insinuare curauit, cùm dixit. *De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Ac si diceret. Subtracta corporali visione mea per ascensionem ad Patrẽ, restat, vt per eamdem ascensionem, in mundo credar æqualis Patri: qua fide æqualitatis meæ cum Patre iustificandi sunt credẽtes. Fides n. æqualitatis Christi cum Patre, quæ per Ascensionem innotuit, est causa iustitiæ, qua in Christo piè viuũt, qui in eũ, credunt. Hæc autem iustitia in testimonium erit contra illos, qui fidem Christi contemnunt, vel iustitiam quæ ex fide est negligunt. Eiectio autẽ diaboli, quæ iudicium eius est, innotescit per cõfessionem Christi, quã qui respuunt non credentes, de iudicio diaboli arguendi sunt: quia in eius iudicio, quod est eius eiectio, non agnoscunt honorem Christi, & confusionem diaboli. Ergo iudicium diaboli, ꝙ confessione credentiũ mundo propalatum est; in testimonium erit non credentibus, vt rectè arguantur, qui aliis credentibus credere nolunt. Fides ergo vincit mundum, etiam in iis, qui non credunt, vel qui credentes malè viuunt: quia Spiritus paraclitus arguet eos pro eo ꝙ fidem non habent, per quã impius iusti ficatur, & diabolus eiicitur. Vincit autem fides mundum, in iis, qui nũquam fidem expugnant, quam semper impugnant. Omnes enim conatus eorum contra fidem frustrantur, & in nihilũ rediguntur, quia portæ inferi non preualebũt aduersus eam.

Ioan. 16.

Damnatio Infidelium ex tribus.

Ioan. 12.

Iniustitia malorum bonis prodest.

Matth. 12.

Roma. 1. ex Habac. 2.

Ioan. 16.

Quòd fides ex comparatione impietatis laudem habet & gloriam.

QVoniam autem bona semper malorũ collatione magis clarescunt, secundùm hãc considerationem fides appensa habet nõ solùm de propria virtute laudis gloriam: sed de impietatis cõparatione abundãtiorem commendationis gratiam. Sic cæli serenitas suã pulchritudine placet: & post horrorem sæuæ tẽpestatis plus placet. Lux diei post tetram caliginem gratiùs enitescit. In ceteres quoque contrariis, altero malo, altero bono, eãdem rationem inuenies. Hinc in Ecclesi. scriptũ est. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo contra duo, vnum contra vnum.* Siue ergo duo bona cõtra duo mala in comparatione præponantur, siue vnum contra vnum, non minuit malum gratiam boni: sed magnificentiùs commendat, & abundãtiùs cumulat. Impietas itaq; contradictione fidem exercet & auget, cõparatione commendat & ornat, persecutione gratificat & glorificat. Fides autem cùm contradictionem patitur, proficit: cùm comparationem subit, pertimescit: cũ persecutiones sustinet, gratiùs amatur, & gloriosius coronatur.

Bona ex malis plus clarescunt.

Eccli. 33.

Deus mirabiliter alios excæcãdo alios illuminat.

IMpietas ergo nõ solùm infidelibus obest, sed etiam credentibus prodest: & cùm aliis existat causa perditionis, aliis conuertitur in occasionẽ salutis. Hinc Apostolus de Iudęis, qui in Christũ offenderũt, dicit. *Numquid sic offenderunt, vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est Gentibus.* (Rom. 11.) Ac si diceret. Non ad hoc tantùm valuit eorum delictum, vt ipsi offendendo caderent: sed etiam ad hoc, vt per eorũ casum Gentes crederent. Delictum enim eorum diuitię sunt mundi: & diminutio eorum diuitiæ Gentium: & amissio eorum reconciliatio est mundi. (*Casus Iudæorum salus Gentium.*) Mirandum quidem, cur Deus, cuius natura bonitas est, alios excæcat, indurat, & damnat. Mirandũ & hoc, cur, qui omnes iusto iudicio perdere posset, alios illuminat, & à duritia cordis immutat & saluat. Sed vtroq; plùs mirandum, cur magis hos quàm illos damnat vel saluat. Sed in tanta profunditate tam stupendæ admirationis, quid aliud possumus, nisi cũ Apostolo exclamare, & dicere, *O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & inuestigabiles viæ ejus?* (Rom. 11.) Qui autem diuisit lucem à tenebris, ipse nouit, cur magis hunc, quàm illum damnat, vel saluat. Nobis autem hoc scire non dedit, nec inuestigare concessit: sed in sacris Scripturis nobis credẽdũ reuelauit, quòd cùm tota massa humani generis corrupta sit, & debitæ damnationi obnoxia, null⁹ inde liberatur, nisi gratuita misericordia: null⁹ dãnatur, nisi ęquissima iustitiæ cẽsura.

De testibus contra fidem & pro fide.

QVoniam autem non omnium est fides; sed multi sunt qui credunt; & multi, qui non credunt: euenit ex hoc ipsam fidem multam sustinere contradictionem ab ijs qui non credunt, ita vt inter eos, qui fideles nominantur, multi fluctuantes inueniantur, qui dicere non erubescũt, nescimus quibus magis credendum sit, an ijs qui fidem defendunt, an illis qui fidei contradicunt. (*Fideles fidei testes, infideles erroris.*) Sicut enim multitudine credentium multi cõfirmantur in fide; sic numero & exemplo non credentium multi infirmãtur in fide, aut cõfirmantur in errore. Omnes autem infideles testes sunt sui erroris contra fidei veritatem: sicut & cuncti fideles testes sunt fidei contra perfidiæ impietatem. Sed collatio testium, quibus magis credendum sit, manifestè declarabit. Impietas enim infidelium sua contrarietate in se diuisa est: fides autem indiuisibili vnitate in se solidata, est. Vna est enim fides, quæ multis & varijs erroribus inconuulsa resistit. At varietas errorum multipliciter in se diuisa in vnitatis simplicitate non consistit.. Nam qui veræ fidei contradicunt, de suo corde æstimant, quod ignorant; de suo sensu fingunt, quod excogitant: & dum alij aliud videtur, à se dissentiunt, qui contraria sentiunt. Hostes verò fidei dũ sibi inuicem aduersantur, dum inimici sunt inimicis nostris, pro nobis faciunt, & nobiscum pro veritate pugnant, cùm nobiscũ ex aliqua parte falsitatem damnant. (*Infideles pro nobis pugnãt.*) Verumtamen inquantum errant, ex aduerso pugnant. Sed & in hoc, quamuis nescientes & nolentes, profectibus nostris seruiunt; quia fides persecutione proficit, tribulatione crescit; contradictione lucidiùs clarescit. Quò fortior est pugna, gloriosior est victoria. Quò magis inualescit contentio infidelium, magis enitescit gloria credẽtium. Dum aduersantur hæretici, exercẽtur nostri, probãtur electi, vt probati manifesti fiant, & non lateant. Hinc Apostolus ait in 1. Epistola ad Corinthios. *Oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Et Psalmista. *Congregatio taurorum in vaccis populorum; vt excludantur, qui probati sunt, argento.* (Psalm. 67.) Vtilis est ergo credẽtibus contentio aduersus fidem. (*Vtilis nobis infidelium contentio.*) Ex hac enim credentes probantur, & probati manifestantur; vt probati & manifestati, digni & indubitati fidei testes inueniantur & habeantur.

Quòd tres testimoniũ dicunt in cœlo & tres in terra.

TEstes autem fidei & eorum testimonia, si in medium producantur, & diligentiùs examinentur, quanta sit fidei authoritas: quàm certa, quàm firma, quàm solida sit eius veritas, euidentissimè nobis ostendent. Ioannes in Canonica epistola sic ait. *Tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo, Pater, verbum, & Spiritussanctus, & hi tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis.* (1. Ioan. 5.) Pater testimonium dat in cœlo; qui olim loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. (*Patris testimonium.*) Testimonium dat, cùm Filium reuelat in Scripturis. Testimonium dat, cùm Filium in nobis reuelat. De qua reuelatione Paul⁹ dicit. *Qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me.* (Galat. 1.) Et Domin⁹ ad Petrum ait. *Beátus es Simon barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est.* (Mat. 16.) Caro, inquit, & sanguis nõ reuelauit; hoc est, non parentum traditio, matris videlicet & Patris, non sapientia carnalis, non homo animalis, sed Pater cælestis. Nimirum per carnem mater significari potest, per sanguinem pater; quia pater semen ministrat, & mulier caro viri intelligitur. Vnde est illud in Euãgelio. *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri,* (Ioan. 1.) Potest & per carnem carnis sensus, idest quicumque corporeus sensus significari. Quoniam autem anima in sanguine est, non immeritò per sanguinem anima, vel sensus animę intelligi potest. Mysterium autem fidei non experientia sensuum percipitur, non sensu animæ comprehenditur; sed Patre reuelante agnoscitur. Propterea rectè dictum est. Caro & sanguis non reuelauit, sed Pater, qui in cœlis est. Pater testimonium dat, cùm Iesu baptizato & ascendente de aqua, aperti sunt cæli, & vox de cælo audita est dicens. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* (Matth. 3. & 17.) Et iterum in Trãsfiguratione. *Hic est filius me⁹ dilectus, in quo mihi bene cõplacui; ipsum audite.* De qua voce Petrus in Canonica Epistola sic ait, *Voce delapsa ad eum hujuscemodi àmagnifica gloria, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et hanc vocem nos audiuimus, cùm essemus cum eo in monte sancto.* (2. Petr. 1.) Ipse quoque Dominus de testimonio Patris in Euãgelio Ioannis sic dicit. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Et Ioannes in Canonica Epistola. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de filio suo.* (1. Ioan. 5.) Testimonium dat Filius docendo, & signa operando, & seipsum, quis esset, manifestando. (*Filij testimonium.*) Vnde cùm diceret, *Ego sum lux mundi*, dicentibus Pharisæis, *Tu de teipso testimonium perhibes; testimoniũ tuum non est verum*, respondit & dixit. (Ioann. 8.) *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio, vnde venio, aut quo vado.* Et iterum dicit. *In lege vestra scriptum est; quia duórum hominum testimónium verum est. Ego sum,* (Ibidem)

Ioan. 8.

qui testimonium perhibeo de meipso, & testimoniũ perhibet de me, qui misit me Pater. Quòd autem dicit. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est,* sic intelligendum est, nullam eius esse gloriam, si sine testimonio Patris, sicut plerique hominũ solent, seipsum glorificaret. Quod ne de ipso credatur, mox subiungit.

Ibidem

Est Pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus noster est, & non cognouistis eum. Similiter illud intelligẽdum est,

Ioan. 5.

Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum, vtique sine testimonio Patris. Vnde & mox subiungit. *Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Testimonium dat filius imminente morte, veritatem non negãdo. Vnde Paulus in 1. Epistola ad Timotheum ait.

1. Timo. 6.

Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu-Christi. Testimonium dat Filius resurgendo, & post Resurrectionem in multis argumentis sese manifestando. Testimonium dat Filius ad Patrem ascendendo, & ad Patrem redeundo discipulis videntibus, sicut scriptum est.

Acto. 1.

Videtibus illis eleuatus est.

Testimoniũ Spiritussancti

Testimonium dat Spiritussanctus, cùm ab initio super aquas fertur, aquas pòst sanctificaturus, & per aquas naturæ sanctificationis author ipse futurus. Testimoniũ dat, cùm Prophetas inspirat, cùm futura prænuntiat, cùm mysteria præfigurat. Vocibus enim Prophetarum & figuris rerum significauit, viam sanctorum nondum esse propalatam, sed suis temporibus propalandam. Testimonium dat, cùm Reges & Sacerdotes eligit & vngit, regnum Christi & Sacerdotium præmonstrans. In nouo testamento testimonium dat, cum B. Virginem superueniẽs sanctificat & impregnat, cùm super Christum requiescit, & quasi columba de cœlo super eum descendit & manet. Testimoniũ dat, cùm super discipulos apparens igneas linguas dispertit, & in vnitate fidelium linguas vnit. Testimonium dat, cùm fidelibus ipse datur, cùm charismata gratiarum ipse distribuit: cùm vnusquisque fidelium proprium donum accipit; alius quidem sic, alius verò sic; cùm secundùm diuisiones gratiarum, & diuisiones ministrationum, & diuisiones operationum,

1. Cor. 12.

alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Testimonium dat, cùm mittitur, vt testimonium perhibeat omnia docendo, & veritatem suggerendo, & quæ ventura sunt annuntiando. Hinc Christus dicit in Euangelio Ioannis.

Ioan. 15.

Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et iterũ.

Idẽ cap. 14. & 16.

Paraclitus autem Spiritussanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et iterum. *Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Tres ergo sunt in cælo, qui testimonium dant; Pater, Verbum & Spiritussanctus; & hi tres vnum sunt. Vnum quidem in vnius naturæ essentia, vnum in vnius cõtestationis concordia. Vnum enim & idem concorditer loquuntur, & concorditer operantur.

1. Ioan. 5.

Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Ostensum est, quomodo creator spiritus testimonium dat, qui semper est in cœlo, etiã cùm ad nos mittitur de cœlo.

Testimoniũ creati Spiritus.

Creatus autem spiritus testimonium dat in terra; cùm administratorij spiritus in ministerium mittuntur, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Testimonium dant Angeli in veteri testamento, cùm ad Patres mittuntur. Testimonium dat Gabriel à Deo missus ad beatam Virginem. Testimonium dant Angeli natiuitatem Christi annuntiantes. Testimonium dant Angeli, post tentationẽ Domini in deserto accedentes, & ministrantes ei. Testimonium dat Angelus ante passionem Domini apparens illi, & confortans eum. Testimonium dant Angeli, cùm Resurrectionem Domini mulieribus annuntiant; & cùm in Ascensione mirantibus discipulis, & in cœlum aspicientibus, Iesum venturum prænuntiant. De malis Angelis quid dicendum est? An & hi pro fide testimonium dant? Matthæus scribit.

Matth. 8.

Cùm venisset Iesus transfretum in regione Gerasenorum, occurrerũt ei duo habentes dæmonia, de monte exeuntes, sæui nimis; & exclamantes dixerunt. Quid nobis & tibi, Iesu fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos. Ecce dæmoniaci per demonia, siue per dæmoniacos dæmonia, Iesum filium Dei protestantur. Marcus autem dicit.

Marc. 1.

Erat homo in Synagoga eorum in spiritu immundo; & exclamauit dicens. Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos. Scio quis sis, sanctus Dei. Et iterum dicit. *Quotquot habebant plagas & spiritus immundos, cùm videbant illum, procidebant ei, & clamabant, dicentes. Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent eum.* Et iterum dicit.

Ibidem

Occurrit homo de monte in spiritu immundo; & vidẽs Iesum, adorauit eum, & clamauit voce magna, & dixit. Quid mihi & tibi, Iesu, fili Dei summi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Lucas autẽ dicit,

Luca 4.

In Synagoga eorũ erat homo habens dæmoniũ immundum, & exclamauit voce magna dicens. Sine. Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio quis sis, sanctus Dei. Et iterum dicit.

Ibidem

Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia; quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum. Et iterum dicit.

Idem cap. 8.

Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium, &c. vt vidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans voce magna dicit. Quid mihi & tibi est, Iesu fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Et in Actibus Apostolorum legitur.

Acto. 19.

Tentauerunt quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes. Adjuro vos per Iesum, quẽ Paulus prædicat. Respondens autem spiritus nequã, dixit eis. Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Attende ex præmissis Scripturæ testimonijs, quomodo dæmonia Iesum filium Dei, vel filium Dei summi, vel Dei altissimi profitentur. Et si verum dicunt, non solùm suspicantur, sed magis sciunt, quis sit, sanctus Dei. Attende, quomodo causantur aduersus eum, quòd ante tempus venerat se torquere; quomodo adiurant eum per Deum, & obsecrant, ne torqueat. Attẽde, quomodo comminabatur eis Iesus, ne manifestarent eum: & quòd increpans non sinebat ea loqui. Quare autem increpabat, nisi quia indigni

erant, qui veritatem annuntiarent? Peccatori enim dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas. & assumis testamentum meũ per os tuum? Si autem homines peccatores indigni sunt, quantomagis dæmones? Siue autem per Angelos malos, siue per homines malos: & siue per occasionem, siue per veritatem Christus annũtietur; per occasionem quidem à malis, per veritatem verò à bonis: vtilis est semper confessio veritatis, etsi non ipsis malis, semper tamen bonis, qui veritati congratulantur cùm & ab inimicis suis Christus annunciatur.

Psalm. 49.

Vtilis semper est confessio veritatis.

Homo iustus, seu etiã malus, spiritus dici potest.

SI autem spiritus qui testimonium dat in terra, homo iustus, qui spiritualiter viuit, intelligi potest, scrutemur ex Scripturis, vnde hoc approbari possit, & cõfirmari. Paulus in epistola 1. ad Corinthios ait. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Ioãnes verò in Canonica epistola sic ait. *Probate spiritus, si ex Deo sunt. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum venisse in carne, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.* Hoc loco admonet nos beatus Ioannes, probare spiritus, si ex Deo sint: & signũ ostendit, quo agnosci possit, quis spiritus ex Deo sit, & quis ex Deo non sit. Similiter insinuat, spiritum dici, non solùm, qui confitetur Iesum, & ex Deo est: sed & eum, qui soluit Iesum, & ex Deo non est. Quis est autẽ, qui soluit Iesum, nisi qui negat Iesum, & negãdo separat? Sed diuersi diuersis modis negant. Sunt enim, qui negant eum verum Deum esse, & diuinitatem ab eo separant. Sunt, qui negant eum animam, vel veram carnem habere: & verã humanitatem ab eo separant. Sunt, qui verbis negant: & sunt, qui verbis confitentur, sed factis negant. Et hi omnes dicũt anathema Iesu, & soluunt Iesum: quia per inobedientiam & infidelitatem separant se à Iesu, & eum, quantũ in ipsis est, diuidunt: quia vnitatem Ecclesiæ quodam modo rumpunt, dum sua separatione ab vnitate electorum se disjungunt. Sed dices? Numquid diuisus est Christus? Absit. Sed ipsi quodãmodo soluunt & diuidunt, qui se ab ipso diuidũt. Qui autem se non separat à Deo, sed adheret Deo, vnus spiritus est. Et hic est spiritus, qui testimonium dat in terra: qui lingua & vita confitetur Iesum: de quo iterum Ioannes dicit. *Spiritus est, qui testificatur, quoniã Christus est veritas.* Aqua testimonium dat. Non solùm enim iusti, qui spiritualiter viuunt, & post acceptam gratiam baptismi immaculatos se custodiunt, testes veritatis sunt: sed peccatores, qui post baptismum lapsi, per pœnitentiã redeunt, & aqua pij mœroris se abluunt, ipsi quoque Christum confitentur, & testificantur, quoniam Christus est veritas. Sanguis testimonium dat. Testificantur hoc Martyres, qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt, & veritatem fidei vsque ad mortem defendere gloriosissimè susceperũt. Spiritꝰ ergo iustorum, & aqua pœnitentium, & sanguis martyrum, testimonium dant in terra: quia omnes iusti; siue per iustitiam suam, siue per pœnitentiam, siue per constantiam, nos certos faciunt, ꝙ veram esse fidẽ crederent: ex qua iustè viuerent, vel per quam de peccatis pœnitentiam agerent, vel pro qua mori non trepidarent.

1. Cor. 6.

1. Ioan. 4.

Diuersæ hæreses soluunt Iesum.

1. Ioan. 5.

Quod multitudo testimonium sit.

PAter ergo, & Filius, & Spiritussanctus, necnon & Angeli Dei, & omnes homines iusti testimonium perhibent fidei nostræ, quòd vera sit, & ficta non sit. Hæc autem multitudo testiũ quasi nubes à Deo nobis imposita nos protegit & obumbrat, ne noxius calor impietatis circa mysteria Christi & Ecclesiæ nos vrat; sicut scriptum est. *Per diem sol non vret te; neque luna per noctem.* Christus sol est, qui luce suæ sapientiæ vitam Apostolorum & Prophetarum quasi diem illuminat. Ecclesia Catholica ipsa est luna, quæ ignorantiã simplicium sicut noctem verbo prædicationis, & exemplo sanctæ conuersationis illustrat. Christus autem dicit. *Surgent pseudo-Prophetæ.* Ne ergo pseudo-Christi pro Christo, aut pseudo-Prophetæ pro veris Prophetis recipiantur, habemus testes à Deo approbatos, quorum testimonio fides subuixa est. Non ergo Ecclesia in conciliabulis hæreticorum, nec principes Ecclesiæ sunt Donatus & Arrius, ceterique hæresiarchæ: sed superædificati sumꝰ super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Non est aliud Euangelium, quàm quod prædicatum est ab Apostolis: nec alius Christus, quàm is qui annuntiatus est: nec alia Ecclesia, quàm quæ à Christo per Apostolos ædificata est. Propterea Christus præmonet & dicit. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Et Apostolus in Epist. ad Galatas. *Licet nos,* inquit, *aut Angelus de cœlo annuntiet vobis aliud quàm quod euangelizatum est, anathema sit.* Si ergo contra fidem nostram ferueat persecutio inimicorum, habemꝰ nubem testium à Deo nobis impositam, quæ nos ab æstu refrigeret in Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis. Te ergo Christe, authorem fidei meæ cõfiteor, & scio, quoniam non confundar, te pastorem sequens. Tu lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mũdum. Prophetæ tui & Apostoli filij lucis sunt. Si illos post te non sequor, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui. Hi sunt testes tui, præcones veritatis, duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores nationum, magistri populorum. Sub horum vmbra protegimur, sub horum protectione quasi sub nube refrigeramur. De his Isaïas dicit. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Et Paulus ad Hebræos. *Nos,* inquit, *tantam habentes impositam nubem testium.. curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum.*

Psalm. 120.

Matth. 24.

Ecclesia non est apud hæreticos.

Ibidem

Galat. 1.

Isaia 60.

Hebr. 12

Ex Scripturis ostenditur, qui sint testes.

TEstes ergo veritatis sunt, de quibꝰ Isaias dicit. *Verè vos testes mei, dicit Dominus: & seruus meus, quem elegi: vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis, quia ego ipse sum.* Testis veritatis Ioannes Apostolus, qui dicit. *Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis.* Testis & Petrus, cùm de se & aliis Apostolis dicit. [Hunc Deus suscitauit à mortuis, & dedit eum manifestũ fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducauimus & bibimus cum eo, postquã resurrexit à mortuis... Huic omnes Prophetæ testmonium perhibent.]

Isaia 10.

1. Ioan. 1.

Quæ sint testmonia.

QVoniam autem audiuimus, qui sint testes fidei: audiamus, quæ sint eorũ testimonia. Hæc autem sunt verba eorũ, & opera. De vtrisq; Christus nos instruit. De operibus quidem, cùm dicit. *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea. ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me:* quia

Verba & opera sunt testimonium.

Ioan. 5.

quia Pater misit me. De verbis verò, siue scriptis siue prolatis, ostēdit, cùm dicit. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitā & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Testimonia ergo fidei nostræ sunt opera iustorum: opera iustitiæ & pietatis, quæ opati sunt à primo omnes iusti, vt Deo placerent, & Deum in se glorificarent. Testimonia sunt virtutes signorum & miraculorum, quas in quibusdam iustis operatur Deus, quibus se magnificauit, illosque mirificauit. Testimonia fidei nostræ sunt verba Legis & Prophetarū, Apostolorum & Euangelistarum, & orthodoxorum Patrum, & singulorum in confessione fidei verba fidelium. Fama quoque iustorum testimonium reddit fidei nostræ. Cùm enim vita Sanctorum, humilitas & patientia eorum in Ecclesia Dei annuntiatur: famā sanctitatis eorum audientes, ad fidem ædificantur, & in fide confirmantur. Hinc de Apostolis scriptum est. *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorū.* Quod enim valuit verbum doctrinæ apud eos, qui Apostolos viderunt, hoc valuit sonus famæ apud eos, qui de illis audierunt. Testimonia fidei sunt verba Dei, quæ ab initio locutus est, & opera Dei quæ ab initio operatus est, vt se nobis manifestaret, pro congruentia temporum, sicut voluit, & sicut oportuit. Verba autem iustorum, & opera eorū, quæ in Deo locuti & operati sunt, inter verba Dei & opera eius humana sunt: quia Deus sine quo nihil poterant, in illis locutus & operatus est.

Ioan. 5. *Testimonia fidei nostræ.* *Psalm. 18.*

Munimenta fidei ad authoritatem sacræ Scripturæ reducūtur.

OPera autem Dei, quæ operatus est cuncta creando, & quæ operat⁹ est nos redimendo, & quæ operatur nos vocando & iustificādo, in sacræ Scripturæ serie per ordinem digerūtur. Ibi & verba Dei, quæ per se, vel per ministerium Angelorū vel hominum locutus est, fidelissimè disponuntur. Vnde constare debet, quòd munimenta fidei nostræ ad authoritatem sacræ Scripturæ reducuntur: quæ si vera est, veri sunt testes fidei, vera sunt testimonia fidei, & consequenter vera est ipsa fides. Quis autem dubitet, sacrā Scripturam veram esse, si constet, verbum ꝙ in ea cōtinetur, Dei esse: vel si cōstet, eos qui scripserūt, in spiritu Dei locutos fuisse? Quis est n. qui non credat, quidquid Deus dixerit: si hoc constet, ꝙ Dn̄s locutus sit? Dicet itaque aliquis. Prædicas mihi verbum fidei, & credere mones quasi verbum, non hominis, sed Dei: quod Spiritu sācto reuelante sancti Prophetæ scripserunt, nobisque tradiderunt. Vnde, inquam, mihi probas, quòd Dominus verbū locutus sit, vel ꝙ Spiritus sanct⁹ iis, qui Prophetæ nominantur, hoc reuelauerit? Proba hoc, inquam, mihi: & nulla cūctatio erit, quin statim credam, & confessionē fidei reddam. Ad hoc quid dicendum est? Talia siquidem credenti, siqua digna responsio in ipsa sacra Scriptura, de qua nunc agitur, reperiri potest, reticeri non debet: cùm Petrus in Canonica Epistola 1, dicat. [Dominum Iesum Christum sanctificate in cordib⁹ vestris: parati semp. ad satisfactionē oñi poscenti vos rationē de ea, quæ in vobis est spe.]

1. Petri 3.

Quibus modis olim Deus se manifestauerit.

COnsiderandum igitur est, quòd sicut sacra Scriptura loquitur, Deus multipharie multisq; modis antiquis iustis se olim manifestauit, vel visibili apparitione, & præsenti allocutione; vel in visiōe, vel nominis sui expressione, vel virtute signorum, vel occulta inspiratione, vel futurorū prædictione & impletione; & siqui sunt alij modi, quibus innotescere voluit his, quibus seipsum dignatus est reuelare. Quibusdam enim in specie, quam ad hoc eligere voluit, apparuit, & locutus est; vt Abrahæ & Moysi. De quibusdā scriptum est. *Tunc locut⁹ est in visione sanctis suis.* Quibusdam autem loquēs, manifestauit seipsum quasi ex nomine, dicens. *Ego sum Deus omnipotens*, vel, *Ego sum qui sum*; vel, *Ego sum Deus Abraham.* De virtute signorum scriptum est. *Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia eius, & iudicia oris eius.* De occulta inspiratione scriptū est. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Multa autem opera quæ facturus erat, antequā fierent, futura prædixit; vt & authoritate prædicentis dicta crederētur; credentibus fides dictorum ad iustitiam reputaretur. Prædicta autem antequam implerentur, per aliquod tempus dilata, & post dilationem tēpore suo impleta sunt; vt dilatione fides probaretur, ex impletione vera monstraretur, & ad majora credenda, longiusque futura, paratior inueniretur. Prædixit Deus Noë de diluuio futuro. Prædixit Abraham de benedictione vniuersarum cognationum terræ in ipso, & de peregrinatione seminis in Ægypto, & de reuersione ejus de Ægypto. Prædixit per Angelum loquentem ad Agar, de Ismaële nascituro. Prædixit & de Isaac. Prædixit & de subuersione Sodomę & Gomorrhæ. Prædixit autem & Iacob Patriarcha Deo reuelāte, quæ erant futura in nouissimis diebus, dicens ad filios suos. *Congregamini, vt annuntiem vobis, quæ futura sunt diebus nouissimis.* In fide autem promissionis ad Abraham dictæ, prædixit Ioseph quod futurum erat, & locut⁹ est fratribus suis. *Post mortem meā visitabit vos Deus, & ascendere faciet de terra ista ad terram, quam jurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Asportate vobiscum ossa mea de loco isto.* Prædixit Dominus Moysi mirabilia, quæ facturus erat in Ægypto, & in mari rubro pro liberatione populi sui: prædixit & multa quæ facturus erat in deserto. Prædixit quoque multa, quæ facturus erat in terra promissionis per manum Iosue filij Nun, ministri Moysi. Post mortem Iosue excitauit Deus Iudices ad liberationem Israël, multaque prædixit, quæ per eos facturus erat: & sicut locut⁹ est, impleuit. In diebus Samuelis multa prædixit Deus de Heli & Saulę & David. Per Nathan quoque Prophetam futura prædixit de ipso David & filio eius post ipsum regnaturo. Et de alijs Regibus per alios Prophetas multa prædixit, & de captiuitate populi Israëlitici sub Rege Babiloniorum, & de reuersione eiusdem populi: & sicut locutus est, sic & impleuit. Hæc autem opera, aliaque multa, quæ operatus est Deus à diebus antiquis vsque ad Christi aduentum, à quo potuerunt præsciri & prædici, nisi ab ipsorum operum authore Deo, qui nouit omnia, antequam fiant: vel ab ipsis quibus hæc reuelare dignatus est? Illi autem quibus locutus est Deus, indubitanter scire potuerunt, non hominis, sed Dei esse verbum, quod ad eos factum est; quoquidem verbo ita illuminati sunt, vt diuinorum mysteriorum fierent conscij, & futurorum præscij: vnde Prophetæ vel videntes nominati sunt, Illi autem quibus Prophetæ à Deo missi locuti sunt, prophetiæ verbum quod eis prædicatum est, Dei esse verbum indubitāter credere debuerunt; tum ex sanctitate vitæ Prophetarum, qui

Hebr. 1. *Vnde cōstet Deum locutum esse.* *Psalm. 88.* *Genes. 17.* *Exod. 3.* *Psalm. 104* *Psalm. 84.* *Prædictio futurorū Dei propria.* *In libro Genes.* *Genes. 49.* *Ibid. cap. 50* *Exod. 3. & seq.* *Lib. Iudic.* *1. Reg. cap. 3. & alibi.* *Prophetæ sciebāt, Deum esse, qui loquebatur.*

tanquam viri fideles & veraces mentiri nollent; tum ex ipsa rei veritate multoties sibi exhibita: cùm sæpe viderent impleta, quæ à Prophetis sciebant esse prædicta. Et illi quidem, qui verbũ prædicauerunt, non suum, sed Dei esse verbum dicebant, adijcientes, *Hæc dicit Dominus*, vel, *Os Domini locutum est*, vel aliquid huiusmodi. Ergo cùm quædam viderent impleta, quæ ex eis prænuntiata tanquam Prophetas Domini illos certissimè habebant, qui hæc prænuntiauerant: & per ea quæ impleta videbant, certiùs expectabãt, quæ longè pòst ventura Prophetis prædicentibus audiebant.

Isai. 1. & alibi sæpe

Vnde Prophetæ fideles inventi sunt.

PRophetæ ergo ex eo fideles & veraces invẽti sunt, quòd sermo eorum venit in tempore suo; nec inexplet⁹ super terram cecidit, sicut sermo terreni hominis, qui mendaciter prolatus, cùm fals⁹ apparet, de terra & non de cœlo egressus esse innotescit. Hinc scriptũ est de Samuele. *Creuit Samuel, & Dominus erat cum eo; & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, quòd Samuel fidelis Propheta esset Domini.* Et post pauca subjũgitur. *Venit sermo Samuelis vniuerso Israeli.* Attende ex hoc loco, vnde agnitus sit fidelis Samuel Propheta esse Domini. Ex eo scilicet agnitus est, quod non cecidit ex omnibus verbis eius in terram: & quòd euenit sermo eius vniuerso Israeli. Quod autem dicit, *Non cecidit ex omnibus verbis eius super terram*: secũdum illum modum intelligi potest, secundum quem dictum est. *Qui de terra est, de terra loquitur: qui autem de cœlo venit, super omnes est.* Qui de terra est terrena quærendo, de terra est terrena sapiendo, & de terra loquitur, terrena docendo. Qui autem de cœlo venit, super omnes est, qui terrena quærunt & sapiunt, aliosque sic erudiunt. Cùm autem terrena sapientia eorum qui de terra sunt, & de terra loquũtur, prænuntiat quæ ventura non sunt, quasi ventura sint, cùm verbum eorum apparere falsum incipit, quasi in terram cadit; quia per euidentiam falsitatis illuc relabitur, vnde per artem confictæ falsitatis, vel per conjecturam falsæ opininionis egreditur. Ergo verbum in terram cadit, cùm ad authorem suum vacuum reuertitur, & terreni hominis verbum esse inuenitur. E contrà, Dominus dicit. *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Potest autem & aliter intelligi quod dictum est, *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Quoniam enim propheticæ cõminationes Samuelis contra domum Heli, & cõtra domum Saul, quasi quædam sagittæ erant ad feriendum missæ, pro similitudine sagittarum quæ feriunt quod appetunt, nec frustra in terram cadunt, rectè dictum est, *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Sicut agnitus est Samuel, quòd Propheta esset Domini, ex eo quòd venit sermo eius quem locutus est: sic agnitus est Isaias, & Ieremias, cæterique Prophetæ; ex eo quòd impleuit Dominus, quod per eos locutus est. Attende lectioni Prophetarum, & diligenter considera, quæ & quantà prophetauerunt contra decem tribus Israël, contra Iudam & Ierusalem, contra diuersas in circuitu gentes, regnaque diuersa; & inuenies ea sic esse impleta, sicut constat esse prædicta. Quis post tãtam manifestæ veritatis certitudinem dubitare debet, in spiritu Dei Prophetas locutos fuisse, & verbum Dei esse, quod ad illos factum est, & quod per illos nobis annuntiatum est: Illis enim Deus reuelauit per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis; nisi spiritus hominis, qui in illo est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognoscit, nisi spiritus Dei.

1. Reg. 3.

Ioan. 3.

Quid sit, verbum in terrã cadere

Isai. 55.

1. Reg. 3.

Verbũ Dei est sagitta.

Diuini & dij Gentium tempora & momenta non norunt: sed solus Deus.

NON Sapientes Ægypti, non Augures cæli, non Dij Gentiũ, status temporum, & mutationes rerum à constitutione mundi annuntiare potuerunt. Vnde Isaias ad Ægyptum loquens ait. *Vbi sunt nunc sapientes tui? Annuntiẽt tibi, & indicẽt, quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptũ.* Vides, quõ Propheta præsciens & prędicens mala, quæ ventura erant super Ægyptum, insultat sapientibus, qui hæc anunntiare & indicare nequiuerunt. Idẽ Propheta cùm contra Babilonem prophetaret, dicit. [Defecisti in multitudine consiliorũ tuorum: stent & saluẽt te augures cęli, qui contemplabantur sidera, & supputabant mẽses, vt ex eis annũtiarent ventura tibi] Et diis Gentium insultans idem ait. [Accedant, & nuntient nobis, quæcũque ventura sunt. Priora quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum. Annuntiate quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus, quia dij estis vos.] Priora, inquit, quæ fuerunt, nuntiate, & ponem⁹ cor nostrũ. Ac si diceret: priora quæ fuerunt ab initio sęculi, cùm nondum essetis, nũtiate nobis, si potestis: quod si feceritis, ponem⁹ cor nostrum, vt pro diis colamus vos: & per priora nobis nuntiata sciemus novissima eorũ, priorum scilicet, id est, quę post priora in novissimo vẽtura sunt, nobis nota erunt, si prioribus nuntiatis, & hęc fuerint nobis nũtiata. Adiungit Propheta, & dicit: annuntiate nobis, quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus quia dij estis vos: quibus verbis ostendit, annuntiatione futurorũ verum Deum posse agnosci, cuius est nosse tẽpora vel momenta. Vnde idem Propheta ex persona Dñi dicit. *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciã.* Ac si diceret. Mihi credite, qui impleui, quę prędixi. Quod manifestè apparet, quia quæ prima per me fuerũt annuntiata Noë, Abraham, & Moysi, qui fuerunt ante vos, illa venerũt. Noua quoq; quæ posthac ventura sunt prędico vobis, vt me Deũ esse credatis, & verba Prophetarum quasi Dei verba suscipiatis. Et iterum dicit. *Ego primus, & ego nouissimus: absque me nõ est Deus. Quis similis mei? Vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi: ex quo constitui populũ antiquum, venturã, & quæ futura sunt, annuntiet eis.* Ac si diceret. Quis similis mei est in diis Gentiũ? Siquis mei similis putatur, faciat quæ ego facio: vocet ea quæ non sunt, vt sint, sicut & ego voco: annuntiet facta & facienda: ordinem factorum mihi exponat: quid priùs, & quid posteri⁹ fuerit, ex quo constitui populum antiquum: vel genus humanũ in Adam, vel populum Israeliticũ in semine Abrahæ. Vẽtura, inquit, & quæ futura sũt, annuntient eis: quod si ipsi non possunt, & ego possum; restat, vt credatis, quòd absque me non est Deus. Quantum autem ad cognitionem veri Dei habendã, & ad fidem sermonum eius tenendam, proficiat futurorum prædictio & impletio, frequenter apud eumdem Prophetam insinuat Dominus, nunc ad se super futuris interrogandũ invitans: nunc se non in abscondito locutũ pro-

Isa. 19.

Cap. 47.

Dæmones nequeunt futura prædicere.

Isa. 41.

Idem c. 42.

Cap. 44.

Prædictio futurorum Deũ probat.

testans, nunc prædicta & cōpleta cōmemorans, vel futura prænuntians. *Hæc*, inquit Isaias, *dicit Dominus. Ventura interrogate me super filios vestros, & super opus manuũ mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominẽ super terram creaui ego.* Ac si diceret. A me, & non ab alio, qui omnia possum, quæ facturus sum, interrogate: quia opera mea me non possunt latere. Iterum dicit. *Ego sũ, & non est alius: non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Ac si diceret. De cælo vobis locutus sum, non in abscondito, vnde dæmones solent illudere, vel homines illusores pro idolis responsa dare. Iterũ dicit de captiuitate filiorum Israël sub Nabuchodonosor, vel eorum liberatione sub Cyro, loquẽs. *Quis auditum fecit hoc ab initio? Ex tunc prædixi illud. Nũquid non ego Deus & non est vltra Deus absque me?* Ac si diceret. Ex veritate prædictionis, per euidentiam impletionis, cognoscite in me, non diuinationis coniecturam, sed diuinitatis præscientiã. Iterum dicit. *Recordamini prioris sæculi: quia ego sum Deus, & non est vltra me Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio nouissima, & ab initio, quæ necdum facta sunt.* Et iterum. *Prædixi ex tunc, antequã venirent indicaui tibi: ne fortè diceres, Idola mea fecerunt hæc.* Ac si diceret. Verba mea pri⁹ audistis; & opera mea postea vidistis: vt eadẽ opera mihi tribuatis, & non idolis: quia opera mea non potuerunt prædicere, nec similia facere. Cùm constet ex prædictis, Spiritum sanctum per Moysen & Prophetas futura prædixisse, cõsequenter constare debet, eosdẽ vera scripsisse, & de præteritis quæ prædicta & facta à Deo docti retulerunt, & de futuris, quæ prædixerunt, & postea exhibita sunt: & de futuris, quæ prædixerunt, & nondũ impleta sunt. Constare etiam debet, quòd fidem Scripturæ authoritas Spiritus sancti confirmat: vt certum esse debeat, illũ manifestè Spiritui sã. cõtradicere, qui prophetico sermoni præsũpserit obuiare. Hinc B. Petrus in epistola ait. *Habetis firmiorem propheticũ sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. Spiritu sãcto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Propheticus sermo lucerna est, iuxta q Psalmista dicit, *Lucerna pedibus meis verbũ tuum.* Hæc lucerna in caliginoso loco lucet, humanæ ignorãtiæ tenebras illuminans, donec glorificat⁹ in mundo, sicut dies illucescat: & donec idem Christus per fidẽ sicut lucifer in cordibus nostris oriatur. Vnde intelligere debemus, quòd ꝓphetia non est humani sensus interpretatio, nec humanæ volũtatis adinvẽtio, siue traditio: sed Spiritus sancti reuelatio. Deus igitur, ut sciant omnes, quia ipse est conspector sæculorum, per seruos suos Prophetas futura prædicẽs, præscientiã futurorum meritò sibi vendicat: quam spiritus mendax, qui in veritate non stetit, mẽdaciter sibi vsurpat. Ipse enim est author mendacij, cui⁹ iniquitas primò mentita est sibi, deinde homini. Sibi quidem, cùm diceret in corde suo. *In cælũ conscendam, super astra exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Hęc cogitabat in corde suo, sed falsò: quia frustratus est à spe sua, & fraudat⁹ à desiderio suo. Vnde Isaias, qui hæc de eo scribit, insultans ei, dicit. *Verumtamen ad infernum detraheris.* Ac si diceret. Quãvis cogitatio tua sit, vt in cælum ascendas, vt hæc & hæc facias: tamen nõ ita erit, sed ad infernũ detraheris. Ecce quõ mentita est iniquitas sibi, prædicẽdo in corde suo vt futurum, quod non erat futurum. Nec sufficit ei, vt fallatur, nisi & fallere moliatur. Accedens tentator ad mulierẽ, dixit. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Cui illa. *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Dixit autem serpẽs. *Nequaquã moriemini: scit enim Deus, quòd in quacumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Prædixit Deus mortem secuturã, si homo non obediret. Ob hoc autem prædixit, ut homo obediẽdo mortem vitaret, & immortalitatem haberet: diabolus autem immortalitatẽ promittens, vt per fidem falsæ promissionis immortalitatem auferret, dixit. *Nequaquam moriemini.* Et promissionem promissione cumulans, addit. *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonũ & malum* Qua promissione videtur ei promittere præscientiam futurorũ, occurrẽns ignorãtiæ mulieris, quæ dubitando dixisse videtur, *Ne fortè moriamur.* Ac si diceret. Ne dubites, quasi ignorans, quid futurum sit: sed certa sis, quòd cùm comederitis, aperientur oculi vestri in cognitione occultorum, & habebitis scientiam diuinã sicut dij; qua præscietis bona, quæ vobis ventura sint, vel quæ mala ventura non sint. Hoc autem scire Deum dixit, quod dixisse videtur, vt inuidiæ suspicionem contra Deum suscitaret: quasi malignè prohibuisset hominem ab esu huius ligni, ne videlicet immortalis fieret, & scientiam boni & mali haberet. Diabol⁹ itaque, vt sibi crederetur, se pręscium fore futurorũ suadere voluit, & falsa pręditione futurorũ mulierẽ seduxit, & impietatẽ infidelitatis, qua Deo nõ crederetur, induxit.

Quod in ore Prophetarum & Apostolorum stat verbum fidei.

DEVS verò insidijs malignitatis eius competentiori modo occurrẽns vt impietatis malum destrueret, & vera futurorum prædictione fidem solidaret, Prophetas inspirauit, quos præmisit in mundum, antequam ipse veniret: vt aduentum eius prænuntiarent, & de operibus quæ in mũdo facturus erat, testimonium perhiberẽt. Ipse verò in mundum veniens Apostolos elegit Prophetarum successores, qui nuntiarẽt impleta, quæ à Prophetis dudum fuerant prænuntiata. Quoniam autem vnus spiritus Prophetas & Apostolos testes Christi impleuit, rectè in ore eorum stat verbũ fidei, sicut scriptum est. *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* In ore, inquit, quasi in vno. Vno enim ore loquuntur, qui concorditer loquuntur, qui veritati concordant, & sibi. Alioqui testes non sunt, si diuersa sentiant, & diuersa proferũt, pro eo quod veritatis conscij non sunt.

De concordia testium & testimoniorum, & de collatione dictorum & factorum.

CONcordia autem testium cõcordia est testimoniorum: & concordia testimoniorum concordia est verborum & verborum, siue operum & operum, siue verborum & operum. Hæc enim sunt testimonia, vt prædictũ est, verba videlicet & opera. Concordant autem verba Prophetarum, & verba Apostolorum. Hi enim nuntiauerunt impletum, quod illi prędixerunt futurum. Vnde Christus in Euangelio Ioannis dicit. *In hoc est verbum verum, quia alius est qui seminat, alius est qui metit. Ego vos misi metere, quod vos non laborastis. Alij laborauerunt; & vos in la-*

Marginal notes: *Isaia 45.* — *Ibidem* — *Ibidem* — *Isaia 46. & 48.* — *Scriptura sacra à Spiritu sancto est.* — *2. Petri 1.* — *Psalm. 118.* — *Isaia 14.* — *Ibidem.* — *Genes. 3.* — *Genes. 3.* — *Apostoli Prophetarum successores.* — *Deuter. 19. Matth. 18.* — *Ioan. 4.*

Labor Prophetarum.

bores eorum introistis. Laborauerunt Prophetæ, alios docendo, alios monendo, & increpãdo, & ab incredulis persecutionem patiendo. Laborauerunt autem, vt superstitionem destruerent, & errantes ad cultum veri Dei reuocarent: cuius laboris fructus Apostolis est reseruatus, qui metentes fructum laborãtium Prophetarum, Gentes in fide congregauerunt, sicut prædictum fuerat à Prophetis.

Fructus huius laboris.

Ipsa enim vocatio Gentium per Apostolos à Prophetis prænũtiata fuit; qui cùm prædicarent impletum, quod fuerat prænuntiatum, cõcordant verba Apostolorum verbis Prophetarum, & opera impletionis verbis prædictionis: quæ cõcordia testium vel testimoniorũ cõstat verum esse verbum Prophetarum & Apostolorum. In hoc enim stat verbum, in quo constat esse verum. Vt constet esse verum, tria concurrunt, conscientia veritatis, vox testantis, concordia contestantis. Propterea Prophetæ & Apostoli veri testes sunt, & eorum testimonia convenientia & sufficiẽtia inuenta sunt: quia ea ipsi Spiritu docente veritatis conscij facti, & ipsam constanti cõfessione protestati sunt, & in omnibus concorditer locuti sunt.

Concordia Prophet. & Apostolorũ.

Concordia autem verborum quanta sit, ex eo ostenditur, quod Apostoli prædicationem suã dictis Prophetarum confirmarunt. Concordia operum manifestè apparebit, si ea quæ præcesserunt in figura, ijs cõferantur, quæ in veritate nunc sunt exhibita, iuxta quod Dominus dicit.

Ioann. 3.

Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Et iterum.

Marci 12.

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Huiuscemodi autem collatione figuræ & veritatis pleni sunt libri Apostolorum & Orthodoxorum Patrum; in quibus duorum testamentorum consonantia demonstratur, vt fidei ratio lucidiùs aperiatur. Siue ergo verba verbis, siue verba vel opera operibus comparentur, totum inuenietur consonum, quod in vtroque testamẽto de Christo scriptum est: nullaque poterit contrarietate infirmari, quod tam concordi testificatione dignoscitur roborari. De hac collatione scriptum est.

Lucæ 2.

Maria autem cõseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quæ sunt enim quæ conferebat in corde suo, nisi quæ ipsa viderat, & audierat, vel à Prophetis prædicta, vel ab Angelis pastoribus nũtiata, vel ab ipsis pastoribus alijs propalata? De hac collatione & ipsa dicit.

Lucæ 1.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. De hac collatione Petrus in Actibus Apostolorum dicit.

Act. 3.

Deus qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic. Et iterum dicit.

Ibidem

Omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos.

Quòd tanta concordia testium sit à Spiritu sancto.

TAnta cõcordia Prophetarũ, qui diuersis locis diuersisq; temporibus cõsona de Christo prænuntiauerunt, à quo, vel quomodo potuit procurari, nisi à Spiritu veritatis: qui vnam veritatem sic eos docuit, vt de Christo idem sentirẽt, dicerent, & scriberẽt, & ab inuicem non discordarent? Qui quidem Spiritus de Apostolis eis reuelauit, quòd post eos essent venturi: & quæ ab ipsis prædicta fuerunt, mundo palam prædicaturi. Idem Spiritus eis scribenda dictauit, vt Scripturæ perpetuitate ad nostra tempora peruenirent, quæ à Prophetis fuerant prædicta; cùm per Apostolos nobis nuntiarẽtur impleta. Propterea lectio legis & Prophetarum nobis necessaria, studiosaque meditatione digna est; vt quod nobis suggeritur credendum, innotescat dudum à Deo fuisse reuelatum.

De illis, qui legem negligunt, aut in Scripturis Christum non intelligunt.

ILLIS ergo, qui legere vel audire negligunt, vt sint inexcusabiles, dicitur.

Lucæ 16.

Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Illis autem, qui Moysen & Prophetas legunt, & non intelligunt, dicitur.

Ioan. 5.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitã æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me; & non vultis ad me venire, vt vitam habeatis. Monentur scrutari Scripturas, quæ testimonium perhibent de Christo; vt in eis Christum quærant, & inueniant, & sic vitam habeant. Christus nimirum in Scripturis credentibus reuelatur, à non credentibus verò absconditur. Propterea in Scripturis errant, qui Christum ignorant. Vnde & Saducæis, qui dicunt resurrectionem non esse, ipsa veritas per se dicit.

Saduceorũ error.

Matth. 22.

Erratis vos, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Ac si diceret. Ideo erratis, quia nescitis Scripturas: ideoque nescitis Scripturas, quia nescitis virtutem Dei. Christus autem Dei virtus est, & Dei sapientia. Proinde qui Christũ ignorant, Scripturas non intelligunt. Illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de Christo. Vnde Philippus cùm inuenisset Nathanaëlem, dixit ei.

Ioan. 1.

Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph.

Variæ opiniones de Christo, eorum, qui eum præsentem in carne viderunt.

QVi Christum in carne præsentem viderũt, alij eum nesciebant, alij verò sciebant: & qui sciebant, Prophetam eum, iustum, & filium Dei dicebant. Qui autem nesciebant, aliquid horum de ipso negabant, aut dubitabant. Nathanaël autem confessus est, & dixit.

Ioan. 1. & 3.

Rabbi, tu es filius Dei: tu es Rex Israël. Confessus est & Nicodemus, qui dixit *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti. Nemo n. potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ eo.* Mulier autẽ de Samaria, quæ venit haurire aquã, dixit.

Ioan. 4.

Domine, video quia Propheta es tu. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in illum, & dicebãt.

Ibidem

Ipsi audiuimus & scimus, quia hic est verè saluator mundi.

Ioan. 5.

Quidam autem Iudæi quærebant interficere eum: quia non solũ soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deũ, æqualem se faciens Deo.

Ioan. 6.

Quidam verò cùm viderent quod fecerat signum de quinque panib⁹ & duobus piscibus: dicebant, quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

Ibidem

Quidã autem dicebant. Nonne hic est Iesus, Ioseph filius, cuius nouimus patrẽ & matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi? Petr⁹ autem dixit.

Ibidem

Nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Quærebant autem eum in die festo, & dicebãt.

Ioan. 7.

Vbi est ille? Et murmur multũ de illo erat in turba. Quidam autem dicebãt, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Quidã mirabantur, dicentes: quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?

Ibidem

Alij autem dicebant: Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm hic facit? Cùm audisset sermones eius, dicebant, hic est verè Propheta: alij dicebant, hic est Christus.

Ibidem

Quidam autem dicebãt. Nũquid à Galilæa Christus venit? Alij dixerunt,

Ibidem numquam sic locutus est homo, sicut iste homo
Ioan. 8. loquitur: alij autẽ non crediderũt, quia patrem
eis dicebat Deum. Alij dixerunt: nonne bene di-
cimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ
habes? Alij dicebant: non est hic homo à Deo,
Idem cap. 8. qui sabbatum non custodit. Alij dicebant: quõ
potest homo peccator hæc signa facere? Iterum
dixerunt: nos scimus, quia hic homo peccator
est. Dissensio iterum facta est inter Iudæos, ꝓpter
sermones eius. Dicebant autẽ multi ex ipsis: dę-
Idẽ cap. 10. moniũ habet, & insanit, quid eum auditis? Alij,
Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nũ-
quid dæmoniũ potest, cæcorum oculos aperire?
Quidã dicebant: de bono opere non te lapida-
mus, sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis
facis teipsum Deum. Martha verò dixit. Ego cre-
Idẽ cap. 11. didi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc
mundũ venisti. Pharisæi dixerunt. Videtis, quia
nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum
abit. Item scriptum est. Ex Principibus multi cre-
diderunt in eum: sed propter Pharisæos non cõ-
fitebantur, vt de Synagoga non eiicerentur. Dis-
Idẽ cap. 16. cipuli verò dixerunt. Ecce nunc palam loqueris,
& prouerbium nullũ dicis. In hoc cognouimus,
quia à Deo existi. Dixerunt Iudęi Pilato, Si non
Capite 19. esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.
Iterum dixerunt. Secundùm legem debet mori:
quia filium Dei se fecit. Hæc in Evangelio Ioan-
nis scripta sunt. Apud Matthæum verò sic scrip-
Matth. 4. tum est. Abiit opinio eius in totam Syriam. Visis
Idem cap. 9. verò miraculis, quidam dixerunt. Numquam ap-
paruit sic in Israël. Alij dixerunt: in principe dę-
moniorũ eiicit dæmonia. Et iterum: hic non e-
Capite 12. iicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmo-
Capite 13. niorũ. Quidam dixerunt: nonne mater eius di-
citur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, &
Simon, & Iudas: & sorores eius nonne omnes a-
pud nos sunt? Audiuit Herodes Tetrarcha famã
Capite 14. Iesu, & ait Principib⁹ suis. Hic est Ioannes Bap-
tista: ipse surrexit à mortuis. Christo autẽ disci-
Capite 16. pulos suos interrogante, & dicente, Vos autem
quem me esse dicitis, respondens Simon Petrus
Capite 27. dixit. Tu es Christus filius Dei viui. Cẽturio ve-
rò ait: verè filius Dei erat iste. In Evãgelio verò.
Marc. 3. Marci sic scriptum est. *Convenit iterum turba, ita
vt non possent neque panem mãducare.* Et cùm au-
dissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim,
Ibidem quia in furorẽ versus est. Et Scribæ qui ab Iero-
solymis descenderant, dicebant, quoniam Beel-
Idem cap. 6. zebub habet. Quidam dixerunt. Nonne iste est
fabri filius, & Mariæ: frater Iacobi & Ioseph, &
Iudæ, & Simonis? Apud Lucam sic scriptum est.
Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratia, quæ procedebãt de ore
ipsius: & dicebant. Nonne hic est filius Ioseph?* Qui-
Idẽ cap. 19. dã verò dicebant. *Benedictus qui venit Rex in no-
mine Domini: pax in cælo, & gloria in excelsis.*

Quòd Christus iustus comprobatur.

ATtende ex superioribus, quàm variæ fuere opiniones de Christo: alijs dicẽtibus quia bon⁹ est, alijs, quia non est. Diuersis diuersa sentientibus, & provt sentiebant diuersa proferentibus, Christus bonus, & iustus comprobatur ex vita sua & doctrina. Incipiẽs enim facere & docere, verbo & exemplo quæque sancta, quæque pudica & honesta, quæque Deo placita, & bonis moribus conuenientia, sic agebat, & sic prædicabat, vt inter insidias inimicorum qui eum obser-
Christus virtutem plus alijs coluit. vabant, nulla iustæ reprehensionis occasio, siue in verbis, siue in moribus eius, vllaten⁹ potuisset inueniri. Quis humilitatem, & patientiam, & charitatem, & totius sanctitatis formam in operibus suis ita exhibuit, & ita seruauit, vt ille? Quis perfectior æmulator sanctæ paupertatis, & contemptor terrenę vanitatis, magis quàm ille? Quis
superbiam, inuidiam, odium, iram, cupiditatem, *Christus vitia acriter insectatus.*
auaritiam, luxuriam, gulam, iniquitatem, falsitatem, criminum flagitia, & omnium peccatorum genera ita persecutus est, vt ille? Quis voluntatem Dei in omnibus facere curauit, & quis eius gloriã magis quæsiuit, quàm ille? Propter quod
Pater de ipso dicit. *Hic est filius meus dilectus, in* *Mat.* 3.
quo mihi complacui. Quis à peccato & à dominatione principis huius mundi liberior fuit, quã
ille? Propter quod dicit. *Venit princeps mundi* *Ioan.* 14.
huius, & in me non habet quidquam. Quis inter homines sanctior & innocentior fuit, quàm ille?
Propter ꝙ dicit. *Quis ex vobis arguet me de pec-* *Ioan.* 8.
cato? Quis potentiùs immundis spiritibus, ventis quoque & mari imperabat, vt ille? Quomodo potuerunt in vno homine cõuenire, tanta signorum potentia, tanta verborum sapientia, tanta virtutum gratia, tanta vitę puritas, tam manifestę doctrinæ veritas: nisi à Deo esset, nisi bonus & iustus esset? Qui cùm accusaretur ante faciem Pilati, quasi reus mortis, hi qui per inuidiam tradiderunt eum, de confessione veritatis quasi dę blasphemia arguebant eum. Et cùm non haberent, quod ei obijcerent, aut quod probabiliter aduersus eum confingerent, veræ accusationis defectu, & verisimilium mendaciorum inopia,
compulsi sunt dicere. *Si non esset hic malefactor,* *Ioan.* 18.
nõ tibi tradidissemus eum. Quasi malus esset, quisquis illis non placeret. Scrutati sunt iniquitates, vt inuenirent quid ei obijcerent: sed defecerunt scrutantes scrutinio, cùm non haberent, vnde cõvincerent. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: infirmatæ sunt cõtra illos linguæ eorũ. Accusationes eorũ vacuæ & irritæ factæ sunt,
ita vt Iudex diceret. *Nullam in eo inuenio caussam.* *Ibidem*
A Iudice ergo absolutus, iudicante illo dimitti, ab illis est iniustè iudicatus, à quibus fuerat per inuidiam accusatus. Talis ergo accusatio, talisq; condemnatio, non probant Iesum fuisse iniustũ: sed magis nos admonẽt, vt credamus eum iustũ: cuius vita etiam ab invidis apud Iudicẽ infamari non potuit. Ex hoc enim magis sanctitas eius cõmendatur, quòd vita eius talib⁹ non placuit: cũ
iustorum magna hęc laus sit, pessimis displicere. *Laus magna est, pessimis displicere.*
Illi autem qui de Christo dixerunt, quia malus est, quam rationem suæ assertionis reddere possunt? Et si nullam, imò quia nullam reddere possunt: accedant, & nobiscum dicant, quia bonus est, nec mediocriter bonus, sicut cęteri, qui boni dicuntur, sunt: nec sic bonus, vt putasse videtur,
qui dixit *Magister bone, quid faciam, vt vitã eter-* *Luc.* 18.
nam possideam? Cui respondit Iesus. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Deus autem essentialiter bonus est, cuius natura bonitas est: cui hoc est esse, quod bonum esse: quoquidẽ modo solus ipse bonus est. Christus autem secundùm naturam assumptam homo est, & singulari modo bonus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Quoniam igitur constat, Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo, sanctum esse, & iustum, & singulari modo bonum, & ab omni peccato liberum: videamus, an & ipse Propheta sit.

Quod Christus Propheta comprobatur.

PRophetam autem esse, probatur ex prædictione futurorum, quæ de se, & discipulis suis & de subversione civitatis Ierusalem, & de iis, quæ post eius Ascensioné in mundo futura erát, sicut post impleta sunt, verissimè prædixit. Ante passionem quippe de seipso prædixit, dicens discipulis suis. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eũ morte. Et tradent eum gentib⁹ ad deludendum, & flagellandum, & crucifigendũ. Et tertia die resurget.* Hæc in ipso impleta viderunt, qui cum ipso præsentes fuerunt. Mulieres autem quæ venerunt ad monumentum, sicut Lucas refert, cùm duo viri starent secus illas in veste fulgenti, admonitæ sunt recordari, qualiter Dominus locutus sit eis: vt per recordationé prædictionis fidem haberent nuntiatę sibi resurrectionis. *Quid quæritis*, inquit, *viuentem cum mortuis? nõ est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus sit vobis: dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorũ, & crucifigi, & die tertia resurgere.* Et recordatæ sunt verborũ eius, & regressæ à monumento, nuntiauerunt hęc omnia illis vndecim, & cęteris omnibus. De hac prædictione principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatũ dixerunt. *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam.* Et apud Matt. Angelus mulieribus dixit. *Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.* Apud Marcũ verò sic dicitur, *Præcedet vos in Galilæã; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Attende, qualiter prędictio inculcatur memoriter retinẽda: vt per eius recordationem fides impletionis promptiùs admittatur. Hinc Petrus recordatione prædictæ suæ negationis ad pœnitentiam reuocatur, sicut Matthæus scribit. *Recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Iesus, ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè.* Cùm Dñs discipulis suis ascensionem ad Patrem, & futurum adventũ suum prædixisset: ad memoriã prędictionis cõfirmandam, quæ prędixerat, replicat: & consequenter prædictionis veritatem ad fidẽ impletionis valere demonstrat. *Audistis, inquit, quia dixi vobis, vado & venio ad vos.* Et post pauca subiungit. *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis.* Ascensio quippe eius oculis discipulorum visibiliter exhibita, cùm recoleretur eis prædicta, sufficere debebat ad fidem eorum habendã, quæ audierunt prædicta, & nõ viderunt impleta. Apud Lucam, cùm post Resurrectionem coram discipulis manducasset, dixit ad eos. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quia necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.* De discipulis verò dixit. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabũt vos: & ante Reges & Præsides ducemini propter me.* Hæc post Ascensionem Dñi circa discipulos impleta fuisse, mũdus cognouit, & testis est. De subversione ciuitatis Ierusalem dixit, *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terã prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et nõ relinquent in te lapidẽ super lapidem*, &c. Palam est, hæc omnia impleta esse, sicut à Domino prędicta sunt. Prędixit autem Dominus, quòd euangelium eius in vniuerso mundo prædicandũ esset: quòd in nomine eius Gentes baptizandæ essent: quòd fides eius in mundo recipienda esset: quòd in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorũ prędicanda esset: quòd memoria mortis eius in vero sacrificio celebranda & frequentãda esset. Scriptũ quippe est. *Euntes docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docẽtes eos seruare quæcumq; mandaui vobis.* His verbis manifestè prædicitur, omnes gentes baptizandas baptismo Christi, & doctrinam Evangelicam ab eis seruãdam, sicut eam Dominus Apostolis tradidit. Scriptum est. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Amẽ dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* His verbis ostenditur, Evangelium in toto mundo prædicandum, & bonum opus mulieris in memoriam eius prædicatione Euangelij vbique divulgandum. Hæc sicut prædicta sunt, nũc euidẽter impleta videmus. Quòd fides Christi in mundo recipienda esset, ostendit ipse dicens. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Et cùm turbæ clamarent, sicut Lucas refert, *Benedictus qui venit Rex Israël in nomine Domini*, Pharisæis dicẽtibus ad illum, *Magister, increpa illos*, respondit. *Dico vobis si tacuerint, lapides clamabunt.* Hoc autem dicebat de Gentibus, quæ crediture erãt in eum; de quibus in Euangelio Matthæi dicit. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Quòd pœnitentia & remissio peccatorum in nomine eius prædicanda esset, ostendit ipse discipulis post resurrectionem loquens, & sicut Lucas refert, dicens. *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia; & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quòd memoria mortis eius in oblatione veri sacrificij celebriter frequentanda esset, demonstrat, dicens. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam cõmemorationem.* Ecce hæc omnia, vt à Domino prædicta sunt, sic in cóspectu omnium Gentium adimpleta sunt. quæ cùm prædicerentur, & prædicta scriberentur, poterant adhuc impossibilia & incredibilia videri. quis enim tunc, nisi à Deo ad hoc vidẽdum inspiratus, credere posset, quòd omnes Gentes cultib⁹ dæmoniorum deditæ idola sua abijcerent; quòd vnum Deum verum cognoscerẽt; quòd Iesum Nazarenum crucifixum, mortuum, & sepultum, à mortuis resurrexisse, & in cælum ascendisse crederent; eumque sicut verum Deum adorarent; eique sicut vero Deo servirent? Hæc autem mutatio antequam fieret, tã incredibilis, & nunc postquam facta est, tam mirabilis, & tam palam omnibus cóspicabilis, à quo potuit fieri, nisi ab eo, qui hoc præsciuit & futurum prædixit? quis hominum hoc facere posset? quis dæmonum, etiamsi posset, hoc facere vellet? Fides nimirum Christi regna hominũ obtinuit, principatum dæmonum destruxit. Et hæc quidem facta sunt, non manu, non in gladio & hasta, non in virtute bellici laboris & sudoris; sed in humilitate Christi, in mansuetudine Christi, in cruce & morte Christi, in patientia iustorum, in millibus Martyrum Christũ confitentium, & pro Christo morientium. Facta sunt hæc, non in sapientia verbi, non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: non per fortia & alta huius mundi, vt non euacuetur crux Christi; sed ad hæc facienda elegit Deus stulta & infirma & ignobilia huius mundi; vt per homines simplices confunderet

Matth. 20. Luc. 24. Matth. 27. & 28. Marc. 16. Matth. 26. Ioan. 14. Luc. 24. Mat. 10. Luc. 19. Matth. 28. Matth. 26. Ioan. 12. Luc. 19. Matth. 21. Luc. 24. 1. Cor. 11.

Christus non vi subegit mũdum, sed virtute.

mundi sapientes; per Apostolos obtineret Philosophos: per piscatores triūpharet Imperatores.

Christus filius Dei: signa adventus eius.

CErtissimè igitur & firmissimè creddendum est, & constantissimè confitendum; quod Iesus Christus vir sanctus, & Propheta, etiam filius Dei est, qui à Patre exiuit, & venit in hunc mundum. Hoc enim de se ipse dixit; nec tantum honorem mendaciter sibi vsurpauit. quis enim sic vsurparet, qui sanctus, & Propheta esset? Fidelis ergo sermo, & omni acceptiōe dignus: quia Iesus Christus venit in hunc mundū, peccatores salvos facere. Signa autem adventus huius certissima sunt hæc: excæcatio, dispersio, & depositio Iudęorum: vocatio & illuminatio Gentium: idolatriæ subversio, & veræ religionis institutio, qua verus Deus adoratur in spiritu & veritate: p Dñm nostrum Iesum Christum, Hęc autem mutatio circa Gentes cōmotio terræ est: de qua Psalmista dicit. *Afferte Domino patria Gentium, afferte Domino gloriam & honorē*: &c. Et post pauca, *Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit.* Hæc mutatio correctio orbis est: de qua subiungitur. *Etenim correxit orbem, qui non cōmovebitur.* Signa autē aduentus Christi, quæ in Prophitis scripta sunt, quāvis ad aliquam mirabilem mutationem circa has creaturas, montium, vallium, aquarum, arborum, animalium, aliorumq; similium, pertinere videantur: mysticè tamen attendenda sunt hæc, & super hac commotione terræ, & correctione orbis, spiritualiter intelligenda. Consideremus hoc ex similium cōparatione. In Malachia Propheta Dominus loquitur dicens *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam: & convertet cor patrum ad filios*: &c. Et apud Lucam Angelus ad Zachariam de Ioanne loquitur dicens. [Multos filiorū Israël convertet ad Dominum: vt convertat corda patrum in filios, &c. parare Dño plebem perfectam.] Vides in præcursoribus primi & secūdi adventus Christi, quæ sit causa, quodve officium precursionis eorum: corda videlicet conuertere ad Dominum. Ex hoc intellige, hanc ipsam causam esse aduentus Christi: qui in hunc mūdum venit peccatores salvos facere, & per fidē & pœnitentiam ad Dominum Deū ipsorum cōvertere. Venit autem in hunc mundum, non vt iudicet mundum, sicut in novissimo die iudicaturus est: sed vt salvetur mūdus per ipsum. Venit tamen in hoc primo adventu salvans, & aliquo modo iudicans: salvans in iis qui credūt in adventu eius: iudicans in iis qui non credunt. Causa ergo adventus eius misericordia est, & iudicium. Hinc Habacuc Propheta dicit. *Respōdit mihi Dominus & dixit. Scribe visum, & explana eū super tabulas. vt percurrat, qui legerit eum: quia visus procul; & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autē in fide sua viuet.* Vide & considera, quàm manifestè Propheta prædicit, eos, qui non credūt in adventu Christi, nō iustificari: eos autem qui iustificātur, ex fide viuere. Hinc ipse Dominus in Evangelio Ioannis dicit. *In iudicium in hunc mundū veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Iudæi, qui antea crediderunt, modò non credunt: Gentes verò, quæ antea non crediderunt, modò credūt. Iudicium ergo hoc est contra Iudæos, quorum gloriatio exclusa est: & cōtra dęmonia & idola, quorū veneratio abolita est. Vnde nobis Christum confitentibus exultandū est, sicut scriptū est. *Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.* Et iterum. *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini: quoniam venit iudicare terram.* Nobis siquidem ex Gētibus vocatis, qui dudum sicut ligna silvarum fuimus, in hoc exultandum est, & super hoc Domino confitendum, quòd Iudæis excæcatis, dæmonibusque eiectis, per fidem illuminati sumus: per quam intelligimus, quòd dij Gentium dæmonia: Dominus autem cęlos fecit. Cognita ergo causa adventus Christi, ex ea investigari debent signa adventus eius, quæ sunt mirabilia opera eius: propter quæ vt ea faceret, venit: quæ & veniens mirabiliter fecit. De quibus Psalmista dicit. *Cātate Domino canticum novum; quia mirabilia fecit.* Dic nobis, Propheta Domini, quæ sunt mirabilia quæ fecit Dominus? *Salvauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Dic adhuc manifestiùs. *Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Hæc sunt mirabilia, quæ fecit Dominus, per quæ recordatus est antiquæ promissionis suæ, vt eam adimpleret in tempore suo. Verbum autem promissionis hoc est. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Hæc est autem benedictio omnium Gentium in semine Abrahæ, quod est Christus: per quam misertus est Dominus omnium populorū, iram primæ maledictionis auertens, gratiam restituens in illuminatione per fidem in aduentu Saluatoris: quem manifestauit Deus omni populo. De qua misericordia & benedictione psalmista dicit. *Deus misereatur nostri*: &c. *Vt cognoscamus in terra viam tuam; in omnibus Gētibus Salutare tuum. Letentur & exultent Gentes.* Hoc ergo est signum aduentus Christi, testimonium omnium Gentium; quo, sicut de eis Prophetatū fuerat, de errore idolatriæ & potestate diaboli se liberatas esse confitentur; agnoscentes Salutare Dei, quod Deus in conspectu omnium Gentium reuelauit.

De Iudaeorum excæcatione.

DE Iudæorum excæcatione psalmista dicit. *Obscurentur oculi eorum, ne videant.* Obscurantur autem oculi eorum circa legem, quam nō intelligunt; circa tempus visitationis suæ, quòd non cognoscunt: circa suam cæcitatem, quam non attendunt. Spiritualis quippe legis intelligentia à Iudæis ablata est. Hinc Apostolus in 2. ad Corinthios Epistola ait. *Vsque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum.* Isaias verò dicit. *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati; quem cùm dederint scienti literas, dicent, lege istum. Et respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas.* Quibus verbis manifestè ostēditur, quòd lex non intelligenda ab ijs, quibus data est, trāsferenda sit ad Gentes, quibus ab initio data non est. Iterum dicit. *Admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Miraculum grande & stupendum dicit, quòd perijt sapientia ab eis, & intellectus absconditus est ab eis. Et iterum. *Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Chermel; & Chermel in saltum reputabitur? Et audient surdi verba libri signati die illa: & de tenebris*

Marginalia: Psalm. 95. — Malac. 4. — Luc. 1. — Causa aduētus Christi. — Habac. 2. — Ioan. 9. — Psalm. 96. — Opera Christi mirabilia sunt signa aduētus ejus — Psalm. 97. — Ibidem — Genes. 22. — Psalm. 66. — Psalm. 68. — Circa quæ caligent oculi Iudæorum — 2. Corin. 3. — Isai. 29. — Ibidem. — Ibidem.

& caligine oculi cæcorum viderunt? His verbis significat conuersionem præputij in circuncisionem, per commutationem fidei, & circũcisionis in præputium: & gratiam legis intelligendę nobis quõdam surdis & cæcis indultam. Et iterum.

Isaia 29. *Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus ejus erubescet: sed cùm viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israël prædicabunt: & scient errantes spiritu intellectum; & mussitatores discent legem.* Tempus significat

Vocatio Gentiũ designata. vocationis nostræ, in quo nũc sumus. Ecce enim nos de Gentibus credentes, quondam errantes, & mussitatores, legem ad nos translatã discimus; & profitẽmur nos esse filios Iacob, sed spiritu, & opera Israël prædicamus; quod est rubor & confusio eorum. Et iterum. *Vbi est literatus, vbi verba legis ponderans, vbi doctor parvulorum?*

Isaiæ 33. Ieremias verò dicit. *Populus autem meus non cognouit judicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* Cæcitatem Iudæorum circa tempus visitationis suæ arguit Dominus, dicens ad ciuitatem Ierusalem.

Luc. 19. *Non relinquẽt in te lapidem super lapidem; eo quòd non cognouisti tempus visitationis tuæ.* Et in Evangeli. Matthæi ad Pharisæos & Saducæos, tentantes & rogantes, vt signum de cælo ostenderet

Mat. 16. eis, respondens ait. *Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum: & mane, hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire. Generatio mala & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Hanc cæcitatem arguit & Ieremias, cũ

Ierem. 8. dicit. *Milvus in cælo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognouit judicium Domini.* Hoc est autem judicium, quod non cognouit, de quo, vt prædictum est, Dominus dicit.

Ioan. 9. *In judicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Hoc autem judicium pro nobis est, & contra Iudæos. Rationem autem huius iudicij, inquantum contra Iudæos est, Apostolus in Epistola ad Roma-

Rom. 9. nos edisserit. *Gentes quæ non sectabãtur justitiam, apprehenderunt iustitiam: justitiam autem quæ ex fide est. Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis.* Et infrà. *Æmulationem Dei habent, sed*

Capite 10. *non secundùm scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam; & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* In Christum igitur offendentes, &

Cur Iudæi excæcati. suam iustitiam cõstituere volentes, vt non solùm iusti viderentur, sed & authores iustitiæ haberẽtur, iusto Dei iudicio excæcati sunt, & iudicium Domini non cognoscunt, tanto cæciores, quantò suam cæcitatem minùs intelligunt; quam si intelligerent, peccatum non haberent. Vnde cùm

Ioann. 9. Dominus dixisset, *In iudicium veni in mundum; vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant;* audientibus Pharisæis, & dicentibus, *Numquid & nos cæci sumus:* respondit. *Si cæci essetis, nõ haberetis peccatum: nunc autem quia dicitis, videm⁹, peccatum vestrum manet.* Non est ambigendum, quòd verum sit, quod veritas dicit. Si enim suo iudicio cæci essent, & cæcitatem suam humiliter confiterentur, illuminatorem quærerent, & peccatum cæcitatis deinceps non haberet. Sed ideo manet peccatum eorum, quia cùm cæci essent, se videre dicebant. Propter quod peccatum in toto orbe dispersi sunt; & de pristina dignitate, quã perdiderunt, cum magno cõfusionis suæ opprobrio depositi. De quorum dispersione & depositione Psalmista dicit. *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine.* Ergo deiecti sunt in nationibus, & dispersi sunt in regionibus. Perdiderunt terram sanctam & ciuitatem sanctam Ierusalem, locum suæ habitationis. Perdiderunt altare, & templum, locum sacrificij & orationis. Perdiderunt vnctionem regni & sacerdotij. Denique perdiderunt & legem, quam in testimoniũ cõtra se portant, & non seruant. Verũtamen nobis eã seruant, vt nobis seruãdo seruiant: vt sciam⁹ & per eos, quia lex à Deo data est, in qua gratia testificata est, quæ in Christo nobis data est.

Dispersi sunt Iudæi per totum orbem. Psalm. 58. Omnia amiserut Iudæi.

De vocatione Gentium, & idolatriæ subuersione.

DE Gentium vocatione, simul & Iudæorum abjectione, prophetauit Moyses, dicens: *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo, qui non est populus: & in gente stulta irritabo illos.* Non populum autem & gentem stultã dicit multitudinem Gẽtium quondam idolatriæ deditam: quam Deus vocauit per gratiam suam, spretis Iudæis, à quibus & ipse spretus est. Isaias verò de illuminatione Gentium dicit. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et iterum. *Parum est, vt sis mihi servus ad suscitãdas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium; vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et iterum. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi, ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ nõ inuocauit nomen meum.* Et iterum. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, in Libiam, tendentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè: ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus.* De idolatriæ subuersione, & idolorum proiectione, scribit Isaias dicens. *In illa die idola penitus conterentur.* Et iterum. *In die illa proyciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi.* Et iterum. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi eius ad sanctum Israel respicient: & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt man⁹ ejus, & quæ operati sunt digiti eius: non respicient lucos & delubra.* Et iterum. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: & movebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Et Psalmista dicit. *Confundantur omnes qui adorant sculptibilia; & qui gloriantur in simulacris suis.*

Deuter. 32. Isaia 9. Capite 49. Capite 65. Idẽ cap. 66. Isaia 2. Ibidem Capite 17. Isaia 19. Psalm. 96.

De noua legis institutione.

DE institutione Christianæ religionis, quæ Deus adoratur, non in carnalibus legis obseruantijs, sed in spiritu & veritate, scribit Ieremias ex persona Domini. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vnusquisq; vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum. Omnes enim scient me à minimo vsq; ad magnum dicit Dominus.* Et de abolitione carnalium sacrificiorum idem dicit ex persona Domini. *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua?*

Ierem. 31. Idem cap. 6.


Isaia 56. longinqua? *Holocausta vestra non sunt accepta; & victimæ vestræ non placent mihi.* Ezechiel verò dicit. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Isaias verò ex persona Domini dicit. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Qui immolat bouem, quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicit idolo.* Quibus verbis ostendit Deus humilitatem & contritionem spiritus, & timorem sanctum, hoc est, puritatem cordis sibi placere: non carnalia Iudæorum sacrificia, quæ sibi accepta non sunt.

Ezech. 36.

Isaia 66.

HÆC, & alia quam plurima, de excæcatione Iudæorum, & illuminatione Gentium, de abolitione veterum, & institutione nouorum, in lege, & Prophetis, & Psalmis, tam manifestè scripta sunt, vt à Iudæis nullatenus negari, nullatenus possent ignorari: nisi malitia cor eorum mirabiliter & miserabiliter excæcasset. Veritas instillatur auribus eorum, & non audiunt: veritas ingeritur oculis eorum, & non attendũt: legem Dei, sicut cæci lucernam, portant in manu, & viam nesciunt. O Iudæe impie, inuide, quid gloriæ Dei inuides, & saluti Gentium? An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? An à solis Iudæis adorãdus est Deus? Nonne scriptum est, *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium?* Nonne scriptum est, *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum?* Quid Dei misericordiam Deique cultum intra vnius gentis & vnius loci angustias concludis? An non licet Gentibus Deum inuocare? Liceat eis, quod Isaias prædixit. *In illa die erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Et Ioël Propheta dicit. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Testis est Isaias, quòd domus orationis communis est & Gentibus. Dicit enim ex persona Domini. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis Gentibus.* An non est altare Dñi in Ierusalem? Isaias dicit. *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, erit in signum & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* Ergo cultus Dei & misericordia Dei communis est & Gentibus. Conclusit enim Deus omnia in infidelitate, vt omnium misereatur. Omnes peccauerũt & egent gloria Dei. At impletum est in Iudæis, quod Ieremias dicit. *Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. Periyt fides, & ablata est de ore eorum.* Fides autem de ore eorum ablata nobis data est: vt credamus, & cofiteamur, quia Dominus IESVS-CHRISTVS in gloria est Dei Patris.

Psalm. 21. Psalm. 85. Isaia 9. Ioël 2. Isa. 19. Ierem. 7.



EIVSDEM BALDVINI EX ABBATE FORDENSI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS,

LIBER DE SACRAMENTO ALTARIS.

PRÆFATIO.

Seu, Epistola ad Bartholomeum Oxoniensem Episcopum.



AMANTISSIMO Domino & Patri, B. Dei gratia Oxoniensi Episcopo, Frater Balduinus Fordensis Monasterij servus, æternam in Dño salutẽ. Reverenda nomina Magistri, Domini, & Patris, singula ius suum in me vendicant tibi: & multiplici necessitate obediendi penè præcipiunt me mihi: vt meus non sim, sed tuus; cui post Deum debeo id omne, quod sum, & quod possum. Verùm in ipsa obediendi necessitate libera est volũtas mea à necessitate: cùm necessitas cedat voluntati, non voluntas necessitati. Ex voluntate enim est necessarium, quod nõ est necessitate voluntarium. Hæc enim libertas restituit me mihi: vt me᷒ sim, licet tuus: & plus meus, quàm tuus: plus enim compos voti mei, cùm tuæ obedio voluntati. Timor enim & amor, & ex vtroq; mixta reverentia, iampridem obtinuerunt cor meũ: vt deliberatum haberem, non negare, quod velles; non recusare, quod iniungeres. Verũtamen cùm authoritas tua me premeret, & charitas vrgeret, vt de inæstimabili Sacrificio veritatis aliqua scribenda dictarem, & dictata scriberem, ad ædificationem fidei profutura: in disceptatione cogitationum mearum ita mente divisus sum, vt timens nonobedire, multò magis timerẽ & obedire. Vtrimque enim certi periculi metus me arctabat: sed quod magis mihi periculosum, hoc & mihi magis miraculosũ. Res enim magna est, & longè supra me: & quomodò potero ad eam? Profundum sacramentum sacro velamine tectũ: ineffabile, incogitabile, incomprehensibile. Quis ego sum, vt casto & puro sermone, sicut oportet, decet, & expedit, eloqui sufficiam? Nam ad tantæ profunditatis caliginem sensus non admittitur, ratio hebetatur, intellectus obstupescit, mẽs in suis conatib᷒ se non expedit, & sermo deficit. Supra omnem sensum, rationem, & intelligentiam: supra linguas hominum & Angelorum est hoc inscrutabile secretum: linguæ autem facilis est lapsus, & erumpẽtis sermonis levis excursus. Res autẽ impossibilitati proxima est, omnia verba diligenti cautela observare, & omnes sermones in statera iudicij librare: vt nihil exeat incircũspectum, nihil suspectum. Vnus autem sermo in re tam sancta incautè prolatus, vel non purè intellectus, citra errorem nonnumquam ingerit suspicionem erroris. Pro quo periculo vitando, cùm vera excusatione & crebra dilatione apud dilectionem tuam agerem, ne in sententia perseverares; te immobilem expertus, & perseverantia tua victus; ne obedientiæ deessẽ & charitatẽ

tuam lęderem, tandem sicut qui periculum periculo declinat, timori cessi contra timorem. Non enim mihi liberum fuit, pertinaciter nolle, quod tantopere voluisti. Confisus ergo de adiutorio Dei, quod invitus suscipio, non indevotus tamē attētare curabo: & quod necessitas imponit, devotio vtcumque consummabit. Possunt quippe coacta initia nonnumquam spontaneos habere processus. Nam & equi flagellis adacti, sæpe cùm currere cœperint, feruent desiderio currendi: & parvuli studijs literarum non spōte addicti, cùm profecerint, flagrant amore discendi. Et ego quidem ad propositū ferueo, sed non sufficio. Velle enim adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Sed insufficientia mea quæso adiuuetur oratione tua, & præueniatur benedictione tua; & beneuolentia tua, sicut confido, contenta sit mediocritate mea. Si non sufficio æquare quod speras, & implere quod desideras, prosit mihi ad veniam, reuereri quod imperas, Vale

Quis sit ordo.

MAgnum & profundum noui verique mysterium sacrificij, nec humanæ rationis cōiecturis fideliter æstimari, nec persuasibilib⁹ humanæ sapientiæ verbis dignè sustinet explicari. Sed institutionem huius sacramenti, & causam, veritatem, virtutem, dignitatem quoque, & figurarum significationem, ex ipsi⁹ Dei verbis, & eorum, in quibus locutus est Deus, secundū ea quæ vtriusque testamenti sacro-sancta prodit authoritas, pia inquisitione inuestigare oportet: vt cōscientia fidei non recedat à linea veritatis: & oris confessio omni careat suspicione falsitatis. Ordinem autem inquisitionis, manifestandæ veritati hunc magis cōgruere existimo, si veritas novi testamenti, quæ dignitate prior est, figuræ legis præponatur, vt ordinetur testamentum nouę gratiæ super sacrificia: & lumine veritatis præradiante, tenebræ figurarum rarescant, & facilius liquid usque clarescant, iuxta quod scriptum est.

Psalm. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Nam noua veteribus nonnumquam præponēda esse insinuat,

Matth. 13. qui dicit. *Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Et vox sponsæ concor-

Cant. 7. dat dicentis. *Omnia poma noua & vetera seruaui tibi.* Primò igitur considerandum est, provt ille dederit, qui suggerit omnem veritatem, quomo-

Vt in noua vetera sint translata. do in noua vetera sint translata; deinde quomodo veritas nouæ gratiæ in panę & vino nobis sit exhibita: postremò quomodo in agno & manna eadem veritas olim sit præfigurata. Hoc siquidē ordine seruato, manifestiùs videbitur imago in veritate, quàm olim veritas in imagine. Et qui dixit de tenebris splendescere lucem, faciat & ipsas tenebras splendescere per lucem, sicut scrip-

Psalm. 138. tum est. *Nox sicut dies illuminabitur.* Scio equidem, quòd ad hoc non est sermo in lingua mea:

2. Cor. 3. sed sicut Apostolus ait, *Fiduciam talem habemus ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Quę in veteri testamento contineantur.

IVxta Apostoli testimonium, qui secundum legem offerunt munera, exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium. Christus autem melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Cuius testamenti consummatio ab eodem Apostolo demonstratur, sumpto de Ieremiæ prophetia testimonio *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & feriam domui Israël*

I. rem. 31. *& domui Iuda fœdus novum; nō secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehēdi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* In veteri testamento quatuor principaliter

Quæ vateris testamenti mutata sint. consideranda sunt; promissa, iudicia, præcepta, sacramenta. Hæc quatuor, quia imperfecta erāt, & minus habentia, per novum testamentū mutari oportuit, aut perfici. De mutatione promissionum primò dicendum videtur.

De mutatione promissionum.

Matth. 5. IN nouo testamento scriptum est, *Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est Regnum cœlorum.*

Psalm. 4. In veteri testamento dicitur. *Dedit illis regiones gentium, & labores eorum possederunt.* Ibi in distributionę agrorum, in abundantia frumenti & vini & olei, in affluētia & gloria bonorum temporaliū, in rore cœli & in pinguedine terrę, merces diuini cultus constitui videtur: hic verò, in nouo scilicet testamento, non iam terrena substātia vel gloria, sed æterna hæreditas repromittitur, non diuitibus quidem, sed pauperibus. Christo enim paupere pauperes evangelizantur, qui de diuitibus suam profert sententiam dicens.

Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cœlorum intrare.* Quæ tunc ergo promittebantur, nunc contemnenda iudicantur: quia melioribus repromissionibus sancitum est novum testamentum In illis tamen promissionibus quæ antiquis factæ sunt, bona æterna, quæ nunc repromittuntur, figurata sunt. Omnia enim in figura cōtingebant illis; & cūcta quæ illis data sunt vel promissa, in signum erant meliorum promissionum, quibus sancitum est novum testamentum. Sic cùm puer parvulus fili⁹ cuiuspiam prædiuitis & potētis in hæreditatem patris defuncti inducitur, in signum possessionis

Similitudo. aut vestituræ, aliquis pulcherrimus ramus de arbore cum pomorum fructibus dari potest: & si detur, ille quia adhuc sapit vt parvulus, & cogitat vt parvulus, præsenti pulchritudini pomorū, & voluptati gestiens aggratulatur & arridet; quanta verò sit possessionum facultas, & accepti honoris dignitas, ætas indiscreta cogitare non nouit. Rudi itaque adhuc populo Israël, & cœlestium promissionum insueto ab idolorum cultura paulatim retrahendo temporalia bona & promissa sunt & data: vt ex rebus sibi per experientiam notis haberent aliquam cōsolationem: & qui nequibant capere cœlestia, à Deo potius quàm ab idolis desiderarent & peterent terrena. Ita Deus consultum esse voluit infirmis de populo suo. Perfectiores autem qui tunc temporis erant, præ desiderio cœlestium bona temporalia contemnenda ducebant: & in promissionibus Dei aliquid inæstimabile cogitabant, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ex quibus vnus quasi omnium iustorū suspiria de imo sui cordis trahens, ait. Ecce,

Psalm. 72. *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Quibus autem dictæ erant promissiones, omnes defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes: & cōfitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.

Hebr. 11. Qui dicunt hæc, significant se patriam inquirere. Et siquidem illius meminissent de qua exierant, habebat vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt Ierusalem cœlestem. Merces itaque diuini cultus, fidei scilicet & obe-

dientiæ præmium, non est huius temporis: sed cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Finis autem promissionum Christ⁹ est, in quo omnes promissiones Dei consummabuntur: omnisque spes & expectatio & desideria iustorum complebuntur.

De mutatione Iudiciorum.

SIcut de promissionibus, sic & de iudicijs sentiendum est. In nouo enim testamẽto scriptum est. *Qui mala egerint, ibunt in ignem æternum.* In veteri autem testamẽto temporales pœnæ transgressoribus constituuntur, sed in illis æterna pœna figuratur. Et sicut nouæ promissiones incomparabiliter meliores sperantur quàm veteres; sic terribiles noui testamenti comminationes longè longeque grauiores credendæ sunt, super omnia iudicia pœnarum, quæ in priori testamento intentantur.

Ioan. 5.

De mutatione præceptorum vel superadditione.

MVtatis promissionibus in melius, iustum fuit obedientiam augeri, vt aucta mercede diuini cultus pensum quoque diuinæ seruitutis augeretur. Obedientia autem in præceptis est: & honor diuini cultus in obseruantia mandatorum Dei consistit. Erant autem in lege Moysi quædam præcepta moralia: vt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam: Non occides, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices:* & cætera huiusmodi; que morum simplicitatem & formã honestatis præscribunt, Hæc in nouo testamento mutata non sunt, sed aucta. Nonnulla enim quæ perfectioni deerant sunt superaddita. Lex enim neminem adduxit ad perfectum. Alia verò erant mystica ad ritus sacrificiorum & solemnitatem cæremoniarum pertinentia, quæ cœlestium sacramentorum mysteria suo tempore propalãda typis figurarum adumbrabant, & per mysticam significationem spiritualis intelligẽtiæ gratiam interiùs absconditam & clausam continebant. Cæremonialia autem, quæ vmbræ futurorum seruiebant, à suo statu translata sunt; vt à modo non cognoscamus literaturam, sed introeamus in potentias Domini; & moriente litera ne occidat, spiritu viuentes spiritu & ambulem⁹: nec jam in carnalibus & figuralibus obseruantijs colendus est Deus, sed adorãdus in spiritu & veritate. Tales enim quærit, qui adorẽt eum in spiritu & veritate.

Præcepta legis moralia Christus auxit.

Exod. 20.

Cæremoniæ legis ablatæ.

De mutatione Sacramentorum.

SAcramenta veteris testamenti quandam sanctificationem in se continebant, & maioris sanctificationis significationem; significãte Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam. Non poterant illa iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Solummodo in cibis & potibus, & varijs baptismatibus, & iustificationibus carnis vsque ad tempus correctionis impositis, sanctificationem sic continebant, vt perfectio eis deesset. Mysticam significationem sic habebant, vt plena veritas nondum adesset. Oportuit ergo talia sacramenta institui, quæ plenè & perfectè sanctificarent, & significationis veritatem præsentem in se haberent; ne sanctificationi deesset plenitudo gratiæ, vel significationi exhibitio veritatis. Mutatis igitur promissis, & iudicijs, & pręceptis, & sacramentis, oportuit legem mutari; novumque testamentum cõsummari in plenitudine formæ, & exhibitione veritatis nouis promissis & iudicijs, novis præceptis & sacramentis.

Sacramenta sanctitatem habent, & significationẽ.

Quòd Christus finis sit promissorum.

IN promissionibus legis amor suggeritur, in iudicijs timor incutitur, in præceptis obedientia requiritur, in sacramẽtis gratia occultatur, & in his omnibus Christus figuratur. Christus enim amor noster est, promissor ipse, & promissio nostra. Christus timor noster est, legifer noster, & judex noster. Christus forma est obedientiæ, & mandatum Patris, quod nobis mandauit audiendum, suscipiendũ, diligendum. In illo enim mãdauit benedictionem & vitam. Hinc ipse ait. *Qui misit me Pater, ipse mihi mãdatum dedit, quid dicam, & quid loquar: scio quia mandata eius vita æterna est.* Hic ipse Christus misericordia nostra est, in quo omnis gratia viæ & veritatis, & omnis spes vitæ & virtutis. Deus enim nos gratificauit in dilecto filio suo, omnisq; gratia in sacramentis abscondita ab ipso reuelatur, & ab ipso datur, qui virtus est sacramentorum, & sanctificatio eorum. Lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum: sed gratia à lege testificata est, quæ per gratiam mutata est, secundum statum hominis per gratiam demutati.

Ioa. 12.

Gratia sacramentorũ à Christo est. Ioan. 1.

De mutatione legis.

SIcut homo constat ex carne & anima, ita lex consistit in litera & spiritu. Homo autem adhuc sine lege carnalis erat, venumdatus sub peccato, superstitioni dedit⁹, & veræ religionis ignarus. Lege accepta ad veram religionem cœpit institui: & sicut ordo correctionis exigebat, iussus est Deo offerre, quæ priùs consueuerat idolis immolare: vt Dei iniuriã verteret in honorem, suoque iudicio rectissimè se damnaret, dum reprobaret, quod antea probarat, errorem suum ipsa mutatione cõfessus. At qui ante legem acceptam fidem vnius Dei habebant, & idolis non immolabant, hi si post legem superenant, authoritate legis confirmari poterant, in eo quod cœperant, perseuerare. Procurabat nempe lex, non idolis, sed vero Deo carnales hostias offerri, donec vnum sacrificium verum omnibus sacrificijs non solum Iudæorum, sed etiam Gentium, finem imponeret. Apud omnes nempe Gentes consuetudinis erat Deo suo hostias offerre. Mos autem sacrificandi longè ante legem initium sumens, siue naturæ instinctu, siue diuina inspiratione, sive parẽtum traditione, siue ex aliorum exemplo & aliorum imitatione, ita inualuit, vt omnis religio, omnisque superstitio, persuasum haberet, sacrificijs Deum posse placari; fixumque teneret, hostiarũ morte & effusione sanguinis preces exaudiri, & scelera posse faciliùs expiari. Extant innumerabiles ipsorum etiam Gentilium libri, qui præcipuam spem suæ liberationis, & votiuæ exauditionis in sacrificandi religione apud Gentes constitutã fuisse manifestissimè declarant. Vnde verò hæc opinio incesserit, vel quomodo vndecumque incipiens vsque ad religionem omnium & Iudæorum & Gentium processerit, non est promptum edicere. Verùm res diligentiùs considerata vehementem adducit admirationem & stuporem, Deo mirabiliter dispensante, vt communis opinio omnium hominum spem suæ salutis in sacrificandi religione constituentium futuræ dispensationi seruiret, valitura postmodum ad fidem omnium morte vnius hostiæ de morte liberandorum, homini in melius mutando. Data est lex, & ipsa in melius mutãda, quæ carnali homini sic contemperata est, & conformata, vt infirmitati eius condescenderet, & quasi cum infir-

Nulla Religio vel natio sine sacrific.

Homo carnalis caro dicitur. mo infirmaretur. Homo enim secũdum carnem ambulans, quasi tantum caro erat, carnalia sapiens, & ea quæ spiritus sunt ignorans. Per legẽ autem deducendus erat de carnali sensu & carnali affectu ad spiritualem sensum & spiritualem affectum: vt qui caro erat desineret esse caro, & spiritualiter Deo adhærens, vnus spiritus esset. Hæc in vtero hominis de carne in spiritum figurata est, in mutatione legis de litera in spiritũ. In litera autem, hoc est in carnalibus obseruãtijs ad literam pertinẽtibus, contemperata est lex infirma homini infirmo. Sed cùm de infirmitate sua conualesceret homo, mutata est lex in melius, cum proficiente proficiens, & de imo ad altiora conscendens, sicut scriptum est. *Cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur pariter & rotæ.* *Ezechiel. 1.*

De mystica significatione legalis hostiæ.

MYstica legis significatio in carnalib' sacrificijs tria principaliter figurabat: hominis culpã, & pro culpa pœnam, & liberationis gratiam. In carnalibus enim sacrificijs demonstratus est homo sibi, qualis esset per peccatum, & quali pœna dignus propter peccatum. Nam cùm per inobedientiæ culpam esset reus mortis, & per Dei sententiam morti addictus, & ideo debitor mortis, per legem tamen non est admonit' seipsum occidere, non pensionem propriæ mortis quamvis debitam exoluere: sed iussus est homo quasi pretium redemptionis suæ offerre. Dignè æstimatus est sicut oues occisionis, quia per insipientiam pecudi similis erat, & morte dign' magis quàm pecus, quod pro ipso occidebatur. Videsne homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus es, quantum depretiatus es, quàm vilis factus es? Si ad indignitatem, in quam à facie oculorum Dei projectus es, respicias, quasi digna æstimatio, iustumq; pretium tuum est hircus vel aries, vel aliud animal, dum modo mundum sit. In hoc enim modicum quid honoris tibi fortè delatum est, quod mundum animal juberis offerre: an magis & hoc ad tuam confusionem pertinet, quod animal pro te oblatũ dicitur mũdum, cùm sis ipse immundus? Nam per sacrificium ideo purgari indiges, quia immundus es. Quòd si ad pristinam dignitatem primæ cõditionis tuæ respicias, non jam erit pretium tuum hircus vel aries, quibus per insipientiam assimilatus es, ex quo primùm deformat' es: sed vnigenitus filius Dei, per quem Dei imago in te formata est, ipse enim erit pretium tuum, cuius sanguine redimendus es, vt reformetur in te imago Dei per eundem filium, qui est imago Dei inuisibilis. In pecudibus ergo insipiẽtibus hominis vice oblatis, & quasi morte vicaria pro homine mactatis, demonstratus est homo sibi, qualis esset per culpam, & quia morte dignus propter culpam. Ibi enim poterat homo, si tamen homo esset, & omnino pecus non esset, admoneri deiectionis & mortalis cõditionis suæ; vt corde inflammato & renibus commutatis per pœnitentiam compunctus ad Deum rediret, & nunquam discedens cũ Deo semper esset, dicẽs. Inflãmatum est cor meũ, & renes mei commutati sunt; ad nihilum redact' sum & nesciui. Vt pecus factus sum apud te, & ego semper tecum. Quod autem secũdum aliam translationem vsitatiùs dicitur, *Vt jumentum factus sum apud te*, illi loco psalmi consonat, vbi scriptum est. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non solùm autem ad cognitionẽ conditionis suæ erudiri poterat homo in mactatis pro se hostijs, sed & forma pœnitentiæ, & emendatio vitæ ei latẽter insinuata est, & de morte animalium, & natura eorũ, quædam similitudo spiritualis vitæ, vel spiritualis mortis ei intimata est. Mortis quidem, vt in se mactaret veterem vitam, ne deinceps esset lascivus & petulans, vt hircus: non detrectans iugum obedientiæ, vt taurus ceruicosus, non cornibus elationis armatus, vt aries: quia Deus cornua peccatorum confringit; non denique carnalis esset, aut animalis, sed spiritualis spiritualiter omnia examinans, & nihil pecuale in se habens, sed omnem irrationabilem sensum & bestialem affectum in semetipso mortificando mactans. Exemplum quoque spiritualis vitæ de natura animalium homini proponebatur, vt per discretionem vngulam finderet, sciẽs quid sit inter dextram & sinistram: quid liceat, quid deceat, quid expediat; & per deuotionem & custodiam mãdatorum Dei semper ruminaret quasi cibum suum legem Dei sui, & in moribus suis cõponendis, de simplicitate & mãsuetudine, calore & patientia animalium, formaretur ad similium in se studia virtutum. Sic sic post peccatum subdidit Deus hominem magisterio brutorum animalium ad verecundiam eius; vt quasi in schola nescientium ordinem vitæ addiscat homo vitam componere, & mores ordinare. Hinc ad scholam formicæ mittitur homo ad discendam sapientiam, apud Salomonem dicentem. *Vade piger ad formicam, & considera vias eius, & disce sapientiam; &c.* Sic sic hominem humiliauit Deus, qui est ante sæcula. Ab initio quidem gloria & honore coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum. Omnia subiecit sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Nunc autem perfudit eum confusione, & qui paulominus minoratus est ab Angelis, nunc pecoribus campi inferior inuenitur. Iubetur homo pro se agnum immolare, ad figurandam gratiam liberationis, & misericordiam liberatoris, qui per mortem hominẽ à culpa & morte liberaret. Hominis enim insipientia, id est culpa, causa mortis est. In eo autem quod agnus iussus est non solum mactari, sed & mãducari, præmonstrabatur, quòd Christus seipsum daturus esset nobis & in pretium & in cibum. Quomodo se in cibum dederit, tum ex verbis quatuor Euãgeliorum, tum etiam ex verbis Apostoli nobis considerandum est; incipientibus, vt ordo exigit, à verbis Matthæi Euangelistæ, qui de institutione noui sacrificij ita scribit.

Per sacrificia antiqua demõstratus est homo sibi

Animal mũdum pro homine immũdo oblatum.

Psalm. 72.

Psalm. 48.

Quid antiqua sacrificia indicarint homini.

Homo brutorum magisterio subditus.

Prouer. 6.

Christ' se in cibum dedit

Ex Euangelio Matthæi. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* *Matth. 26.*

De veteribus projiciendis.

DOminus noster IESVS CHRISTVS pridie quàm pateretur, vetus & mysticum Pascha cum discipulis suis rite consummauit, legalibus institutis terminum ponens, & quæ tunc erãt finienda, & ex tunc proijcienda, ad finem suum cum honore deducens. Cessare sanè oportuit, quæ ad plenam emundationem per se sufficere

non valebāt; vt radiāte gratia & æterna redemptione inuenta, vnoque vero sacrificio pro multis his figuralibus introducto, cederet numerositas victimarum, figura veritati, vmbra luci, vetustasq; nouitati. Nouis enim superuenientibus vetera erāt projicienda, & vetustissima veterum comedēda; vt panem Angelorum manducaret homo, sicut à diebus antiquis in dulcedine sua parauit pauperi Deus. *Quæ sunt vetustissima veterum.*

VEtera sunt veteris testamenti sacrificia, quæ lex Moysi iubet offerri, qualia obtulit Aaron, & filij eius; qui pro peccatis hominum consueuerūt iugulare filios arietum, & fundere sanguinem hircorum & vitulorum. Vetustissima veterum sunt, quæ obtulit Melchisedech, figurans Sacerdotium Christi; de quo Deus Pater iurauit dicens. *Tu es Sacerdos in æternum* Erat autem Melchisedech Sacerdos Dei altissimi, & Rex Salem; qui obuiauit Abrahæ regresso à cede regum & *proferens panem & vinum, benedixit ei & ait. Benedictus Abraham Deo altissimo, qui creauit cœlum & terram: & dedit ei decimas ex omnibus.* In lectione autem Genesis subitò inducitur Melchisedech quasi sine patre & sine matre, nec initium dierum, nec finem vitæ habens: qui interpretatur Rex iustitiæ: & dictus est Rex Salem, quod est Rex pacis. Ex Epistola ad Hebræos Apostolo interpretāte manifestè apparet, hæc omnia Christo conuenire; qui est Rex iustitiæ, & Rex pacis, sicut de eo scriptū est. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Qui de patre natus est sine matre; & de matre natus est sine Patre: qui est principium & finis, sine initio dierum & fine.

Psalm. 109
Genes. 14.
Hebræ. 5.
Christ⁹ Rex iustitia & pacis.
Psalm. 71.

De ritu sacrificandi.

EA quæ obtulit Melchisedech, panis scilicet & vinum, quasi sacramēta fuerunt sacramentorum Christi: & hunc ritum sacrificādi, scilicet in pane & vino, frequentat Ecclesia, Christo ita instituente, qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et licet salutaris hostia in sacrificio Patriarchæ Abrahæ, & in cæteris aliorum iustorum sacrificijs præfigurata sit: forma tamen veri sacrificij, quam Christ⁹ voluit in Ecclesia obseruari, manifestiùs expressa est in sacrificio Melchisedech panem & vinum proferentis. Sicut verò videtur Melchisedech panem & vinum protulisse in refectionem Abrahæ & suorum, & non Deo obtulisse in sacrificium: sciat in canone post commemorata munera pueri Abel, & sacrificium Patriarchę Abrahæ, commemorari etiam, quod obtulit Melchisedech, sanctum sacrificiū, immaculatā hostiam. Hocidem & lectio etiam Genesis manifestè declarat. Cùm enim inducitur Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, statim subiungitur. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* In refectionem quidem potuit ista proferre, etsi Sacerdos non esset; sed sacrificandi ratio demonstrata est, & benedicendi, cùm Sacerdos esse dicatur; ad cuius officium pertineat sacrificare, & benedicere, & decimas accipere.

Sacrificium Melchisedech præ aliis figura fuit sacrificij nostri.
Genes. 14.

Probatio ex verbis Ambrosij.

QVod superiùs dictum est, per vetustissima veterum ea intelligi, quę obtulit Melchisedech: ex verbis sancti Ambrosij probari potest, qui in tractatu *De misterijs*, ita ait. *Antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ, quam Synagogæ. Synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit; Abraham vero longè antiquior, qui deuictis hostibus & nepote proprio recepto, cùm potiretur victoria, tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea, quæ Abraham veneratus accepit.* In his verbis Ambrosij ista diligenter notāda sunt; & quod Abraham veneratus sit ea, tanquam sancta, quæ protulit Melchisedech: quod Synagoga principium sumpsit à lege Moysi; & quod antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ, quā Synagogæ: cùm anterior fuerit Abraham, qui prolata accepit à Melchisedech. Ecclesiam item antiquiorem esse constat, quam Synagogam, cum à primo iusto cęperit. Ea verò quæ obtulit Melchisedech, vetustissima veterum possunt dici, comparata sacrificijs Synagogæ, quæ cœpit à lege Moysi. Verumtamen non ita absolutè vetustissima veterum possunt dici: quasi nulla munera vel sacrificia præcessérint antiquiora, cùm de Abel scriptura sic dicat. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* De Noë scriptum est. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit super altare Domino holocaustum; odoratusq; est Dominus odorē suauitatis.* Ex prædictis apparet, nouis superuenientibus vetustissima veterum sic esse comedēda, vt in oblatione noui sacrificij, & communione cœlestis mensæ, & participatione spiritualis alimoniæ, renouetur sacrificandi forma, quę à sacrificio Melchisedech cœpisse dignoscitur, lege antiquior, & legali sacrificādi ritu longe dignior. Reprobatis itaque carnalibus sacrificijs, & tāquam veteribus longè projectis: panis & vinum sicut vetustissima veterum à nobis sunt offerenda, & spiritualiter comedenda.

Ambros. libro de Initiandis c. 8.
Notanda in verbis Ambrosij.
Ecclesia antiquior Synagoga.
Genes. 4.
Genes. 8.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem.

POst interrogationem ad Dominum ab Apostolis factam, *Vbi vis, paremus tibi pascha,* parantibus illis, & iam cœnantibus, etsi non sufficeret cibus ille, parauit Dn̄s cibum illorū: quoniā ita est pręparatio eius. Parauit autem sic. Accepit enim panem, & benedixit, &c. Accepit, sicut in Canone scriptum est, quamuis in nullo Euangeliorum hoc legatur, *in sanctas ac venerabiles manus suas.* Verbum *Accepit*, proprietate suæ significationis, quasi manifestè indicat, eum manibus accepisse: sic enim accipimus, cùm manibus quidpiam capimus. Quid acceperit, ostenditur ex eo quod subiungitur. Panem vtique accepit, adhuc ante acceptionem speciem & substantiam panis habentem: panem in veram Christi carnem potenti virtute mirabiliter mutandum. Sicut creditur, panē azymum accepit. Nā quartadecima die primi mensis abiecto fermēto agn⁹ immolabatur ad vesperam. Hinc consueuit Ecclesia panem azymum, non fermentatū, offerre. Dicuntur tamen Græci fermentatum, & nō azymum, ne iudaizare videantur, offerre. In azymo autem pane figura erat veritatis: secundū quod Apostolus dicit. *Itaque epulemur, non in fermēto malitiæ & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Figura autem, prout Græcis videri existimatur, veniente veritate cessare debuit, vt azymum non offeramus: ne, sicut Iudæi, in azymis pascha celebrare videamur.

Matth. 26.
Canon Missæ.
Transsubstantiatio.
1. *Cor.* 5.

Contra rationem Græcorum.

ROmana Ecclesia azymum offerre pręelegit, exemplum Christi secuta: qui nouū pascha inchoans, noui sacramenti mysterium in azymo pane initiasse existimatur. Nec pręd:cta ratio Grę corum eam habet violentiā, vt nos cogere possit fermentatum offerre: ne scilicet post acceptam

gratiam veritatis, vmbris figuratum vnà cum Iudæis inservire videamur. Quamvis enim veritas iam advenerit, non omnis tamen signorum & figurarum religio vsquequaq; in novo Testamẽto cessavit. Nam ignis, & aqua, thus, vinũ, & oleum, vnctiones Regum & Sacerdotum, & multa alia, quæ in veteri Testamento in vsu erant, aliquidq; mysticum figurabant, nunc quoque, ad magnificandum diuini cultus honorem, rerumq; spiritualium virtutem significandam, sacramentis & sacramẽtalibus adhiberi solent. Et donec sacramenta nobis necessaria sunt, figuræ & signa non omnino reprobari possunt. Nam ipsa sacramẽta signa quædam sunt. Reges & Sacerdotes inungimus, thus adolem⁹, in aquis abluimur, & sanctificamur, vinum offerimus & libamus, nec tamen judaizamus: nec hoc agentes judaizare intendimus. Nec ideo ista respuenda sunt, ne judeis favere vel consentire videamur.

Aliqua signorum religio in nova lege

De eo quod in Amos scriptum est, Sacrificate de fermentato laudem.

Amos 4.

QVod in Amos scriptũ est, *Sacrificate de fermentato laudem*, nec pro Græcis facit, nec nostræ consuetudini adversatur. Pro laude verò, vt dicit B. Hieronymus, Eucharistiam, id est gratiarum actionem interpretatus est Aquila: quasi dicat, immolate de fermento Eucharistiã. Hoc autem non præcipiendo, sed quasi exprobrãdo, à Domino per Prophetam dici, manifestum est: tum ex tenore eorum, quæ præmissa sunt, & sequuntur; tum etiam ex lege Moysi. Fermentum enim, iuxta præceptum Moysi, Deo penitus non offertur. In Amos autem sic scriptum est. *Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgala; & multiplicate prævaricationem.* Impiè agere, & multiplicare prævaricationem, venire ad Bethel, & ad Galgala, omnia hæc mala sunt, & magis prohibenda, quam præcipienda. Bethel enim & Galgala loca erant Idolatriæ. Per Osee enim loquitur Dñs dicens. *Omnes nequitia eorum in Galgala.* Et rursum in eodem. *Frustra erant in Galgal, bobus immolantes.* In Bethel autem posuit Ieroboam vitulum aureum, à populo adorandum. Venire ergò ad Bethel, & ad Galgala, adorandi animo, malum erat, & quasi cum indignatione permittentis, & prohibere nolẽtis dicitur, *Venite ad Bethel:* post quædam alia mala, quæ in Amos Propheta numerãtur, & quasi præcipi videntur, subinfertur. *Sacrificate de fermento laudem; & vocate voluntarias oblationes; & annuntiate. Sic enim voluistis filij Israel, dicit Dominus. Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium, in cunctis vrbibus vestris; & indigentiã panum in omnibus locis vestris.* Nonnunquam autem in Prophetis per imperatiuum modum aliqua quasi imperari videntur, quæ tamen non imperantur, sed ex circumstantijs scripturæ, & ex ipso modo loquendi, magis prohibenda, quam facienda monstrãtur. Tale est illud, ꝙ ad Iudam dicitur. *Quod facis fac citiùs.* Tale est apud Isaiam. *Inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet.* Tale est quoque illud, de quo nunc agitur. *Sacrificate de fermento laudẽ.* Sancta itaque Romana Ecclesia formam conficiendi in azymo pane, quam Christus creditur introduxisse, mutare non præsumpsit, sed eam, tanta auctoritate subnixa, immobiliter seruare voluit.

Osee 9 & 12.

Amos 4.

Imperatiuũ sæpe permissionem notat

Ioan. 13.

Isa. 8.

Christ⁹ azymum panẽ consecrauit.

Quædam à diuersis diuersè proponuntur.

Matth. 26.

Luc. 22.

APud Matthæum legitur, *Accepit panem, & benedixit.* Apud Lucã verò sic. *Accepto pane, gratias egit, & fregit.* In Epistola ad Corinthios sic. *Accepit panẽ, & gratias agens, fregit.* In canone verò sic. *Elevatis oculis in cælum, gratias agens, benedixit, & fregit.* In eo ergo, ꝙ Matthæus dicit, constat, Iesum benedixisse: in eo, quod Lucas dicit, cui & Paulus concordat, constat, eum gratias egisse. Vnde vtrũque rectè coniungitur in Canone, vt dicatur, *Gratias agens, benedixit.* Quod autem in Canone adiũgitur, *Elevatis oculis in cælum*, in hoc loco apud nullum Evangelistam, in translatione, qua nos vtimur, invenitur. In aliis autem locis elevatis oculis legitur orasse, vel gratias egisse. Apud Ioannem sic, cum Lazarum erat resuscitaturus, *Iesus autem elevatis sursum oculis dixit. Pater, gratias ego tibi, quoniã audisti me.* Et item in alio loco. *Sublevatis oculis in cælum dixit. Pater venit hora, clarifica filium tuum; vt filius tuus clarificet te.* Et cùm quinq; panibus & duobus piscibus quasi quinque millia hominum esset saturaturus, secundùm Lucam respexit in cœlum, & benedixit. Quod vero canoni insertum est. *Elevatis oculis in cælum*, & fide & vsu Ecclesiæ dignè receptum est, tanquam à maioribus traditum: quibus indubitanter hoc vndecumque innotuit: licet nobis edicere promptum non sit, vnde hoc eis innotuerit. Non enim omnium quę à maioribus tradita sunt, ratio à nobis, reddi potest: sed eorũ quæ preter rationem tradita non sunt, ipsa maiorum auctoritas ratio nobis esse debet. Nam ipsa fides nostra, sine qua impossibile est placere Deo, auctoritate magis nititur quam humana ratione. Quia cum Petrus dicat, de fide & spe quæ in nobis est omni poscenti reddẽdam esse rationem, non occurrit quæ potior ratio de fide reddi possit, quàm auctoritas scripturarum, vel auctoritas maiorum: sed eorum qui circa ipsam fidem in nullo errasse inueniuntur; sed ex ipsa Deo placuisse noscuntur.

1. Cor. 11.

Ioan. 11.

Ioan. 17.

Idem cap. 6

Traditio Ecclesiæ tenẽda

De acceptione calicis.

IN acceptione calicis scribit Matthæus, Dñm gratias egisse, & nõ exprimit eum benedixisse: sicut in acceptione panis scribit, eum benedixisse, & non exprimit, eum gratias egisse. Sed quoniam in acceptione panis vbi Matthę⁹ ponit *Benedixit;* & Marcus *Benedicens fregit*, ibi Lucas tacito benedicẽdi verbo, ponit *Gratias egit:* & Paulus *Gratias agens, fregit:* alicui videri potest, idẽ esse hoc loco, gratias egisse, & benedixisse: vt cũ dicitur, *Accepit Iesus panem, & benedixit*, intelligatur Deum benedixisse, hoc est, Deo gratias egisse. Hic quidem intellectus planus esset, si diceretur, *Benedixit Deum* aut *Dominum*, aut aliquid huiusmodi: sed quia præmittitur, *Accepit panem*, & mox subditur, *Et Benedixit, & fregit;* magis videtur, vt acceptum panem benediceret, & in benedicendo, vel post benedictionem frangeret. Cõstat autem ex testimonio Lucæ & Pauli, quod nec Mattheus & Marcus dicit, Iesum accepto pane gratias egisse. Vnde in ordine Missæ pane accepto, & in altari apposito, similiter & calice, post secretas orationes cõficiendi sacramenti solemnitas à gratiarum actione iure sumit initium: Sacerdote inchoante *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & choro respondente, *Dignum & justum est.* Deindè Sacerdote prosequẽte, *Verè dignum & justum est, &c.* vsque ad laudes cum Angelis à nobis Deo sine fine decantandas.

Mat. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

1 Corin. 11.

Christũ benedixisse idẽ est, ac gratias egisse.

Benedixit.

SOlent nunc Sacerdotes, verbo & signo crucis expresso benedictiones dare; & quæ ab eis cõ-

secrāda fuerint, benedicere, & sanctificare. Creatura enim Dei, vt ait Apostolus, *per verbum Dei sanctificatur, & orationem.* Quòd verò Christus in dāda benedictione signum crucis expresserit, Scriptura non loquitur. Deus antem sæpe legitur benedixisse, & ad benedicendū quædam verba dixisse. Nam cùm creasset omnē animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suū, benedixit eis, dicens. *Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: avesq; multiplicentur super terram.* Et cùm creasset masculum & feminam, benedixit eis, & ait. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Post diluuiū quoque benedixit Noë & filiis eius, & dixit. *Crescite, & multiplicamini;* &c. Legitur etiam Deus benedixisse, & nihil dixisse, vt ibi: *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum:* & vbi Iacob loquitur ad Laban, inter cætera sic dicens. *Benedixit tibi Deus ad introitum meum.* Et cùm quinq; panes multiplicaret in deserto, dicitur. *Respexit in celum, & benedixit.* Et in narratione alterius miraculi de septem panibus, & pisciculis paucis, dicitur. *Ipsos benedixit, & iussit apponi.* Et cùm videntibus discipulis ascenderet in cœlum, *Eleuatis manibus suis, benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis.* In cœna vero hæc verba dixisse refertur. *Hoc est corpus meum.* Quibus verbis aut panem substantialiter mutauit, & mutatū ostendit, aut tātummodo mutatū ostendit. Si enim antequam Christus hæc verba diceret, vt reuera, si voluit, potuit, panem substantialiter mutauit, siue ante fractionem, siue in frangendo, eo loco vbi Evangelista ponit. *Benedixit,* quod intelligi potest *mutauit,* tunc his verbis non est facta mutatio, sed tantummodo prius factæ mutationis ostensio. Si autem idem ordo fuit in rei gestione, qui habetur in Euangelica narratione, vt per ordinem & distinctè aliud per aliud factum intelligendum sit: tunc acceptio panis benedictionē præcessit, & benedictio fractionem, & fractio donationem, & verborum dictionem. Quo concesso, si his verbis facta est mutatio, tunc fractio præcessit mutationē: cùm in altare consecratio præcedat fractionem, non fractio consecrationem. Sed dici potest, quòd potuerint omnia, vel quædam simul fieri, quod non potuerit nisi distinctè dici. Ordo autem verborum, quo vtuntur Matthæus, & Marcus, & Apostolus, insinuare videtur mutationem factam esse antę dictionem horū verborum, *Hoc est corpus meum,* vel *Hic est sanguis meus.* Apud Matthæum quippe præmittitur, *Accipite & comedite:* quod vtique accipiendum est de eo, quod Dominus accipi voluit, & comedi. Apud eundem præmittitur, *Bibite ex hoc omnes:* deinde subiūgitur, *Hic est enim sanguis meus.* Cùm autem dictum sit, quod à discipulis Dominus bibi voluit, apud Marcum præmittitur, *Sumite:* deinde subinfertur, *Hoc est enim corpus meum.* Apud eundem dę calice hic ordo verborum est, *Accepto calice, gratias agens, dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis Hic est sanguis meus.* Apud Apostolum præmittitur, *Accipite & māducate:* deinde subinfertur, *Hoc est enim corpus meum* Quoniā autem Euangelistæ & Apostolus ordinem rerum & verborum, quo vsus est Christus, mutare potuerunt: si fortè curauerunt tantùm aperire, quæ facta sunt & dicta, & non quo ordine sint facta vel dicta; propterea difficilè est probare, quod

[Marginal notes, left column: *1. Tim. 4.* — *Deus sæpè verbis benedixit, aliàs sine verbis.* — *Genes. 1.* — *Ibidem* — *Ibid. cap. 9.* — *Cap. 1.* — *Capite 30.* — *Ioan. 5.* — *Marc. 8.* — *Luc. 24.* — *Matth. 26.* — *Transubstātiatio.* — *Matth. 26.* — *Marc. 14.* — *1. Cor. 11.*]

Christus his verbis mutationem, fecit: sed indubitanter credendum est, Christum hæc verba dixisse, & panem & vinum, aut cum hæc verba diceret, vel antè quando voluit, & sicut voluit, substantialiter mutasse. A Sacerdote autem, qui tātæ mutationis minister est, non auctor, sine verbis Christi mysterium consecrationis nullatenus valet adimplere: sicut baptismi sacramētum sine solemni forma verborum nullo modo valet administrari. Attende, quanta sit vis diuinæ benedictionis; attende, quātum mirabiliter efficax sit virtus eius. Valuit benedictio Dei primis parentibus, ad multiplicandum genus humanum in fœcūditate sexus illis collata. Valuit benedictio Dei Laban, ad eius bona multiplicanda. Virtute benedictionis Dei quinque panes in se mirabiliter multiplicati sunt. Verùm hæc benedictio, de qua nunc agitur, non panem in suo genere multiplicauit, non in numero, vel quantitate auxit, sed maiori admiratione non mutata forma substantiam mutauit in aliam substātiam: non quæ tunc esse inciperet, sed quæ & antea exstitisset. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: sed in oculis cordis, nō in oculis carnis. Nam ab oculis carnis abscondita sunt hæc; oculis quoque humanæ rationis sunt clausa: sed solius fidei oculis mirabiliter cōspicua. Stuporis magnitudo & vehemētia admirationis cùm sine aliqua fide esse non possint, ipsam fidem sic permovent, vt pariter hoc miretur à Deo fieri, & ab homine credi. Vtrumque enim mirabile est. Sicut enim à Deo mirabiliter efficitur sic ab hoc mirabiliter creditur. Vnde qui non credunt hoc fieri, plus admirātur hoc credi. Vtriusque autem rei, videlicet facti quod creditur, & fidei qua creditur, [illegible] Deus: vtrobique mirabilis, & in virtute facti, & in gratia fidei. Nouitas autē tam miranda, tamque stupenda, quia super humanā est, nulla ratione posset credi, si alius tantæ nouitatis auctor prædicaretur, quam is qui facit mirabilia magna solus: quid autem non potest, qui omnia potest? Quid non potest, cui subest, cùm voluerit, posse? Qui vocat ea quæ non sunt: qui conuertit ea quæ sunt, in ea quæ vult, & sicut vult, per innumeros conuersionum modos ipsi voluntati subiectos. Qui conuertit mare in aridam: qui percutiens Ægyptios conuertit in sanguinem flumina eorum; qui cōuertit cor eorum; vt odirent populum eius. Qui conuertit virgam Moysi in serpentem, & serpentem in virgam restituit; qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, ille est, qui panem benedixit, & dixit, *Hoc est corpus meum.* Non relinquitur nobis locus ambigendi, vel de virtute facientis, vel de fide facti, vel de veritate dicti. Potens est enim opere & sermone, qui fecit, & dixit.

[Marginal notes, right column: *Genes. 1.* — *Ioan. 5.* — *Consecratione substantia mutatur in substantiā* — *Psal. 65. & 77. & 104.* — *Exod. 3.* — *Psalm. 113.*]

Et Fregit.

SI virtute benedictionis mutatio panis in corpus Christi ante fractionem facta fuit, rectè in altari, secundùm morem ecclesiasticum, panis prius benedicitur, & postea frangitur. Fractione autem corpus non minuitur, sed integrum in suā plenitudine conseruatur. In veritate quidem diuiditur, sed in Sacramento: tamē indiuisum manet in semetipso. Cùm per plures fractionum partitiones pluribus distribuitur, & in singulis totum invenitur, & à singulis totum percipitur. Nec maius est in maiore, vel in minore minus: quia in maiore parte vel minore totum pariter continetur: nec maius, nec minus. Huius rei si-

gnum olim præcessit, cùm plueret Dominus filiis Israël manna ad manducandū. Nam qui plus collegerat quàm gomor, nec qui minus parauerat quàm gomor, non habuit ampliùs quàm gomor, nec reperit minus quàm gomor. Sic enim scriptum est *Nec qui plus collegerat habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus.* Et Apostolus ad Corinthios, *Qui multùm, non abundauit: & qui modicum non minorauit.*

Exod 16.

2. Cor. 8.

De præmissis, Accepit, Benedixit, Fregit.

Sicut placet tria hæc, acceptionē videlicet panis, benedictionem, & fractionem, ad mysticam significationem, siue ad fidei morumve ędificationem trahi, singula per ordinē reperenda sunt: vt tota series rei gestæ sanctificationi nostræ proficiat & eruditioni.

Exponitur mysticè consecrat. ritus.

De panis acceptione Naturæ nostræ susceptio non incōgruè intelligitur quasi quędam panis acceptio. Accepit Christ⁹, vnde nos pasceret, cùm per Incarnationis mysterium hominem sibi vniret: nostræ carnis fœnum vertens in frumentum, vt nos cibaret ex adipe frumenti, & satiaret de medulla tritici. Nobis factus est granū tritici in corde bono seminandum, & vberiùs multiplicandum. Factus est nobis panis, qui cor hominis confirmaret: panis in cibo doctrinæ, panis in exemplo vitæ, panis in omni dono spiritualis gratiæ, panis in omni consolatione nostræ miseriæ: panis vitam nostram sustentans, & in labore viæ nos confortans: vt in eius fortitudine perveniamus ad montem Dei Horeb.

De benedictione. Hic accepit benedictionē à Domino: & benedictionem dedit ipse sibi homini Deus. Dedit autē non solùm, vt benedictus sit: sed vt benedicere possit omnes, qui benedixerint ei: quia benedicentes ei hereditabunt terram. Benedictionem enim omniū gentium dedit illi Deus: & testamentum promissionis suæ cōfirmauit super caput eius, in quo spineam coronam portavit, vt fieret pro nobis maledictū: sicut scriptum est. *Maledictus omnis qui pendet in ligno* Ab hominibus ergo maledictus est, & pro hominibus: sed à Deo benedictus. Sic enim scriptum est. *Maledicent & tu benedices.* Testamentum quod disposuit Deus ad Abraham, confirmatum est in isto, *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* vt in illo benedici possint omnes gentes. Ille præ cæteris benedictus est in omni plenitudine gratiæ: & de plenitudine ei⁹ nos omnes accepimus. Vnguentum enim in capite descendit in barbā, barbam Aaron: descendit & in oram vestimenti eius: quoniā illic mandauit Dn̄s benedictionem.

Deuter. 12.

Psalm. 108.

Genes. 12.

De fractione. Vtinam cognoscat nos De⁹ in benedictionibus suis: vt cognoscamus & nos eū in fractione panis. Fractio convenit distributioni. Fregit, vt multis daret: vt gratiam suā multis communicaret. Diuisiones enim gratiarum sunt: & vnusquisq; proprium donum habet: alius sic, alius verò sic: alius plus, alius minus: alius sedet ad magnam mensam, alij sicut catelli edunt de micis, quæ cadūt de mensa dominorum suorum. Si Iesvs non fregisset, quomodo vel mica ad nos perueniret? Fregit & distribuit. Dispersit, dedit pauperibus. Fregit per gratiam, vt suam & Patris frangeret iram. Dixit enim Deus, vt nos disperderet; si non vnicus electus eius stetisset in confractione in conspectū eius, vt auerteret iram eius. Stetit quidem & placauit, per insuperabilem cōstantiam; in fractione stetit infractus. Verumtamen ipse fregit, dum spontaneus carnē suam passionibus quasi frangendam, hoc est, atterendam exposuit. Ibi confregit potentias arcuum: ibi confregit capita draconis, ibi confregit omnes inimicos nostros in ira sua. Ibi cōfregit secundum quendam modum tabulas prioris testamenti; ne simus sub lege. Ibi cōfregit iugum captiuitatis nostræ. Denique totum fregit, à quo nos frangebamur, vt totum ꝙ in nobis fractum erat solidaret; & dimitteret eos, qui cōfracti sunt, liberos. Nos enim vincti eramus in mendicitate & ferro; & adhuc, bone Iesv, quāvis iram tuam fregeris; quamuis panem nobis in nostra mendicitate fregeris; tamen egestatem adhuc patimur, & adhuc esurimus. Nempe tu dixisti. *Qui edunt me, adhuc esurient;* adhuc quidem, donec transeat iniquitas. Nondum enim non esuriunt: erit quādo non esurient, neque sitient vltra. Interim autem die quotidie frāge esurienti panem hunc. Hodie enim & quotidie aliquas micas colligimus, & quotidiano pane hodieque indigemus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nisi tu dederis, quis dabit nobis? In omni mendicitate nostra, egestate, paupertate, necessitate, tribulatione, non est qui nobis panem frangat, non est qui reficiat, nisi tu Deus noster. In omnibus consolationibus nostris micas fracti panis colligimus, & vtilitate sentimus, quàm suauis est misericordia tua. Adhuc tamen indigemus, & per gustatam suauitatem quasi irritata fauce magis magisque esurimus.

Eccli. 24.

Recapitulatio. Si acceptio panis in cœna, & benedictio & fractio secundum mysticam significationem intelligi debent, iuxta prædictum modum Christus panem accepit, quando hominem sibi vniuit: benedixit, quando propter hominem seipsum sanctificauit: fregit, cum gratiā sanctificationis hominibus communicauit, iuxta quod ipse dixit. *Pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Nunc secūdum ordinem verborū ad sequentia sermo procedat.

Ioann. 17.

Dedit. Fregit Iesus, & dedit discipulis suis: nec oportet inquirere quid dedit; ipse enim manifestat dicens, *Hoc est corpus meum.* Corpus ergo suum dedit, nec sine se. Ad hoc enim corpus assumpsit, vt se nobis daret. Nam in hoc natus est, vt testimonium perhiberet veritati, vt suscitans precationes quas locuti sunt in nomine eius Prophetæ priores, impleret promissiones in exhibitione veritatis, secūdum iusiurandum, quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis. O datum optimum, & donum perfectum, desursum descendens à Patre luminum. Christus datus est nobis ad induendum, edendum, ad offerendum: sicut indumentum, sicut alimentum, sicut pretium. Ad induendum quidem, sicut scriptū est. *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis.* Ad edendum sicut ipse nunc dicit, *Accipite & comedite.* Ad offerēdum pro nobis, & à nobis. Pro nobis offerendū per amaritudinē passionis & mortis. A nobis offerendum, per cōmemorationem eiusdem passionis & mortis: sicut ipse instituit, dicēs. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hic autē dedisse memoratur, pro eo modo, quo se dedit ad manducandum. Nunc autem quib⁹ se dedit secundū hunc secundum modū, diligenter attendamus.

Christ⁹ quot modis nobis datus.

Rom. 8.

1 Corin. 11.

Discipulis suis. Dans discipulis suis, qui præsentes aderant, præmonstrauit huius sacramenti gratiam ad eos pertinere, qui in numero fuerint discipulorum eius. Qui ergo extra disci-

plinam

plinam sunt, qui magisterio Christi subditi non sunt: qui secundùm suam sententiã, non secundùm Christi doctrinam vitam instituunt: isti ab hac gratia ita sunt alieni, sicut nomine discipulorum sunt indigni.

Matth. 26. ET AIT, ACCIPITE. Verba præmissa, *Accepit Iesus panem*, &c. vsque ad verbum *Accipite*, verba sunt Euangelistæ, quibus refertur, quid fecerit Iesus: & mox subiungitur quod dixit. *Accipite*, inquit. Illi rectè dicuntur accipere, quibus dicit, Accipite, quibus ipse dat, quibus accipiẽdi licentiam præstat authoritas tribuẽtis, non præsumptio propriæ volũtatis. Nam qui impudenter & irreverenter se ingerunt, magis rapiunt, quã accipiũt: vt contra eorũ præsumptionem dictum videatur, *Accipite*: cùm præmissum sit, eũ dedisse. Vnde cùm hoc sacramentum dispensatur indignis, magis capitur, quàm datur: quia accipiẽdi licentia eis non præstatur, quibus accipere nõ licet. Non enim habent potestatẽ accipiendi, sicut scriptum est, *Habemus altare, de quo edere potestatẽ non habent, qui tabernaculo deseruiunt.* (Hebr. 13.) Verũtamen secundùm quemdam modum dici potest, & indignis dari, & ab indignis accipi: sed accipi, sicut gladiũ accipiunt illi, de quibus dicitur. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribũt.* (Mat. 26.) Quicumque enim potestatem iudicandi, quæ per gladium potest significari, non sibi traditã à superiori potestate, sed per se, id est sua pręsumptione accipiunt, hi gladio peribunt: quia acceptionis pręsumptionem in iudiciũ sibi convertunt.

ET COMEDITE. Hoc sacrificium à Domino institutum est, non solùm ad offerendum, sed & ad comedendum. Propter quod nunc dicitur, *Comedite*. Nam de hoc offerendo apud Lucam & Apostolum dicitur, qui Dominum referũt dixisse. *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. 22. 1. Cor. 11.) Typicus agnus prius occiditur, quàm comeditur: morte sua & esu veri agni mortem significans, & esum. Verumtamen vetus agnus comeditur, priusquã occiditur. Ante passionem quippe Christi institui debuit novum sacrificium: quia & antè vetus erat finiendum. Nam quod post passionẽ Christi non debuit iterari, ante passionem oportuit terminari. At vbi vetus sacrificium accepit terminũ, mox novũ debuit suæ institutionis habere principium. Ante passionẽ item Christi, virtute hui⁹ Sacramenti muniendi erant discipuli, qui scandalum in morte Christi erant passuri: ne fidẽs eorum omnino deficeret: ne tentator, qui eos expetiuit, quasi victor de victis triumpharet. Deniq; dum adhuc Iudas inter discipulos erat, ponendum erat exemplum in posterum valiturum, de malis in ecclesia tolerandis, dum occulti sunt. (Mali occulti tolerandi.) Nam quòd Iudas à Dño toleratus, quia non est accusatus, Sacramentũ corporis & sanguinis sui acceperit, manifestum est, tum ex verbis Lucæ Euangelistæ, tum ex verbis beati Augustini: qui in Sermone 62. super Ioannem hæc verba ponit, dicens. *Post panem tunc introivit in eum Satanas. Prius ergo intraverat, mittendo in cor eius cogitationem, qua traderet Christum.* (August. tra. 62. in Ioan.) Et infrà: *Nunc autẽ post panem intravit in eum, non ad hoc, vt alienum tentaret: sed vt proprium possideret. Non autem, vt putant quidam negligenter legẽtes, tunc Iudas Christi corpus accepit. Intelligendum enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentũ corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut divus Lucas evidentissimè narrat: ac deinde ad hoc ventũ est, vbi, secundùm narrationem Ioannis, apertissimè* (Iudas sũpsit Eucharistiã)

Dominus per buccellam tinctam atq; porrectam suum exprimit traditorem: fortasis per panis tinctionem illius significans fictionem. Propter tres causas prædictas, siue quascumque alias: esus veri agni post mortem Christi in Ecclesia frequentandus, ante eiusdem mortem est institutus: & ipso vtendi modo quo vtendum est, mox in vsum assumptus. Ipso autem naturæ ordine, & quasi vescendi lege, esus typici agni mortem ipsius hostię quam præcedere non debuit, quia nec potuit, secutus est: & hostiam iam mortuã comedere, non solùm secundùm naturam, sed etam secũdùm legem, solemne erat. Et quãvis eius mors liberatoris mortem posset significare: non poterat tamẽ vel mors vel esus eius, qui morte & ẽsu cõsumebatur, vel vitam dare, vel à morte liberare. At esus veri agni, non secundùm ordinẽ vel legis vel naturæ, sed secundùm quemdã ordinem gratiæ, eiusdem mortem præcessit: vt hostia adhuc viua, & mox moritura, denuoq; victura, ordinẽ gratiæ indicaret, quam operatur in nobis, cuius virtute viuificandi sumus: vt sobriè, & iustè, & piè viuamus ante mortem: cuius virtute muniendi sumus, vt cum pietate dormitionem accipiamus in morte, cuius virtute liberandi sumus à morte, & ad vitam resuscitandi: cùm priùs exolverim⁹ quam debemus, mortem. Hic est enim ordo gratiæ: vita bona, mors pretiosa, vita beata. (Esus veri agni mortem eius præcessit)

HOC EST CORPVS MEVM.

QVID fecerit IESVS Christus, dicendo ostendit: & virtutem operis sui verbo annuntiat. Fecit enim & dixit, *Hoc est corpus meum.* (Matth. 26.) At in rerum creatione dixit & fecit. Nam cum creanda esset lux, dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: factaque luce non legitur dixisse, hæc est lux, nec enim oportuit, quia virtus dicentis manifestata est per euidentiam operis sequentis & obsequentis: eratq; verbum occultum, donec palam fieret per apparentis indicium operis. (Cur non dixit Deus, hęc est lux, sicut dixit, Hoc est corpus meum.) Cùm diceret, vt fierent, repentę extiterunt, quæ facta sunt, & in rebus factis innotuit, quod facturus dixisset, qui potens erat, vt dicendo faceret. Hoc enim modo inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius. In rebus itaque creatis virt⁹ Dei, qua pręcepit ipse, vt fierẽt quæ facta sunt, intelligitur, & quodammodo conspicitur: in hac autem mutatione tam miranda longè aliter est. Factum enim tam occultum, & ab humana cognitione tam remotum, non potuit manifestari, nisi per verbum. Propter quod benedixit, & dixit, *Hoc est corpus meum.* Quo quidem verbo verbum Dei omnipotens virtutis suæ vnum opus manifestauit, quod nos omnes miramur. Fecit enim & dixit, vt cum dictum fuerit, credatur. Licet Christus per similitudinem dicatur siue vitis, siue agnus, siue petra, siue aliquid huiusmodi, quod per significationẽ ei cõuenire potest: nemo tamen ęstimet hãc locutionẽ per significationẽ ab ipso figurari, cùm dicitur, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Illud sane quod accipiendum & comedendum dicit, non per significationẽ, & secũdum rationem similitudinis dicitur, corpus Christi, sed secundùm veritatem proprietatis verè est corp⁹ Christi, quod pro nobis datur: sicut ipse apud Lucã dixisse refertur. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* (Luc. 22.) Quod ergo Christus dicit, *Hoc est corpus meum*, expressa veritas est, & non figura. Hoc verbum veritatis, quod nõ auferatur de ore meo vsq; quaque, figura obscurari non opor-

tuit; sed figuræ legis finem ponere debuit. Nec in veritate quærenda est figura verborum, vbi solis verbis oportet manifestari, quod hactenus latebat in figura rerum. Ne quis ergo suspicione figuræ, aut alterius significationis obtenebrescat in opinione sua; sicut qui palpat in meridie, & qui vmbrã quærit in luce, ea intelligentia in his verbis Christi, vt & in facto, proferenda est quę Ecclesiasticæ interpretationis esse dignoscitur; quam Orthodoxorum Patrum auctoritas roborat, quam Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fides commendat. Christus enim supra petram fidei Ecclesiam ædificauit; Christus Ecclesiæ cœlestium sacramentorum mysteria reuelauit, vt Ecclesiam sibi arctius vniret hoc sacramentum instituit; Ecclesiæ huius sacramẽti fidem inspirauit, huius sacramenti fidem verbis instruxit, & verborum intelligentiam Ecclesiæ dedit, vt cibaret eam pane vitæ & intellectus, iuxta eloquiũ suum dans illi intellectum. Sicut ergo Ecclesia credit, & sicut intelligit, sic Christus intelligi voluit; sic Spirit⁹ veritatis, qui suggerit omnem veritatem, illuminauit; & illa sic accepit: & sicut ab eo accepit, sic & nobis tradidit. Accepit autem in Apostolis verbum fidei, quod est verbum Dei, cùm audiret à Christo dicente, *Hoc est corpus meum*, audiens verbum fidei concepit fidem verbi: quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Fides autem huius verbi, aut ipsa eadem fides est inuisibilis facti, aut non separatur à fide facti. Mox enim vt auditur verbũ, in verbo creditur & factum. Factum autẽ inuisibile est. Mutatio enim panis in corp⁹ Christi inuisibiliter facta est: sed quantò obscurius factum, tantò clariùs dictũ est. *Hoc est corpus meum*: sermone declarantę quod occultum erat: quia declaratio sermonis illuminat, & intellectũ dat paruulis, hoc est, humilibus, qui de sua sapiẽtia non tumescũt; sed quæ fidei sunt piè sentiunt. Si visibiliter facta esset mutatio, aut si inuisibiliter facta, manifesto sermone declarata non esset, fides locũ non haberet. Nunc autem inter obscuritatem facti, & declarationem verbi ędificata est fides: vt in verbo Christi, quod creditur esse verbum Dei, videatur per fidem inuisibile factum, quod in se videri non potest. In tantum autem videtur, in quantum creditur. Virtus enim Dei reuelatur ex fide in fidem: quia de fide hominis debet procedere fides huius sacramenti: cùm verum esse creditur quod dixit, quia De⁹ creditur esse, qui hoc dixit. Fides ergo istum nat fidem, vt procedat fides de fide: sicut candor lucis de luce.

In verbis cõsecrationis nulla figura.

Ecclesiæ & Patrum interpretatio tenenda.

Diligẽter intuentib⁹ quid acceperit Iesus Christus, & quid dederit, mutatio panis facta demonstratur. Panem quippe accepit, re & nomine panem: & benedicens & frangens, corpus suũ dedit. Vnde creditur, secũdùm pietatem fidei, mutatio panis facta: etsi ipso mutationis nomine ab Euangelista non sit expressa. Et quoniam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: vt, sicut mutatio verè facta firmissimè tenetur in fide cordis, sic constanter teneatur in confessione oris: confitetur Ecclesia, sicut ex traditione Orthodoxorũ Patrum indubitanter apparet, quòd panis virtute diuinæ benedictionis efficitur corpus Christi, vel fit corpus Christi: & transsubstantiatur, vel mutatur, vel conuertitur in corpus Christi: nimirũ his, & modis aliis loquẽdi meliùs fidei institutũ explicat. Et cùm in hac fidei confessione multiplex verborũ diuersitas, vna est tamen fidei pietas, & indiuidua confessionis vnitas. Et quãuis hæc nomina, *mutatio, conuersio,* cęteraque similia, mutationem vel conuersionẽ indicantia, quantùm ad hanc fidei confessionem magis nouæ inuentionis esse videantur, quàm Euangelicæ vel Apostolicæ traditionis: sanctis tamen Doctoribus, quos dedit Deus in ministeriũ fidei, in consummationem Sanctorum, placuit, ob piam fidei confessionem, huiuscemodi verbis vti. Nec iudicanda est prophana verborum nouitas, quam induxit sanctorum Patrum auctoritas, & fidei pietas, & ipsius confessionis necessitas. Aliquo nimirum modo oportuit dici, quod omni modo debuit credi. Non sine exemplo est, quod loquimur. Nam hoc nomen homoousiõ, & hoc nomen *Persona*, alterum ad fidem cõsubstantialitatis Patris & Filij, alterum ad fidem Trinitatis, ambo autem ad veritatis assertionem, fideique professionem, à sanctis Patribus assumpta sunt: licet de nouo aut veteri Testamento auctoritatẽ non habeant. Hoc tamẽ nomen *persona* apud Isaiam inuenitur, vbi de Christo loquitur, dicens. *Iudicium Gentibus proferet: non clamabit, neq; accipiet personam.* Sed hoc intelligitur de acceptione personæ in iudicio: nisi quis fortè verba Prophetæ aliorsum trahat: quasi Filius Dei hominem assumens, non personam assumpserit, sed naturam.

Mutatio panis in Christi corpus, conuersio, transsubstantiatio.

Traditio Apostolica Patrum auctoritas.

Homousion Persona.

Isai. 42.

Et accipiens calicem. Calicem accepit, nõ sine vino, quãuis Euãgelista non exprimat de vino: nisi fortè intelligatur expressũ in proximo, vbi dicit. *Non bibam àmodo de hoc genimine vitis,* &c. Calicis autem acceptio, per mysticam significationem rei mox futuræ, intelligi potest mortis perferendæ prompta deuotio, voluntariaque susceptio. De quo calice Dominus interrogat filios Zebedæi, dicens. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Calicẽ ergo accepit, quia mortem sponte suscepit. Oblatus est enim, quia ipse voluit. Calicis autem nomine significari potest, non solùm vas, quod continet, sed & illud, quod interiùs continetur: sicut è diuerso poculi nomine significari solet id quod cõtinet, & non solùm quod continetur. Gratias egit. Sicut prędiximus, in acceptione calicis scribit Matthæus, Dominũ gratias egisse, & non exprimit, eum benedixisse: sicut in acceptione panis scribit, eũ benedixisse, & non exprimit, eum gratias egisse. Hinc alicui videri potest, alterum pro altero indifferẽter poni: maximè ex eo quòd in acceptione panis, vbi ab vno Euangelista ponitur, *Benedixit*, ab altero ponitur, *gratias egit*. Gratiárum quidem actio benedictio dici potest. Nam & Deũ benedicimus, cũ de collatis beneficiis gratias ei referim⁹. Omnis gratiarum actio causam respicit beneficij. Sed licet prius sit, gratiam conferre, quàm referre: nonnunquam tamen pro certitudine rei futurę, gratiarũ actione beneficium præuenitur. Sciens ergo Christus, quanta sit gratia huius ineffabilis Sacramenti, quantaque bona hinc ab ipso nobis sint conferenda: sciens quoq;, quanta mala mox ab ipso pro nobis perferenda: pro vtraque causa gratias Patri agit, videlicet pro bonis præstãdis, & pro malis tolerandis. Vtraq; enim nobis prosunt. In tantum nos amat Iesus Christus, vt pro nostris bonis gratias agat, tamquam pro suis: & bona vtique nostra non sunt nisi eius dona: ipse tamen qui dona tribuit, gratias agit, sicut solet, qui accipit. Reputat enim sibi dari, & à se gratias deberi, cùm nobis præstatur. Instat enim muneris habet accepisse, cùm dederit. Hoc autem facit

Matth. 26.

Matth. 20

Mat. 26.
Marc. 14.

intima illa charitas, per quā nos sibi iungit, vt mēbra: & vt accipiat in nobis, quidquid dederit nobis. Propter quod ad ipsum, qui dona dedit hominibus, Propheta loquitur, & dicit. *Accepisti dona in hominib⁹.* Gratias ergo agit pro bonis nostris, donis suis: erudiens nos, vt nos gratiam referamus pro donis suis, bonis nostris. Gratias agit pro flagellis iniquitatis alienę: erudiens nos, ne murmurem⁹ inter flagella iniquitatis ꝓpriæ. Gratias agit pro salute mūdi, quam humano generi dare disposuit: dans carnem suam in cibum & sanguinem suum in potum, vt repleat in bonis desiderium nostrū: dans seipsum in pretium, vt redimat de interitu vitam nostram. Gratias ergo agit pro nobis, vt prædictum est. Quid ergo est? Nonne & pro se, cui datum sit mundū redimere; vt in nomine eius omne genu flectatur, cęlestiū, terrestrium, & infernoru m? Quid enim habet etiam filius Virginis, quod non acceperit? Sicut enim filius Dei dignatione filius hominis est: ita filius hominis per gratiam filius Dei est. Non sic tamen, quasi filius adoptivus, vel quasi de nō filio in filium adoptatus: sed sicut Apostol⁹ dicit, *prædestinatus filius in virtute.* Quibus verbis gratias egerit, aut pro nobis, aut pro se, non apparet: quia Evangelista non exprimit. Si credendū est, verbis eū gratias egisse, aut his ipsius verbis fortè vsus est, Gratias ago, aut aliis similem vim habentibus: sicut in alio loco, vbi exultans spiritu dicit. *Confiteor tibi, Pater. Domine cæli & terræ.*

Psalm. 67. — *Christus pro se & pro nobis gratias egit Patri.* — *Rom. 1.* — *Mat. 11.*

Et dedit *illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* Primò ostenditur, quid dederit, deinde ad quid dederit. Ad bibendum ergo dedit, & dixit. *Bibite ex hoc omnes.* Quod dicit *ex hoc*, sic intelligi potest. Ex hoc nunc, id est, amodò: vt initiū tantæ gratiæ, tantique muneris, demōstretur: vel magis sic: Ex hoc calice, vel ex hoc, quod do. Quòd autem non dicit, Bibite hunc, vel ex hoc, quasi ꝙ partis est indicans, referri potest ad partitionē gratiarū, qualis in fractione demonstratur. Calix enim dum dignè bibitur, non omnib⁹ omnia confert, sed singulis singula: aliis tentationes levigans, aliis virtutes augens, modisq; aliis innumerabilibus largiēs singulis, prout vnicuiq; op⁹ est: & vt nemo relinquatur, omnes vocat. Ad hūc enim calicem omnes fideles cōmuniter vocātur: cōmunio enim fidelium est. Mors illi est, quicūque non bibit: & vt ait Apostolus, iudicium est illi, quicumq; indignè bibit. Quid ergo fornicator faciat, vel adulter, vel quicūque mortali peccato implicatus est, si indignè bibit, vel si omnino non bibit? Vtrobique periculum mortis est: quia ipse mortuus est. Quid ergo faciat? Hoc enim, qui eiusmodi sunt, inquirunt. Consiliū salutis in prōptu est acquiescere volenti. Convertatur & viuat: & inter geminū mortis pīculum viam mediam eligat, seipsum probans & diiudicās: & sic de pane hoc edat, & de calice bibat.

Mat. 26.

Hic est sangvis mevs novi testamenti. Hic ostenditur, quid dederit, & sicut Catholica credit Ecclesia, intelligenda est mutatio facta vini in sanguinem Christi, in sanguinem vuæ meracissimum. De quo sanguine siue vino, (nam vinum per significationem sanguis dicitur, sicut scriptum est, *Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum,*) dicit, *hic est*, inquit, *sanguis meus Sanguis* per naturæ veritatem, non per alicuius significationis solā similitudinem: *meus* autem per proprietatem; non sanguis hircorum aut vitulorum, qualis in veteri testamento, magis fundi solebat, quā̄m potari: at *hic est sanguis meus novi testamenti.* Marcus similiter dicit: Lucas verò, *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine.* Paulus penè similiter. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Ergo secundum Matthæum & Marcum, *hic est sanguis noui testamenti*: secundum Lucam & Paulum, *hic est calix novum testamentum.* Considerandum est, testamentum diuersis modis in sacro eloquio accipi. Apostolus. *Hominis testamētum nemo spernit aut superordinat.* Et in alio loco. *Testamētum in mortuis confirmatum est.* Hic dicitur testamentum solemnis ordinatio testatoris, in qua plerumque fit institutio heredis. Dicitur etiam testamentum pactum quod fuit inter Iacob & Laban pro pace inter se fœderanda. Dicitur quoque testamentum, quod inter malos disponitur contra Deum, vt ibi. *Adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ.* Dicitur etiā testamentum fœdus cum morte, siue cum inferno, siue etiam cum mundo: quod conuenit peccatoribus & dilectoribus huius mundi, qui in obligatione iniquitatis suæ morti & inferno debitores constituuntur. Hinc in Ecclesiastico scriptum est. *Memor esto, quoniam non tardabit mors, & testamentum inferorum, quod demonstratum est tibi.* Testamētum enim huius mundi mortem operatur. Dicitur quoque testamētum, quod disposuit Deus electis suis: pactū scilicet ad David, de quo ipse dicit. *Disposui testamētum electis meis, iuraui David seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum.* Similiter pactū ad Abraham, sicut ibi. *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mādauit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & iuramenti ad Isaac.* Hinc colligi potest, legem Dei rectè dici testamentum: quia hæreditas in ea nobis repromittitur, & qui sint hæredes in multis locis ostenditur: & quia continet promissa Dei & præcepta eius, quasi quædam fœderis pacta ad firmandam amicitiam inter Deum & homines. Deus siquidem sponte quasi se obligat, etiam subiure iurando ad reddenda promissa: homo ex necessitate tenetur ad implenda præcepta. Testamentum inter diabolum & hominē peccato hominis vel morte quasi sanguine confirmatum est. De quo testamento dicitur apud Isaiam, ex persona quorumdam. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Diabolus autem mors dicitur & infernus, & fœdus cum eo percussum testamētum est inferorum, quod homini demonstratum est. Hoc autem testamentum, vt prædiximus, morte hominis confirmatum est, sed hoc quantum ad ipsum hominem. Nulla enim sua virtute aut sapientia potest homo à morte liberari, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Propterea non sufficiebat Abel innocentia sua, nec Noe iustitia sua, nec Abrahæ fides sua, nec Moysi mansuetudo sua, nec Iob patientia sua, nulli denique Sanctorum sanctitas sua, vt à morte liberari, & testamētum inferorum dissoluere posset, sine morte, vel ante mortē mediatoris. Propter quod alius dicit. *Vadam ad portas inferi.* Alius dicit. *Infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.* Alius dicit. *Descendam ad filium meum lugens ad infernum.* Et item. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Nam qui dicit, *Lætat⁹ sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, de cuius virtute confidat, ostendit in sequentibus, ad authorem salutis, qui statuit te-

Ibidem — *Quid in cœna datum à Christo.* — *Genes. 49.*

Luc. 22. — *1 Corin. 11.* — *Testamenti multiplex acceptio in Scripturis.* — *Gal. 3.* — *Hebr. 9.* — *Psalm. 82.* — *Eccli. 14.* — *Psalm. 88.* — *Psal. 104.* — *Pactum diaboli & hominis.* — *Isaia 28.* — *Homo purus non potuit se saluare.* — *Isaia 38.* — *Iob 17.* — *Genes. 37.* — *Ibid. c. 42.* — *Psalm. 121.*

stamentum pacis dicens. *Fiat pax in virtute tua.* Ipse enim est pax nostra, qui cęlum nobis aperuit, & infernum clausit: & in sanguine novi testamenti testamentum inferorum dissolvit. Vnde & apud Isaiā dicit. *Delebitur fœdus vestrum cum morte: & pactum vestrum cum inferno non stabit.* Isai. 28. Novum testamētum testamento inferorum quasi è regione oppositum est. Illud enim confirmatum fuit, quasi sanguine, idest peccato hominis vel morte; quia per peccatum diabolo consensit, & à vinculo initæ obligationis nec per mortem, nec post mortem se liberare potuit. Novum autem testamentum sanguine Christi confirmatum est, à peccato hominem liberans, & nouam ei viuendi formam præscribens, & vitæ æternæ hæredem constituens. Propterea hic sanguis noui testamenti dicitur, quia eo novum testamentum dedicatum est, & æternæ hęreditatis repromissio confirmata est. Prius ergo testamentum quod in figura præcessit, ob mysticam significationem huius sacramenti non sine sanguine dedicatum est. Nam vt Apostolus dicit, *Lecto omni mandato legis à Moyse vniverso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens. Hic sanguis testamēti, quod mandauit ad vos Deus.* Hebræ. 9. Ecce quàm propriè prædicit Moyses verba, quibus vsus est Christus in cœna. Vide, quomodo vetus testamentum hinc inde respicit novum testamentum, & testamentum inferorū: alterum per significationem mortis hominis Dei, alterum per repræsentationem mortis hominis rei. Nam mors legalis hostiæ, qua demōstratus est homo dignus morte, repræsentat mortem hominis, qui per peccatum dign⁹ est morte, per gratiam tamen liberādus à morte. Ipsa quoq; mors hostiæ præfigurat mortē Christi, per quā liberādus erat homo à morte. Propterea vtrumque testamentum, vetus scilicet & novum, valet ad destruendum testamentum inferorum, alterum per significationem, alterum per veritatis exhibitionem. Hic ergo sanguis Christi noui testamenti dedicator est, tum secūdum noua promissa; quia propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus, quam & in sanguine pro nobis fuso commendauit, occultis motibus inspirantis gratiæ mentibus nostris ingeritur: & quasi viua voce ipsius sanguinis suggeritur; & præcepta eius medullitus amare, & fidenter promissa sperare.

Tria testamēta hec locis.

QVI PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM. Matth. 26. Omnis impiæ dubitationis occasio amputatur, dum veritas fidei ipsi⁹ ore veritatis aperitur. Ne quis putet per significationem à Christo de aliquo dici. *Hic est sanguis meus*, manifestè ab ipso ostenditur, quid dixerit, quid intellexerit, quid à nobis credi voluerit. Nec licet nobis quasi per simplicitatem ignorare quid intellexerit, cùm necesse nobis sit, & id credere, quod in his verbis intellexit, & id confiteri, quod dixit. In hoc enim communis fidei articulo, & publicæ cōfessionis testimonio non sufficit simpliciter credere, verum esse, quod Christus his verbis dixit, quidquid in his intellexerit, non intellecto scilicet quid dixerit; sed intelligentia & fides verborum tantò exactiùs à nobis requiritur, quantò clariùs & expressiùs, quod credi oportet, à Christo dicitur. Res enim licet occulta, vt in veritate est, ità panditur & inculcatur, vt ignorantia omnino non habeat excusationem, & impietas vix inueniat erroris occasionem. Dicit enim, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, & inculcat, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Luc. 22. Ac si diceret. Hoc quod vobis do ad bibendum sub specie vini, secūdum naturam vinum non est, sed secūdum veritatem meus sanguis est, & ille ipse sanguis, qui pro multis effundetur.

Fides explicita huj⁹ sacramenti necessaria est.

Hæc sit ergo fides nostra, hæc sit confessio nostra: illum eumdem sanguinē nobis dari in potum, quem indubitanter credimus pro nobis fuisse effusū. Lucas dicit, *Qui pro vobis effundetur*, tāquam pro solis discipulis dictum sit. Matthæ⁹ dicit, *Qui pro multis effundetur.* Quæ quamvis videantur diversa, non sunt tamen adversa. Piè enim credi potest, Christum vtrumq; dixisse, vel alterum separatim post alterum: vel alterum in altero intelligendum. Quodam enim modo dicitur, quod in dicto intelligitur. Illud movere nos potest, quod Apostol⁹ dicit, *Christus pro omnibus mortuus est:* Rom. 6. cùm dicat, non pro omnibus, sed pro multis sanguinem suū fusum iri. Sed alter videtur attendere eventum definitæ vtilitatis: alter sufficientiam infinitæ virtutis. Nam quantum in ipso sanguine est, tam potens est ad redemptionē, vt omnibus sufficere possit ad salutem: tam incomparabilis ad pretium, vt eo reparari possit totum genus humanum. Pretiosior est enim omni æstimatione redimendorum, & quātolibet numero captivorum. At qui malè viuendo sanguinem testamenti pollutum ducunt, quia sacramētum redemptionis vilipendunt, cōmunis gratiæ beneficiū non percipiunt. A Christo enim non redimitur, qui à cōmunione generalis gratię sponte eximitur, sicut scriptū est. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit.* Psalm. 48. Quæ ergo vtilitas in sanguine Christi, his qui descendunt in corruptionem? Bonum erat illis, si nati non fuissent. Bonum erat illis, si sanguis Christi effusus non esset. Erit enim sanguis hic in testimoniū illis. *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad sanguinis aspersionem, meliùs loquentem quàm Abel.* Hebr. 12. Pro illis sanè, qui accesserint, loquitur hic sanguis ad indulgentiam: verumtamen contra malos ad vindictam. Ergo non omnibus pdest sanguis effus⁹ ad remissionem peccatorū, sed multis. Propterea dictum est, *Pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. Nō te moveat, quod scriptum est, *Pauci sunt electi:* Matth. 20. quasi non pro multis fundatur, qui solis prosit electis. Licet enim pauci dicantur electi, comparatione multitudinis peccatorum: multi tamen sunt, & super arenam multiplicandi. Nam sicut scriptū est, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno calorum.* Matth. 8. Item. *Effundetur*, inquit, *in remissionē peccatorum.* Qui sanguinem Christi fuderunt, non hoc agebant, non hoc cogitabant, vt tollerentur peccata mūdi. Quantū enim in ipsis fuit, magis operati sunt suam perditionem, quàm nostram salutem: magis sibi damnationem, quàm nobis remissionem. Attamen salutiferæ dispensationi nescientes servierunt. Salus enim mundi, quæ secuta est, nec eorum virtutis fuit, nec voluntatis, nec intentionis, nec operis; sed Dei virtutis, & voluntatis, & intentionis, & operis. In illa enim effusione sanguinis non solùm operata est persequentium iniquitas: sed operata est & Salvatoris charitas. Sed iniquitas effecit opus iniquitatis: charitas

Christus pro omnib⁹ mortuus.

Electi pauci comparatione reprobarum.

perficit opus charitatis Non iniquitas, sed charitas operata est salutem. Iniquitas tamē Christi sanguinem fudit, & sese effudit: vt sciret homo, quantum diligeretur à Deo, qui pprio filio suo non pepercit Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret. Quiquidem vnigenitus oblatus est, non quia Iudæ⁹ potuit, sed quia ipse voluit: qui cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Finis est mors pro inimicis suscepta. Hic est finis omnis consummationis: finis consummati amoris. Maiorem enim charitatem nemo habet, vt animam suā ponat quis pro amicis suis, Hæc Christi charitas in morte Christi violētior fuit, quàm Iudeorum iniquitas: nec potuit & iniquitas, nisi quantū permisit charitas. Iudas Christū, vel Iudæus morti tradidit, & hoc maligna iniquitate. Tradidit Pater Filium, tradidit & se Filius: & hoc ex charitate. Nec traditionis rea est charitas: sed innocens est, etiam in morte Christi. Soli enim charitati licet, quidquid libet, impune Sola Deum cogere potest, quasi imperiosa charitas. Hæc de cælo Deum deposuit, hæc in cruce posuit: hæc tā innocenter, quàm salubriter, sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorū. Ergo tota gratiarum actio pro salute mūdi charitati debetur: quæ ita nos vrget violentia suæ rationis, vt par sit, nos tantum Christum diligere, quantùm Iudæus potuit odisse. Humanum forte dico, propter infirmitatē cordis nostri. Indign⁹ est enim amici nomine, qui minùs diligit, quàm inimicus odit. Indignus est remissiōe peccatorum, qui sic amanti vicissitudinem amoris redamando non reddit; sed qualem potest, ne dicam parem. Nam parem quis potest? Non sit nobis pretiosior sanguis pprius, q̃ amor Christi. Nam vt nos liberaret de sanguinibus Deus Deus salutis nostræ, ipse prior dilexit nos: & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Ioan. 3. — *Ioan. 15.* — *Sola charitas Deum cogit.*

Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibā illud vobiscum novum in regno Patris mei. Diligenter hoc loco considerandum est, quomodo Lucas Evangelista à duobus aliis, Matthæo scilicet, & Marco, dissonare videtur. Quod vt manifestiùs appareat, ex Evangelio Lucæ ipsa verba Christi suo ordine ponamus. *Desiderio desideravi hoc pascha mānducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit. Accipite, & dividite inter vos: dico enim vobis, quòd nō bibam de generatione vitis, donec regnū Dei veniat.* Hæc Lucas. Vbi notandum, quòd post typicum pascha, vel in fine eius, & ante verū pascha, Dominus duo videtur dixisse: alterum de nō manducando, vbi dicit, *Ex hoc non manducabo illud*: alterum de non bibendo, vbi dicit, *Non bibam de generatione vitis*: quæ duo Dominū dixisse quasi ante verum pascha celebratum, solus Lucas cōmemorat: & de his quæ ad verum pascha pertinent, hæc verba subiungit. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meā commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens. Hic est calix novum testamentum in sanguine meo: qui pro vobis fundetur.* Huc vsque Lucas: qui solus de non manducando Christum quædam dixisse commemorat: & illa quasi ante verum pascha, vt prædictum est. Verba autem Christi de non bibendo, quamvis non solus ponat: in hoc ab aliis variat, quòd ea ponit ante verum pascha, quasi ad typicum pascha pertinentia: Matthæus verò & Marcus verba Christi de non bibendo, in alio loco, videlicet post verum pascha ponunt. His diligenter consideratis, constat, Matthæum & Marcum verba Christi de nō manducando, omnino prætermisisse. Et quoniā verba eius de non bibendo ponunt, sed alio loco quàm Lucas, alterutrum è duob⁹ conijci potest, vel Dn̄m vtroq; loco verba de non bibendo dixisse: & vbi solus Lucas ponit, scilicet ante novum pascha celebratū: & vbi Matthæus & Marcus ponunt, scilicet post novum pascha celebratum: vel si Christus semel tantùm verba de non bibendo dixit, vnum ex illis, vel duos, ordinem narrationis mutasse. Ordo autē narrationis præposterus veritati rei gestæ non præiudicat. Non est autem impium, dubitare, quis ordinem mutaverit, si tamē mutat⁹ est: vel dubitare, an christus secūdò & iterum verba de non bibendo dixerit. In huiusmodi dubitationibus non periclitatur pietas fidei, nec vacillat fides Evangelij: dūmodò indubitanter credamus quæ facta vel dicta narrantur. Evangelicę enim narrationi necessariò fides debetur, non ordini vel tempori: nisi cùm hæc inserta sunt narrationi.

Mat. 26. — *Luc. 22.* — *Ibidem* — *Matth. 26.* — *Marc. 14.* — *Ordo temporis non semper est de fide.*

Dico autem vobis. Non sunt perfunctoriè cogitāda, nec negligenter audienda verba, quæ hoc loco Christus dicit: maximè cùm præmittat. *Dico autem vobis.* Hæc enim præmittēs, attentionem videtur requirere: vt attentis auribus audiamus, quæ & dicit, & dicere se dicit Cum pōdere autem cogitandum est, *Dico autem vobis*: vt pensetur verborū pondus, & dicentis auctoritas. *Non bibam* inquit, *de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscū novum in regno Patris mei.* Tria statim occurrunt intelligenda in his verbis: & q non bibet de hoc genimine vsque ad tempus, & quod illud tunc bibiturus est in regno Patris: & ante hæc duo, quòd de hoc genimine vel tūc, vel antea biberit. *Amodo* enim innuere videtur mutationem vicissitudinis: tamquam antea fuerit, quod amodo non futurum esse ostenditur: vel tāquam aliquo tempore non fuerit, quod amodo futurum esse monstratur. Quis enim dicit, amodo non faciā hoc, nisi qui fecit, vel facit, deinceps non facturus? Quis item dicit, amodò faciam, nisi qui aliquo tempore non fecit? Ratio enim huius intelligentiæ nō solùm ex communi vsu loquendi colligitur: sed ex consuetudine ipsius sacræ scripturæ testimonium habere videtur. Nam quibus Dominus dicit, *Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*, significat, eos se videre, vel vidisse: vel solis oculis carnis, pro parte infidelium, vel oculo fidei, pro parte fidelium, qui tunc erāt, vel antea fuerant in populo illo, deinceps autem post subtractam præsentiam suam se illis non videndum, donec auferatur velamen de cordibus eorum, & venisse eū agnoscant: benedicentes eum, qui venit in nomine Domini.

Matth. 26. — *Matth. 23.*

Nisi morosum esset, non esset difficile, plura exempla in medium adducere: sed quia res perspicua multitudine exemplorum non indiget, magis nobis quærendum est, de quo genimine vitis hoc dicat, an de calice pertinente ad vetus testamentum, de quo dicit apud Lucam, *Accipite & dividite inter vos*; an de calice pertinente ad novum Testamentum, de quo dicit apud eūdem Lucam, *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo*: hoc est, an de vino, q creditur fuisse

Luc. 22.

in calice pertinente ad vetus sacrificium; an, de ipso sanguine, quem postquam cœnauit, sub specie vini, quasi de genimine vitis propinauit in calice pertinente ad nouum sacrificium. Ad hanc autem inquisitionem valere arbitror, si præmittatur, quali cibo & quali potu Christus vtatur, & vtendo delectetur. Et de cibo quidem quis sit, aperte dicit. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* Et quæ sit voluntas Patris, alio loco dicit. *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Ergo cibus Christi salus est mūdi. Hanc enim esurit, hanc & sitit, quia potus eius est. Propter quod cùm sederet super fontem, ait Samaritanæ, *Da mihi bibere:* & vt ostenderet se magis sitire aquam viuā à se peti, vt peteti daret, dicit. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petijsses ab eo, & daret tibi aquam viuam* Ecce quid sitiebat, rogari, & dare aquam, vt fieret in accipiente fons aquæ salientis in vitam æternam. Quis potest habere hanc aquam, nisi ipse dederit? aut quis potest saluari, nisi quem ipse saluauerit? Salutem autem mundi quam ille sitit, hanc & operatur, partim in his quæ pertinēt ad reparationem, partim in his quæ pertinent ad supremam consummationem. Ad præparationem pertinent omnia, quæ operatus est ab exordio mundi in electis suis vsq; ad tempus aduentus sui, in præfiguratione futuræ reparationis. Ad reparationem autem pertinent omnia, quæ Christ[us] in carne aut bona gessit, aut dura pertulit, vsque ad horam passionis vel resurrectionis suæ. Ad consummationem verò pertinet tota gloria resurrectionis. De qua ipse dicit. *Sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.* Salus mundi secundum seriem temporum, digesta est & ordinata in apparatu, in actu, in fructu: hoc est in figura, in gratia, in gloria. Primùm Deus Pater mandauit salutes Iacob in repromissione Saluatoris. Deinde dedit salutem Regibus, id est omnibus iustis in aduentu Saluatoris. Ad vltimum consummauit negotium salutis in resurrectione Saluatoris, magnificans salutes Regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in sæculum. Hoc opus nostræ salutis operatus est Christus, incipiens à diebus antiquis. Tota dispensatio rerum & temporum eius moderamine ad hunc finem dirigebatur; & in omnibus quæ ad hanc causam conducebāt delectatus est ipse author omnium; & hoc ad gloriam suam sicut scriptum est. *Renouabis faciem terræ: sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis.* Non solum autem delectatus est in ijs quæ fecit ante aduentum, vel in aduentu suo; sed in mundum veniens flagella iniquitatis nostræ lætus excepit. Lætus, dicam, an tristis? Sed vtrumque rectius dixerim. Nam de illo scriptum est. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Et ipse dixit. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Non solum autem dolorem carnis sensit in amaritudine passionum, & asperitate laboriosæ disciplinæ pro nobis susceptæ, sed in anima veram tristitiam habuit, sed libens. Gaudens enim voluit verè tristari: nec sine gaudio erat tristitia, cui gaudium erat de ipsa tristitia. Propter hoc dicit. *Desiderio desideraui manducare hoc pascha.* Operatio salutis nostræ suo ordine dispensata voluntas Patris est. Cibus Christi hoc est quod esurit. Hoc est, de quo dicit in cruce, *Sitio.* Hoc est medicinale poculum, hoc vinum lætitiæ, hoc genimen veræ vitis, id est ipsius Christi, qui dicit. *Ego sum vitis vera* Intendens ergo in fructum & finem operationis & dispensationis suæ ab initio, dicit. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* Ac si diceret. Hactenus delectabar salutem mundi operari, sicut hactenus oportuit; & in his delectatus bibi vinū lætitiæ: quia deliciæ meæ esse cū filijs hominum; sed nondum vinum nouum, sicut est dulcius, sed sicut est habens dulcedinem cum austeritate disciplinæ, quam adhuc sentio. Superest vt amodo, post instantem scilicet passionem, non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum clarificationis meæ, cùm illud bibam vobiscū nouum, nihil austeritatis habens, totum dulcedine plenum, & hoc in regno Patris mei, id est in corpore meo glorificato, vel in regno cœlorum, & vobiscum. Nam & vos mecum bibetis, cùm de torrente voluptatis meæ vos potauero. Per diem illum intelligere possumus gloriam resurrectionis & clarificationis, qui dies finem non habet. De quo dicitur, *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* In claritate enī Christi exultabimus & lætabimur, cùm corpus humilitatis nostræ configurabitur corpori claritatis suæ. Quamvis ergo Christus primitiæ sit dormientium, & primus resurgens à mortuis hoc nouum vinum biberit, discipulis non statim bibituris, tamen verum est, quod dicitur, & sicut dicitur, quòd Christus non biberit de hoc genimine vsque in diem illum interminabilem gloriosæ claritatis suæ, in qua videndus est ab electis suis, vt exultent in conspectu eius, & delectentur in lætitia. Quod ergo dicit, *Non bibam amodo vsq; in illum diem, cùm vobiscum bibam*, ad tractum spatij referēdum est, non ad initium diei; vt sic intelligatur, cùm vobiscum bibā: quasi diceretur, quo die vobiscum bibam. Si autem quòd dicitur, *in illum diem*, referamus ad diem Resurrectionis transitorium, habentem mane & vesperam, difficile erit intelligere, quod dicit, *non bibam vsque in illum diem, cùm vobiscum bibam*, cùm discipuli illo die bibituri non essent: nisi simpliciter cogitetur, Non bibam vsq; in illum diem, cùm vobiscum bibam, id est, cùm vobiscum bibendi consummata fuerit causa. Completa enim resurrectio causa est combibendi vinum lætitiæ, quodā loquēdi modo, quoquæ pòst futura sunt, esse dicuntur, cùm causa extiterit quam sequantur. Hoc modo intelligi potest, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et illud. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Sic multa alia quæ futura sunt, anticipantur, vt esse dicantur, quia præexistente causa, qua sunt, non restat, nisi vt sint.

Quod Christus dicit, se, non hoc, sed de hoc genimine bibere, bibiturum autem non de illo, sed illud, gaudij prægustati futuram plenitudinem significare potest. Secundùm rationē præmissorum quærenti, de quo genimine Christus loquatur, de vino scilicet primi calicis, an secūdi, respōderi potest, locutionem de genimine figuratā: vt quod dictum est, intelligatur de alterius significato, & de alterius effectu, & de vtriusque fine. Sanguis enim Christi operatur nobis gaudium æternæ salutis, quod est vinum lætitiæ: quod etiam in vino prioris calicis significatur quadam ratione similitudinis, quia vinū lætificat cor hominis. Gaudium ergo æternæ salutis alterius calicis significatum est, & alteri[us] effectus: vtriusq;

Marginalia (left): Quis sit cibus Christi. — Ioan. 4. — Ioan. 6. — Ioan. 4. — Luc. 13. — Psal. 103. — Christus lætus & tristis propter nos. — Psalm. 18. — Matt. 26. — Luc. 22. — Ioan. 19.

Marginalia (right): Ioan. 15. — Mat. 26. — Vinum nouum in reg. Dei bibendū quid sit. — Psalm. 117. — Matth. 26. — Ioan. 6. — Mat. 5. — Bibere hoc & ex hoc, qui differāt.

Figura est in verbis Nō bibā de genimine &c. non in istis, Hoc est corpus meum.

autem finis, & vtriusque fructus. Propter quod Dominus in alterius consummatione, & alterius institutione figuratè loquens. & figuræ legis alludens, non in sola substitutione novi sacraméti finem constituit veteris sacrificij: sed vtrumque ad vnum finem dirigit, vltra quē nullus est finis. Cùm ergo dicit, *De hoc genimine,* quāvis per demonstrationem vel digitus vel ocul⁹ in rem præsentem tendatur, vt nihil aliud videatur intelligendum, quàm quod oculis exhibetur: tamen aliud intelligendum suadet manifesta rei veritas, & fidei pietas: cùm non sit dignū fide, quòd hoc ipsum, nisi in suo effectu vel significato in regno cęlorum à Christo cum discipulis sit bibendum. Sic autem in hoc genimine, quamvis per poculū vel digitum demōstrato, aliud vinum, non insolenter potest intelligi: sicut in aqua, cùm demōstratur, alia aqua significatur, Domino dicente.

Ioa. 4. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Per hanc enim aqam mulieri Samaritanæ demonstratam, intelligitur aqua secularis voluptatis vel cupiditatis, quæ sitim non extinguit: cui opponitur aqua sapientiæ salutaris, de qua Dominus dicit.

Ibidem. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* Summopere cauēdum est hoc loco, ne scrupulum fidei faciat in verbis Christi differens positio demōstrationum. Nam cùm superiùs diceret, *Hoc est corpus meum,* & deinde, *Hic sanguis meus*, vtrobiq; demonstrauit, quod solùm intelligi voluit. Nec immeritò. Ibi enim fides huius Sacramenti erat ædificanda, & forma fidei & cōfessionis nostræ sine velamēto figuræ planis verbis præscribi debuit.

Nulla figura est in verbis, Hoc est corpus meum.

Cùm dicitur autem, *amodo non bibā de hoc genimine vitis*, in genimine quod

Matth. 26.

demonstrari videtur, aliud insinuat intelligendum, quod in hoc genimine figuratur: sic enim fieri oportuit. Nam quia vtriusque testamenti plena cōsummatio demonstranda fuit verbis notis, quamuis minùs proprijs, rebus quoque æquè notis, & ad rem pertinētibus significare voluit, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Non sit ergo mirum, locutionem figurari ad eam rem quoquo modo intelligendum, quæ nulla verborum proprietate valeat exprimi, & quam necesse sit aliquomodo intelligi *Alio modo vnde suprà.*

Verba Christi quasi vbera lacte redundantia, quò magis pressantur, vberius lac fundunt. Vinum post vinum eliquat vua pressiùs calcata. Habent diuina eloquia sua promptuaria, & plena, eructantia ex hoc in illud. Ibi invenitur vinū lætitiæ, dicente David, *vinum lætificet cor hominis.* De hoc bibit Christus, bibituri sunt & omnes, qui sunt Christi. Inuenitur ibi & vinum cōpunctionis, dicente eodem Dauid, *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Videamus, an Christus de hoc vino biberit, quia de eo scriptum est, contra persecutorem eius vel Iudam vel Iudæum. *Persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Corpore quidem compunctus est, sicut scriptum est, *videbunt, in quem compunxerunt.* Sed quomodo compunctus est corde? nam de pœnitentibus in Actibus Apostolorum scriptum est, *Compūcti sunt corde.* Quæquidem cōpunctio in Christum non cadit. Sed numquid in solis pœnitentibus est cōpunctio? Nequaquam. Nam de impœnitentibus & duris corde iuxta Apostolum, scriptum est. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures vt non audiāt.*

Psal. 103.
Vinum lætitiæ & compunctionis.
Psal. 59.
Psal. 108.
Act. 2.
Rom. 11.

Malis enim sæpe molesta sunt bona, & ira vel odio cōtra iustitiam & contra veritatem compunguntur. Habet enim iniquum odium stimulos suos; & sicut est bona compunctio ex amore & deuotione, sic est & mala ex odio & iniquitate descendens. Est autem, vt prælibauimus, quædā compunctio ex dolore pœnitentiæ, quæ conuenit peccatoribus ad Deum conuersis. Est quædā compunctio ex asperitate disciplinæ, quæ omnibus iustis per multas tribulationes à Deo imponitur. Multæ enim tribulationes iustorum: & nō est iustus, qui non patitur. Per hanc disciplinæ compunctionem, quasi per infusionem vini, curantur, siqua sunt, vulnera iustorum, & sanatur infirmitas, aut custoditur humilitas, aut exercetur patientia eorum. Hoc est vinum compunctionis, vel secundùm aliam translationem, vinum stimulationis. Quotquot enim iusti sunt, quamq; in lætitia & exultatione Deo seruiant, quia spiritus promptus est: tamen quia infirma est caro, in tribulatione malorum & dolore ingemiscunt & parturiunt vsq; adhuc: in sudore vultus sui nāducātes panem suum, pane lacrymarū cibantur, & potantur vino cōpunctionis. Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. De hac vua acerba, id est de tumore ꝓpriæ voluntatis, expressum est hoc vinū: & de hoc genimine vitis tota pœnalitas nostræ mortalitatis processit. Christus autem & ipse factus particeps mortalitatis nostræ de torrente in via bibit, & disciplina pacis nostræ super eū, quoadusque biberet calicem passionis, finē ponens suæ disciplinæ quam pertulit, & nostræ miseriæ quam sanauit. Qui bibens calicē passionis, bibit vinum compunctionis: quia non solùm cōpunctus est in corpore, sed dolore cordis intrinsecùs: quia pœnituit eum hominem fecisse. Ergo Pater ostendit ei dura; nec enim pepercit ei, donec resurgens à mortuis, conscisso mortalitatis sacco, immortalitatis stola circumdatus, Patri diceret. *Concidisti saccum meum, & circūdedisti me lætitia: vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Sed quia oportuit Christum priùs pati, & sic resurgere à mortuis, iam appropinquante hora passionis calicē passionis bibiturus, & sic de hoc mūdo trāsiturus ad Patrem, dicit. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c* Quasi diceret Hactenus de hoc genimine vitis bibi, hoc est de infirmitate assumptę mortalitatis quæ tristia sūt pertuli. Nunc finis est tristitiæ. Hoc poculum amarum amodo non bibam, sed vinum lætitiæ in regno Patris mei, cùm converterit planctū in gaudium mihi: & vos, qui calicē meum bibetis cōtristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, vt vinum nouum vobiscum bibam Locutio autem sic figuratur, si idem sit nouum vinū, & illud quod biberat antè nouum: sed mod⁹ locutionis est nostræ cōsuetudini satis accōmodatus: sicut dici solet, quæ seminaverit homo, hæc & metet. *Alio modo exponitur, vt suprà.*

Compunctio pœnitentiæ, & disciplinæ.

Christus vinum bibit compunctionis.

Psalm. 29.

Quis plantat vineā, & de fructu eius non edit? Plātauit Domin⁹ vineam. Quænam hæc est? *Vinea,* inquit Isaias, *Domini sabaoth domus Israel est* Sicut differt vinea à vinea, sic & vinum à vino. Vinea Dñi discernitur à vinea aliena. Hęc est Gentilitas à Dei cultu aliena, & idolatriæ dedita. Synagoga autem, quæ ad Dñi vineam pertinere habet, tamquā ab eo plantata & exculta, pro parte iustorum vinea Dñi est, & vinea Sorech, id est, vinea electa: pro parte verò malorum & infide-

1. Cor. 9.
Isa. 5.
Vinea Dei, & aliena.

lium conversa est in amaritudinem vitis alienæ, Generatio enim peruersa est, & infideles filij. Facti sunt enim sicut Gentes, quæ Deũ ignorant. Hęc vinea fructificauit impietatem pro fide, diffidentiam pro spe, inuidiã vel odium pro dilectione. Prædixit & hoc Moyses. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorra Vua eorũ vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinũ eorum, & venenum aspidum insanabile.* Vua fellis, fel draconum, veneuũ aspidum insanabile, tria hæc, quid sunt, nisi impietas, & diffidentia, & odium inexorabile, vel quæcumq; vitia tam pessimis rebus similia? Qualis est hæc vinea, talo & vinũ eius. Acetum est, de quo dicit. *Et in siti mea potaverunt me aceto.* Vinum myrrhatũ est, quod cùm gustasset Dominus, noluit bibere. Gustauit quidem, per experientiam probans, quanta esset malitia eorum: sed noluit bibere, quia non approbauit: quia respuit, quod displicuit. Fidelis autem Synagoga, quæ per obedientiam placuit Deo, sicut germen delectabile, & sicut vinea electa fuit: de qua Isaias. *Vinea meri cãtabit ei.* Delectat⁹ est Deus in obedientia antiquorum iustorum sub legalibus præceptis, & iudiciis, & pmissis, & sacramentis. Habuit hæc obedientia tempora sua vsq; ad passionem Christi. Deinde successit noua obedientia, nouaque iustitia, maiori perfectione magis Deo placitura. Propter quod nunc dicit. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. Ac si diceret. Non delectabor amodo obediẽtia, qualis vsque nunc sub lege fuit. Instat dies ille, id est tempus gratiæ, vt vmbra euacuetur, & propter noua promissa sub nouis præceptis, nouisque sacramentis, religio augeatur, & exemplo humilitatis meæ obedientia perficiatur, in qua magis vobiscum delecter in regno Patris mei, hoc est in Ecclesia. Quod dicit, *donec bibam illud novum*, significat ex aliqua parte eandem esse obedientiam legis & Euangelij, & ex aliqua parte innouatam, id est, mutatã & auctam. Hinc ipse & alio loco dicit. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Summa autem Legis adimpletio hæc est, obedientia vsque ad mortem. Hæc est perfecta charitas, hic finis iustitiæ & omnis consummationis. Hæc obedientia clausa fuit in Lege in primo & maximo mandato. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua.* Clausa quoque in sacrificijs, & in morte hostiarum latenter insinuata. Nunc autem in exemplo mortis Christi propalata est, & imitatoribus & dilectoribus Christi imposita. Hæc obedientia calix est salutaris, calix passionis Christi. Hoc est vinũ novum, de quo dicit. *Donec bibam illud novum in regno Patris mei.* Quid est ergo illud novum vinum bibere, nisi ex amore obedientiæ pati? Quid est vobiscum bibam illud, nisi & vos ex amore obedientiæ compatiemini? Quid est, bibam illud, sed novum; nisi quia novum erat, vt pro genimine vitis biberetur calix passionis? Novum erat, vt pro agno immolaretur homo. Bibã illud vobiscum novum, quia in huius nouitate calicis ego delectabor, & vos delectabimini: & pro hac hilaritate mẽtis * hilarem enim datorem diligit Deus. Obedientia autem vsque ad mortem intelligenda est non in sola morte carnis, sed quodammodo in omni perfecta mortificatione & castigatione corporis: maximè autem in omni perfecta renũtiatione propriæ volũtatis. Nam seipsum mactat, qui propriam voluntatem iugulat, qui ab illicitis delicijs se propter Deum abstrahit, animam suam propter Deum odit, & in hoc mundo odiendo perdit, & perdendo in vitam æternam custodit: qui in hilaritate mentis & dulcedine charitatis propria voluntate postposita per iudicium discretionis fratris voluntatem præponit: hic pro fratre animam ponit. In omni genere martyrij est obedientia vsque ad mortem, siue nos occidat gladius persecutoris, siue gladius spiritus, quod est verbum Dei. Hæc est perfecta obedientia, qualis in lege non erat: quia lex neminem adduxit ad perfectum Hoc est novum vinum, quod bibit IESVS CHRISTVS cum discipulis suis. Quicumque hac in obedientia delectantur, cõbibitores sunt IESV-CHRISTI, & de calice eius bibunt vinum conditum, & mustum malorum granatorum.

VT summatim quæ diffusiùs dicta sunt perstringamus, Christus uera vitis, est secundùm plenitudinem gratiæ: cuius vitis vinum est salus mundi, & cõmune gaudium omnium iustorum, Hoc ipse bibit in initio non nouum, in fine nouũ, hoc est, ab omni austeritate alienum, & omni dulcedine plenum. Item Christus vitis est, secundùm conditionem assumptæ infirmitatis. Cuius vitis, id est, infirmitatis assumptæ, vinum est amaritudo passionum & tribulationum. Vinum non novum, quia de vua acerba, & de propagatione veteris hominis, id est Adæ, non secundùm culpã, sed secundùm pœnitentiam. Vinum hoc de vetustate amarum, & in amaritudine vetustũ, sed mox nouo mutãdum. Item vinea dicitur Ecclesia iustorum, secundùm gratiam fidei & charitatis: cuius vineæ vinũ est obedientia legis, vel Euangelij: sed obedientia legis figura erat obedientiæ Euangelicæ perfectionis Obedientia legis immolare agnum; obediẽtia noua immolare seipsum. Illa vinum non nouum, ista vinum nouũ, de quo Dominus dicit. *Neque mittunt vinum novum in vtres veteres: alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt.*

Alio modo vnde suprà.

SIMPLICIOR intelligentia ab aliquibus exposcitur. Possunt hæc verba ad literã ex parte accipi. Quia hoc vltimũ pascha cum discipulis suis celebrauit, aliud deinceps non celebraturus, dicit: *Non bibam amodo*, &c. Tamquã diceret. Ex hoc genimine, iuxta ritum paschalis obedientiæ, non bibam: sed ad aliud conuiuium vos invito: vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Nec præiudicat huic sententiæ, quod post resurrectionem cum discipulis suis manducauit & etiam bibit: sicut videtur ex actibus Apostolorũ, dicente Petro. *Manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Non enim negat, se omnino bibiturum: sed dicit, *Non bibam ex hoc genimine*, idest, solemnia paschalis obseruantiæ, bibendo ex hoc calice, non iterabo: sed huius festiuitatis mysteria in regno Patris mei, id est in regno cælorum, siue in Ecclesia complebo. Vnde apud Lucam dicit. *Dico vobis, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Manducauit quidem post resurrectionem cum discipulis suis: sed non manducauit ex hoc, nec bibit ex hoc: id est, nec pascha manducauit, nec vinũ libauit, sicut in sacrificio fieri solet. Manducauit tamen, ad astruendam fidem resurrectionis: & credentes discipuli, nouo gaudio resurrectionis perfusi sunt: vt quodam modo novum vinũ tunc biberet cũ discipulis suis, id est nouum gaudium haberet

[Margin notes: Vnea Iudæorum qualis. Deuter. 32. — Isaia 27. — Mat. 26. — Matt. 5. Sũma impletio legis obedientia vsq; ad mortem. — Deuter. 6. — Mat. 26. — Nouũ fuit vt pro agno sacrificaretur homo. — *Deest vox diligemini, vel similis. — Qui seipsum mactet. — Recapitulatio. Christ⁹ quomodo vitis. — Matth. 9. — Mat. 26. — Act. 10. — Luc. 22. Christus post resurrectionem manducauit & bibit.]

haberet cum illis in gloria resurrectionis suæ: & in seipso, quasi in regno Patris sui. Discipuli enĩ de morte eius cõtristati, viso Dño gauisi sunt suprà quàm dici possit: sicut scriptum est. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* *Psalm. 29.*

De veritate mutationis.

MVTATIO panis in corpus Christi vera est, & mystica. Vtriusque autem rei, id est veritatis & mysterij, propria consideratio fidẽ ædificare potest, aut charitatem. Sed veritatem mutationis primò attẽdamus. Vera est inquam mutatio, non secundùm figuram, sed secundùm substantiam. Non enim trãsfiguratur panis, sed transsubstantiatur. Novo & inusitato modo species manet, & substantia mutatur. In transfiguratione autem non sic. Nam cùm Satanas transfigurat se in Angelum lucis, non natura demutatur, vt vna natura in alteram transferatur. Quando Dominus in monte transfiguratus est, quod clarificatũ est, non substantiam mutauit, sed decorem induit: vt esset, non alterius naturæ, sed alterius gloriæ. Nõ est nostræ possibilitatis, vel edicere, vel cogitare, quomodo Christus vel ante resurrectionem, vel post, in specie glorificata apparens, nunc vnam nunc alteram speciem exhibuit, quasi ad hoc, ne agnosceretur: cùm id tamen semper ageret, vt agnosceretur. Nã ad hæc quis idoneus? Quis sufficit explicare, vtrùm in transfiguratione priorẽ speciẽ exuerit: an eam retinens, & ab oculis præsentium discipulorum abscondens, gloriosam illam speciem superinduerit? Quis sufficit explicare, quomodo in resurrectione clarificatus, non in illa festiua specie gloriæ suæ apparuit; sed in specie nunc quasi nota, nunc quasi non nota, sicut voluit agnosci, vel ad tempus non agnosci: vtrũ in ipso erat, ne agnosceretur: quia sicut scriptũ est, in alia effigie ostensus est: an in illis erat, qui agnoscebant, quia oculi eorum tenebantur, & nunc existimatus est phantasma esse: vel specie nunc hortulanus, nũc quasi peregrinus, vicissim se manifestans, & abscondens, quibus voluit, & sicut voluit? Quid aliud sup huiusmodi affirmare possumus, nisi quòd Iesus Deus est: & sicut potestatem habens, cui seruiunt ad nutum omnis forma & materia, omnis species & substãtia? Circa hæc autem, formam scilicet & materiam, siue speciem & substantiam, præclara Philosophorũ sudauerunt ingenia: & subtilissima indagatione investigare conati sunt singulorum naturam. & vnde esset, & quid esset, vel nõ esset, & vbi esset, & quid denique posset: & quod sibi videbatur, secundùm coniecturam humanæ rationis, quasi diffinitum habebant & certum: & arbitrati sunt, secundùm acumen ingenii sui, legem naturæ certis terminis concludere, & indubitatis diffinitionibus limitare; quasi à veritate discordaret, quidquid eorum diffinitionibus obviaret. Et quidem secundùm solemnem ordinem & cursum naturæ multa ab eis tam mirabiliter, quàm multa fideliter edisserta sunt: sed multa probabiliter elaborata, sed à veritate tam extranea, quã à pietate fidei aliena. Quidquid ab eis verè fideliterque cõprehẽsum est, & definitũ, hoc non illorũ est, sed eius, qui veritas est, & qui illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum: per quem eis ex aliqua parte veritatis lumen illuxit. Veritas enim apud quẽcumque inueniatur, Dei est, & nõ hominis: quia omnis homo mendax, Deus autẽ verax. Quidquid ergo contra fidei veritatem, & pietatis formam diffinitum habebant & affirmabant, hoc illorum erat, hoc à se dicebãt, & de propriis locuti sunt: & ignari cælestium sacramentorum, ignorantes sapientiã Dei in mysterio absconditam, evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: miroque Dei iudicio, qui inter homines supra homines æstimati sunt, quasi soli sapientes, vel præ cæteris sapientes: nunc præ cæteris apparent insipientes nobis, per gratiam Dei, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum. Verus siquidẽ est sermo, qui scriptus est. *Infatuatus est omnis homo ab sapientia.* Fides itaq; nostra verbis ipsius Dei immobiliter fundata, incerto humanarum opinionũ non iactatur, sicut nutabunda & fluctuãs: sed veritate subnixa, & super firmam petram diuinæ auctoritatis solidata, inconcussa constat & incõvulsa: & siquid diffinitionibus Philosophorum contrarium continet, cedere debet opinio veritati, vt veritas fidei in omnibus triumphet, destruẽs omnem altitudinem extollentẽm se aduersus scientiam Dei: & in captiuitatem redigẽs omnem intellectũ in obsequium Christi. Quidquid in mysteriis fidei sua profunditate modum humanæ intelligentiæ excedit, & fines humanæ rationis transcendit, Deo cõmittendum est, eiq; reservandũ, qui tempore opportuno mysteria nũc operta revelabit his, qui verbis ipsi⁹ debitam reuerentiã exhibentes, firmiter & fideliter credũt: non hæsitantes de fide verborum, quamvis ratio modi interim non eluceat. Vult etenim Deus arcana sua nobis, & à nobis credi, sed modum ad tempus ignorari: vt habeat fides meritum, & quod nunc occultum est, reseruetur ad præmium. Habet itaque simplicitas fidei piam conscientiam in iis, quæ Deus credenda mandauit: piam verò ignorantiam in iis, quæ non quærẽda abscondit. Vtraque autem, pietas conscientiæ scilicet, & ignorantia, apud Deum gloriam habet & laudẽ: dum mens humana corã Deo humiliatur, vt credat quæ dixit, & à superba & curiosa inquisitione compescitur, ne quærat quæ non dixit. Vtrobiq; ergo fides proficit ad meritum, & in vtraq; simplicitate confidenter suspirat ad præmiũ: qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Simpliciter ergo & confidenter, firmiter & constanter, teneamus, credamus, & cõfiteamur, quòd substantia panis in substantiã carnis Christi mutatur, manẽte tamen speciẽ panis, mirabiliter, & ineffabiliter, & incomprehensibiliter. Indubitãter credimus, quòd ita est: quomodo autem hoc fit, adhuc simpliciter ignoramus. Nondũ de modo scimus: sciemus autem postea, cùm virtus huius mysterij in nobis fuerit consummata. Consummationẽ indicat ipsa conuersio panis in corpus Christi. Mystica enim est & significans gratiam ipsam, quam operatur in nobis.

[Margin notes: Mutatio hic non quoad figuram. — Matth. 17. — Matth. 16. — Ioan. 20. Luc. 24. — Philosophi Ethnici. — Veritas vbicumque inueniatur, à Deo est. — Rom. 1. — Fides non iactatur incerto. — Confessio fidei de hoc sacramento.]

De mystica significatione mutationis panis.

ATTENDAMVS itaque, quid sit panis ante conversionem. Quid sit autem, quotidiana docet experientia. Sustentatio enim vitæ est, sed transitoriæ: nec manet ipse, nec vita quam sustentat. Ille vsu suo deficit, & vita deficiendo præterit. Non valet vitam æternam præstare, vix valet vitam temporalem ad modicum tempus sustentare. Propterea opus est quotidiana refectione: diurna vita diuinæ refectioni debetur. Qui quotidie indigemus, vix & ægrè vsque ad diem tertiũ sustinemus. Corp⁹ nostrum infirmum & fragile multisque corruptionibus & infirmitatibus ob-

Vita hæc quotidie in mortem ruit.

noxium dum reficitur, deficit; & quotidie dum instauratur, fatiscit: vitaque mortalis dum & cibo fuscitatur, præterlabitur, & dum nutritur, minuitur, & in mortem semper præceps ruit, dum quotidiana refectione à morte differtur: & vt vsu euenit, cibus causa sanitatis quæsitus, causas morbi generat; & vbi vita quæritur, ibi mors inuenitur. Panis ergo iste destruitur & perit, nec permanet in vitam æternam. Corpus nihilominus destruitur & perit. Esca enim ventri & venter escis: Deus autē hūc & has destruet. Cùm absorpta fuerit mors in victoria, cùm mortale hoc induerit immortalitatem, tunc vitam æternam corpori præstabit, non cibus iste qui perit sed cibus qui permanet in vitam æternam. Attende virtutem sacramenti. Decreuit Deus mortale hoc immortalitate vestire & mortalem vitam in vitam æternam transferre. Propterea cibum in cibum mutauit, panem vitæ in panem vitæ, sed panem vitæ trāsitoriæ in panem vitæ æternæ: vt & mutatione cibi in cibum credatur, & intelligatur, speretur, & expectetur mutatio mortalis vitæ in immortalem vitam: vt dum mutabilitate temporum ad mortem trahimur, ipsa morte in meliꝰ mutandi mortem non timeamus: quia spes nostra immortalitate plena est. Homini quippe infirmo, & de infirmitate perfectè curando, cibum mutari oportuit: vt vitali cibo vetiti & letiferi cibi malitia curaretur, cibi concessi imperfectio instauraretur. Cibus vetitꝰ non potuit nisi inferre mortem, cibus cōcessus non potuit nisi differre mortem: nisi Christi benedictione vertatur in cibum, qui potest auferre mortem. Substantialis mutatio panis veri in verum corpus Christi, mutationem mortalis vitæ in immortalem vitā sic quodammodo operatur, & sic significat, vt tamen ex aliqua parte dissimilis sit, & ex aliqua parte similis. Nam, vt ait Apostolus, *Vnus panis vnum corpus multi sumus, omnes qui & de pane vno, & de vno calice participamus.* Tota enim Ecclesia in vniuersa electorum multitudine vnus panis est, & ipsa tota corpus Christi est; & quicumq; in corpore & de corpore Ecclesiæ sumus, vnus panis sumus, & membra Christi sumus: & per quādam mutationem quasi aliud erimus, quam nunc sumus: quia nondum apparuit quid erimus. Mutatio tamen, quæ circa nos futura est, naturæ quidem erit in alteram gloriam, sed non in alteram naturam. Tanta tamen & talis erit mutatio, vt illa substantiali mutationi ex aliqua parte possit assimilari. Nam si cōuersio nostra de malo ad bonum in præsenti tempore id efficit in nobis, vt simus aliquod initium creaturæ Dei, & quasi noua creatura in Christo; propter quod Propheta dicit. *Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextera Excelsi*: quid tunc erimus, quid inquam erimus, cum absorbebitur quod mortale est à vita, cum reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem trāsformabimur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu? Filij resurrectionis & æquales Angelis Dei ita nobis dissimiles erimus, vt pene nihil minus existimari possimus quam nūc quod sumus. Virtus itaque huius mysticæ mutationis consummatio est beatæ vitæ; sed quoniam ad cōsummationē beatæ vitæ rectissimè peruenitur per consummationem iustitiæ, id est bonæ vitæ: ipsa quoque consummatio bonæ vitæ per conversionem vini in sanguinem nobis suggeritur: & si aduertere delectat, salubriter intimatur. Quod vt magis elu-

Cibum in cibum mutat Deus.

1. Cor. 10.

Ecclesia vnus panis est & vnum corpus.

Psalm. 76.

ceat, ad viam intelligentiæ præstruendam, de alijs conuersionibus adiungendum est.

De mystica significatione mutationis vini.

LEGITVR quædam conuersio aquæ in sanguinē, sed apud Ægyptios, sicut scriptum est. *Et conuertit in sanguinem flumina eorum.* Legitur alia conuersio aquæ in vinū in nuptijs, quæ factæ sunt in Cana Galilææ. Legitur & hæc tertia vini in sanguinem, quæ facta est in cæna Domini, & quotidie in Ecclesia frequentatur. Prima conuersio hoc indicare potest, quod aqua mortiferæ sapiētiæ quæ est sapientia huius mundi, vel prudentia carnis, in sanguinem, hoc est in mortem eis vertitur, qui ambulāt secundum carnem, nec sapiunt ea, quæ sursum sunt, sed quæ super terram. Nam sicut scriptum est, *Prudentia carnis mors est; & sapientia carnis inimica est Dei.* Vnde per increpationem Propheta dicit. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam; & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?* Omnis terena sapientia odibilis Deo, de qua bibunt Ægyptij, id est amici huius mundi, qui sunt inimici Dei, aqua Ægypti est, quæ in sanguinem vertitur. Sanguis enim eius super eum, quicumque biberit ex ea. Secunda conuersio, quæ est aquæ in vinum, indicare potest conuersionem timoris in amorem iustitiæ. Est enim aqua sapientiæ salutaris, & initium sapientiæ timor Domini: Timere Deum sapere est; sed timor sine amore nondum saporem vini habet, sed est sicut aqua insipida. Timor enim pœnam habet, & qui timet, quodāmodo ipsam pœnam sentit, aut præsentit, quam metuit. Amor autem iustitiæ vinū lætitiæ est, quod lætificat cor hominis. Iustitiæ enim Domini rectæ, lætificantes corda. Hæc autem conuersio in nuptijs fit, quia in fide & iustitia desponsata est Ecclesia Deo, illa vtique iustitia, quæ ex fide est Christi IESV. Quæquidem iustitia amoris est, non solius timoris; sicut iustitia legis. Propter quod Apostolus ait. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Amor autem iustitiæ bonam vitam informat, vt bona sit; sed non consummat, nisi perfectus sit. Quæ est enim consummatio, quæve perfectio, nisi illa, de qua dicitur, *Maiorem charitatē nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis?* Vinum ergo in sanguinem conuertitur, cùm iustitia delectat, & intantum delectat, vt contra iniustitiam vsque ad sanguinem resistere deliberatum fit. Hæc est enim perfectio iustitiæ; nam de imperfectione, quæ è diuerso est, Apostolus scribens ait. *Nondum vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes.* Si ergo iustitia conuertatur in iudicium, si iustus contra tentationem siue persecutionem super femur suum gladio accingatur; si vtilius iudicet mori, quàm à iustitia declinare: si dicat, *Melius est incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei*: si cum Apostolo dicat, *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*: si coram hominibus iudicandus pro confessione veritatis vel defensione iustitiæ, fidelis inveniatur, cum Christo in futuro iudicaturus: si æmulator passionis Christi calicem Christi sitiat & dicat, *Calicem salutaris accipiam*: jam tunc cōsummata est virtus huius sacramenti, & vinum in sanguinem conuertitur: & qui eiusmodi est, martyris nomine dignus est, & testis fidelis inuenitur, testimonium dans in terra: quia tres sunt

Psalm. 77.

Multiplex aquæ conuersio in Scripturis.

Rom. 8.

Ierem. 2.

Rom. 8.

Ioan. 15.

Quando vinum in sanguinem mysticè conuertatur.

Hebr. 12.

Daniel. 13.

1. Cor. 9.

Psal. 115.

qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus iustorum aqua pœnitentium, & sanguis martyrum. Quomodo sacrificium veritatis à Domino sit institutum ex Euãgelio Matthæi hactenus annotauimus; consequens est, vt eiusdem sacrificij instituẽdi modum & ordinem, ex Euangelijs Marci & Lucæ Euangelistarum attendamus.

Ex Euangelio Marci. Et manducantibus illis,
Marc. 14. Accepit IESVS panem, & benedixit, *&c. vsque ad illud,* Non bibam de genimine vitis.

Matth. 26. PRO eo quod Matthæus dicit, *Accipite & comedite,* Marcus dicit, *Sumite,* pro duobus vnum verbum ponens; nec immeritò. Nam qui accipit, sumit; & qui comedit sumit. Cætera omnia apud Matthæum & Marcum non solum eadem sunt, sed penè ijsdem verbis enunciata sunt; nisi quòd Marcus solus ponit, *Et biberunt ex eo omnes.*

Ex Euangelio Lucæ. Et ait illis. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum,
Luc. 22. *vsque ad illud,* Qui pro vobis fundetur.

DEsiderio noui sacrificij inchoandi desiderat Dominus vetus pascha terminari: propter quod exaggerans magnitudinem desiderij sui, dicit. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Volens siquidem cõsummare, quæ ante passionem consummanda erant, quasi festinat ad passionem, vt nostram acceleret salutem. De veteri ergo sacrificio intelligendum est, quod dicit. *Desiderio desideraui, &c.* Cuius veteris consummationem & mutationem
Ibidem ostẽdens, dicit. *Dico enim vobis, quod ex hoc non mãducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Quasi diceret. Ex hoc tempore illud vetus sacrificiũ non mãducabo, & solemnia Paschalis obseruantiæ non iterabo; sed quod figuræ deest, per sacramentum veritatis in regno Dei implebo. Deinde subiungit de calice dicens. *Et accepto calice,*
Duos calices Lucas memorat. *gratias egit & dixit, Accipite, & diuidite inter vos.* Solus iste Euãgelista duos commemorat calices, vnum pertinẽtem ad vetus sacrificium, alterum ad novum: cõmemorato eo qui ad vetus pascha pertinet, de eius translatione subiungit dicens. *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Sicut suprà commemorauimus, vbi Matthæus ponit, *Benedixit ac fregit;* & vbi Marcus ponit, *Benedicens fregit,* ibi Lucas ponit, *Gratias egit & fregit;* & Paulus cum Luca concordans ponit, *Et gratias agens fregit.* Quod verò Lucas ponit, *quod pro vobis datur,* nec Matthæus nec Marcus dicit: pro quo Paulus dicit, *quod pro vobis tradetur.* Similiter quod Lucas dicit, *Hoc facite in meam commemorationem,* nec Matthæus nec Marcus dicit; nisi pro eodem accipiatur, *Hoc facite in meam commemorationem,* quod Lucas dicit, & *sumite,* quod Marcus dicit, & *Accipite & comedite,* quod Matthæus dicit. Sed quia Paulus vtrumque ponit, videlicet, *Accipite & manducate,* pro quo Matthæus dicit, *Accipite & comedite,* & hoc quod Lucas dicit, *Hoc facite in meam cõmemorationem,* hinc videtur aliquid interesse inter hoc, quod Matthæus dicit, *Accipite & comedite,* & hoc quod Lucas dicit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad commemorationem itaque Dominicæ mortis faciendam, & in Ecclesia frequentãdam, certum est hoc pertinere, quod scriptum est, *Hoc facite in meam cõmemorationem.* Apostolus enim hoc declarat, qui verba Christi de calice loquen-
1. Cor. 11. tis in hunc modum ponit. *Hic calix nouum testamentum in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Deinde adjungit; *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Hoc, inquit *facite in meam commemorationem.* His verbis nos Christus instituit ad se offerẽdum, ad se manducandum, ad se imitandum. Quasi diceret, Offerte vos, quod ego offero, manducate quod ego do; denique facite quod ego facio; sustinete pro me, sicut & ego pro vobis sustineo. Corpus vestrum & sanguinem vestrum pro inuicem date, & animas vestras pro inuicem ponite; sicut ego corpus vobis, & sanguinem meum do, & pro vobis animam meã pono, Iuxta quæ Salomon ait. *Cùm sederis ad mensam diuitis, diligenter attende, quæ apponuntur tibi; & immitte manum tuam, sciens quod talia oportet te præparare.* Sequitur Lucas & dicit. *Similiter & calicem, postquam cœnauit dicens, Hic est calix, &c.* Præmiserat de pane loquens, *Fregit & dedit eis.* Ad hoc respicit, quod hic dicit, *Similiter & calicem.* Ac si dicat, panem dedit, similiter & calicem dedit. Quod autem addidit, *Postquã cœnauit,* ad vtrumque videretur referendum, ad datum videlicet panem, & ad datum calicem, nisi cùm de pane fieret sermo, præmitteretur apud Matthæum. *Cœnantibus illis,* & apud Marcum, *Manducantibus illis.* Ex verbis itaque Matthæi & Marci videtur, quod inter cœnandum vel mãducandum panem dederit. Ex verbis Lucæ apparet, quòd postquam cœnauit, calicem dedit. Matthæus ergo & Marcus significare videntur, Dominum, panem & calicem discipulis dedisse, adhuc eis cœnantibus, quasi adhuc de cœna restaret. Et hoc quidem rectè dicitur, & rectè intelligitur, si pro cœna vna habeatur esus typici agni cum perceptione substituti sacramenti. Lucas verò, qui solus duos calices commemorat, quasi cœnam cum suo calice terminat, vbi Dominus nouam cum suo calice cœnam inchoat. Ergo quod dicit, postquam cœnauit, sic intelligi potest, postq̃ veteris sacrificij solemnia compleuit. Hoc itaq; dicere videtur, vt Dñicam cœnam à priori cœna distinguat, sicut calicem à calice distinguendum insinuat. Sequitur Lucas, & dicit, *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine.* Vt suprà diximus, Apud Matthæum & Marcum dicitur, *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Ad distinctionem ergo prioris calicis dictum videtur, quod Lucas Dominum dixisse cõmemorat. Alium enim potum, siue in eodem vase, siue in alio, Dominus ante propinauerat, de quo & dixit, *Accipite & diuidite inter vos.* At nõ ille calix, sed. *Hic est,* inquit, *calix,* id est potus, qui nunc est in hoc calice, *novum Testamentum.* Sub eodem sensu accipi possunt verba huius Euangelistæ, *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine,* & ea quæ Mattheus ponit, *Hic sanguis est noui Testamenti.* Quod si alius modus dicendi aliquam insinuat differentiam dicti, quæramus in similibus modum dicẽdi & rationem intelligendi. Apostolus ad Hebræos loquens, & eorum patientiam collaudans, inter cætera sic dicit. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Quæ sit autem melior substantia, paucis interpositis ostendens, ait. *Est autem fidei sperãdarum substantia rerum.* Quibus verbis significat, fidem esse causam, cuius virtute & merito à nobis obtineri possit substantia & facultas

Quid verba facite Christus fieri iusserit.

Prouer. 23.

Luc. 22.

Duas cœnas Lucas distinguit.

Luc. 22.

Hebr. 10.

Ibid. c. 11.

Mat. 26. Marci 14. 1. Cor. 11. Luc. 22.

& sufficientia omnium bonorum, temporalium & spiritualium, præsentium & futurorum, quæ nobis necessaria sunt, & quæ à Deo postulanda sunt, & speranda. Dilectio quoque dicitur plenitudo legis, & quod legis perficiendæ causa & virtus in ea consistat, sine qua nihil de lege saluriter impletur. Ex his exemplis colligi potest, qua ratione dignè possit intelligi, quod à Domino dictum est, *Hic est calix novum Testamentum.* Novum sanè testamentum noua lex est, continēs novum pactum, nonnumquam promissum. Novam enim obedientiam imposuit, & novam hæreditatem repromisit. Hæc est obedientia vsque ad mortem: illa est vita æterna post mortem. Fide autem huius calicis dignæque perceptionis adiuuamur & confirmamur ad hanc obedientiā implendam, & hanc promissionem obtinendam: & vtriusque rei causa & virtus in hoc calice constituta est, vt verè dictum sit, *Hic est calix novum testamentum.* Obedientiam vsque ad mortem requirit à nobis sanguis Christi, qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, hoc est, vt moriamur & commoriamur ei. Vicissitudinem pro vicissitudine, & mortem pro morte exigit à nobis, qui mortem auertit à nobis. Orem mirandam & obstupendam. Inde obligamur vsque ad mortem obnoxij, vnde per mortem dimittimur à morte liberi. Inde debitum mortis contrahitur, vnde debitum mortis absoluitur. Iam ergo ex noua causa debitores mortis sumus, quamvis ex veteri culpa, nihilominus ex noua gratia. Sed mors peccatorum pessima debitæ pœnæ quædā est exsolutio: sic tamen vt ingratitudinis nulla sequatur absolutio. Pretiosa mors sanctorum, pro morte Christi quædā est gratiarum actio, & vicissitudinis nonnulla similitudo. Nemo quippe sufficit humilitati ad æqualia respondere: sed quia benignus est, sufficit ei pro gratiarum actione qualemcumque suæ mortis similitudinem oblatam accipere. Si enim complātati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hæc autem similitudo mortis obedientia est vsque ad mortem, pertinēs ad hunc calicem, qui hic dicitur novum testamentum. Hinc Propheta dicit. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Ad hunc eūdem calicem pertinet nouæ repromissionis adeptio, quæ est huius nouæ obedientiæ retributio. Hinc idem Propheta dicit. *Calix meus inebrians quàm præclarus est. Et misericordia tua subsequetur me.* Quādiu? *Omnibus diebus vitæ meæ.* Quo fine, quo fructu? *Vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Hic est,* inquit, *calix noui testamēti.* Ac si diceret. Hic constituta est causa & virtus & ratio implendi quæ in nouo testamento præcepta sunt, & obtinendi quæ promissa sunt. Hic est finis & consummatio legis. Hic est plenitudo gratiæ & veritatis: hic est mysterium fidei, firmamentum spei, testimonium dilectionis nostræ, exemplum obedientiæ nostræ, pignus hæreditatis nostræ, sacramētum innovationis nostræ, confirmatio religionis nostræ. Novum enim testamentum est in meo sanguine confirmatum, nulloque ritu deinceps mutandum, vt sit legitimum sempiternum. Hic calix amatorium poculum est, quod nobis Christus confecit, arte quam ipse nouit. Cum hoc sanguine fuso amorem suum effudit, cum hoc infuso amorem suum infundit, lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Luc. 22. *Nouū Testamentum noua lex est.* *1. Petri 2.* *Christi morte mortis cōtraximus debitum.* *Psal. 115.* *Psal. 22.* *Testamentū nouum nullo ritu mutandum.*

Sic enim necesse erat nobis: sanguine fœdatos sanguine oportuit emundari. Quicumque enim ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, & nondum ex Deo natus est, necesse habet dicere. *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ.* Ierusalem sub specie mulieris apud Ezechielem dicitur. *Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo; & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue. Dixi inquam tibi in sanguine tuo, viue,* Et infra. *Et facta es mihi fœderata, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te.* Et Isaias. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Sanguis autem peccatoris in quo iustus lauat manus suas, non est sacramētum ablutionis, sed exemplum iudicij & timoris. Sanguis verò Christi sanctus & sanctificans, iustus & iustificans, de pollutis sanguine & conceptis de immundo semine mundos facit & candidos: sed illos singulariter & præcellēter, qui calicem passionis bibunt, & pro sanguine Christi fuso sanguinem suum fundunt, inter cæteros tam spectabiles, quàm mirabiles, vt de eis dici possit. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerūt? Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerūt eas in sanguine agni.* Non in suo sanguine, quamvis mundo, quamvis iusto, sed in sanguine agni, qui tollit peccata mūdi. Nemo enim sanctus credit suam iustitiam, suave passionem sibi sufficere ad emūdationem: sed quotquot sancti sunt, sanguine Christi sanctificati sunt, & ordināt testamentum eius super sacrificia. Hoc est testamentum præponendum omnibus sacrificijs carnalibus veteris testamenti, omnibusque sacrificijs spiritualibus noui testamenti. Hinc est enim omnis laus eorum, hinc omnis virtus eorum; hinc debetur iustitia, quæ nūc datur nobis. Hinc speranda est gloria, quæ reuelabitur in nobis: vt & in obtinenda promissione ordinetur testamētum super sacrificia. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si qua est ergo fides nostra, si qua spes, si qua charitas, si qua patientia; si qua humilitas; si quid gratiæ, si quid virtutis, si quid laudis coram Deo in nobis est, totum de hoc calice propinatur. Hinc enim manat omnis gratiarum diuisio; huc ergo redeat omnis gratiarum actio.

Psal. 50. *Ezech. 16.* *Apoca. 7.* *Nulli sācto sufficit iustitia propria.* *Rom. 8.*

Ex Evangelio Ioannis.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus &c. vsque ad illa verba, *Qui credit in me, non sitiet vnquam.* *Ioan. 6.*

De cibo qui perit, & de cibo qui non perit.

OMNIS creatura quæ vitam habet, cibum quoque vitæ suæ egentem habet. Considerate cuncta animantia, cunctaque germinantia in terra; quomodo viuunt, quomodo nutriūtur, quomodo singula de nutrimēto sibi accommodato quasi de cibo sibi cōtemperato pascuntur. Ignis quoque, quamvis vitam non habeat, vnde pascitur, vnde nutritur? quod consumit & deuorat, pabulum ignis est, iuxta quod Propheta ait. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibum ignis.* Sensus quoque corporei suis delectationibus pascuntur. Species desiderabilis & pulchritudo concupiscibilis desiderium est oculorum: nec satiatur oculus visu, nec auris auditu. Sensus mētis suas habet delicias in oblectationibus suis, præter illas delectationes quas

Omne viuēs habet cibum. *Isa. 9*

ex sensibus corporeis hauriunt. Memoria intelligentia & voluntas, vnde nutriuntur & pascuntur, vnde delectantur, & confortantur? Omnis autem rationalis creatura, siue Angelus bonus vel malus, siue homo bonus vel malus, cibo suo pascitur, secūdum qualitatem vitæ, qua feliciter vel infeliciter, bene vel male viuit. Pascūtur Angeli boni laude & amore & visione Dei. Hæc est eorum vitalis refectio, vitam eorum in æternum conservans: quæ semper reficit, & numquam deficit: à qua accipiunt, vt & ipsi numquam deficiant. Cibus verò Angeli apostatæ iniquitas eius, qua semper contra Deum superbus est: & malitia qua semper nobis maleuolus est, hęc enim ei placent, sicut è diuerso humilitas & charitas semper illi displicet, à quibus semper tam ieiunus, quàm vacuus. Cibus verò eius, quem diximus, quasi quædam fames est, qua semper esurit perditionē hominum, quos à se captos deuoret, & quasi in corpus suum ad consentiendum sibi traijciat. De peccatis ergo hominum, siue de ipsis peccatorib⁹ pascitur, & auidius, si quos iustos inuenire valeat, aduersus quos præualeat. Hinc scriptum est. *Cibus eius electus.* Ipse verò à malis glutitur, cùm consilium suggestionis eius in intimi sensus ventre recipitur, sicut scriptum est. *Dedisti eum escam populis Æthiopum* Et quicumque malis accedūt infracti, vel fraude deducti, tum à diabolo, tum ab ipsis malis deglutiuntur. Hinc Psalmista ait. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis: Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.* Et item. *Non dicant in cordibus suis, Euge euge anima nostræ, nec dicant, deuorabimus eum.* Illi quoque, qui per inuidiam & contentionem se lacerant & carpunt, vicissim se comedunt. Vnde Apostolus ad Galatas ait. *Quòd si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Talibus escis, iniquitate scilicet & malitia, nutritur & cōfortatur vita malorum, vita mala. Vita verò bonorum vita bona, quàm longè est ab iniquitate, & malitia, tam dissimilibus alimentis sustentatur & roboratur. Cibus enim iustorum est, tum iustitia, sicut scriptum est, *Beati qui esuriunt & sitiūt iustitiam*; tum ipse iustitiæ author Christus, qui dicit, *Ego sum panis viuus.* Hunc panem comedunt omnes iusti, vt iusti sint & iustè viuant, sine quo nulla est vita bona, nulla beata. Illi etiam qui verbo vel exemplo iustorum Christo lucrifiunt, & in partem iustorum cedunt, cibi sunt eorum, per quos ad Christum accedunt, iuxta quod Petro dictum est, *Macta & manduca* Cibus autem temporalis, quo corporalis vita sustentatur, vires & sensus corporis, vt valeant & vigeant, confortat & conseruat, sed vsu consumitur. Spiritualis verò cibus vires animæ & sensus corroborat & conseruat, nec vsu consumitur, sed quæ bona sunt nutriens & augens, contraria, id est vitia & peccata consumit. Vnde iusti, quia in eis & ab eis peccata consumuntur, ea quodāmodo comedere dicuntur, secūdum illud, quod scriptum est, vt in bonam partem accipiatur, *Peccata populi mei comedent*: secūdum quem modum & illud in bonam partem accipi potest, *Dedisti eum escā populis Æthiopum.* Ad eum verò cibum, quo bona vita nutritur & sustentatur, vt per hanc ad vitam beatam perueniatur, hæc Domini verba pertinent: de quibus quomodo intelligenda sint, consequenter dicendum est.

Cibus Angeli. — *Cibus damonis.* — *Habac. 1* — *Psalm. 73.* — *Psalm. 123.* — *Psalm. 34.* — *Gala. 5.* — *Cibus iustorum.* — *Matth. 5.* — *Ioan. 6.* — *Acto. 10.* — *Ose. 4.* — *Psal. 73.*

+ ❧❧❧ +

Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus.

POst miraculum de quinque panibus & duobus piscibus, turbæ venerunt Capharnaum, quærentes Dominum: & cùm ex insperato inuenissent eum trans mare, dixerunt ei. *Rabbi, quādo huc venisti? Respondit Iesus, & dixit eis. Amen amen dico vobis, quæritis me, nō quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Signa quidem viderant, quibus poterant diuinitatem eius cognoscere: sed quia occasione tēporalis refectionis, non devotione fidei, eum sequebantur: hanc ipsam eorum intentionē eis aperiens, vt vel sic Deū cognoscerent: mox ostendit, pro quo & quali cibo magis laborandum sit, dicens. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Hoc intelligi potest de iustitia, cuius amore pascuntur iusti: quam gratis dat filius hominis, gratis iustificans impiū. Iustitia autem permanet in vitam ęternam, secundùm illud. *Iustitia eius manet in sæculū sæculi.* Et illud. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Cibum operantur, qui perit, quicūque operantur iniquitatem: & qui præter fidem Christi quæ bona putant, operantur: & qui per occasionem, & non per veritatem, Christum sequuntur. Cibus autem qui nō perit, iustitia est: ea quæ ex fide est Christi Iesu, & ipse dator huius iustitiæ Iesus Christus: qui cùm esset apud Patrem panis Angelorum, inter homines homo fieri voluit, vt panem Angelorū manducaret homo. Dans autem fidem, quæ per dilectionem operatur: dat, vt in ipsum credatur, vt ipse diligatur, vt ipsi sicut vero Deo seruiatur. Denique seipsum dat manducandum: nobis autem operantibus dat. Propter quod dicit, *Operamini*; etiā cùm omne meritum nostrum præueniens, gratis dat. Hinc Apostolus ait. *Gratia salvi facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Cibū autem permanentem in vitam ęternam fili⁹ hominis dat per sacramentū dispensationis, qua fieri voluit fili⁹ hominis. Nec dare nō potest, quāvis filius hominis est: hunc enim Pater signauit Deus. Hunc quippe Pater, vt cibum talem nobis daret, proprio signo singularis sanctitatis à cæteris discrevit: vngens eum oleo exultationis prę participibus suis. Hoc autē quod dictum est, *Signauit Pater*, sic expositum sit, secundùm beatum Augustinum. Cæterùm secundùm B. Hilarium si expositio requiritur, ipsa eius verba in sua sinceritate ponenda sunt. Dicit itaq; in libro octauo de Trinitate. *Vnigenitus Dei, & per sacramentum salutis nostræ hominū filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo Patre ait. Et hoc ideo, quia vita æterna escam filius hominis esset daturus: vt per hoc potestas in eo danda ad æternitatem esca intelligi posset: quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis Dei contineret, vt quod signasset Deus, non aliud ex se, quàm formā Dei signantis afferret.* In eo quod dixerat Domin⁹, *Operamini cibum, qui permanet in vitam ęternam*, intellexerūt illi, se admoneri ad opera Dei facienda. Quęrunt ergo, quid faciēdo opera Dei valeant operari. Respondit Iesus, & dixit eis. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quē misit ille.* Quærebant ergo illi de operibus, quasi de multis: ille respondet de opere Dei, quasi de vno; vt ostendat omnia opera bona ex vno procedere. Cui simile est, quod Psalmista dicit. *Ope-*

Ioan. 6. — *Ibidem.* — *Psalm. 111.* — *Sap. 5.* — *Cibus qui nō perit quis* — *Ephes. 2.* — *Hilar. 8. de Trin. sub fi.* — *Ioan. 6.*

& sufficientia omnium bonorum, temporalium & spiritualium, præsentium & futurorum, quæ nobis necessaria sunt, & quæ à Deo postulanda sunt, & speranda. Dilectio quoque dicitur plenitudo legis, & quod legis perficiendæ causa & virtus in ea consistat, sine qua nihil de lege salubriter impletur. Ex his exemplis colligi potest, qua ratione dignè possit intelligi, quod à Domino dictum est, *Hic est calix novum Testamentum*.

Luc. 22. *NovũTestamentum nova lex est.*

Novum sanè testamentum noua lex est, continens novum pactum, nonnumquam promissum. Novam enim obedientiam imposuit, & novam hæreditatem repromisit. Hæc est obedientia vsque ad mortem: illa est vita æterna post mortem. Fide autem huius calicis dignæque perceptionis adiuuamur & confirmamur ad hanc obedientiã implendam, & hanc promissionem obtinendam: & vtriusque rei causa & virtus in hoc calice constituta est, vt verè dictum sit, *Hic est calix novum testamentum*. Obedientiam vsque ad mortem requirit à nobis sanguis Christi, qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, hoc est, vt moriamur & commoriamur ei.

1. Petri 2.

Vicissitudinem pro vicissitudine, & mortem pro morte exigit à nobis, qui mortem auertit à nobis. Orem mirandam & obstupendam. Inde obligamur vsque ad mortem obnoxij, vnde per mortem dimittimur à morte liberi. Inde debitum mortis contrahitur, vnde debitum mortis absoluitur. Iam ergo ex noua causa debitores mortis sumus, quamvis ex veteri culpa, nihilominus ex noua gratia.

Christi morte mortis cõtraximus debitum.

Sed mors peccatorum pessima debitæ pœnæ quædã est exsolutio: sic tamen vt ingratitudinis nulla sequatur absolutio. Pretiosa mors sanctorum, pro morte Christi quædã est gratiarum actio, & vicissitudinis nonnulla similitudo. Nemo quippe sufficit humilitati ad æqualia respondere: sed quia benignus est, sufficit ei pro gratiarum actione qualemcumque suæ mortis similitudinem oblatam accipere. Si enim complãtati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hæc autem similitudo mortis obedientia est vsque ad mortem, pertinẽs ad hunc calicem, qui hic dicitur novum testamentum. Hinc Propheta dicit. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*

Psal. 115.

Ad hunc eundem calicem pertinet nouæ repromissionis adeptio, quæ est huius nouæ obedientiæ retributio. Hinc idem Propheta dicit. *Calix meus inebrians quàm præclarus est. Et misericordia tua subsequetur me.* Quãdiu? *Omnibus diebus vitæ meæ.* Quo fine, quo fructu? *Vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Hic est*, inquit, *calix noui testamẽti.*

Psal. 22.

Ac si diceret. Hic constituta est causa & virtus & ratio implendi quæ in nouo testamento præcepta sunt, & obtinendi quæ promissa sunt. Hic est finis & consummatio legis. Hic est plenitudo gratiæ & veritatis: hic est mysterium fidei, firmamentum spei, testimonium dilectionis nostræ, exemplum obedientiæ nostræ, pignus hæreditatis nostræ, sacramẽtum innovationis nostræ, confirmatio religionis nostræ. Novum enim testamentum est in meo sanguine confirmatum, nulloque ritu deinceps mutandum, vt sit legitimum sempiternum. Hic calix amatorium poculum est, quod nobis Christus confecit, arte quam ipse nouit. Cum hoc sanguine fuso amorem suum effudit, cum hoc infuso amorem suum infundit, lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Testamentũ nouum nullo ritu mutandum.

Sic enim necesse erat nobis: sanguine fœdatos sanguine oportuit emundari. Quicumque enim ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, & nondum ex Deo natus est, necesse habet dicere. *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ.* *Psal. 50.*

Ierusalem sub specie mulieris apud Ezechielem dicitur. *Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo; & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue. Dixi inquam tibi in sanguine tuo, viue*, Et infra. *Et facta es mihi fœderata, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te.* *Ezech. 16.*

Et Isaias. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Sanguis autem peccatoris in quo iustus lauat manus suas, non est sacramẽtum ablutionis, sed exemplum iudicij & timoris. Sanguis verò Christi sanctus & sanctificans, iustus & iustificans, de pollutis sanguine & conceptis de immundo semine mundos facit & candidos: sed illos singulariter & præcellẽter, qui calicem passionis bibunt, & pro sanguine Christi fuso sanguinem suum fundunt, inter cæteros tam spectabiles, quàm mirabiles, vt de eis dici possit. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerũt? Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerũt eas in sanguine agni.* *Apoca. 7.*

Non in suo sanguine, quamvis mundo, quamvis iusto, sed in sanguine agni, qui tollit peccata mũdi. Nemo enim sanctus credit suam iustitiam, suave passionem sibi sufficere ad emũdationem: sed quotquot sancti sunt, sanguine Christi sanctificati sunt, & ordinãt testamentum eius super sacrificia. *Nulli sancto sufficit iustitia propria.*

Hoc est testamentum præponendum omnibus sacrificijs carnalibus veteris testamenti, omnibusque sacrificijs spiritualibus noui testamenti. Hinc est enim omnis laus eorum, hinc omnis virtus eorum; hinc debetur iustitia, quæ nũc datur nobis. Hinc speranda est gloria, quæ reuelabitur in nobis: vt & in obtinenda promissione ordinetur testamẽtum super sacrificia. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Rom. 8* Si qua est ergo fides nostra, siqua spes, siqua charitas, siqua patientia, siqua humilitas; siquid gratiæ, siquid virtutis, siquid laudis coram Deo in nobis est, totum de hoc calice propinatur. Hinc enim manat omnis gratiarum diuisio; huc ergo redeat omnis gratiarum actio.

Ex Euangelio Ioannis.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus &c. vsque ad illa verba, *Qui credit in me, non sitiet vnquam.* *Ioan. 6.*

De cibo qui perit, & de cibo qui non perit.

OMNIS creatura quæ vitam habet, cibum quoque vitæ suæ congruentem habet. *Omne viuens habet cibum.* Considerate cuncta animantia, cunctaque germinantia in terra; quomodo viuunt, quomodo nutriũtur, quomodo singula de nutrimẽto sibi accommodato quasi de cibo sibi cõtemperato pascuntur. Ignis quoque, quamvis vitam non habeat, vnde pascitur, vnde nutritur? quod consumit & deuorat, pabulum ignis est, iuxta quod Propheta ait. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibum ignis.* *Isa. 9* Sensus quoque corporei suis delectationibus pascuntur. Species desiderabilis & pulchritudo cõcupiscibilis desiderium est oculorum: nec satiatur oculus visu, nec auris auditu. Sensus oris suas habet delicias in oblectationibus suis; præter illas delectationes quas

ex sensibus corporeis hauriunt. Memoria intelligentia & voluntas, vnde nutriuntur & pascuntur, vnde delectantur, & confortantur? Omnis autem rationalis creatura, siue Angelus bonus vel malus, siue homo bonus vel malus, cibo suo pascitur, secûdum qualitatem vitæ, qua feliciter vel infeliciter, bene vel male viuit. Pascûtur Angeli boni laude & amore & visione Dei. Hæc est eorum vitalis refectio, vitam eorum in æternum conseruans: quæ semper reficit, & numquam deficit: à qua accipiunt, vt & ipsi numquam deficiant. Cibus vero Angeli apostatæ iniquitas eius, qua semper contra Deum superbus est: & malitia qua semper nobis maleuolus est, hęc enim ei placent, sicut è diuerso humilitas & charitas semper illi displicet, à quibus semper tam ieiunus, quàm vacuus. Cibus vero eius, quem diximus, quasi quædam fames est, qua semper esurit perditionē hominum, quos à se captos deuoret, & quasi in corpus suum ad consentiendum sibi traijciat. De peccatis ego hominum, siue de ipsis peccatorib⁹ pascitur, & auidius, si quos iustos inuenire valeat, aduersus quos præualeat. Hinc scriptum est. *Cibus eius electus*. Ipse verò à malis glutitur, cùm consilium suggestionis eius in intimi sensus ventre recipitur, sicut scriptum est. *Dedisti eum escam populis Æthiopum* Et quicumque malis accedût infracti, vel fraude deducti, tum à diabolo, tum ab ipsis malis deglutiuntur. Hinc Psalmista ait. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: Cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos.* Et item. *Non dicant in cordibus suis, Euge euge anima nostra, nec dicant, deuorabimus eum.* Illi quoque, qui per inuidiam & contentionem se lacerant & carpunt, vicissim se comedunt. Vnde Apostolus ad Galatas ait. *Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Talibus escis, iniquitate scilicet & malitia, nutritur & côfortatur vita malorum, vita mala. Vita verò bonorum vita bona, quàm longè est ab iniquitate, & malitia, tam dissimilibus alimentis sustentatur & roboratur. Cibus enim iustorum est, tum iustitia, sicut scriptum est, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*; tum ipse iustitiæ author Christus, qui dicit, *Ego sum panis viuus.* Hunc panem comedunt omnes iusti, vt iusti sint & iustè viuant, sine quo nulla est vita bona, nulla beata. Illi etiam qui verbo vel exemplo iustorum Christo lucrifiunt, & in partem iustorum cedunt, cibi sunt eorum, per quos ad Christum accedunt, iuxta quod Petro dictum est, *Macta & manduca* Cibus autem temporalis, quo corporalis vita sustentatur, vires & sensus corporis, vt valeant & vigeant, confortat & conseruat, sed vsu consumitur. Spiritualis verò cibus vires animæ & sensus corroborat & conseruat, nec vsu consumitur; sed quæ bona sunt nutriens & augens, contraria, id est vitia & peccata consumit. Vnde iusti, quia in eis & ab eis peccata consumuntur, ea quodamodo comedere dicuntur, secûdum illud, quod scriptum est, vt in bonam partem accipiatur, *Peccata populi mei comedent*: secûdum quem modum & illud in bonam partem accipi potest, *Dedisti eum escā populis Æthiopum.* Ad eum verò cibum, quo bona vita nutritur & sustentatur, vt per hanc ad vitam beatam perueniatur, hæc Domini verba pertinent: de quibus quomodo intelligenda sint, consequenter dicendum est.

Cibus Angeli. — *Cibus damonis.* — *Habac.* 1 — *Psalm* 73. — *Psalm.* 123. — *Psalm.* 34. — *Gala.* 5. — *Cibus iustorum.* — *Matth.* 5. — *Ioan.* 6. — *Acto.* 10. — *Ose.* 4. — *Psal.* 73.

+ ✠✠✠ →

Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus.

POst miraculum de quinque panibus & duobus piscibus, turbæ venerunt Capharnaum, quærentes Dominum: & cùm ex insperato inuenissent eum trans mare, dixerunt ei. *Rabbi, quādo huc venisti? Respondit Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, quæritis me, nō quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Signa quidem viderant, quibus poterant diuinitatem eius cognoscere: sed quia occasione tēporalis refectionis, non deuotione fidei, eum sequebantur: hanc ipsam eorum intentionē eis aperiens, vt vel sic Deū cognoscerent: mox ostendit, pro quo & quali cibo magis laborandum sit, dicens. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Hoc intelligi potest de iustitia, cuius amore pascuntur iusti: quam gratis dat filius hominis, gratis iustificans impiū. Iustitia autem permanet in vitam ęternam, secundùm illud. *Iustitia eius manet in sæculū sæculi.* Et illud. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Cibum operantur, qui perit, quicûque operantur iniquitatem: & qui præter fidem Christi quæ bona putant, operantur: & qui per occasionem, & non per veritatem, Christum sequuntur. Cibus autem qui nō perit, iustitia est: ea quæ ex fide est Christi Iesu, & ipse dator huius iustitiæ Iesus Christus: qui cùm esset apud Patrem panis Angelorum, inter homines homo fieri voluit, vt panem Angelorū manducaret homo. Dans autem fidem, quæ per dilectionem operatur: dat, vt in ipsum credatur, vt ipse diligatur, vt ipsi sicut vero Deo seruiatur. Denique seipsum dat manducandum: nobis autem operantibus dat. Propter quod dicit, *Operamini*, etiā cùm omne meritum nostrum præueniens, gratis dat. Hinc Apostolus ait. *Gratia salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Cibū autem permanentem in vitam ęternam fili⁹ hominis dat per sacramentū dispensationis, qua fieri voluit fili⁹ hominis. Nec dare nō potest, quāuis filius hominis est: hunc enim Pater signauit Deus. Hunc quippe Pater, vt cibum talem nobis daret, proprio signo singularis sanctitatis à cæteris discreuit: vngens eum oleo exultationis prę participibus suis. Hoc autē quod dictum est, *Signauit Pater*, sic expositum sit, secundùm beatum Augustinum. Cæterùm secundùm B. Hilarium si expositio requiritur, ipsa eius verba in sua sinceritate ponenda sunt. Dicit itaq; in libro octauo de Trinitate. *Vnigenitus Dei, & per sacramentum salutis nostræ hominū filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo Patre ait. Et hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus: vt per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset: quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis Dei contineret, vt quod signasset Deus, non aliud ex se, quàm forma Dei signantis afferret.* In eo quod dixerat Domin⁹, *Operamini cibum, qui permanet in vitam æternam*, intellexerūt illi, se admoneri ad opera Dei facienda. Quęrunt ergo, quid faciēdo opera Dei valeant operari. Respondit Iesus, & dixit eis. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quē misit ille.* Quærebant ergo illi de operibus, quasi de multis: ille respondet de opere Dei, quasi de vno; vt ostendat omnia opera bona ex vno procedere. Cui simile est, quod Psalmista dicit. *Ope-*

Ioan. 6. — *Ibidem.* — *Psalm.* 111. — *Sap.* 5. — *Cibus qui nō perit quis* — *Ephes.* 2. — *Hilar.* 8. *de Trin. sub fi.* — *Ioan.* 6.

ra manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Fides verò operãs per dilectionem ipsa est opus Dei, & initium bonorũ operum in nobis. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Quærẽtibus ergo eis, quæ sint opera Dei, quia nondum fidem habebant, sine qua opera Dei operari non valebant, inuitantur ad fidem, quæ est opus Dei: vt videlicet in eum credant, quem misit Deus. Intelligentes illi hoc ab ipso de se dici, dixerunt ei. *Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris?* Ecce Iudæi signa petunt, nec sufficit eis signũ de quinque panibus. Parum enim est hoc, vt credatur Christus tam potens, vt possit dare cibum permanẽtem in vitam æternam, quia dedit panes hordeaceos. Quia Moyses tanta non promisit, per quem manna de cœlis datum est eis. Comparant ergo signum per Moysen factum huic signo de quinque panibus, tãquam maius minori; quasi fide indignum sit, quod de se dixerat. Dicunt itaque *Patres nostri manna manducauerunt in deserto, sicut scriptum est. Panem de cœlo dedit eis mãducare.* Ad hoc quod dixerat, panem de cœlo patribus datum, respondet Christus, ostendens verum panem de cęlo non esse datum per Moysen; sed nunc à Patre. Dicit ergo eis. *Amen amen dico vobis, nõ Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo. Verus enim panis est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Pater meus dat vobis panem verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. Illi verò carnaliter hæc intelligentes, dixerũt ad eum. *Domine, semper da nobis panem hunc.* Quomodo mulier Samaritana, cui dictum est, *qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum;* continuò hoc secũdum corpus accipiens, & corporali indigentia carere volens, *Domine*, inquit, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Sic & isti, *Domine, da nobis hunc panem*, videlicet qui reficiat, & nõ deficiat: propter quod miraculum de quinque panibus eum Regem facere voluerunt. Ipse verò reuocat eos ad se, & quem panem dixit, euidẽtiùs aperit dicens, *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* Qui venit ad me, hoc est, quod ait, *& qui credit in me;* & quod dixit, *non esuriet*, hoc intelligendum est, & non sitiet vnquam. Vtroque enim significatur æterna satietas, vbi nulla est egestas. Sapiẽtia tamen dicit. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Christ' qui est Dei sapientia in præsenti non manducatur in satietate desiderij; sed in desiderio satietatis: & quanto plus eius suauitas gustatur, tanto magis desiderium irritatur. Propterea qui edunt me, adhuc esuriẽt, donec veniat satietas. Cùm autem in bonis repletum fuerit desiderium, tunc nec esurient, neque sitient ampliùs. Potest etiam secundum futurum statum intelligi, quod dictum est, *Qui edunt me, adhuc esurient, &c.* Est enim in illa æterna satietate quasi quædam esuries, non egestatis, sed felicitatis; vbi semper manducare appetunt, qui manducare numquam nolunt, & in satietate numquam fastidiunt. Est enim satietas sine fastidio, & desiderium sine suspirio. Christus enim in decore suo semper admirabilis, semper est & desiderabilis, in quem desiderant Angeli prospicere. Ergo & cùm habetur, desideratur; & cùm tenetur, quæritur, sicut scriptum est. *Quærite faciẽ ejus semper.* Semper n. quęritur, qui adhuc diligitur, vt semper habeatur. Itaque & qui inueniunt, adhuc quærũt, & qui edunt, adhuc esuriunt: & qui bibunt, adhuc sitiunt. Sed hæc inquisitio omnem solicitudinem tollit, sed esuries omnem esuriem pellit, sed hæc sitis omnem sitim extinguit. Non est egestatis, sed consummatæ felicitatis. De illa enim quæ egestatis est, dicitur. *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* De ea verò quæ felicitatis est, dicitur. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Possunt autem pro eodem accipi esuries & sitis, siue in egestate, siue in felicitate. Quod si distinctio aliqua requiritur, occasionem dat Psalmista requirentibus eam, cùm dicit. *Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis.* Christus in se credentibus cibus est & potus, panis & vinum: panis cùm cõfirmat & solidat, de quo Petrus ait. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Potus vel vinum est, cùm lætificat. Ad quem Propheta, *Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine, animam meam leuaui.* Quicquid in nobis est forte & validum & firmum, lætum aut iucundum, in mandatis Dei faciendis, in malis tolerandis, in executione obedientiæ, in defensione iustitiæ; totum hoc robur est, & firmamentum huius panis, aut lętificatio huius potus. Beati qui fortiter & hilariter agunt. Et quia hoc à se nemo habet, beati qui auidè desiderant, quæ iusta & honesta sunt, sectari; & in omnibus ab eo cõfortari, & exhilarari, qui dicit. *Beati qui esuriunt iustitiam.* Quod si Christus secundum præsentem iustorum fortitudinem & lætitiam panis est & potus, quantomagis in futuro hoc erit, secundum quod iustis tunc erit? In superioribus Christi verbis aduerti potest, cibum hunc qui permanet in vitam æternam, dici panem de cœlo, panem verum, panem Dei, panem vitæ: & eius vtilitas ostenditur, quod vitam dat mundo, & quòd esuriem & sitim in perpetuum excludit. Panis ergo de cœlo dicitur, vt ostendatur, vnde sit, & discernatur à terreno pane, qui perit. Panis verus dicitur à manna, quod in figura huius veritatis præcessit. Panis Dei dicitur, vt discernatur à pane, qui arte hominis pistoris conficitur & paratur: hic enim à Deo paratus & præparatus est, sicut scriptum est *Parasti cibum illorum, quoniam ita est preparatio ejus.* Panis vitæ dicitur, vt discernatur à pane hoc corruptibili, qui nec vitæ est, nec vitam dat: sed vix & ægrè ad tempus vitam seruat. Hic autem vita est, & vitam dat, & vitam seruat, quæ morti mortisque causæ nihil debeat.

Psalm. 89. | Fides opus Dei dicitur. | Ioan. 6. | Ibidem. | Ioan. 4. | Eccli. 24. | In cœlo satietas sine fastidio. | Psal. 105. | Eccli. 24. | Psal. 103. | 1. Petri. 5. | Psalm. 85. | Matth. 5. | Eucharistia dicitur panis de cœlo, panis verus, &c. | Psalm. 64.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, &c. vsque ad illud. Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum. Ioan. 6.

CHRISTVS est panis vitæ, credentibus in eum. In Christum credere hoc est panẽ vitæ manducare, hoc est Christum in se habere, hoc est etiam vitam æternam habere. Hoc ostendere volens Christus dicit. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et quid dixerit, declarans addit. *Ego sum panis vitæ.* Compendio dici potuit. Qui credit in me, habet me, propterea vitam æternam habet. Habet quidem in causa, habet in merito, habet in spe, habet in pignore, habet vnde habeat. Denique qui Christum habet in se, vitam æternam habet nondum reuelatam in se, sed in Christo abscõditam, quem habet in se. Vita enim

nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc ergo optima gratia, quæ nobis in Christo reposita est, iam habetur in Christo, ex eo quòd Christus habetur huius gratiæ repromissor & dator, custosq; fidelis: habens eam penes se depositam, & redditurus eam in die reuelationis gloriæ filiorum Dei. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ*. Hoc priùs dixerat, & huius repetitio confirmatio est, vel fortè munerum eius distinctio: vt vtriusq; vitæ, & illius, quæ nunc bona est: & illius, quæ futura est beata, vnus ipse dator intelligatur, & author. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.* Hoc de morte spirituali intelligendum est. Quare mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: & quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, & infidelium filiorū infideles patres. Quātùm pertinet ad mortem istam corporalē, & nos morimur, qui manducamus panem de cælo descendentem: quantùm pertinet ad mortem spirituale, manducavit manna Moyses, manducauit Aaron, manducauerunt & multi, qui Deo placuerunt, & mortui non sunt. Quare non sunt mortui? Quia spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, vt spiritualiter satiarentur. *Hic est*, inquit, *panis viuus de cælo descendens, vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur.* Hic ipse panis, id est Christus, qui infidelibus loquebatur, significatus est per manna, sed plus potest quàm manna. Manna enim ipsū nec fidelibus nec infidelibus præstare potuit, vt spiritualiter non morerentur; sed Christus qui in manna significatus est, quem intellexerunt in manna antiqui justi, & in ipsum venturum crediderunt, omnibus credentibus in eum præstat, vt spiritualiter non moriantur. Propterea dicit. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex eo mãducauerit, non moriatur.* Hic nunc in terra, nunc in oculis vestris, non cordis, sed carnis, est panis de cælo descendens. Et mox se esse hunc panem, aperit dicens. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Ecce nunc panis viuus dicitur, qui panis vitæ antea dictus est. Viuus autem panis est, quia vitam habet in se manentem: & quia potest spiritualem mortē auferre, & vitam conferre. Nam de morte auferenda præmittit, dicens. *Vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur.* De vita verò conferenda, subiungit. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Ioan. 6.

Ibidem

A morte spirituali saluat corpus Christi.

Ioan. 6.

Et panis quem ego dabo, caro mea est, &c. vsq; ad illud, *Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ibidem.

Verbū Dei dat escam, & est esca.

Psal. 103. & 144.

VErbum Dei aliis dat escam, aliis ipsum est esca. Escam enim dat, sicut scriptū est. *Omnia à te expectant, Domine, vt des illis escam in tempore.* Et iterum. *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tēpore oportuno. Aperis tu manū tuam, & imples omne animal benedictione.* Rationali autem creaturæ, quæ sola iustitiæ & beatitudinis particeps esse potest, si per ppriā voluntatem ab ea non est aversa, sed per amorē obedientiæ ad illum conversa, vt non sibi, sed illi viuat, sic cibum dat, vnde viuat, vt sit illi cibus, cuiꝰ participatione bene & beatè viuat. Postquā ergo dixerat se esse panem viuū, qui de cælo descendit, & qui vitam æternam dare potest, in quo significauit se Deum esse, & vitā Angelorum & hominum: cōsequenter, vt plus mirentur, ostendit, assumptam carnem cibū esse vitalem, & à se dari pro mundi vita, dicens. *Et panis quē ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Corpꝰ Christi caro est secundùm proprietatem naturæ: & panis dicitur, vel quia sub specie panis offertur, vel quia per panē pro similitudine virtutis suæ nonnumquam significatur. *Litigabant ergo Iudæi.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panē carnem? Vocatur caro, quod nō capit caro: & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerūt, hoc ad se multū esse dixerunt, hoc non posse fieri putauerunt: vnde & litigabāt ad invicem dicentes. *Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? Quomodo* nūc piam inquisitionem significat credentis, vt ibi. *Quō fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Nūc impiam negationem non credentis, vt hic. *Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico vobis.* Ac si diceret. Etsi ignoretis, etsi credere detrectetis; tamen verum est, quòd nisi manducaueritis carnē filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Hoc intelligendum est de spirituali vita, qua iustè viuitur: & de æterna, qua beatè viuitur. Neutrā verò habebit, qui non manducat.

Quo sensu Eucharistia panis dicatur.

Ioann. 6.

Ibidem.

Luca 1.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eū in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

QVod dixerat non habere eum, qui non mãducat, illud idem ostendit habere illū, qui manducat, dicens. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitā æternam.* Iam nunc habet, sicut prediximus, vel secundùm spiritum, etsi non secundùm carnem. Spiritus enim iustorum Deo adhærentes, ab eius dilectione nūquam separabuntur: & ideo semper viuent. Vnde & dicitur *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Et iterum scriptum est. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Ex his verbis poterant illi cogitare, non esse illum moriturum corporali morte, qui hanc carnem manducaret. Huic cogitationi occurrit dicens. *Et ego resuscitabo eum.* Quasi diceret. Non nego esse corporali morte moriturum, qui cārnem meam manducat. Morietur quidem secundum carnem, sed resuscitabo eū, vt nec caro vita æterna fraudetur; sed hoc erit in novissimo die. Mox vt ostendat, hunc cibum sufficientem esse omnē indigentiam tollere, & vitam, & omnem sufficientiam præstare, adjungit. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cùm cibo & potu id appetant homines, vt viuant & non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit. Hic ergo verè est cibus, qui verè præstat, quod in cibo appetitur: vnde carni & animæ vitam & omnem sufficientiam præstare potest, vt nullius vltra indigeat. Hinc pro vtriusque indigentia tollenda Propheta clamat. *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.*

Mat. 22.

Sap. 3.

Ioan. 6.

Psalm. 62.

QVI *manducat meam carnem.* Christus duobus modis manducatur: quia duobus modis participatur. Vna est participatio per fidem: non eam nunc dico, quæ in mortuis, id est peccatoribus mortua est: sed eam, ex qua iustus viuit, de qua superiùs dictum est. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Hæc autem fides sine charitate non est. Per fidem autem iustificamur, & participes amicitiæ Dei efficimur: per fidem habitat Christus in cordibus nostris, & se nobis cognoscendum

Duobus modis corpus Christi manducatur.

Ioann. 6.

indulget, & participandum. Verbum Patri coæternũ, vnum cum Patre Deum verum cognoscũt Angeli per speciem: per fidem vnigenitum, qui est in sinu Patris, de cælo ad nos missum, & propter nos incarnatum, panem viuum, qui de cęlo descendit, manducamus. Cognoscentes per fidẽ carnem pro nobis acceptam, nobis in cibum datam, carnem Christi mãducamus. Est ergo fides vnitatis, & fides vnionis, & fides communionis. Fide vnitatis credimus Filium vnum esse cũ Patre, sicut ipse dicit. *Ego & Pater vnũ sumus.* Huic fidei adiuncta est fides Trinitatis. Non enim fidem vnitatis in Dęo, id est vni⁹ diuinitatis, plenè habet, nisi qui credit, singulas trium Personarum esse vnum Deum, & omnes tres simul non esse nisi vnum Deum. Mysteriũ enim vnitatis in Trinitate continet mysterium Trinitatis in vnitate. Et sine fide Trinitatis fides vnius Dei plena non est: quia Trinitas vnus Deus est. Fide vnionis credimus, quòd vnigenit⁹ Filius Dei humanam naturam in vnitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet vnitã. Huic fidei adiuncta est fides vnitatis, qua credimus, vnã esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidẽ habet huius vnionis, qui credit duas naturas in vna persona non vniri: vel personã in duabus naturis diuidi. Fide cõmunionis credimus sacrosanctam Christi carnem viuificatricem & sanctificatricem nobis dispensari, & communicari in remissionem peccatorum, Dęo mirabiliter dispẽsante: qui hoc ipsum à nobis voluit in alimoniam sumi, quod à se voluit pro nobis, & de nobis assumi. Huic fidei adiũcta est fides passionis, quę in oblatione sacræ communionis repręsentatur, vbi & mors Domini annuntiatur.

Ioan. 10. — *Fides vnius Dei requirit fidẽ Trinitatis.*

Sũma fidei. Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christũ in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summã colliguntur, & quæcumq; scripta sunt in lege & Psalmis & Prophetis, ad hunc finem dirigũtur, vt Christus cognoscatur, & agnitus diligatur. Quicumque igitur iustificatus per fidem, dignè & piè & fideliter sentit de sacramento vnitatis, sacramẽto vnionis, & communionis, hic panem Angelorum qui in cęlo est, hic panem viuum qui de cælo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, & participando manducat. Hoc dictum sit de vno modo manducandi, quo Christ⁹ fidetenus à iustis manducatur; pro quo vno tres modi distingui possunt, secundum fidem vnitatis, vnionis, & communionis. Aliud est enim credere de diuinitate Christi quod dignũ est, aliud de humanitate eius quod verum est, aut secundũ gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Veruntamen plures modi ad vnum modum generalem colligũtur: quia vna est fides Catholica mysteria cõtinens diuinitatis Christi & incarnationis, & sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit. *Crede & manducasti.* Alius verò modus est, cùm Christus non tantum fide & virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu & vsu & perceptione ipsius corporis & sanguinis sui intra nos recipitur; vt sit in nobis non solum per præsentiam diuinitatis, à qua conditi sumus, sed etiã per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, & dixit. *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad cõsummationem sæculi.* Dicit itaque. *Qui mãducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Augustin. in Ioan. 6. — *Matth. 28.* — *Ioan. 6.*

Et bibit meum sanguinem. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic & sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento, ac virtutẽ fidei, ex qua iustus viuit, quæ est etiam virtus sacramẽti. Quantum ad proprietatem substantiæ pertinet, aliud est caro, aliud est sanguis. Quantum ad sacramẽtum pertinet, alia est visibilis species, quę carnem Christi significat, & carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quę sanguinem significat, & sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat aliomodo in cruce oblatam: & sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum: hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam sicut in Leuitico scriptũ est, *Anima omnis carnis in sanguine est.* Cùm itaque caro & sanguis Christi diuersa sint, & in diuersis speciebus significẽtur, & diuersis modis sese repræsentent; vna tamen vtriusq; virtus esse ostenditur ex eo quod dicit. *Qui mãducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* & ex eo quod postea additur; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Quicumque verò fide Incarnationis & passionis Christi viuificatur, vt iuste viuat, id est, vt non sibi, sed Christo & in Christo viuat, hic carnem Christi ore fidei mãducat, & sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi & sanguis bibatur: nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur: quia vna est virtus vtriusque, qua vtrumque participatur: & vna vtriusq; vtilitas, quæ in vtroque per fidẽ obtinetur. Credenti enim vita ęterna datur: sicut Christ⁹ dicit. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Manducãti & bibenti datur: sicut ipse iterum dicit. *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quòd autem fides etiam ad potũ pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit, *Qui credit in me, non sitiet vnquam.* Per fidem ergo manducatur caro Christi, & per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remediũ salutis nostræ, & in carne & in sanguine Christi, nec diuiduntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ iustificat & viuificat, de qua Apostolus dicit. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt.*

Caro Christi oblata seipsam repræsentat crucifixam. — *Leuit. 17.* — *Ioan. 6.* — *Rom. 3.*

IN ME MANET, *& ego in illo. Superius ostendit,* quantam conferat vtilitatem caro Christi, si mãducetur, & sanguis eius, si bibatur: nunc autem ostendit, quantam familiaritatis & honoris conferat gratiã. Hoc enim præstat, vt ille sit in Christo, & Christus in illo, qui manducat. Magna est hæc, & inæstimabilis gratia, mansionẽ in Christo habere, & mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseueranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit. *Manete in dilectione mea.* In Christo itaq; manet, qui in tentatione nõ recedit: sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, & perseverandi cõstantia. Hinc est fruct⁹ iustitiæ qui manet, quem afferunt iusti, quia in Christo manet, sicut palmites in vite, qui non pos-

Ioan. 15.

non possunt fructũ facere, nisi manserint in vite. Est autem dilectio, qua à Deo diligimur, & est dilectio, qua Deum diligimus. In vtraque manemus, si Christum diligere perseueramus. Custodit enim Dominus diligentes se. Est enim quędã dilectio, qua fratres & ꝓximos nostros in Christo diligimus, sicut membra Christi, & corporis eius, quod est Ecclesia. Omnia hui⁹ corporis mẽbra vno spiritu viuificantur, videlicet Spiritu sãcto: sicut omnia membra hominis viuũt de vno spiritu hominis. Qui autẽ de spiritu Christi non viuunt, hi de corpore eius non sunt, nec mẽbra eius sunt, nec in Christo manent. At qui seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis; qui ius fraternitatis & spiritualis societatis inuiolabiliter seruant; qui ab ecclesiastica vnitate nec per hæreses, nec per schismata, nec per vitæ vel morum vitia se separãt; hi in corpore Christi & in Christo manent: quia verè Christum participant, & participando manducãt. Propter quod dicit. *Qui manducat meam carnẽ, in me manet.* Et addit. *Et ego in illo.* Nos confirmauit, ille iugiter in nobis operatur, vt maneamus & confirmemur in illo: quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Dñi manet in æternum. Hinc ipse dicit. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Qui dicit, *Ego diligentes me diligo*: in his, qui perseuerant diligere, mansionem facit Deus, vt maneant, manens ipse in manentibus in se. Sed quid est, quod dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit. & Pater meus diliget eum*: quasi priùs Christ⁹ à nobis diligatur, quàm nos diligamur à Patre, vel quàm ad nos veniat, & mansionem faciat Filius vnà cũ Patre: cùm Ioannes dicat, *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deũ: sed quia ipse prior dilexit nos.*? Facilis autem occurrit responsio, considerantibus, quòd & dilexit nos, & elegit in Filio, secundum propositum gratiæ suæ, ante mundi constitutionem; & quod nos diligit vocando, & iustificando, gratiam suam adaugendo, & per profectum iustitiæ ad perfectum ducendo, & in dilectione sua confirmando. Sicut enim profectu malitiæ mali obdurantur, & consuetudine peccandi obstinati redduntur: sic boni quodam ordine gratiæ incipientis & proficientis, à Deo præueniente, & veniente, & manente, ad perseuerantiam confirmantur. Hoc autem ordine ad vitam æternam perueniunt. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Christus itaque præuenit diligendo, & diligit præueniendo; quem qui diligit, diligetur à Patre dilectionis exhibitione, & abundatioris gratiæ collatione. Potest autem & alio modo intelligi, quod dictum est. *Pater meus diliget eum. Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum seruabit*, id est, perseuerabit seruare. Parum est enim si seruat, si non & seruabit. Laus enim non fingentis, non sibi blandientis, non tepidè aut leuiter amantis, sola est perseuerantia. Hinc Propheta ait. *Diligam te Domine*, id est, diligere perseuerabo. Quod vt faciam, non mihi sine te sufficio, sed tu es *fortitudo mea. Pater*, inquit, *meus diliget eum*, id est perseuerantem obedire perseuerabit diligere. Non quod dilectio Dei levis sit & mutabilis, qui electos suos dilexit ante mundi constitutionem: & Christus cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos: sed perseueranter diligit, quos in sua dilectione mãsuros custodit; & gratiam suam ei subtrahit, qui se gratiæ ipsius indignum facit. Dicens ergo Christus, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: patenter insinuat, quod qui in ipsum credit, & qui ipsum manducat, non nisi ipsum manducando confortatur, vt in Christo maneat, donec ad vitam æternam perueniat. Hinc justus orat. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Hic ergo cibus cùm plena fide & digna veneratione manducatur, iustitiam dat & perseuerantiam, & vitam æternam: vt iustificati per fidem & in charitate radicati, in eo securi maneamus, qui factus est nobis in domum refugij, & in locum munitũ, quia in nobis sine fine manet, sicut scriptum est *Lætentur omnes qui sperant in te; in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

Quinam in Christo verè maneant.

Ioan. 6.

Ioan. 14.

1. Ioan. 4.

Quo Deus prior nos dilexerit.

Ioa. 14.

Psalm. 17.

Ioa. 6.

Psal. 67.

Eucharistia dat perseuerantiam.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem. Et qui manducat me, viuet propter me.

HÆc verba secundum beatum Augustinum sic intelliguntur, qui in sermone 26. super Ioanne sic ait. *Missio quippe eius exinanitio suimet ipsius est, & formæ seruilis acceptio.* Quod rectè intelligitur, seruata etiam filij cum Patre æqualitate naturæ. Maior est enim Pater homine filio, sed æqualem habet Deum filium, cùm idẽ ipse sit & Deus & homo, Dei filius, & hominis filius, vnus Iesus Christus. In qua sententia si rectè accipiuntur hæc verba, ita dixit, *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui mãducat me, & ipse viuet propter me*: ac si diceret. Vt ego viuã propter Patrem, id est, ad illum tanquam maiorem referã vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Vt autẽ quisq; viuat propter me, participatio facit, qua mãducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter Patrẽ; ille erect⁹ viuit propter me. Si autem ita dictum est, viuo propter Patrẽ, quia ipse de illo, non ille de ipso, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo, *& qui manducat me, & ipse viuet propter me, eandem nostram & suam æqualitatem significauit, sed gratiam mediatoris ostendit.* Hæc Augustinus. Quid ergo in his verbis Christi nobis intimatur, nisi ipsum à Deo patre missum fuisse, ad hoc in mundum venisse, vt manducantes eum, id est, credentes in eum, viuant propter ipsum, sicut ipse viuit propter Patrem? Viuit autem Christus propter Patrem, aut vt beatus Hilarius, viuit per Patrem, quia de Patre est, Deus de Deo, vita de vita. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Hoc secundum vitam, qua viuit apud Patrem, Secundùm verò vitam, qua vixit apud homines homo, propter Patrem vixit, quia Patrem in vita clarificauit, voluntatem ejus faciens, & in omnibus honorem deferens. Nos autem viuimus propter ipsũm, si totum quod viuimus referamus ad ipsum, de cuius munere venit, quòd iustè viuimus, de cuius virtute speramus, quod beatissimè victuri sumus. Hinc Psalmista dicit. *Laudabo Dominum in vita mea* Et iterum. *Deus vitam meam annuntiaui tibi.* In hac autem comparatione qua nunc vtitur Christus, bina & bina mutua collatione sese respiciunt. Missio enim & manducatio per similem efficientiam sibi conferri possunt. Efficit enim missio, vt viuat Christus per Patrem, inquantum minor est Patre; efficit manducatió, vt nos viuamus propter Christum, qui mediator Dei & hominum Patri reconciliat viuentes ꝓpter se, sicut ille viuit propter Patrem. Vita Christi propter Patrẽ, & vita

Aug. tract. 26. in Ioan.

Christus vt propter Patrem viuat.

Psal. 145. & 55.

nostra propter Christum, per similem causam & intentionem & finem, id est, procedēdo, tendendo, perveniendo, sese respiciunt. Nam & hæc & illa illuc redit, vnde incipit: ad illum refertur, à quo confertur: illi redditur, à quo accipitur.

Ioann. 6. *Esus Eucharistia vitam confert.*

Quod Christus dicit, *Qui manducat me, viuet propter me*: duobus modis rectè intelligitur, aut ratione affectus, aut ratione signi. Id enim efficit hæc manducatio, vt viuamus propter Christum; hoc est, per gratiā eius ad gloriam eius: & quod viuimus propter Christum, signum est, quia nā manducamus Christum. Similiter duobus modis intelligi potest, quod præmissum est.

Ibidem

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. In Christo enim manere, mā- ducationis effectus est & signum; ac si diceretur. Signum quia manducat & bibit hoc est, si manet in me, si viuit propter me.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

ATtendite, quoties Christus eadem replicat, quoties inculcat, Patrem hunc panem dedisse, hunc panem de cœlo descendisse, hunc panem vitam æternam dare.

Christus hic eadem replicat & inculcat.

Vt quid hoc? Vtique ad adstruendam fidem diuinitatis suæ, vt indubitanter Deus esse credatur, qui Patrem habeat Deum: qui in cœlo fuerit, & de cælo descenderit, qui velit manducari, & non possit consumi: qui vitam æternam possit dare, & in nouissimo die à mortuis suscitare. Propterea quasi repetendo dicit, *Hic est panis, qui de cœlo descendit.* Et vt ostendat hunc panem plus esse & posse, quàm manna, addit. *Non sicut mādaucauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Ioann. 6.

Hæc dixit in synagoga docens, &c. vsque ad illud, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

QVI aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt: & multi hæc audientes non ex inimicis, sed ex discipulis eius, dixerunt. *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire.* Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Intellexerunt illi, quod disponeret Iesus carnem veluti concisam distribuere credentibus in se.

Ibidem.

Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurabāt de hoc discipuli eius: (sic enim apud se ista dixerunt, vt ab illo non audirentur: sed ille qui eos nouerat in semetipsis, audiens apud semetipsum,) *respondit & dixit. Hoc vos scandalizat*: quia dixi, carnem meam ad manducandum, & sanguinem meum ad bibendum dari? Hoc vos nempe scandalizat. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* Quid est hoc? Hinc soluit, quod eos mouerat; hinc aperuit, vnde scandalizati sunt, hinc planè, si intelligerent.

Error Capharnaitarum.

Illi enim putabant, eum per diuisionem erogaturum corpus suum, ille dixit se ascensurum in cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus: certè vel tunc intelligetis, quia gratia non consumitur morsibus. Alio loco Christus

Ioan. 3.

dicit. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Vnde intelligitur, secūdum vnitatem personæ, & tunc eum, & priùs fuisse in cœlo, qui propter humanitatem exaltandam nunc ascensurus dicitur in cœlum. Deinde adiungit. *Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quidquam.* O Dñe, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cùm tu dixeris, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* *Ioan. 6.* An vita non prodest quidquā? Et propter quid sumus, nisi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid ergo caro non prodest quidquam? Quomodo contraria non sunt, *Caro mea verè est cibus, & caro non prodest quidquam?* Dignum videretur secundum clemētiam & benignitatem Christi, vt qui in verbis eius scādalizati sunt non credentes, ab errore incredulitatis suæ, per declarationem sermonum, quæ illuminat, & intellectum dat parvulis, reuocarentur ad agnitionē veritatis, & pietatem fidei: quatenus de carne Christi dignè sentirent; sicut ipse credi voluit, & nobis credere expedit. Nunc autem scandalizatis, quasi eos in errore relinquere volens, dicit, *Caro non prodest quidquam.* Quis enim de carne Christi indignè sentiens non libenter audiat, *Caro non prodest quidquam?* Nam qui incredulus est, hinc fortè assertionis suæ testimonium assumet, qua vtilitati tanti sacramenti contradicere præsumet. Sed verus est sermo, qui de illo scriptus est. *Ecce hic positus est in ruinā, & in resurrectionem multorum.* *Lucæ 2.* Doctrina eius alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. *Quo sensu caro non prosit, & quibus* Sciens ergo quibus loqueretur, dixit quod oportuit; sicut illis dici oportuit, qui post miracula, & manifesta diuinitatis eius documēta verbis eius credere renuerunt. Cogitabant illi carnem carnaliter, non spiritualiter; secundum sensum carnis, & sapientiam carnis. Carnalis autem sensus non prodest quidquam. Ipsa etiam caro impiè & irreuerenter & carnaliter cogitata, sicut ea quæ in cadauere dilaniatur, vel in macello venditur. Taliter cogitantibus, id est, non credentibus, non prodest quidquam. Dictu- rus autem. *Caro non prodest quidquam,* præmisit, *Spiritus est, qui viuificat,* alterum propter bonos, alterum propter malos. Spiritus enim Dei per spiritualem intelligētiam, id est, per veram Christi fidem, & per spiritualem sapiētiam, hoc est per veram Christi dilectionem, iustos viuificat, vt spiritualiter intelligant, & spiritualiter viuant. Ad quos pertinet, quod hic dicitur. *Spiritus est, qui viuificat;* & quod præmittitur, *Caro mea verè est cibus.* At qui à spirituali intelligentia, hoc est à fide Christi alieni sunt, aut qui fidem habentes, à spirituali sapientia, hoc est à charitate Christi, vacui sunt, hi à spiritu Dei non viuificantur, nec Christi carnem spiritualiter manducant, ita scilicet vt viuant & maneant in illo, & ipse in eis. Propterea illis, quibus caro non prodest quidquam, dicitur, *Caro non prodest quidquam.* Quod *Ioan. 6.* ergo Christus de carne videtur contraria dicere, quasi prosit & non prosit, eò pertinet, vt intelligatur, spiritualibus, qui à spiritu Christi viuificantur, prodesse: carnalibus verò, qui spiritu Dei non aguntur, omnino non prodesse. Secundum hunc modum loquitur Apostolus de lege. Nam quodam loco legem quasi inutilem aut malam ostēdere volens, dicit. *Litera occidit.* Et iterum. *Lex iram operatur.* Et, *Virtus verò peccati, lex.* Sed hæc dicuntur propter malos, & contra malos, in quibus occasione mandati concupiscentia augetur, & per legis præuaricationem lex contemnitur. Lex enim hostem demonstrat & instigat, & contra hostem non adiuuat: concupiscentiam vetat, & excitat; præuaricationem

Lex quasi inutilis ab Apostolo dicitur. *2. Cor. 3.* *Rom. 4.* *1. Cor. 15.*

Rom. 7. addit, & punit. Alio loco dicit. *Lex sancta est & bona.* Et iterum. *Lex spiritualis est;* & hoc propter bonos. Sic de fide & de scientia variatur locutio: quia alijs & alijs prodesse possunt, aut
Ioan. 6. non prodesse. Christus dicit. *Qui credit in me,*
1. Cor. 13. *habet vitam æternam.* Apostolus dicit. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Propheta dicit. *Bo-*
Psal. 118. *nitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Apo-
1. Cor. 8. stolus dicit. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Sicut ergo fides vel scientia sola sine charitate, & sicut litera legis sine spiritu legis nihil prodest: sic caro sine spiritu, hoc est sine gratia fidei & charitatis, nihil prodest. Et quemadmodum Apostolus
2. Cor. 3. dicit, *Litera occidit, spiritus autem viuificat;* sic
Ioan. 6. Christus dicit, *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam.* Quomodo autem spiritus viuificet, ostendere volens, adiungit. *Verba quæ ego*
Ibidem. *locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quid est, spiritus & vita sunt? Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter, *Spiritus & vita sunt:* intellexisti carnaliter etiam: sic illa, *spiritus & vita sunt,* sed tibi non sunt. Spiritus & vita sunt, quia per inspirationem spiritualis gratiæ vitam, qua bene viuitur, præstant & seruant.

Ibidem. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, &c.* vsque ad illud, *Credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.*

INter discipulos Christi erant quidam credentes, quidam non credentes: & inter non credentes erat Iudas, qui traditurus erat eum. Christus omnes nouerat, qui essent credentes, & qui non credentes, & quis esset traditurus eum, & qui essent discessuri ab eo. Sed antequam discedant, qui discessuri sunt, ostendit, quod non omnium est fides: sed eorum, quibus datum est ad Christum venire à Patre suo. Mysterium quippe fidei non caro & sanguis, sed Pater qui in cœlis est, reuelare potest. Ille alijs dat, vt credant, alijs non dat. Quare alijs non dat, ipse nouit: hoc scire non datur, & in re tam incomprehésibili, tam abscondita ab oculis nostris, nihil possumus, nisi per admirationem exclamare, & dicere. *O altitu-*
Rom. 11. *do diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Multi autem discipulorũ, qui non crediderunt, abierunt retro, sed post Satanam, non post Christum. Petro, cùm consilium daret Domino, ne moreretur, dictum est à Domino, *Redi*
Mat. 16. *post me Satana, non enim sapis, quæ Dei sunt* Non illum repulit Dominus ire post Satanam, sed quia voluit præcedere Dominum, appellauit eum Satanam, & fecit ire post se, vt non esset Satanas. Petro dicitur. *Redi post me,* de istis verò dicitur, *Abierunt retro,* & intelligitur post Satanam; sicut de quibusdã fœminis dicit Apostolus. *Quæ-*
1. Timo. 5. *dam enim conuersæ sunt retro post Satanam.* Abeũtibus post Satanam, vt nec cum Christo vlteriùs ambularent, Iudas adhuc remansit ad insidiandum. Dixit ergo Iesus ad duodecim qui remanserunt. *Numquid & vos vultis abire? Respondit er-*
Ioan. 6. *go ei Simon Petrus. Domine, ad quem ibimus?* Si à te recedimus, vbi vitam, vbi veritatem, vbi vitæ authorem, vbi similem veritatis doctorem inueniemus? *Verba vitæ æternæ habes.* Verba tua reverẽter audita, & in sinu fidei recondita, præstãt vitam æternam. Verbis tuis vitam æternam promittis, in ministratione corporis & sanguinis tui, & nos verbis tuis fidem habentes. *Credimus &*
Ibidem. *cognouimus, qui tu es Christus filius Dei;* id est, quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne sanguine tuo, nisi quod es. *Credimus,* inquit, *&* Ioan. 6.
cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, idest, hoc ipsum credimus & cognouimus, te esse filium Dei: vnde consequens est te verba vitæ æternæ habere, & quæcunque dixisti, vera esse. Vel aliter. Quæcumque dixisti de carne tua mãducanda & sanguine tuo bibendo, credimus & cognouimus vera esse, quia tu es Christus filius Dei. Non dixit, cognouimus & credimus, sed credimus & cognouimus, quod de ea cognitione intelligi potest, quæ per processum fidei intellectum cõsistit, de qua scriptum est. *Nisi credideritis, non intelli-* Isaia 7.
getis. Fides quidem ipsa quædam cognitio est, etiam in his qui simpliciter credunt, & rationem fidei non intelligunt. Cognitio verò vsque ad Theologica
intellectum proficiens, illorum est, qui exercita- scientia.
tos sensus habent ad fidei rationem pleniùs cognoscendã, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Quod in superioribus Christi verbis multi discipulorum scandalizati sunt in fide, alij autem ædificati ad fidem, magna ex hoc cõsolatio, Deo dispensante, prædicãtibus verbum Dei prouisa est, si fortè in verbis eorum auditores increduli scandalizantur, & retrorsum post Satanam cõuertũtur. Magna tamen cautela adhibẽda est, & cum timore semper verbum Dei seminãdum.

Hæc verba Christi, quæ ex Euangelio Ioannis apposuimus, secuti Patrem Augustinum exposuimus: vbi interdum verbis ipsius, vbi commodum videbatur, sentẽtias ab eo explicitas non prætermittere, nec eas vel pleniùs vel breuiùs explicare curauimus. Nunc post 4. Euãgelistarum testimonia, ad adstruẽdam fidem huius ineffabilis sacramenti, ea qua potuimus diligentia discussa, intentionem ad verba Apostoli Pauli ad hoc sacramentum pertinentia conuertamus; vt confessio fidei nostræ Euãgelicæ sic & Apostolicæ doctrinæ testimonijs subnixa, sicut moles immobilis sua stabilitate fundata consistat; & nulla inuentorum, nulla curiosarum violẽtia quæstionum à sua firmitate labefactari queat.

De verbis Apostoli.

NON *lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Hoc de cibo sentire licet, qui Matth. 18.
non potest hominem mundare; & de manibus, quæ sine reatu conscientiæ vt quotidie lauentur, quotidie inueniũtur illotæ. Verum ad mensam Dñi, & ad carnes agni immaculati, illotis manibus accedere indecens & illicitum est, & omnino tutum non est. *Lauabo,* inquit, *inter innocen-* Psalm. 25.
tes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. Detestatio criminum, & iustitia bonorum operum, hæc est vera munditia manuum. At qui mundas habet manus, cauere debet, ne attrectet immundum. Nam *qui tetigerit immundum, im-* Eccli. 13.
mundus erit. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Qui non constringitur reatu proprij criminis, videat, ne polluatur consensu alienæ iniquitatis. Hinc Apostolus Timotheum instituens, *neque* 1. Timo. 5.
communicaueris, inquit, *peccatis alienis. Teipsum castum custodi.* Et Corinthijs scribens, arguit in eis, quod fornicatorem publicum de medio sui non tollerent, quasi tanti delicti cum tolerando participes fierent. Ait enim. *Auditur inter vos* 1. Cor. 5.
fornicatio; & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestri, qui hoc fecit. Et post pauca.

1. Cor. 5. *Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quoniam modicum fermentum totã massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum.* Ecce etsi aliàs boni videretur, non bonam dicit gloriationum eorum, de vita videlicet, vel fama, vel cõscientia sua: quia consensus alieni criminis per malam patientiam cætera bona corrũpit, & vnius exemplum multis perniciosum existit. Volens ergo eos retrahere à tali delicto, cùm pluribus modis eos terrere posset, prælegit exemplo de lege Moysi proposito ad condignam reuerentiam Paschalis hostiæ eos cohortari; vt dignitate tanti sacramenti considerata exhorrescerent indigni accedere, & inter se aliquem indignum sustinere. Quid enim terribilius est homini peccatori ad mẽsam Domini accedenti, & veram huius sacramenti fidem habenti, quàm cogitare secum, quàm immundus, quàm ira dignus sit, qui accedit, & quàm sanctus & impollutus, & quàm iustus, ad quem accedit? Propterea memoriam mortis Christi, & immolationem agni proponens, monet expurgare vetus fermentum, & epulari in azymis sinceritatis & veritatis; reserans quod in lege clausum erat, & illuminans quod in typo fuerat adumbratum.

Alieni consensus criminis malus.

Expurgate vetus fermentum, &c. vsque ad illud, *In azymis sinceritatis & veritatis.*

IN Exodo filijs Israël præceptũ est agnum immolare, & carnes assas igni edere, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Et de azymis sic scriptum est. *Primo mense, decima-quarta mensis ad vesperum, comedetis azyma vsque ad diem vigesimam primã eiusdem mensis,* &c. Et infra. *Fecerunt sibi subcinerітios panes azymos. Neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram.* Filij Israël tum authoritate diuini præcepti, tum angustia temporis, panem fermentare prohibiti sunt. Sed necessitas temporis diuinæ dispensationi seruiens, quod Deus fieri noluit, fieri non permisit. Incipientibus exire de Ægypto abstinentia fermenti indicitur, & præcipiente Domino, & vrgente Ægyptio, non possunt nõ abstinere: etiamsi velint non abstinere. Egressis autem de Ægypto eadem abstinentia in esu agni indicitur, & ad obedientiam cessat temporis necessitas, & accedit libera voluntas. Sic cùm exitur de regno peccati, & de vana sæculi cõuersatione, sæpe abstinentia peccati, quæ à Deo imponitur, necessitate tẽporis nihilominus obseruatur; sed processu temporis totum fit volũtarium, quod ab initio fortè potuit esse extortum. Peccatum vetus fermentũ est, quo abstinendum est toto hoc numero septem dierum Hoc fermento tota massa corrupta est in præuaricatione Adam, & posteris eius. Vnde & vetus dicitur, & ad veterem hominem pertinet, cui longè dissimile est fermentum iustitiæ, de quo scriptum est. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus.* Illud vetus fermentum corrumpit & inflat, & nouæ conspersioni contrarium est. Est autem conspersio farina per liquorem conglutinata sine fermento, idem & azyma. Noua autem cõspersio vel azymus panis Christus est, ab omni corruptione peccati immunis. Et si nos per timorem & humilitatem comminuti sumus, si aquis baptismi vel pœnitentiæ cõspersi, & liquore supercœlestis gratiæ perfusi, & per charitatem conglutinati, ne per varia erroris desideria diuidamur, tunc noua conspersio vel azymi sumus, & expurgato veteri fermento, & corruptione

Exo. 12.

Matth. 13

Christus panis azymus.

vitæ derelicta, monemur & nos cum Corinthijs, vt simus noua conspersio; id est, vt permaneam sine fermento, sicut per gratiam facti sumus azymi, id est liberi à peccato: vel vt simus noua conspersio, per opera iustitiæ ambulantes in nouitate vitæ, sicut liberati sumus à corruptione veteris vitæ. Si enim secundum legem à fermento abstinendum fuit in esu Paschalis agni, qui in figura præcessit: multo magis nunc à fermento spiritualiter abstinẽdum est. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Pascha nomen solemnitatis est, & solemnis hostiæ. In vtraque Christus significatus est. Ipse enim est solemnitas nostra, & gaudium nostrum, & dies lætitiæ & exultationis nostræ, & hostia nostra pro nobis oblata, & in esum à Deo præparata. Itaque epulemur. Si noua conspersio sumus & panes azymi, quomodo nobis, vel à nobis dicitur, *epulemur*; nisi quia ipsi conuiuium & cõuiuæ sumus, reficiendi de Christo, qui nobis panis est, qui & de nobis reficitur? De quo scriptum est, quia *pascitur inter lilia.* Et in Apocalypsi ipse de se dicit. *Ego sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum,* Epulemur ergo in conspectu Dei, & delectemur in lætitia, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Agnus enim innocens est, qui tollit peccata mundi. Nequitia autem & malitia sic distingui possunt, vt altera intelligatur in ijs quæ fiunt contra Deum, altera in ijs quæ fiunt contra proximum. Quocumque autem modo discernantur, sic omnis iniquitas fugienda est, vt malitia & nequitia: & vitæ incorruptio sic sectanda est, vt epulari possimus in azymis *sinceritatis,* ab omni iniquitate immaculatos nos seruãtes; *& veritatis,* bona quæcũque sine dolo & fictione facientes.

1. Cor. 5.

Christus vt Pascha nostrum.

Cant. 2.

Apoc. 3.

1. Cor. 5.

Ex eadem Epistola. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt &c.* vsque ad illud, *Petra autem erat Christus.* 1 Cor. 10.

ABRAHÆ *dictæ sunt promissiones.* Dictæ sunt quidem, & non statim exhibitæ, sed in longa tempora dilatæ. Fides autem promissionum in expectatione earum crebris signis & virtutibus, signis à Deo factis confirmata est; quibus notam fecit Deus potentiã suam, ne non crederetur potens facere quæ promisisset. In signis autem antiquis patribus visibiliter exhibitis annuntiauit Deus virtutẽ operum suorum, eorum quæ facturus erat in generatione altera. Qualia enim facturus erat promissiones adimplens, talia fecit antequam adimpleret. Talia inquam, sed non eadem, sed similia; quæ suæ figuræ similitudine præsignare possent, & præmonstrare promissionum fructum & finem. Promissiones multæ erant, & vna; quia multæ in vna, & in multis vna. Vnus enim Christus finis est promissionum, quia ab omnibus iustis desideratus & expectatus, sperabatur populum suum de omni malo, quasi de hostili manu liberaturus, & benedictionem & salutem daturus. Hoc est quod Zacharias dicit. *Locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris,* &c. Fructus promissionum gratia est, quæ datur in baptismo: item gratia, quæ datur in Dñici corporis & sanguinis sacramento. Ibi peccatorum remissio; hic ad capessendam vitam æternam salutaris præparatio. Ibi Christus induitur, hic manducatur. Hi sunt primitiui fructus interim percipiendi; donec euacuetur quod ex parte est, & ve-

Christus finis promissionum.

Luc. 1.

niat quod perfectum est; vt videamus Deum deorum in Sion. Christus autem ipse promissus, & promissor, tandem veniens, sicut ante vna cum Patre ipse promiserat, duo Sacramenta in aqua, scilicet Baptismi, & Mysterij corporis sui, instituit, quibus nos sanctificaret, & sanctificatos beatificaret. Horum Sacramentorũ signa præcesserunt in mari, & manna. Ibi figura, hic veritas: quod intuẽs Apostolus dicit. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt.* In Exodo legitur, quòd profecti filij Israël de Socoth; castrametati sunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam p diem in colũna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.

Duo sacramẽta institu ta in aqua.

1. Cor. 10

Exo. 13. *Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctẽ corã populo.* Et infrà. *Tollens*

Capite 14. *se Angelus Domini qui præcedebat castra Israël abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens; post tergum stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israël. Et erat nubes tenebrosa & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem accedere non valerẽt.* Historicè quidem omnes qui egressi sunt de Ægypto, sub nube fuerunt, quia numquam defecit colũna nubis per diem. Spiritualiter autem omnes antiqui iusti sub nube fuerunt. Nubes obscuritas figurarum, nubes Christ⁹ vel Spiritus sanctus protegens & obumbrans. Item nubes Christus, quasi adhuc absconditus, & nondum manifestè reuelatus. Nubes quoque fides typicis mysterijs inuoluta, & futurorum expectatione suspẽsa. Si autem illi sub nube fuerunt, qui mirabiliter promissa & mirabiliter gesta fideliter & spiritualiter intellexerunt, de quibus

Nubes quid designarit.

Psalm. 77. scriptum est. *Pavit eos in innocẽtia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum,* operum videlicet suorum, *deduxit eos:* quantomagis sub nube fuerunt, sed cæcitatis & ignorãtiæ, de quibus scrip-

Psalm. 105. tum est. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua.* Et iterum. *Obliti sunt Deum, qui salvauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Chanaan, terribilia in mari rubro.* Et i-

Psal. 104. tem. *Non crediderunt verbo eius.* Opera ergo & verba Dei alij intellexerunt, alij non intellexerunt, alij crediderũt, alij non crediderunt. Signa autem operum Dei quasi quædam verba fuerũt,

1. Cor. 10 iuxta quod scriptum est. *Posuit in eis verba signorum suorum.* Qui significationes verborum & signorum spiritualiter intellexerunt, & qui spiritualiter non intellexerũt, sub nube fuerunt. Vna siquidem nubes, quæ stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israël, tenebrosa erat, & illuminans noctem. Christus enim alios iusto iudicio excæcat, alios misericorditer illuminat. Alijs est lapis offensionis, & petra scandali; alijs est lapis in capite anguli; alijs Deus est Dei filius; alijs homo peccator est, æstimatus cum descendentibus in lacum.

1. Cor. 10. *Et omnes mare transierunt.* Historicè filij Israël

Transit⁹ maris figura baptismi. ambulaverunt per siccum in medio mari, & operuit aqua tribulantes eos, vn⁹ ex eis non remansit. Forma baptismi hæc est, vbi spiritualis Pharao & omnis equitatus eius submergitur. Quæ spiritualis intelligẽtia antiquis Patribus ex multis Scripturarum locis manifesta fuisse dignoscitur. Nam in Canticis Canticorum sponsus ad sponsam loquitur dicens. *Equitatui meo in cur-*

Cant. 1. *ribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Et apud

Ezec. 36. Ezechielem Dominus. *Effundam super vos aquã mundam, & mũdabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris.* Et in eodẽ Propheta scriptum est. *Aqua*

descendebant in latus templi d xtrum ad medium Ezech. 47.

altaris. Et infra. *Omnis anima viuens quæ serpit,* Ibidem.

quocumque venerit torrens viuet. Et in Michæa.

Deponet iniquitates nostras, & proyciet in profundum maris omnia peccata nostra. Et in Zacharia. Mich. 7.

In die illa erit fons patens domui Iacob, & habitatoribus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et infrà. *In die illa exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum.* Si moralis intelligẽtia in superioribus Apostoli verbis requiritur, vide, & cõsidera, quo modo omnes iusti, qui fuerunt à diebus antiquis, sub nube diuinę miserationis profecti sunt, & quemodo mare transierunt, hoc videlicet sæculum tam turbulentum, tam fluidum, vbi omnes qui Ægyptio more viuunt, in profundo vitiorum, inter desideria errorum lubricę vitę fluctibus inuoluuntur: iusti verò inter diuisiones tentationum, quæ à dextris sunt, & quæ à sinistris, sicco vestigio & impolluto calle pertranseunt.

Zachar. 13.

Idem c. 14.

Mare saeculũ designat.

Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari. Inde baptizati, vnde purificati. Deus enim fide purificans corda eorum, in rebus mirabiliter gestis per Moysen, & circa Moysen, & in ostensione signorum quæ fecit in nube & in mari, hoc agebat, vt purificarentur ab errore Ægyptiæ superstitionis, & verus Deus crederetur, à quo missus esset Moyses, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc etiam agebat in omnibus mirabilibus suis, vt in fide vnius veri Dei confirmati, indubitanter crederent & expectarent quandoque venturum, qui benedictionem & salutem daret secũdùm fidem promissionum, quæ dictæ sunt Abrahæ & semini eius. In omnibus itaque beneficijs antiquis patribus exhibitis, memorfuit Deus testamenti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum: vt & ipsi eiusdem sacramenti memores confiterentur memoriæ sanctitatis eius, & de impensis beneficijs sic præsentem acciperent consolationem, vt inesse cernerent repromissæ benedictionis significationem. Longa enim dilatio, & nulla interim consolatio, quid esse poterat, nisi promissionis desperatio? Frequens autem signorum ostensio, & benedictionum crebra cõsolatio, dictæ fuit repromissionis rememoratio, rerumque futurarum pręostensio. Moyses itaque populi liberator, & doctor, & legislator, Christum præmonstrabat, qui est iudex noster, & Rex noster, & legifer noster. Nubes quoque & ipsa Christum præmonstrabat in fide obnubilatum; in lege, & Prophetis, & psalmis abscõditum, in carne velandum. Denique scriptum est. *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.* Hoc autem in figura contingebat illis. Cuius rei veritatem Apostolus declarãs dicit. *Multipharie multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Mare, vt prædictum est, baptisma præfigurabat; illud sanè baptisma, quod singulariter & principaliter dicitur baptisma: de quo Apostolus dicit, *Vnum baptisma.* Erant siquidem apud Iudæos secũdum varia ablutionum genera, varia baptismata, sicut idem Apostolus insinuat dicens *In cibis & potibus, & varijs baptismatibus.* Illi in Moyse baptizati sunt, nos autem in Christo: sed non sic illi in Moyse, sicut nos in Christo. Moyses quippe famul⁹ Dei à Deo missus, vt ipse dicebat,

1. Cor. 10.

Moyses typus christi.

Psal. 98.

Hebr. 1.

Ephes. 4.

Hebra. 9.

verba Dei populo nũtiauit; & suis pariter & Dei verbis fidem fecit sequentibus signis. Signa autem in manu Moysi ostensa, non Moysi, sed Dei virtute facta sunt, quibus fides aut cœpit, aut creuit in illis qui crediderunt, & fide purificati Deo placuerunt. Adiuti sunt ergo per ministerium & exemplum Moysi, vt crederent: at ipsius fidei, quam admiratione signorũ permoti habuerunt, author fuit, non Moyses, sed Deus, cui crediderunt, & credendo placuerunt. Habemus itaque fidem vnius veri Dei, qui dictus est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, à quo & Moyses ad eos missus est. Habentes quoque fidem venturi Saluatoris, secundum repromissionem dictam Abrahæ, Isaac, & Iacob; & secundum exemplum fidei eorum baptizati sunt, non à Moyse, sed in Moyse. Baptizati enim ab illo, ab eo autem purificati, à quo vt crederent, diuinit° sunt inspirati. Spiritualiter ergo baptizati sunt non exterius abluti: sed interius sanctificati. Sic illi spiritualiter baptizati: sicut nos spiritualiter circumcisi. Virtute itaque & gratia Christi baptizati sunt illi, sicut & nos: quia per fidem Christi, cuius ipse author & consummator est, sanctificati sunt illi, sicut & nos. Illos enim sanctificabat Christus tunc per fidẽ, sicut & nos. Neque enim ille non erat, qui de se dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Nam & Apostolus de Moyse loquens dicit, quia *maiores diuitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Cùm autem magnalia, mirabilia, & terribilia in manu Moysi facta sint, quibus poterat fides initiari aut confirmari, vt credentes sanctificarentur; quid sibi vult quod Apostolus ea signa, quæ facta sunt in nube & in mari, insinuat; cætera subticens, quæ in decem plagis cõtra Pharaonem & Ægyptum ostensa sunt? Forte per hoc quod dicit, *in Moyse,* cætera omnia intelligi voluit, quæ non expressit. Nubem autem & mare propter quamcumque rationem expressit. Et forte nubem nominauit, quia clementię signum est. Nam aqua in sanguinem versa, & rana, & musca, ceteraq; plagarum genera, magis iram indicant. Nubes autẽ protegens & obumbrans, nunc præcedens nunc subsequens filios Israël, diuina clementia protectos & circumdatos indicabat, & Christum protectorem figurabat. Mare autem nominat Apostolus: quia sicut ante prælibauimus, signum baptismi est.

Fidei minister, Moyses, author Deus.

Exod. 3.

Veteres fide Christi iustificati.

Ioan. 8.

Hebr. 11.

Nubes clementiæ signũ

Et omnes eandem escã spiritualem mãducauerunt.

Spiritualis esca quomodo dici potest illud visibile manna? Quia non arte vel labore hominum, sed à Deo Angelorum fortè ministerio pręparata est. Vnde & panis Angelorum dicitur, & panis cæli, sicut scriptũ est. *Panem Angelorum manducauit homo.* Et item. *Panem cæli dedit eis.* Hæc autem esca de cælo data corpora nutriebat & cõfortabat. Vere corporalis esca est, sed spiritualis secundum dictam rationem dici potest; vel quia spiritualem escã significat, id est Christum, qui vere est cibus spirituum, & resurrectio corporum. Cibus autem spirituum est, sicut vita eorum. Iusti autem qui spiritualiter viuunt, inde spiritualiter cibantur & sustentantur: vnde accipiunt, vt spiritualiter viuant. At iustus ex fide viuit, in quantum iustè viuit. Fide ergo participatur, quod iustis præstat, vt spiritualiter & iuste viuant. Christum enim manducare, hoc est spiritualis vitæ sustentationem ab ipso accipere: & hoc est in ipsum credere, & hoc est de ipso sicut illi in illo viuunt, viuere. Hæc autem spiritualis esca duobus modis manducatur, gustu fidei & perceptione sacramenti. Vnus modus cœpit ab institutione noui sacrificij: alter mox ab ipso initio huius nostrę fidei. Quicũque enim iusti fuerunt, hanc spiritualem escam manducauerunt, quia in Christum crediderunt, spiritualiter vixerunt, & eius participatione, vt spiritualiter viuerent, acceperunt. Visibile autem manna multi manducauerunt & mortui sunt, morte scilicet spirituali, quia spiritualiter non vixerunt: & multi visibile manna non manducauerunt, & spiritualiter vixerũt, & ideo spiritualem escam mãducauerũt. Manna enim visibile signum erat huius nostri sacramenti, & spiritualis escæ, quæ in hoc sacramẽto continetur. Hoc autem nostrum sacramẽtum sub specie visibili spiritualem escam, id est Christum, in se cõtinet; & spiritualem gratiam, qua spiritualiter viuitur, percepiẽtibus cõferre præualet. Manna autem visibile, nec spiritualem gratiam plene in se continebat nec gratiam vitæ spiritualis conferebat, sed spiritualem escam, quę spiritualem vitam dare posset, significabat. Qui ergo visibile manna perceperũt, nec crediderunt, nec spiritualiter intellexerunt, & ideo spiritualiter non vixerunt: hi corporalem escam ad corporalem refectionem, non spiritualem, manducauerunt. Qui vero fidem quam nos eãdem habuerũt, & spirituale manna, panem scilicet cæli & panem Angelorum, id est Christum de cœlo venturum crediderunt; & hac fide iustificati spiritualiter vixerunt: hi spiritualem escam quam nos eandem mãducauerunt. Sed nos eandem spiritualem escam ore pariter sumimus & corde: illi vero visibile manna ore gustauerunt, inuisibile autem & spirituale manna id est Christum; corde crediderunt. Ore ergo aliud nos, aliud illi: corde vero idem nos & illi. Hæc autem spiritualis esca, id est Christ°, panis cœli est, & panis Angelorum. Hunc enim panem Angel° mãducat in cœlo modo adhuc nobis incognito, adhuc inexperto: hunc eundem manducat peregrin° homo pro modulo suo, sicut scriptum est. *Panem Angelorum manducauit homo.*

Psal. 77.

Christus duobus modis sumitur.

Manna Eucharistiam significabat.

Psal. 77.

Et omnes eundem potum spiritualem biberunt.

Sicut manna de cœlo datum significat spiritualem escam, qua cibantur omnes sancti, vt spiritualiter viuant, sicut decet sanctos: sic aqua, quæ de petra fluxit, significat spiritualem potum, quo potantur quicũque spiritualiter gratiæ participes efficiũtur. *Petra autem erat Christus.* Ecce cognouimus, Apostolo interpretante, quid significet petra, quæ aquam produxit: inquiramus ex verbis ipsius Domini, & item ex verbis Apostoli, quæ sit spiritualiter aqua de Christo manans sicut de fonte vitæ: & quis spiritualiter potus, quo potamur omnes, qui in Christum credimus, *Qui credit,* inquit Christ°, *in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et Apostolus, *omnes vno spiritu potati sumus*, Ecce aqua quæ de petra profluxit, ecce potus spiritualis, quem omnes iusti biberũt. Hoc potu ardor sitis extinguitur: huius spiritus munere sanctorum desiderium fœliciter adimpletur. Consolator enim spiritus est, & mœrentium corda lætificat. Omnes iusti in hoc spiritu lętificati sunt, omnes hunc spiritum acceperunt: & propter hoc omnes eundem potum spiritualem biberunt.

Aqua de petra spiritualem potum significabat.

Ioan. 7.

1. Cor. 12.

Bibebant autem de spirituali.

PRæmittens Apostolus de spirituali potu, & subnectens de consequente eos petra, & interponēs in medio, *Bibebant autem de spirituali:*

1. Cor. 10.

An de potu, an de petra spirituali Hebræi biberint.

dubium reliquit, quomodo intelligendum sit, quod dicit, *Bibebant autem de spirituali:* videlicet an de spirituali potu, an de spirituali petra. Sed si ad potum quis hoc referre velit, vix apparet, quomodo distingui possit; bibebant de spirituali potu, & bibebant spiritualem potum. Si autem plus est bibere spiritualem potū, quàm bibere de spirituali potu: quid necesse fuit, post id quod maius est, adiungere quod minus est? Si autem idem est, quid necesse fuit, idem repetere? Sed solet repetitio nonnumquā fieri, vt aliquid addatur. Si ergo additionis causa repetitio facta est, verbis ex parte mutatis: sic accipi potest, quasi fieret verbis non mutatis, vt nullā vim habeat ipsa verborum mutatio: tamquam diceretur. Biberunt potum spiritualem: bibebant autem de spirituali, hoc est potum spiritualem, consequēte eos petra. Hoc enim additur, vt ostēdatur, vnde manaverit spiritualis potus, quem bibebant. Porrò sicut placet hoc ad petrā referri, vt de spirituali petra bibisse dicantur, eos consequente, modus locutionis est: sicut de cisterna vel vinea dicitur quis bibere, cùm vel aquam de cisterna bibit, vel de vinea vinum. Spiritualis autem petra Christus est: spiritualis potus Spiritus sanct' est, qui de Christo procedit, & à Christo datur, secundùm diuersorum diuisiones charismatum, credentibus in eum. Potest etiam spiritualis potus pro calice accipi. Calix autem Christi tribus modis dicitur: vel sanguis ipse Christi, qui pro multis fusus est, quem & nos bibimus in altari; vel passio Christi, quæ nos ad compatiendum obligauit: vel imitatio passionis eius, qua vicissitudinem pro modulo nostro, & gratiarum actionem pro nobis passo compatiendo referimus.

Calix Christi trib' modis sumitur.

Spiritualem itaque potum biberunt, nōn solùm qui haustu Dñici sanguinis in ipsius sacramenti perceptione potati sunt: sed & omnes iusti, qui à diebus antiquis fidem passionis Christi habuerunt, & in ea fide spiritualiter vixerunt, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis mortificātes: & similitudinem passionis Christi in patiētia tribulationum suarum præferentes. Non est enim iustus, qui non patitur.

Consequente eos petra.

IVxta historicum intellectum, petra cōsequebatur eos, id est, satisfaciebat & obsequebatur voluntati eorum: quia, vt quidam putant, quocumq; irent, aquæ inundantes secutæ sunt: sicut scriptum est. *Eduxit aquam de petra, & deduxit tamquā flumina aquas.* Et iterū. *Disrupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.*

Psa'm. 77. & 14.

Potest hoc & aliter intelligi. Mortua Maria, & deficiente aqua in deserto Sin, in loco, qui dicitur Cades, murmurauit popul' cōtra Moysen. Quæ murmuratio tantùm valuit, vt & ipse Moyses aliquatenus cessisse videretur: vnde cùm per silicem bis percussum egrederētur aquæ largissimæ, audiuit à Dño. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me corā filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*

Num. 20.

Populi ergo in seditionem versi, paulominus defecerant à cultu Dei: & prope erat, vt fugerēt à Domino, & Deo suo; nisi signo dato retinerentur, & quasi fugitiui cōprehenderentur: consequente eos petra, ne abirent; & quodāmodo reuocante, vt redirēt. Secundùm intellectum mysticum, Christus in deserto huius mundi suos comitatur, & non deserit sperantes in se.

Petra autem erat Christus

SOlet res quæ significat, nomine rei quam significat nominari. Erat enim non per substantiam, sed per significationem. In signis coram antiquis iustis à Deo mirabiliter factis mystica significatio secuturæ veritatis inerat, maioribus & perfectiorib' manifesta, simplicioribus fortè occulta. Omnes autem pietatem fidei habentes signa diuinitus facta quasi sancta venerati sunt, & rerum venerabilium nouitate & stupore permoti, in Dei timore vel amore & fidei deuotione confirmati sunt. Nec præiudicat pietati fidei siqui fortè simpliciter ignorabant, quid significabat manna, quid nubes, quid mare, quid petra; dummodo piè crederent, quod ratio illius temporis exigebat, quæ ad fidem vnius Dei & venturi Saluatoris pertinerent.

Fides antiquorū qualis esse debuerit.

Non enim scientia mysticæ significationis ab omnib' requirebatur: sed pietas fidei ad iustitiam reputabatur, & ignorantia vnius Dei & saluatoris mundi singulis nō credentibus imputabatur. Hinc de quibusdam infidelibus scriptum est. *Ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israël, quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius.*

Psalm. 77.

In Deo autem credere & in Christo salutari eius fiduciam salutis habere, sicut nobis nunc, ita & illis tunc necessaria erant ad salutem: sed signorum significatio occulta inspiratione perfectioribus intimabatur, signorum veneratio simpliciorib' proponebatur: vt virtutem Dei in mirabilibus eius agnoscerent: ad facienda quæ vellet & sicut vellet. Et nunc quoque quam multi sunt in Ecclesia Dei, qui significationem, vel quæ tunc fuerunt, signorum, vel quæ nunc sunt, sacramentorum non norunt: qui fidei Ecclesiæ simpliciter adhærentes, & nihil impiè de Deo sentientes, Deum venerantur in sacramentis ab eo institutis, æstimantes diuinam virtutem & sanctificationis gratiam illis inesse: vt in Deum credentibus ad salutem possint prodesse. Non igitur oportet omnes qui fidem habēt, mystici eloquij prudentes esse, vel signorum aut sacramētorum profunda penetrare; sed mysteriorum intelligentia magis est illis necessaria, quibus docendi & regendi dispēsatio est credita. Hinc Dominus ad discipulos loquens ait. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; ceteris autem in parabolis.*

Luc. 8.

Petra autem erat Christus. Hæc est petra, de qua ipse Christ' dicit. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferni non preualebunt aduersus eam.*

Matth. 16.

Hæc est petra, de qua dictum est. *Statuit supra petram pedes meos.* Et iterum. *Petra refugium herinaciis.*

Psalm. 39. & 103.

Christus cur petra dictus

Christus ergo petra est, quia sanctorum firmitas est, confirmans eos in virtute sua per immobilem fidei constantiam, per immobilem securitatis fiduciam, per interminabilem dilectionis perseverantiam. Christus petra est, vtpote firmus in promissione sua, firmus in dilectione sua: interdum inexorabilis in ira sua, sæpe immobilis in sententia sua: sæpe quasi durus in tribulatione nostra. Domine Deus, vt salua pace tua loquar, quoties in orationibus meis pro tribulationibus & tentationibus meis etsi non te durum nomino: durū tamen cogito. Quoties in corde meo reuoluo, Petra autem erat Christus: quoties dico, vt quid Domine repellis orationem meā, auertis faciem tuam à me: quousque irasceris super orationem

Luc 18.

serui tui. Verumtamen quia dixisti, *Oportet semper orare, & non deficere*, quia improbitatem & importunitatem quærendi petendi & pulsandi non fastidis; non dimittã te nisi benedixeris mihi. Experiar, te auxiliante, si possim sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, & si dederis mihi virgam disciplinæ; qua rectitudine actionis & directione cordis silicem iræ tuæ bis valeam percutere, & duritiam frangere; scio quia egredietur aquæ largissimæ, vt populus bibere possit, & iumenta, & ego inter iumenta. Sed exemplo Moysi timeo hæsitationem cordis, quam tu detestaris. Postulare enim in fide debeo: & non hæsitare. Tu Domine, qui probas fidem, adiuua incredulitatem meam: serua quod placet, tolle quod displicet.

Oratio cum fiducia fieri debet.

Ex eadem Epistola, infra. *Carissimi fugite ab idolorum cultura*, vsque ad hæc verba. *Non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ dæmoniorum.*

1. Cor. 10.

VITÆ humanæ societas & mutui amoris iucunditas cum multis indicijs vicissim possint significari, & ex signis vicissim intelligi: vno familiarius modo & expressius intimantur in conuescendi consuetudine, & vnius mensæ participatione. Cùm enim cibus quasi vita sit vitæ, qui vnum cibum communiter participant, ipsam vitam mutua beneuolentia communicare se indicant, dum ipsius subsidium vitæ communiter assumunt ad vsum vitæ: quibus communis est vsus vitæ. Familiaritas hominum in conuictu nutriri solet ex communi victu, & vel amicus est, qui conuescitur, aut amicum se simulat: vt credatur, quã simulatio peccatum Iudæ cumulauit, qui conuescendo se non prodidit, vt magistrum proderet. Cui dictum est. *Tu verò homo vnanimis; dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Post vitam, quæ communiter participatur & post mortem, quo socialiter tam sibi quam alteri vita amatur: nihil magis communioni congruit quam alimentum vitæ, cuius communione significatur communio amicitiæ. Neque enim fas est communis mensæ fieri participem, qui dilectionis ad conuescendum se sentit expertem. Communio autem mensæ Dominicæ à corporali mensa, quæ indigentibus communis esse debet, hoc amplius habet, quod communionem veræ amicitiæ non solum indicat, sed perficit & consummat. Huius communionis quãta sit virtus, & quanta sit gratia, Apostolus ostendit, volens nos à mensa & societate & amicitia dæmoniorum retrahere, & ad mensam Christi, eiusq; societatem & amicitiam inuitare. Omnis amicitia, siue hominum inter se, siue Dei & hominum, siue hominum & dæmoniorum, suo modo colitur propria muneris vel obsequij oblatione, aut affectati muneris delectatione. Ille quidem superbus & refuga angelus cum affectasset similis esse Altissimo, & similitudinem altitudinis, non posset assequi in veritate: voluit eam adipisci in stulta hominũ opinione, vt vel putaretur Deus, & pro Deo coleretur. Quos ergo seduxit; ad hoc induxit, vt in Idolis manufactis ipsum adorarent, ipsi pro salute supplicarent, ipsi vota offerrẽt, ipsi immolarent, & in ipsius veneratione immolata gustarent, & mensæ eius participes essent: & hæc omnia vt placatum haberent, & amicitiæ eius participes fierent. Ille ergo, quia videri voluit, quod esse non potuit, qui est superbiæ typus, Idolatriam instituit, quam vera Christi religio postea destruxit in veris cultoribus Christi: qui in eius societatem vocati sunt, ad mensam eius inuitati, cuius participatione efficiantur participes amicitiæ Dei. Huius mensæ laudem commemoraturus Apostolus, præmonet fugere ab Idolorum cultura. *Quæ enim conuentio Christi ad belial?* Fugienda est idolatria, vt ad mensam Christi accedatur. Fugienda est & similitudo Idolatriæ, quæ est spiritualis fornicatio, omnis scilicet, quæ à Deo separat, peccati delectatio. Omne enim quod vero Deo præponitur, quod in amore primum, & mente primum est: hoc pro Deo colitur, hoc in idolum reputatur.

Amicitia ex conuictu declaratur.

Psal. 54.

Christi mẽsa amicitiam consummat

1. Cor. 10

Peccati delectatio idololatria est.

Vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quæ dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?

Ibidem.

QVasi aliud quid dicturus Apostolus, iudicium discretionis ab his, quibus loquitur, vt à prudentibus, requirit: vt diligenter diiudicent, quod dicturus est: & attendant, quid sit, quid possit calix Domini, & participatio corporis Christi. Et primò ostendit, quid sit: incipiẽs à calice, deinde subiungens de pane. Quod mirũ quare fecerit, aut ordinem, contra ordinẽ Euangelistarũ, mutauerit: cùm & ipse alio loco de pane præmittat, & de calice subiungat. Huius autẽ mutationis causa forte hæc est. Ante pauca præmissa locut[us] fuerat de esca spirituali, & potu spirituali, & nouissimè de potu: & sic paucis interpositis, de calice adiunxit, dicens. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, &c. Per calicem hic potũ intellige. Hic autem calix à Deo benedicitur, & ob hanc causam calix benedictionis dicitur: & nos participantes per eum benedicimur, id est in donis spiritualibus multiplicamur: & ob hanc quoque causam calix benedictionis dicitur, cui benedicimus nos quicũque fideles, gratias agendo, laudando, & super omnes calices exaltãdo, & dicẽdo *Calix meus inebrians quàm præclarus est.* Præ cæteris nempe omnibus hic clarus est. Talis enim potus non est, tam dulcis, tam salubris, tam inebrians, tam lætificans, tam bene mentem immutans. Vel nos Sacerdotes benedicimus, prece mystica consecramus, Christũ benedicentem repræsentamus. Ipse est enim qui benedicit: nobis ministrantib[us] ille inuisibiliter operatur: ille potenter mutat, creaturæ efficaciter imperat: & vbi præcipit virtus, incunctanter sequitur effectus. De hoc calice quid dignè sentire possumus? quid enim est? Nonne cõmunicatio sanguinis Christi est? Quæ est fidelis responsio, nisi quia communicatio sanguinis Christi est? Hic enim calix, qui à nobis benedicitur, & in quo benedicimur nos, sanguis Christi est, nobis cõmunicatus, id est nobis & pro nobis cõmuniter datus. Nobis in poculum salutis: pro nobis in pretium redẽptionis. Nec aliud est calix benedictiõis, vel in cœna Dñi vel in mẽsa Dñi, hoc est in altari, quàm sanguis Christi; qui pro communi salute fusus est. Hac authoritate Apostoli potus iste cõmunionis nomen habere potest, vt sacra communio dicatur. Communicatio enim intelligi potest, quia in cõmune datur vel accipitur; communio verò, quia in communi habetur. Alia etiam ratione potest dici communio. Hic enim sanguis charitatem operatur in nobis, per quam omnia communia fiunt; & quæ propria sunt singulorum, communia omnium.

Calix benedictionis vnde sic dictus.

Psal. 22.

Eucharistia cur communio dicatur.

Et panis

Et panis quem benedicimus, nonne participatio corporis Domini est?

OStenso, quid sit hic calix, mox ostēdit, quid sit panis, quem frangimus in sacramēto. De fractione quæ dicēda videbātur, superiꝰ diximus, Hic autem panis quid sit, nullatenus nobis pro certitudine fidei dubitandum est. Vnde Apostolus dicit. *Nonne participatio corporis Domini est?* Ac si diceret. Manifestum est, quia participatio corporis Domini est. Quis enim Fidelium inde dubitet? Participatio corporis intelligenda est, corpus ad participandum nobis datum. Quāvis Apostolus dicat, *Cōmunicatio sanguinis, & participatio corporis*, quasi distinctionem aliquam significans: piè tamen dici potest, communicatio corporis, & participatio sanguinis. Vtroq; enim communicando participamus, & participando communicamus Verūtamen si aliqua distinctio hic requiritur, piè dici potest, quòd participatio fractioni congruit, sicut participatio pani, qui frangitur. Diuiditur enim, vt vnusquisque partem suam accipiat. Hic autem panis in substātia sua semper integer manet: & tamen in sacramēto frangitur, ad significandum, quòd in diuersis diuersa operatur. Diuisiones enim gratiarum sunt. Sacramentū Dñici corporis & sanguinis gratia est. Vnde & Eucharistia dicitur, id est bona gratia. Hoc sacramentum totum & integrū à singulis percipientibus æqualiter sumitur: sed non in singulis æqualiter operatur. Operatrix itaq; gratia cōmunis est dignè sumentibus: sed per effectum quē habet in singulis, gratias diuidit his & illis. Ergo communio sanguinis referri potest ad operatricis gratiæ communionem: participatio verò corporis ad diuersarum gratiarum participationem. Hæc autem partitio gratiarum cùm à Christo dispēsetur virtute carnis & sāguinis sui, (vna est enim virtus vtriusque) cōgruentiùs tamen repræsentari potest in altari per fractionem panis, quàm per aspersionē sanguinis. Aspersio n. sanguinis sine periculo & irreuerētia sacramēti ibi fieri nō potest: fractio sacramētalis fieri potest.

1. Cor. 10.

Eucharistia bona gratia.

Diuersa sacramēti gratia sunt.

Quoniam vnus panis vnum corpus multi &c.

POstquàm ostendit, quid sit calix benedictionis, & panis quem frangimus, consequenter adjungit, quid in nobis possint: hoc est, quid in nobis efficiant, & quæ sit virtus & effectus eorū. Nam quia vnam communem operatricem gratiam, & dispensatricem in se continent, & partitiones multarum gratiarum per effectum suum multis tribuunt: vnitatem spiritualem in nobis efficiunt, vt omnes in Christo vnum simus. Per diuisionem quidem gratiarum multi sumus: alij maiorem, alij minorem; alij hanc, alij illam gratiam habentes: alij incipientes, alij proficiētes: alij simplices, alij prudentes: alij quasi parvuli; alij quasi adulti, alij quasi senes perfectione maturi: vt ex multarum personis facierum per multos gratiæ agantur. Vnitas Ecclesiæ ex personis innumerabilibus diuersi sexus, diuersæ conditionis, diuersi ordinis, diuersæque perfectionis, multis modis solet significari. Hoc autem loco ab Apostolo significatur per vnitatem panis, & vnitatem corporis. Vnus panis ex multis granis conficitur, vnum corpus ex multis membris cōponitur. Per charitatem proximi vnus panis, per charitatem Dei vnum corpus, multi sumus. Vnꝰ panis Deo, qui dilectione fraterna qua invicem nos diligimus delectatur, & quasi de nobis reficitur. Vnus panis etiam nobis ipsi adalterutrum sumus: Mutua enim nostra dilectio mutua est nobis consolatio, mutuaque refectio. Vnde & singuli alter alterius membra sumus; quia inuicē condolemus, & inuicem congaudemus: mala nostra vt & bona, quæ vidētur singulorum propria, per affectum fraternæ charitatis reputantes communia. Vnum corpus sumus per charitatē, qua Christus diligitur sicut ipsus, qui & Ecclesiam diligit, sicut corpus suum. Hinc Apostolus ad Ephesios. *Christus caput est Ecclesiæ: ipse saluator corporis eius*. Et infra. *Viri debet diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius*. Ecclesia igitur, sicut sponsa Christi, ita & corpus Christi est, & de spiritu eius viuit: sicut corpus hominis de spiritu hominis viuificatur. Rectè ergo per vnitatē corporis significata est vnitas Christi & Ecclesiæ, quā operatur charitas Christi, qua ab Ecclesia diligitur: diligens ipse prior, vt à dilecta diligatur. Dilectio autem Dei magis nos Deo vnit, & vicinius coniungit, quam dilectio proximi: sicut corpus nostrum coniunctius est nobis, quàm panis, non solum antequam sumatur: sed cum in corpus traijcitur, & intra corpus recipitur. Et sicut panis corpori necessarius est, & corpus nutrit: sic dilectio proximi necessaria est ad nutriendum & augendum dilectionem Dei. Verūtamen dilectio Dei & causa & dignitate prior est, & semper præponenda. Vnde nonnumquam fit, vt justissimè offendatur proximus, ne offendatur Deꝰ. Vnus itaque panis vnum corpus multi sumus. Qui multi? *Omnes qui de vno pane, & de vno calice participamur*. Ecce hic ostenditur participatio ad calicem sicut ad panem pertinere. Nec immeritò: vna est enim virtus vtriusque; & sicut hostia, quæ & panis dicitur & corpus, in nobis efficit, vt vnus panis & vnum corpus simus: sic & calix. Sed cum ratio similitudinis, qua vnus panis vnum corpꝰ dicimur & sumus, solum panem vel corpus respiciat: gratiam tamen qua vnus panis vnum corpus sumus, participatio tam calicis quam panis conferre credenda est. Participatio igitur vtrique conuenit, sed significatio magis alteri congruit. In his verbis ostendit Apostolus, participationem de vno pane & de vno calice operari in nobis vnitatem fraternæ societatis, qua propter Christum socialiter viuimus, & alter alterius sumus membra: & item vnitatem Christi & Ecclesiæ, quā etiam Christi membra sumus, qui est caput nostrum, in quo omnes vnum sumus, sicut Apostolus ad Galatas scribens dicit. *Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus neque liber; non est masculus neque fœmina, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*. Ad hanc vnitatem pertinent, qui de pane & de calice participant, non solo ore, sed pio corde, hoc est, qui in Christo viuunt, & Christum habent inhabitātem per fidem in cordibus suis. Nam qui ex fide viuit, nō sibi, sed Christo, & in Christo viuit; & credendo manducat & participat: & participando in Christo manet vna cum multis, quia vnꝰ panis vnum corpus sumus. De hac enim participatione intelligendum est, quod Apostolus dicit. Nam qui corpus Christi & calicē solo ore percipiunt, & Christum in corde non suscipiunt, vt de ipso & in ipso viuant, sicut à fide qua viuit iustus extranei sunt, & à societate iustorum alieni sunt, non ha-

Ecclesia vnitas.

Ecclesia corpus Christi.

Ephes. 5

Dilectionis proximi necessitas.

Gala. 3.

bentes cum illis cor vnum & animam vnam: & propterea membra Christi non sunt, nec de corpore eius sunt; quamvis in Ecclesia quæ est corp⁹ eius esse videantur. Hinc Apostolus post interrogationem, *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* subjungit. *Quoniam vnus panis vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.* Ac si apertè dicat. Panis quem frangimus, verè est participatio corporis Domini; quoniam effectus hoc indicat. Efficit enim, quod nullus alius cib⁹ efficere potest, nisi solum corpus Domini. Quid est hoc? Videlicet, quod vnus panis vnum corpus multi sumus. Fides quippe carnis assumptæ de nobis, & sanguinis effusi pro nobis, & vtriusque ad vsum concessi nobis, amorem Christi & propter Christum amorem proximi nobis infundit. Qui infusus nos Christo & in Christo vnit, vt compleatur quod ipse pro nobis postulat dicēs. *Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

1. Cor. 10.

Fides amoris & vnitatis causa.

Ioan. 17.

Videte Israël secundum carnem. Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, Dæmonibus immolant, & non Deo.

1. Cor. 10.

Similitudo adducitur de legalibus sacrificijs, ad intelligendum, quod de idolothyto vult intelligi. Qui edebant hostias, religioni sacrificādi consentiebant, & hunc suæ volūtatis consensum ipso esu immolatorum ostendebāt. Si enim non consentirent, non ederent. Propterea qui edebant, participes erant altaris. Nam de immolatis partem capiebant, & se illi religioni partem capiendo & edendo sociatos esse manifestabant. Hoc est, quod Apostolus dicit. *Videte Israël secundum carnem.* Ac si diceret. Vos qui estis Israël secundum spiritum, Deum videntes, & spiritualia intelligentes, videte Israël carnalia legis præcepta sectantem. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Quasi dicat. Haud dubium quin participes sint altaris, non solum inde partem capiendo, sed sacris illis consentiendo. Ex his quæ dicta sunt de participatione noui veterique sacrificij, & de vsu legalium hostiarum, è contrario colligi potest, quod cultus idoli & esus idolothyti per consensum superstitiosi erroris & impietatis colentes & comedentes diabolo sociat, & in ipsius membra transformat. De qua societate dicturus Apostolus, præmittit, quòd idolis immolatum, vel idolum non sit aliquid. Et hoc non sine causa. Prohibuit quippe paulò antè culturam idoli, sicut rem malam & noxiam. Hinc malè intelligenti videri poterat, Apostolum insinuasse idolum aliquid esse, vel aliquid posse, & in potestate habere nocere, vel malè facere. Quod remouet dicens, idolum nihil esse. Potest quidem propria cuiusque impietas ipsi nocere; potest & dæmon, qui idolio præsidet, malum facere: at ipsum idolum non potest, sed sub tegmine idoli occultum est mysterium iniquitatis. *Et quod idolis immolatur, dæmonibus immolatur, & non Deo.* Propterea cultura idolorum, sicut reuera cultura Dæmoniorum, fugienda est. Volens itaque Apostolus culturam idolorum profundiùs æstimari, sicut reuera culturam dæmonum, cùm superiùs dixisset, *Fugite ab idolorum cultura,* adjecit, *Vt prudentibus loquor; vos ipsi iudicate quod dico.* Quasi dicat. Cogitate subtiliùs, æstimate profundiùs, quid sit cultura idolorum. Cultura enim dæmoniorum est. Iudicate, inquit, quod dico. In eo ꝙ dico, hoc intelligatur, quod nō dico: non min⁹, quàm quod dico. Quid ergo dico? *Quod idolis immolatum sit aliquid?* Quasi dicat, non hoc dico, nec hoc intelligendum est in eo ꝙ dico. Sed aliquid profundius dico. Propterea dixi, vos ipsi iudicate quod dico. Hoc est autem quod dico, & quod intelligi volo in eo quod dico. *Quæ immolant Gentes, dæmonibus immolant, & non Deo.* Tota autem hæc ratiocinatio Apostoli ad hoc spectat, vt intelligatur, quòd in cultura idolorum non solùm idolis manufactis & visibilibus veneratio exhibetur: sed in idolo diabolus colitur, qui peior est idolo; & qui colit, ad societatem eius perducitur, qui in idolio adoratur. Mouere nos potest, quòd Apostolus hoc loco insinuat, idolum nihil esse, qui & in hac eadē Epistola superiùs dixit. *De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Cùm Psalmista dicat, *Simulachra Gentium argentum & aurum*: argentum autem & aurum non nihil est, in eorum nempe æstimatione qui auaritiæ student, quæ est idolorum seruitus. Quomodo autem intelligendum sit, quod Apostolus dicit, ex verbis Isaiæ Prophetæ perpendi potest, vnde Apostolus assumpsisse videtur, quod de idolo dicit. Dicit itaque Isaias idolis exprobrans. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; & sciemus quia dij estis vos. Bene quoque aut malè, si potestis, facite. Loquamur, & videamus simul. Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est. Abominatio est, qui elegit vos.* Ex his verbis Isaiæ ostenditur, quòd idolum non hoc est, quod putatur; & frustra pro Deo colitur, cùm non habeat præscientiam futurorum, nec facultatem bene vel malè faciēdi, loquendi, vel videndi. Mendacium enim est. Et licet sit opus artificis, quod manus finxit, non est tamen quod error finxit. Non esse, vel nihil esse, in sacro eloquio ex varijs causis varijs modis accipitur. Vno quidem modo, cùm aliter est in opinione, aliter in veritate. Iuxta quem modū Apostolus dicit. *Si quis se existimat aliquid esse; cùm nihil sit, ipse se seducit.* Secūdum hunc modum potest intelligi, quod idolum nihil est, quia mendacium est, & insipientis figmentum, sicut scriptum est. *Cor insipientis adorauit illud.* Alio modo dicitur non esse, vel nihil esse, quod Deo authore non est. Sicut enim bonitas Dei causa est omnium quæ bona sunt, vt bona sint, & sicut sapientia Dei lux est, quæ illuminat omnes, qui rectè sapiunt, vt rectè sapiant; sic essentia Dei causa est omnium eorū quæ sunt, hoc præstans eis, vt sint. Omnia enim ex ipso, & per ipsum, & in ipso. Hinc Dionysius Areopagita, *Esse omnium est superesse diuinitas. Est enim super omne esse, quod dat omnibus esse.* Quod ergo ex ipso, & per ipsum, & in ipso non est, ipsum nihil est. Iuxta hunc modum potest dici, idolum nihil est, immolatum idolis nihil est, peccatum nihil est, quia Deo authore non est, quod Isaias dicit. *Plastæ idoli omnes nihil sunt.* Et illud Gentibus, quæ non credunt. *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Et illud. *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, Iudices terræ velut inane fecit.* Et Esther. *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed cōuerte consilium eorum super eos.* Alio etiam modo

Idolum nihil potest.

1. Cor. 10.

Ibidem.

Diabolus in idolo colitur

1. Cor. 8.

Psalm. 113.

Isa. 51.

Nihil esse quid in Scriptura significet.

Galat. 6.

Isai. 44.

Isa. 44.

Idem c. 40.

Ibidem.

Esther 14.

Nihil esse quid in Scripturis significet. , omnes Gētes, & secretorum scrutatores, & iudices terræ, etsi magnum quid esse videantur, secundum potentiam & sapientiam mundi huius; in cōparatione eius, qui dicit, *Ego sum, qui sum.* nihil sunt. Alio quoque modo dicitur quid nihil esse despectiuè, pro sui inutilitate; iuxta quem etiam modum idolum nihil est. Secundum hunc
Exod. 3.
1. Cor. 13 modum dicit Apostolus. ***Si habuero prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt mōtes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*** Alio modo dicuntur ad nihilum redigi, quorum molimina & consilia & conatus frustrantur, & ipsi & opera eorum. Sic enim de iusto scriptum est. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Cui simile est illud. *Ad nihilum deduces omnes Gentes.* Omne autem quod Deo cōtrarium est, inquantum à vero esse deficit, intantum non est. Et ipsi peccatores, & peccata eorum, secundum quod à Deo vel in Deo non sunt, nihil sunt. Vnde secūdum mutationem bonæ vitæ in malam, rectè non esse dicitur, qui sic mutatur. Multò autem mirabiliùs non esse accipitur, secundum mutationem malę vitę in bonam, vel miseræ in beatam,
Prouer. 12. sicut est illud, *Verte impios, & non erunt.* Et item
Ierem. 31. illud, *Noluit consolari, quia non sunt.* Mirabiliter enim dicitur, *non sunt,* quando feliciter sunt. Et mirabiliter dicitur de impijs, conuertendis. *Non erunt,* cùm esse incipiant ab initio conuersionis.
Psalm. 76. Vnde quidam. ***Ecce dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.***

1. Cor. 10. ***Nolo autem, vos fieri socios dæmoniorum. Non potestis calicē Domini bibere, & calicem dæmoniorū Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.***

INuitans nos ad societatem Christi, quæ participatione veri sacrificij fœderatur & cōfirmatur, retrahit nos à societate dæmoniorum, quæ cultu idolorum initur, & retinetur: insuper autē consensu & vsu criminum, & consuetudine vitiorum. Vitia quippe amica sunt dæmonibus, & voluntati Dei contraria. Quæ dum amantur, coluntur: & eorum consensu & vsu Deus contemnitur, & dæmones honorantur, & eorum familiaritas adsciscitur. Propterea, vt eorum societas fugiatur, abstinere debemus, quæcūque illis placere dignoscuntur. Non sunt enim dęmones nostræ cōmunionis, nec mensæ eorum cōmunicare possumus, vel calicem eorum bibere: si desiderio nobis est, ad societatē Christi peruenire, & mensam vel calicem eius participare. Hoc est, quod
Vitia sunt amica demonibus.
1. Cor. 10. Apostolus dicit. ***Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorū*** Calix Domini, vt iam prędiximus, trib⁹ modis dicitur: aut sanguis Christi, secūdùm illud, ***Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo:*** aut passio
Matth. 26. Christi, secundùm illud, ***Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*** aut imitatio passionis
Mat. 20. Christi, iuxta illud, ***Calicem quidē meum bibetis.*** Calix dæmoniorùm è diuersò accipi potest, qui dæmonibus offertur: vel qui per amaritudinem pœnæ ab eis bibituri: vel qui in seductionem erroris, in iniuriam passionis Christi, per amorem voluptatis & iniquitatis propinatur. Mensa Domini altare est, vbi Christus in Sacramēto manducatur. De qua mensa scriptū est. *Parasti in cō-*
Psalm. 22. *spectu meo mensam, aduersus omnes qui tribulant me.* Item mensa Domini sacra scriptura, in qua panis vitæ & intellectus proponitur. Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. De hac mensa intelligi potest & hoc, quod tradidimus. *Parasti in cōspectu* *Psalm.* 22.
meo mēsam. Et illud. *Nam & catelli edunt de* *Matth.* 15.
micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Et hæc quidem mensa interim, donec ad illam mensam perueniamus, de qua scriptum est. ***Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus*** *Luc.* 22.
regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Mensa dæmoniorum est vel altare *Mensa dæmoniorum quid sit.*
idolorum, vel peruersa doctrina hæreticorum; vbi panis in occulto ministratus, de quo scriptū est. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt & panis absconditus suauior.* *Prouer.* 9.
Quæstionem videtur facere, quod Apostolus dicit, ***Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum,*** si hoc loco calix *1. Cor.* 10.
Domini pro sanguine Christi accipitur. Multi enim criminosi, flagitiosi, calicem Domini ad iudicium sibi bibunt, à Christi societate alieni, & dæmonibus sociandi. Sed quod dictum est, ***non potestis,*** sic intelligendum est, salubriter non potestis, vel licitè non potestis: vt ostendatur, non quid non fiat, sed quid fieri non expediat, vel nō liceat. Secundum hunc loquendi modum in sacris Scripturis multa inveniūtur: quale est illud. *Nemo sibi sumit honorem; sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* *Hebra.* 5.

Item de Calice.

CAlix Domini pro calice Christi, secundùm aliquē trium prędictorum modorum, quandoque accipitur: quandoq; autem pro mensura diuinæ iustitiæ; secundùm illud. ***Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*** Dei quippe sapientia suo arbitrio cuncta disponens & moderās, *Psalm.* 74.
secundùm mensuram iustitiæ suæ, bonis & malis in misericordia & iudicio bona & mala distribuit: sicut congruere nouit decori vniuersitatis, & saluti eorum, qui præordinati sunt ad vitam. Hic autē calix dicitur vini meri plenus mixto: quod contrarium videtur. Quomodo enim calix vini meri est, si plenus mixto est? Aut quomodo plenus mixto est, si calix vini meri est? Sed si subtiliter pensemus, qualis sit iustitia Dei in se, manifestè apparebit, cuncta bona, quæ facimus, illi magis, sicut largitori omnium, & authori, tribuēnda, quàm nobis. Nihilominus apparebit, mala, quæ patimur, & itē mala, quæ agimus, magis nobis imputanda, quàm illi: imò omnino nobis, & non illi: totum autem bonum nostrū de mera eius liberalitate & benignitate procedit. Quòd autem iustitia Dei amara est homini, vel molesta, facit hoc hominis iniustitia: vt meritò dicere possit: viæ meę & iniquitates meæ fecerūt hoc mihi. *Calix Dei quomodo vini meri & plenus mixto.*
Homo quidem à Deo simplex & rectus creatus est: ipse autem miscuit se infinitis quæstionibus. Cùm ergo reddit Deus homini vias eius sup caput eius, potum bibit homo, quem ipse sibi miscuit. Si autem peccatū non esset iustitia Dei nulli dulcis non esset. Nunc autē & dulcis est, & grauis: sed suo ipsius condimento dulcis, iudicio verò propter peccatum grauis. Calix itaque Domini temperatus ex dulci & amaro, idest, ex misericordia & iudicio plenus mixto est, nec tamen vini meri non est, quia in sui bonitate nō nisi dulcis est. Hinc scriptum est. *Iustitia Domini rectæ, lætificantes corda.* Propterea meraca sunt iudicia *Cùm homo punitur, potum bibit, quē miscuit.*
Dei, & mera est misericordia eius. Proinde vinum misericordiæ & vinum iræ vtrūque merum *Psalm.* 18.
est; & si misceatur merum cum mero, ipsumque mixtum non est nisi merum. Calix super omnia

Mixti calicis Dei est misericordia & iudicium. opera eius: & plenus mixto est, quia dulcis & rectus Dominus, misericordiam tribuens, & pœnam iniquitatis retribuens. Ad ciuitatem Ierusalem, quæ dudum fuerat vrbs fidelis, & plena iudicij, Propheta dicit. *Vinum tuum mixtum est aqua*, significans meram iustitiam, quam priùs habuerat, admixtione iniquitatis fuisse corruptam. Isa. 1 Vnde & dicit. *Iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ* Ibidem. De hoc calice propinat Dominus bonis amara & dulcia, per consolationem misericordiæ, & per amaritudinem disciplinæ. Nam de amaritudine disciplinæ scriptum est. *Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.* Psalm. 59. At de consolatione misericordiæ scriptum est. *Date vinum mœrentibus, & siceram his qui amaro sunt animo.* Prouer. 31. De hoc quoque calice propinat Domin⁹ malis bona & mala. Iustitia nempe contra malos non omnino sine misericordia est. Nam pax vel prosperitas, siue spatium pœnitentiæ, adhoc eis indulgetur, vt vel beneficijs prouocati custodiant iustificationes Dei, & legem eius requirāt. Prouocat Deus impios ad pœniten. Ipsi verò abijcientes gratiam Dei, misericordiam sibi in judicium conuertunt; & inde discunt facere injustitiam, vnde erudiri debuerant ad iustitiam, sicut scriptum est. *Misereamur impio, & nō discet facere iustitiam* Isa. 26. Propterea ira Dei manet super eos, & misericordia quæ ad horam eis impenditur, mox ingratis iustè subtrahitur. Hinc Dominus misereri volens, & quasi modum quo misereri posset requirens, per Prophetam dicit. *Quid faciam tibi, Effraim, quid faciam tibi, Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Osee. 6. Nubes matutina & ros tūc ab æstu temperare cessant, cùm æstus acriùs perurget. Sic est & misericordia quæ malis ad tempus datur, & in tempore subtrahitur. Hinc beatus Iacobus ait. *Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus ejus deperyt: ita & diues in itineribus suis marcescet.* Iac. 1. Hunc autem calicem Dominus in manu sua tenens, quoniam iudex est, & ex eodem calice, siue ex mixto, vel vino mero, quod per interpretationem idem est, distribuit misericordiam suam, vel iram, miserans cui vult, & quem vult indurans; infundens quando vult, & quantum vult in vasa misericordiæ, & vasa iræ. Cùm ergo vas misericordiæ vel iræ de vase calicis Domino infundente suscipit quod infunditur, tunc Iudex inclinat ex hoc quod implet, quasi vinum de vase in vas trāsfundens. Iuxta quem modum loquendi potest & illud intelligi. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*, Psalm. 143. ex vase scilicet in vas: vel fortè ex vno genere in aliud poculi genus. Potest & aliter intelligi, quod Psalmista dicit. Deus siquidem sæpe oblatam gratiam aut collatam alij aufert, & alij confert. Debitam quoque irā à conuerso auertit, & in auersum cōuertit. Superbis enim resistit, humilibus dat gratiam. Vnde & publicanus consideratione peccatorū suorum quasi humiliatus, in templo iustificatus est. Luca 18. Pharisæus autem quasi magnitudine meritorum in superbiam elatus est. Est enim iustus qui perit in justitia sua. Eccle. 7. Et quis magis, quàm ille, qui nimis iustus in se confidit, & alios aspernatur? Hinc Iudæorum populus in superbja sua excœcatus est, & in perfidia obduratus: Excæcatio & superbia Iudæorum. populus verò Gentium per gratiam est illuminatus. Gratia repromissionis quæ huic est ablata, illi est data. Ira Dei à Gētibus auersa in peruersitatem Iudæorum est conuersa; & hoc quoniam Deus iudex est, qui hunc humiliat, & hunc exaltat. Vinum quippe misericordiæ & iræ transfundens, inclinat ex hoc in hoc: ex vase scilicet iræ in vas misericordiæ: & versa vice ex vase misericordiæ in vas iræ. Vnde est illud. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matth. 21. Et illud. *Omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* & 25. Deus autem in omnibus iustè agens alios dirigit, alios corrigit, alios incorrectos & incorrigibiles, postmodum duriùs puniendos sibi dimittit, & in errore relinquit, sustinēs in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Permissio verò Dei vel patientia, quamuis malis indebita, De permissione & super iusta. quantum ad ipsum quidem semper iusta est, vtpote quæ benignitati eius conueniat, & sanctitatem deceat; & ideo ad fæcem calicis non pertinet. At vita eorum vel conscientia, qui patientia Dei abutūtur in superbiam, fæcis nomine digna est, inquinatā, sordida, & impura. Hæc est fæx de qua Propheta dicit. *Eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis* Psalm. 39. Et Isaias. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël cōuertendas. Ecce dedi te in lucem gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremū terræ* Isa. 49 Et Ieremias. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua: requieuit in fæcibus suis, nec est transfusus de vase in vas, & in transmigrationem non abyt. Idcirco permansit gustus eius in eo, & odor illius non est immutatus.* Iere. 48. Hæc autē fæx exinaniri debet, & timore Dei consumi, & omnino annihilari, quoniam Deus iudex est. Verūtamen dum pœnitentia contemnitur, timor Dei exinanitur, fæx non est exinanita, quia erroris fæculētia, & malæ conscientiæ immunditia super eos qui non corriguntur, manet in æterno reatu, æternoque cruciatu. Peccati verò fæculentia siue corruptio, de qua bibunt omnes peccatores terræ, vinum erroris dici potest. Non solum autem fæx, sed & fæx vini meri. Corruptio enī iustitiæ est, in cuius cōparatione tāto magis vilescit, quātò à sinceritate eius magis recedit. Sic dici potest fæx sociorum, qui inter bonos solus malus est. Sic infidelis Synagoga dicitur fæx Israël. Vinum autem erroris per humanam sapientiam & eloquētiam, & variā rerum pulchritudinem ad omnia vitiorum blandimenta & oblectamenta, à principe Babylonis propinatur. De quo scriptum est. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.* Iere. 51.

Aureus iste calix tantùm fulget, quantùm placet: Babylonis calix cur dictus aureus. ideoq; aureus, quia pretiosus quibus placet, Calix iste tota vanitas est huius mundi: vbi nihil, nisi concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Hæc vanitas cōfusio est, ideoque Babylon dicitur, ciuitas scilicet, in qua habitant filij sæculi hujus, qui in vanitate ambulant, & in vanitate conuersantur. De quibus scriptum est. *Accipient in vanitate ciuitates suas.* Psal. 128. Hic calix in manu Domini est, non quòd Deus vinum erroris propinet, qui neminem tentat vt decipiat: Deus vinū erroris non propinat. sed dignos decipi dimittit in desideria cordis eorū, vt eant in adinuentionibus suis. Hic ergo calix dæmoniorum est. Qui de eo bibunt, calicem Domini bibere non possunt. Calix autem Domini, qui est plenus mixto, vinum erroris intra se non capit, sed vinum misericordiæ, aut vinum iræ. Nam de misericordia scriptum est. *Calix me⁹ inebrians quàm præclarus est. Et misericordia tua subsequetur me.* Psalm. 22. De ira verò apud Isaiam scriptum est. *Consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus; vsque ad* Isa. 51.

fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad Iudicum.
faces. Et infrà. *Ecce tuli de manu tua calicem soporis; fundum calicis indignationis meæ Non adijciã vt bibas illum vltra.* De hoc vino indignationis & iræ Domini potest etiam & illud intelligi, quod
Ierem. 51. præmisimus, *Calix aureus Babylon,* &c. vt secundùm hoc ad calicem dæmoniorum non pertineat. Rex quippe Babylonis, id est princeps huius mũdi, minister est iræ Dei: & peccatores à se deceptos flagellat, vt à vino furoris Domini inebrietur omnis terra, id est omnes qui sapiunt, non quæ sursum, sed quæ super terrã. Hic autem calix aureus est, tam pretiosus Deo, quàm carus: cui nimirum sua iustitia placet & in supplicijs peccatorũ. De hoc calice bibit ciuitas illa inclyta Babylõ: quæ in ira indignationis Domini destructa est, in figura huius mundi, qui destruetur. Hinc

Dæmon minister iræ Dei

Apoca. 14. in Apocalypsi scriptũ est. *Cecidit, cecidit Babylon ciuitas magna.* Et post pauca. *De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes.* Et infrà. *Duplicate duplicia, secundũ opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Peccatores autem quandoq; flagellãtur de peccatis suis: & ipsa eorũ iniustitia iustitiæ Dei militat, cùm ipsa iniquitas culpæ ministra est vindictæ. Hinc Psalmista dicit. *Ignis, sulphur, & spiritus*
Psal. 10 *procellarum pars calicis eorum.* Ignis concupiscẽtiæ, quo nunc ardent, & sulphur impuræ conscientiæ, quo nunc Deo & sibi fœtent, & spiritus procellarũ, quo per mentis inquietudinem nunc agitantur, tria hæc pars sunt eorum, & calix. Vel pars calicis dictum est, quasi non totus calix, quia hæc est pars pœnæ, & non tota pœna eorũ. Cùm ergo peccant mali, vinum erroris bibunt de calice dæmoniorum. Cùm iustè puniuntur, aut de peccatis, aut pro peccatis suis, de calice furoris Domini inebriantur.

Iniquitas iustitia Dei militat.

Item de Calice noui Testamenti.

CAlix autem noui Testamẽti, calix vini meri est, & quodammodo intra se continet misericordiam & iudicium. Misericordiam quidem his, qui calicem dæmoniorum non bibunt, qui secundum carnem non ambulant; qui complantati facti sunt similitudini mortis Christi, vt misericordiam consequãtur. Iudicium verò his, qui seipsos non dijudicant; qui secundum desideria erroris ambulant, ebrij à vino erroris de calice dæmoniorum. Tota dispensatio gratiæ Dei & misericordiæ, zelus quoque indignationis eius & iræ, de hoc calice quodãmodo deriuari, vel propinari videtur. Hic est enim vita mundi, in ijs qui salui fiunt: hic autem iudiciũ mundi in ijs qui pereunt. Hinc effudit Deus profundissimæ charitatis suæ plenitudinem. Hinc effundet totam incomprehensibilis iræ suæ indignationem. Arguetur enim mundus de peccato, in his qui pereunt: nec apparet, vnde magis pereant, qui perituri sunt, quàm quòd tãtæ gratiæ ingrati existũt. Væ homini illi, cui salus mundi iudiciũ est: cui vita mors est: cui absolutio damnatio, cui gratia ira est: cui calix propitiationis calix indignationis est: cui vinum merum fæx est. Christus pro nobis mortuꝰ est: nũquid gratis? Quid referemus in hoc sæculo? quid respondebimus in futuro? Dicat protomartyr Stephanus, pro te lapidata est caro mea, Deus meus. Dicat & Laurentius, pro te concremata est caro mea, Deus meus. Dicat quicumque plagam mortis in corpore suo pro Christo accepit. Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui. Dicat quicũque carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixit, pro te mortificata est caro mea, Deus meus. Impius autem & peccator quid dicent, qui mortem Christi non reputant, qui sanguinem vuæ meracissimæ odibili irreuerentia tãquam fæcem æstimant, & filium Dei cõculcant? Quæ est enim fæx, quæ non est exinanita, magis quam indigna æstimatio, & impudens irreuerentia tanti sacramenti, tantique beneficij, nunquam delenda, nunquam dimittenda? Sanè hic calix nil inquinatum habet, nil impurum, nil fæculentum: sed sicut testamentum Dei contaminare dicuntur & sanctum nomen Dei polluere, & iustitias Dei prophanare, qui suo vitio in his corrumpuntur, & contaminantur, & prophanantur: sic qui tantam gratiam non dignè æstimant; & vinum merum vilhorum contemptu tanquam fæcem reputant, de bono deteriores efficiuntur, & pro vino mero fæce inebriantur. Audite fornicatores audite adulteri, audite quicumque in delicijs agentes & vanitatem huius seculi amantes. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Qui vino soporis ebrij estis, euigilate aliquando; digerentes vinum, quo nunc madetis. De somno consurgite, antequam excitetur contra vos tanquam dormiens Dominus; tanquam potens crapulatus à vino. Qui enim nunc dissimulat, qui adhuc expectat, tanquam dormiens Dominus: excitabitur tandem tanquam potens crapulatus à vino furoris; vt dormientes excitet, qui nunc crapulati sunt à vino erroris. Ex tunc potens poterit, & præualens præualebit: sicut scriptum est. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi: ex tunc ira tua.* *Psalm.* 75.

Calix misericordiã & iudicium in se continet.

Mali perituri, quia gratiæ ingrati.

Irreuerẽtia sacramenti fæx est.

Ex eadem Epistola prima. *Conuenientibus vobis in vnum &c.* vsque ad illud, *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis & sanguinis Domini.* 1. *Cor.* 11.

APostolus Ecclesiã Dei, quæ erat Corinthi, multis modis ad verã religionẽ instituens, inter cætera salutiferæ eruditionis documẽta, de Dominica cœna, id est sacramẽto Dominici corporis & sanguinis, quod ad omnem Ecclesiarum ædificationem prodesse possit, quod à Domino accepit, hoc tradidit: ostẽdens, quomodo, & quo ordine hæc cœna instituta sit: & quid sit, quid possit, quid prosit, vel quibus obsit. Erant autem in Corinthijs quidam reprehensione digni circa huius sacramẽti perceptionem, cui minus dignam reuerentiam exhibebant, tanquam dignitatem tantæ gratiæ aut ignorarent, aut minus dignè æstimarent. Hac occasione quàm magnificè æstimanda sit huius sacramenti dignitas, præscribit, & reprehẽsione dignos ab irreuerenti præsumptione modesta redargutione cõpescit. Arguens ergo dissentionis malum, dicit *Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse, & ex parte credo.* Quædam autem causa dissensionis hæc putatur, quod in Ecclesia, vbi causa vnitati conuenitur, suas oblationes sibi vendicabant, & cæteri non sumentes partem confundebantur. Hæc autem sola causa, etsi aliæ desint, sufficere poterat, vt Dominicam cœnam manducare non deberent. Propterea dicit. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est cœnam Dominicam manducare.* Ac si diceret. Ex hoc solo non licet manducare, quod scissuræ sunt inter vos. Vel aliter. Iam nunc in præsenti hoc vobis damnũ est, quod 1. *Cor.* 11.

Causa dissensionis inter Corinthios.

Ibidem

non licet cœnam Dominicam manducare. In futuro si non præcaueritis, erit vobis peius. Aliam causam innectit, quod vnusquisq; cœnam suam, corporalem scilicet refectionē, ante cœnam Dominicam præsumit ad manducādum, non ad erogandum pauperibus. Dominicam cœnam dicit acceptionem Eucharistiæ, quam non debent pransi, sed in honorem tanti sacramenti ieiuni sumere.

A jejunis sumenda Eucharistia.

Licet Christus post Cœnam discipulis dedit, quo vehementius commendaret, volens hoc vltimum infigere cordibus & memoriæ eorum. Quo autem ordine post sumeretur, Apostolis seruauit docendum. Causam autem quam diximus de oblationibus vendicandis, Apostolus manifeste non ponit: sed præsumptionem cœnæ aperte exprimit. Propter quam causam fortè dixit, *audio scissuras esse*, & interponens quod oportet & hæreses esse, addit. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare.* Et causam reddens subiungit. *Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Deinde arguit, quod esurientibus nihil darent, & quod ebrij erant, cùm sobrij esse deberent: & quod domos habentes, in domibus agenda in Ecclesia faciebant, id est manducabant & bibebant, & Ecclesiam Dei quæ est Domus orationis contemnebant: & non habentes confundebant coram eis manducantes & bibentes, & nihil eis dantes. Propter quod dicit *Quid dicam vobis?* vt parcius dicā. *Laudo vos, in hoc non laudo.* Ideo non laudo, quia corpus Domini est: quod irreverenter accipitis, & in eius commemoratione sumere debetis, quod ab eo didici. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Quod Ecclesijs traderet de hoc sacramento à Domino, accepit, sicut & Euangelium, quod ab eo Euangelizatum est. Vnde ad Galatas scribit. *Notum vobis facio fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me; quia non est secundum hominem; neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. In qua nocte tradebatur,* Imminente passione, *accepit panem & gratias agens fregit, & dixit. Accipite & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Quod dicit, *In qua nocte tradebatur, accepit panem*: ad vesperam referendum est: quia quarta-decima luna ad vesperam immolabatur Agnus. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quia Dominus dixerat, *hoc facite in meam commemorationem*: exponit Apostolus, quæ sit commemoratio. Hæc est scilicet annuntiatio mortis Christo iugiter in præsenti Ecclesia frequentanda, & vsque in aduentum Christi non cessatura. Hæc autem commemoratio vel annūtiatio mortis Christi fit credendo, confitendo, repræsentando, id est sacrificando, & manducando, & bibendo, & imitando. *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis & sanguinis Domini.* Reus vtriusque accepti indignè, id est reus ex hoc quod indignè accepit: reusque corporis pro se crucifixi, & sanguinis pro se fusi: hoc est reus mortis Christi. Quamvis enim non egerit, vt Christus mortuus sit: id tamen agit, quantum in ipso est, vt gratis mortuus sit. Nam salutem suam impedit, & sanguinem testamenti pollutum ducit, filium Dei conculcat, & virtutem mortis eius in se malè viuendo euacuat. Propterea qui eiusmodi sunt: rei mortis Christi sunt: de sua vita, pariter & de morte Christi rationem reddituri.

1. Cor. 11. — *Ibidem.* — *Galat. 1.* — *1. Cor. 11.*

Qu' fiat cōmemoratio mortis Christi. — *Ibidem.*

Reus mortis Christi quis, & cur.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane &c.

QVia tam magnum periculum illi imminet, qui indignè manducat & bibit: probet se homo, discutiat cōsciētiam suam, interroget totam vitam suam, scrutetur memoriam suam, subtiliter cor suum iudicet & arguat, legi pœnitentiæ vel disciplinæ se subiiciat: & vt probatus inveniatur, per moram temporis in ea se exerceat: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Vt periculum indignè sumentis arctiùs memoriæ infigat, & altiùs imprimat, & sic à tanta præsumptione deterreat, ait. *Qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Non dicit, *non dignè*, sed *indignè*: quis enim vsquequaq; dignè? Vt quis accipiat, quantumcumq; sit iustus, quantumcūque sit perfectus, magis est dignatio Domini, quàm dignitas servi. At cùm iniust' accipit, periculum augent indignitas peccatoris, & indignatio Iudicis. Iudicium enim sibi mãducat. Quare iudicium sibi manducat? Quia iudicium mortis est illi, qui sic mãducat, pro eo quod manducat. Quare iudicium manducat? Quia Iudicē magis quàm Saluatorem manducat, non dijudicans corp' Domini. Iudicād' ergo est, quia non dijudicat, quia securitate percipiendi, à cæteris cibis corpus Domini non discernit: nec attendit quàm sanctum & venerabile, quanto timore & tremore accipiendū sit, quod sumit. Periculum autem indignè sumentium exaggerās, addit *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Iudicium siquidem tantæ præsumptionis non totum semper in futurum differtur; sed iam in præsenti multi, quia indignè sumunt, infirmātur mente, & imbecilles fiunt corpore: & morte præuenti incurrunt dispendium vitæ. Primū horum trium malorum omnibus indignè sumentibus videtur esse commune: cætera duo etsi non omnibus, multis tamen accidunt, ad correctionē aliorum: vt ex aliorum incommodo discāt magis timere, & tantæ gratiæ reuerentiam maiorem exhibere. Hinc insinuari videtur, quamvis Apostolus manifestè non dicat, quòd qui digne sumunt, confortantur mente: & quòd multi, quātum expedit illis, robustiores fiunt corporali virtute: & fortè donantur, vel non minuuntur munere longioris vitæ. Verūtamen quod Apostol' non dicit, temerè affirmare non audemus: sicut quod dicit, impiè negare nō debemus. Inter tria mala, quæ imminent indignè sumentibus, vnum sanè est consilium homini fideli, seipsum digna districtione dijudicare. Propter q dicit. *Si nosmetipsos dijudicaremus*, scilicet secundùm legem pœnitentiæ vel disciplinæ, *non vtique dijudicaremur*, à Domino videlicet, secundùm zelum furoris eius, aut iræ. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur.* Iudicium, quo se boni in præsenti iudicant, quodam modo Domini correptio est, nec ab eius sententia alienum est. Ipse enim sic præcipit, ipse sic consulit: volens parcere nō parcenti sibi. Et qui disciplinā pro Christo sibi imponit, & qui à Domino impositam libenter vel patienter excipit, vtrimqve à seipso dijudicatur: vtrimque à Domino corripitur, vt non cum hoc mundo damnetur: vt non sit pars eius cum infidelibus, qui iam iudicati sunt. Quasi enim infidelis est, qui inconsideratè accedit. Potest & aliter intelligi quod dictum est, *Cùm iudicamur, à Domino corripimur* Præmisit, *Ideo multi infirmi,*

Probatio sui est conscientiæ discussio, &c. — *1. Cor. 11.* — *Ibidem.*

Quidā iam in præsenti pœnas dāt indignæ sumptionis.

Ibidem. — *Iudiciū quo boni se iudicant, Domini est.*

& imbecilles, & dormiunt multi: significans aliorum præsumptionem ad aliorum correctionem à Domino nonnumquam puniri. Deinde se aliis connumerans, adiunxit. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Post hæc addit: *Cũ iudicamur autem, à Domino corripimur*: ac si diceret. Nos fideles ad tantã gratiam inuitati, quãdoque iudicamur, pro parte illorum, qui inter nos infimi fiunt, & imbecilles, & dormiunt: & dum ita iudicamur, à Domino corripimur: nos scilicet alij, quib' prodest, quod de aliis fit iudicium ad aliorum correctionem. Secundùm hunc intelligentiæ modũ, iudicari, & à Domino corripi, per diuisionem ad alios & ad alios referenda sunt: quamvis de eisdem dici videantur. Quo locutionis genere multa in sacris eloquijs dicta inveniuntur: vt est illud. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculò veniebãt ad eum.* Alij nempe erant, qui occidebantur, & alij quærentes eum reuertebantur. Mundi nomine vel infideles intellige: vel generaliter malos: in quibus sunt multi, quasi infideles, vel infidelibus deteriores. Manifestè prædicit nobis doctor veritatis, sicut prouidus gubernator, metuendũ nimis huius nostræ nauigationis periculum, velo pariter & remo fugiendum: metuens ipse sibi, si non corripiatur, ne cum hoc mumdo damnetur. Vnde & corpus suum castigans in servitutem redigit, ne reprobus efficiatur. Quo suo metu gravissimè pauitantia corda nostra percutit, vt magis timeamus. Quis enim sanùm sapiens non timeat, vbi Paulus timet? Quid faciat virgula deserti, vbi cõtremiscit cedrus paradisi? Causa nostra in arcto posita est. Iudicari enĩ nos oportet, vel à nobis, & ideo mitiùs: vel à Domino, & irato, & ideo grauiùs. Timeamus ergo periculum, vt fugiamus, iudicium iudicio declinantes: vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibẽtes temporaliter potiùs maceremur, quàm suppliciis deputemur æternis.

1. Cor. 11.

Psalm. 77.

Mundi nomine infideles vel mali designantur.

Quis sit ordo sequentium.

SAcramentum Altaris principaliter præfiguratũ est in pane & vino oblatis à Melchisedech, & in Agno Paschali, & Manna. Sed quoniam de pane & vino in superioribus, sicut res exigebat, & ordo temporis vel ipsorum sacrificiorum poscebat, dictum: adijciendũ est de agno & mãna: & primò de agno, de quo in Exodo ita scriptũ est.

Dixit Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti. Mensis iste vobis &c. vsq; ad illud, *Est enim Phase, id est transitus Domini.*

Exod. 12.

SIcut veritas nũc propalata dudum latebat sub figurarum velamine: sic caligo figurarum radiante veritate nunc manifestatur sicut in lumine, secundùm quod scriptum est. *Nox sicut dies illuminabitur.* Omne quod manifestatur, lumen est. Veritas manifestata figuram sic illuminat, vt ex figuræ cõparatione ipsa pulchri' elucescat. Collatio quippe figuræ & veritatis mirabili quadam cõgruentia mutuæ similitudinis mysticã figuræ significationem elucidat, & indubiæ veritatis fidem confirmat. Figura veritati sic concordat, vt proficiat ad veritatis testimonium, quod positũ est in signum. Veritas figuræ sic respõdet, vt inde ualeat confirmari, vnde eã oportuit præfigurari. Attendamus igitur, quomodo novum sacrificium veteri conueniat: & quàm mirabiliter ei sit configuratũ, à quo dudum extitit præfiguratum.

Psalm. 138.

Figura & veritas se mutuò declarãt.

Exod. 12.

MENSIS *iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Primus mensis, secundùm Hebræos, qui dictus est Nisan, ipse est, in quo mundus conditus creditur, cuius plenilunium post vernale æquinoctium semper est attendendum. In hoc mense populus Israel à servitute Ægypti liberatur: in quo legale Pascha inchoatur. In hoc genus humanũ sanguine Christi & à potestate diaboli eripitur, & in Christi resurrectione ad vitam reparatur: in quo & nouum Pascha ab ipso Christo instituitur. Hic igitur mensis tot titulis insignis, in ordine & número mensiũ, secundùm supputationem Iudæorum meritò primus nuncupatur.

Primus mensis Nisan Hebrais.

LOQVIMINI *ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicetis eis. Decima die mẽsis huius tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas.* Iubetur agnus decima die de grege tolli, vsque ad quartamdecimã ad vesperam seruandus. Hoc in figura Christi, qui decima die primi mensis Ierosolymam venit: vbi exceptus est à turbis cum ramis palmarum, & diuinis laudibus. Decima die mẽsis huius tollitur agnus, quartadecima immolatur. Denarius legem significat, propter Decalogum: quaternarius vero 4. Evangelia. Christus ergo, qui nõ venit legem solvere, sed adimplere, decimã die ad locum passionis venit, quartadecima luna ad vesperum tradendus his, qui eum erant crucifixuri: quia primò obedientiam legis impleuit, deinde animã ponendo pro fratribus suis obedientiã Evangelicæ perfectionis addidit.

Exo. 12.

SIN AVTEM *minor est numerus, vt non possit sufficere ad vescendum agnum: assumet vicinum*, &c. Litera hæc plana est, mysticè indicans vocationẽ Gentium, quæ ad esum agni nũc assumptæ sunt. Non sufficiebat populus solus Israel ad vescendum agnum: quia non illi sufficiebat hic agnus: sufficiebat enim his & illis. Erat autem populus Gentiũ vicinus & coniunctus domui Israel: quia vterq: populus ex vno patre Deo secundùm creationem, vterque ex Adam vel Noë secundùm originem carnis, & vterq; secundùm propositum gratiæ in vna domo, hoc est Ecclesia, colligẽdus: sed populus Gentium per populum Iudæorum. Propterea ipsi monentur assumere vicinum suũ, quod & factum est in assumptione Gentium per Apostolos. Aliter. Si qui simplices fratres sunt in vna domo vel congregatione, qui non sufficiunt ad vescendũ agnum, hoc est, qui non sufficiunt hoc fidei nostræ intelligere sacramentũ: monentur assumere, non extraneum hominẽ. id est, hominem hæreticum, sed vicinum suum, iunctũ domui suæ; hoc est, hominẽ Catholicum, sanam habentem doctrinam: quo adiuti sufficiant comedere agnum, hoc est, capere secundùm pietatem fidei veri agni sacramentum.

Ibidem.

Gentilis popul' quomodo Hebrais coniunctus.

Hæretici nobis extranei sunt.

ERIT *agnus absq; macula, masculus anniculus.* Secundùm mandatum Legis, absq; macula eligi debuit agnus, hoc est, qui esset sine vitio corporis: vtpote nec claudus, nec aliàs vitiosus. Hæc omnia Christo conveniunt. Ipse est enim agnus, qui tollit peccata mundi: innocẽs, immaculatus, segregatus à peccatorib': qui peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Masculus quidem, quia nihil effeminatum habens, sed in omnibus viriliter agens: anniculus verò, quia huius anni est, de quo dicitur: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*: & de quo ipse per Isaiam dicit, *Vt prædicarem annum placabilem Domino.* Anniculus ergo est per nouitatem gratiæ, nihil habens de præcedentium annorum antiquitate: videlicet de vetustate culpæ,

Psalm. 64.

Isaia 61.

Exod. 12. *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum.* Hic videtur ostendi, hœdum ad celebrandum pascha, si agnus desit, sumi oportere. Cui Augustinus contradicere videtur, dicens, quod Iudæi conantur intelligere hœdum accipiendum, ad celebrãdum pascha, si agn⁹ desit. Sed Augustin⁹ alia trãslatione vti videtur, quasi scriptum sit, agnum ab agnis vel hœdis accipiẽdum. Dicit enim. Quare moneretur ouem vel agnum ab agnis vel hœdis accipiendum, nisi ille figuraretur, cuius caro ex iustis est & peccatoribus sumpta? At secundum translationem qaa nos vtimur, moneri videtur, iuxta ritum de agno præscriptum, hædum esse tollendum. Nec est absurdum, per hœdum Christum significari, pro similitudine carnis peccati.

Augustini opinio de hœdi immolatione.

Et *seruabitis eum vsque ad 14. diem* &c. De vtroque intelligendum est hoc, de agno videlicet & hœdo. Ad hoc enim decima die tolli debebat, siue agnus siue hœdus, vt seruaretur vsque ad 14. diem mensis huius, & immolaretur ad vesperum quia in fine seculorum à Iudæis immolatus est Christus, & ad vesperam traditus est & tentus, vt occideretur. A nobis quoque quasi ad vesperam immolatur Christus: hoc est post eius mortem quasi ad occasum solis. Licet enim jam resurrexerit: in sacrificio tamen altaris iugiter mors Christi annũtiatur, & quod ad vesperam factum est, repræsentatur.

Et sument de sanguine agni, &c.

Domus, in quibus habitam⁹, ipsi nos sumus, si tamen apud nosmetipsos manemus, & non extra nos per desideria erroris educimur. Postes domorum sunt firmitas cordis & corporis in fortitudine & patientia. Super vtrumque ergo postem sanguis Agni ponitur, quãdo passionem Christi per afflictionem vtriusque, mentis scilicet & corporis, compatiendo imitamur. Parum est enim super vnum postem sanguinẽ ponere; quia homini Christiano necessaria est disciplina in castigatione mentis pariter & corporis. Nam quod per Prophetam dicitur, *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra*, scissionem vestimentorum, hoc est afflictionem corporum non interdicit: sed non solam sufficere ostendit. Sic Dominus cum dicit, *misericordiam volo, & non sacrificium*, misericordiam quidem præcipuè requirit, sine qua nec sacrificium sufficit. Superliminare est pia intentio: in quo sanguis ponitur, cùm intentio cogitationis ad imitationem passionis Christi dirigitur. Alio quoque modo in superliminari sanguis ponitur, cùm crux passionis in fronte portatur. Vnde ad eum qui in medio candelabrorum à Propheta Ezechiele aspiciebatur similis filio hominis, Dominus dicit. *Transi per mediam ciuitatem Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius.* Et sex viris qui steterunt juxta altare æneum, dixit. *Trãsite per ciuitatem sequentes eum, & percutite.* Et post pauca. *Omnem super quem videritis thau ne occidatis; & à sanctuario meo incipite.* Et in Apocalypsi legitur. *Habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Et in Exodo. *Facies laminam de auro purissimo, in quo sculpes opere celatoris, Sãctum Domino: ligabisque eam vitta jacinctina, & erit super tyaram, eminens fronti Pontificis.* Quid per frontem rectius intelligitur, quam publica & inconfusibilis confessio crucis Christi? Oportet enim seruum Christi inconfusibilem esse in humilitate

Quid sit sanguinem agni ponere super postes.

Ioel. 2.

Ose. 6.

Sãguis agni in superliminari, quid.

Ezechiel. 9.

Apoca. 14.

Exod. 28.

Christi, non solum prædicanda, sed & imitanda: sicut & Christus inconfusibilis extitit, qui sustinuit crucem confusione contempta. Vnde Apostolus Timotheum admonet dicens. *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem.* Hæc est autem fidelis confessio, lingua & vita, verbo & exemplo, sermonibus pariter & moribus, Christum annuntiare, improperium Christi sustinere; humilitatem, paupertatẽ, & omnem vilitatem pro Christo non erubescere. Hinc per Prophetam dicitur. *Posui faciem meam vt petram durissimã, & scio quoniam non cõfundar.* Ab his autem qui sanguinem ponunt in superliminari, qui Thau vel nomen Dei habent scriptum in fronte, longe sunt illi, qui à turpibus & ob turpia laudari non solum non erubescunt, sed & concupiscunt: quorum gloria in confusione est; & vnde deberent confundi: inde gloriosos se reputant, & more meretricis frontem obdurant, erubescenda non erubescentes, sicut scriptum est, *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Alio etiam modo sanguinẽ agni super vtrumque postem, & in superliminari ponimus: quãdo sanguinem Christi ore corporis & cordis sumimus, & totã spem nostram quæ sursum est, non in virtute nostra ponim⁹; sed sanguine huius agni signamus. Nam qui perfectiores alijs inueniuntur, martyres scilicet Christi, nõ in suo sanguine lauerunt stolas suas, sed candidas eas fecerunt in sanguine agni. Non enim sanguis eorum, quamuis innocens, quãvis mundus, sufficiebat ad emundationem peccatorum. Sanguinẽ itaque agni super vtrũque postem ponimus: cum corpus & animã Dominici sanguinis perceptione communimus. In superliminari sanguinem ponimus, cum huius sanguinis virtute saluari credimus: qui iustitiæ nostræ fiduciam non habemus.

2. Timo. 2.

Fidelis confessio quæ.

Isai. 50.

Ierem. 3.

Alia expositio sanguinis super postes.

Et edent nocte illa carnes assas igni. Nocte agnũ comedimus: quia modo in sacramento Dominicum corpus accipimus. Profundum enim est mysterium, & sacro tectum velamine. Nocte comedimus: quia adhuc conscientias nostras inuicem non videm⁹, nec propria delicta, nec qualis quisque accedat, plene intelligimus. Delicta enim quis intelligit? Carnes assas igni cõmedimus, si de carne Christi dignè sentimus, quæ de Spiritu sancto concepta igne caritatis operante Verbo Dei vnita est: & pro salute mundi passioni exposita, & igne passionis sicut holocaustum concremata in odorem suauissimum Domino. Potest etiam ignis referri ad charitatem, quã nos Christum diligere debemus: sine qua ad carnes agni nemo dignus accedit. Propterea iubemur carnes assas igni comedere, & rectè. Nam quod ardenter amatur, iugi meditatione in corde versatur, & calore amoris, quasi in corde assatur. Assum ergo comeditur, cùm exemplum passionis Christi per amorem imitationis auidè sumitur, & intra nos recipitur.

Quid sit agnum nocte edere.

Et Azymos panes cum lactucis agrestibus. In singulis verbis aliquid vtile nobis suggeritur, & aliqua gratia ædificationis continetur. Ecce hic azymos panes edere monemur cum lactucis agrestibus. Vt quid hoc? Aut qui sunt panes azymi, vel lactucæ agrestes? Iustitia pura & incorrupta ipsa panis est, & vitalis refectio, vnde quis iustè viuat. De qua scriptum est. *Beati qui esuriũt & sitiunt iustitiam.* Et ille, dudum per inobediẽtiam justitiæ desertor, nunc autem per pœnitentiam ad

Qui sint panes azymi.

Matth. 5.

Psalm. 101. tiam ad cor rediens, dicit. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Panes ergo azymi sunt omnes virtutes mentis bene constitutæ, si veræ sint, & sinceræ; & nihilominus ipsa opera iustitiæ, si sine fictione, & sine admixtione peccati fiant. Panes itaque sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ facit: qui sollicitè agit, ne per malam intentionem bonum perdat, quod rectè dispensat. Opus enim pietatis corrumpit intentio vanitatis. Econtrario iniquitatē operis non excusat pietas intentionis. Vnde increpādo dicitur. Amos 4. *Sacrificate de fermentato laudem.* De ferméto enim laudem immolat, qui Deo sacrificiū de rapina parat: qui de malo opere gratiam captat. Lactucæ agrestes valde amaræ sunt: quibus rectè significari possunt pœnitentia & disciplina: quarū prima præterita peccata amarè plāgit, altera illicita desideria amarè restringit. Quoniam ergo sine iustitia, pœnitētia, & disciplina, ad carnes Agni accedere non debem⁹, rectè monemur, carnes agni edētes edere etiam azymos panes cū lactucis agrestibus.

Exod. 12. NON *comedetis ex eo crudum quid, aut coctum aqua, sed assum tantùm igni.* Ipsa verba historiæ historicum sensum ex parte excludunt: cùm consuetudinis non sit, agnum crudū edere. Mysticè autem tres differentiæ edentium hic insinuātur: in quibus quatuor continentur. *Tres differētiæ edētium agnum.* Sunt enim quidam, qui æmulationē Dei habent secundùm scientiam pietatis: alij æmulationē Dei habent nō secūdùm scientiā pietatis: alij scientiam, & non æmulationem: alij nec scientiam, nec æmulationē. Hæ 4. differentiæ sub tribus comprehenduntur. Alij quippe crudum quid comedunt, alij coctum aqua, alij assum tantùm igne. Vt à nouissimo incipiamus, assum igni est, quod calore fidei & caritatis excoctum est. Assum igne comedunt, qui æmulationē Dei habent secundùm scientiam: id est secundùm ipsam fidei pietatem: hi qui piè in Christum credunt. & ignito corde eum fideliter diligunt. Coctum aqua comedunt, qui æmulationē Dei habent, non secundùm scientiam, id est Christi doctrinam. Sunt enim quidā, æmulationem cognoscendæ veritatis habentes, qui adhuc in errore permanentes, non ita credunt, vt Christus docuit. Et sunt quidam, in proposito & desiderio æmulationem melioris vitæ habētes, sed adhuc remissiùs agentes, nō ita viuunt, vt Christus statuit. Vtrique coctū aqua comedunt: coctum quidem per calorem æmulationis, sed in aqua, per lubricam vitam, & incertam coniecturā sui erroris. Voluptas autem fluidæ & lubricæ vitæ per aquā significari solet: vt ibi. Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* Similiter erronea coniectura vel doctina per aquam solet significari: vt ibi, Prouer. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Sunt alij, qui fidē vel scientiam, sed nullam æmulationem habent. Hi crudum comedunt: quia absque omni calore fidei, & bonæ æmulationis. nec aqua, nec igne coquunt, quod corde concipiunt. Sunt, qui nec scientiā habent, nec æmulationem, vel veritatis cognoscendæ, vel virtutis sectandæ: & hi crudum comedunt. Inter eos, qui crudū comedunt, illi habendi sunt, qui Christum purū hominem credunt: & qui panem consecratū in altari secundùm speciē panis tantùm existimant.

Exod 12. CAPVT *cum intestinis & pedibus vorabitis.* Caput celsitudo Diuinitatis est de qua scriptum est. 1. Cor. 11. Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Et Apostolus. *Caput Christi Deus.* Vel caput principium omnium: q̃ Christo conuenit. qui dicit. Ioan. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis.* Vel caput p eminentia dignitatis, qua vniuersæ Ecclesiæ præest. Vnde Apostol⁹. Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiā.* Pedes sūt humanitatis humilia: de quibus Propheta ait. Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Vel pedes, quibus ad nos venit, sunt charitas & humilitas. Intestina sunt viscera misericordiæ, quibus visitauit nos Oriens ex alto. Quæ sunt, inquis, viscera misericordiæ? *Viscera misericordiæ Dei quæ sint.* Propositum & cōsilium nostræ liberationis. Propositum in dispositione, consilium in electione. Quod facere disposuit, & modis innumerabilibus facere potuit, vno certo modo cæteris mirabiliore facere prælegit. Vel intestina sunt secreta Sacramentorum, quæ ipse à nobis suscipienda instituit: vt Sacramentū Baptismi, cæteraq; ablutionis & sāctificationis nostræ remedia: & item arcana sacramentorum, quæ ipse in se compleuit: quæ sūt videlicet sacramentum Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis. Caput ergo cum pedibus & intestinis vorare monemur: vt in cibū nobis conuertamus, & cum auiditate percipiamus, quæ de diuinitate & humanitate, & sacramentis Christi scripta sunt: & omni desiderio studeam⁹ ex his spiritualiter viuere, & bona quæ in nobis sunt nutrire: piè credēdo, deuotissimè venerādo, & quæ imitanda sunt ferventer imitando. Quātò n. abundantiùs ista facimus, tātò auidiùs illa voramus. Exod. 12. NON *remanebit ex eo quidquam vsq; mane: si quid residuū fuerit, igne comburetis.* Mane post noctem erit: quando quod nunc in sacramento velatum est, manifesta veritate capiemus: & quādo ipsi nobis, vel vicissim, manifesti erimus. Omnia autem, quæ de Christo scripta sunt, certa & immobili fide, dum adhuc in nocte edimus, firmissimè tenenda sunt, nec vlla impia dubitatio in corde cuiuspiam residere debet: vt quod nunc credere iubetur, vsque mane, id est vsque ad tempus manifestæ cognitionis, differat, & dicat, *Nisi videro, non credam.* Ioan. 20. Quod enim residet impiè dubium, hoc remanet incomestum. Quod ne fiat, dicitur. *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Si autem assumpto vicino, qui iunctus est domui, non potest totus agnus comedi; id est, si Doctore Catholico exponente, non potest tota profunditas huius mysterij penetrari, quid faciendum est; nisi quod sequitur, in quo infirmitati nostræ consulitur: *Si quid,* inquit, *residuum fuerit, igne comburetis?* Quod ex agno remanet, igni comburimus, *Quid sit agni residua cōburere.* quando hoc quod penetrare non possumus, potestati Spiritus sancti humiliter cōmittimus; vt non superbè quis audeat cōtemnere, quod non intelligit. Igni ergo comburim⁹, quod Spiritui sancto relinquimus. Igni item residuum comburimus, quando id quod comprehendere non sufficimus, cum fer ore piæ deuotionis humiliter veneramur. Totum ergo aut comedendum est, aut igni comburendum; ne quid ex his quæ tenemur vel monemur credere, remaneat incomestum, vel incombustum.

Exod. 12. *Sic autem comedetis eum. Renes vestros accingetis.* Qualiter edendum sit pascha, cognouimus, nunc à qualibus edi debeat, prosequar. Per renes concupiscentia, quæ est originale malum, propagatur: ideoque per renes significatur. Renes ergo accingunt, qui cingulo continentiæ malas concupiscentias restringunt. Quod & Dominus in Euangelio nobis iniungit dicens. *Sint lumbi vestri præcincti.* Castitas namque primo loco im-

ponitur accedentibus ad carnes agni, tanquam summopere necessaria, & intantum; vt Apostolus dicat. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniā sine qua nemo videbit Deū.* Castimonia quippe sanctimonia frequenter appellari solet, quia sanctificat. Vnde idem Apostolus. *Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deum.* Et in primo Regum volumine, veniens Dauid in Nobe, ait ad Achimelech Sacerdotem *Siquid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.* Et respondens Sacerdos ad David, ait illi. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tātum panem sanctum: si mūdi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Et respondit David Sacerdoti, & dixit illi. *Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur; & fuerunt vasa puerorum sancta.* Ex hoc loco ostenditur, continentia sanctificatio dici: vbi pariter insinuatur, cùm sanctificatio fuerit requisita à pueris David vt ederent panem sanctum, multomagis requirēdam esse à quibuscumque fidelibus, vt edant panem vitæ, qui de cœlo descendit. Qui ergo castitatem habent, gratias agant tātæ gratiæ largitori Deo: qui non habent, postulent à Deo; nec se credant habere posse, nisi sibi desuper datum fuerit ab eo, iuxta quod in libro Sapientiæ scriptum est. *Vt scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius hoc esset, donum.*

Hebr. 12. 1. Thessal. 4. 1. Reg. 21. Sapien. 8.

Calceamenta habebitis in pedibus. In procinctu itineris cōstituti pedes calceamentis munire monentur, siue contra asperitatem viæ, siue contra pericula eremi, ne coluber qui calcaneo insidiatur, in occulto mordeat. In qua re figuratur, quod omnes qui de Ægypto, id est, de vana sæculi huius conuersatione esu veri agni liberandi sunt, pedes affectionum suarum testimonijs scripturarum, præceptis scilicet & cōsilijs Dei, & exemplis sanctorum Patrum, quasi quibusdam calceamentis, munire debent; ne aliter viuere, aut aliter de Christo sentire præsumant, quàm sacræ Scripturæ testimonia præscribunt, & majorum cohortantur exempla Hinc Apostoli iubentur calceati esse sandalijs. Et Apostolus dicit. *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis* Et in Sponsæ laude dicitur. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Sed quid sibi vult, quod Moysi à Deo dicitur, *Solue calceamentum de pedibus tuis:* & quod Apostolis dicitur, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta?* At calceamenta dupliciter intelliguntur; & in bonam partem, secundum ea quæ prædicta sunt; & in malam nonnumquam, quia quasi vincula & onera pedum sunt. Vincula quippe malarum consuetudinum, & onera peccatorū, in nobis & in alijs, exempla mortuorum operum, & munimenta defensionum & excusationum in delictis nostris, quasi quædam calceamenta sunt; quibus sensus nostri, per quos anima mouetur, ligantur, & prægrauantur, aut malè muniuntur. Hæc iubentur Apostoli non portare; hæc iubetur Moyses soluere; alioqui in terra sancta, id est, in Ecclesia sanctorū stare, & ad Deum accedere non potest.

Exod. 12. Ephes. 6. Cant. 7. Exod. 3. Luc. 10. Calceamenta quid significent.

Tenentes baculos in manibus. Est baculus sustentationis; est & baculus coërtionis. Baculo debilia membra, aut præ labore viæ delassata sustentantur. Vnde & minor Tobias parentibus debilibus, & quasi iam labore viuendi lassis, baculus senectutis eorum dictus est. Nobis autem baculus sustentationis hic esse debet, de quo per Prophetam ad Dominum dicitur. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hic est Christus, qui nos in labore huius peregrinationis sua fortitudine confortat & sustentat. Vnde & de Sponsa scribitur. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Hic baculus semper in manibus tenendus est; quia in omnibus operibus nostris sola spe gratiæ ipsius innitēdum est, vt non moueantur vestigia nostra. Quod autem baculos dixit, quasi plures, si hoc aliquam differentiam facit, ad hoc pertinere potest, quòd quamvis vnus sit Christus, non vniformiter tamen gratiam partitur; sed vnūquemque sustentat, secundum modum sibi congruentem, sicut quemq; vult sustentari. Vel baculos in manibus tenent, qui inter omnes vitæ huius varietates super duo ligna crucis spe innixi, tantò fortiùs sustentātur, quantò firmiùs innituntur. Quo contrà de Pharaone sub figura diaboli dictum est. *Ecce confidis super baculum arundineum cōfractum istum, super Ægyptum; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius & perforabit eam. Sic Pharao Rex Ægypti, omnibus qui confidunt in eo.* Est, vt prædiximus, & baculus coërtionis. Baculus quippe siue virga, insigne est potestatis. Hinc qui alijs in Ecclesia præsunt, baculum siue virgā pastoralem gestare cernuntur, in figura Christi, cuius potestate & authoritate subditos habent regere; & alios quidem delinquentes corrigere, alios autem cùm bene cœperint, ad meliora dirigere. Hinc secundùm Lucam Apostoli virgam ferre iubētur, virgam scilicet directionis, siue iustitię, vel disciplinæ. De qua Apostolus dicit. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Virga quoque sustentationis Prelatis permissa est, quia in temporalibus à subditis sustentari licet, & in spiritualibus; & si fieri potest, in temporalibus subditos sustentare debent. Quod autem secundum Marcum virga ferēda non est, eò pertinet, quòd perfectis Christi discipulis potestas propriæ defensionis concessa non est: secundum quod ipsa veritas dicit. *Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram, &c.* quæ sequuntur. Hinc & Apostolus. *Non vos metipsos defendentes carissimi.* Eliseus baculum habuisse legitur, in quo figurari potuit districtio legis, quę non potuit mortuum suscitare. Christus autem, siue potestas, siue iustitia eius, in plerisque scripturæ locis per virgā siue baculum significatur, vt ibi. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et iterum. *Virga directionis virga regni tui.* Et apud Isaiam. *Egredietur virga de radice Iesse.* Et Ieremias, *Virgam vigilantem ego video.* Pro quo Septuaginta transtulerūt, *baculum nuceum.* Non soli autem pastores aliorum, quibus credita est dispensatio Ecclesiastici regiminis baculos in manibus gestare habēt; sed quicūque ad esum veri agni admittuntur, baculos in manibus spiritualiter tenere debēt: vt in omnibus operibus suis, siquid indisciplinatum vel inordinatum offenderint, censura districtionis & rigore disciplinæ quasi baculo percellant. Vnusquisque enim curā sui habere debet, vt vice Christi se delinquentē coërceat, & proprios excessus corrigat. Qui modus propriæ castigationis insinuatur, vbi dicitur. *Vnusquisque ensis super femur suum. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.*

Psalm. 22. Cant. 8. Isai. 36. Luc. 9. 1. Cor. 4. Marc. 6. Matth. 5. Rom. 12. 4. Reg. 4. Psal. 109. & 44. Isai. 11. Ierem. 1. Baculus spiritualiter ferendus. Cant. 3.

Exod. 12 ET *comedetis festinanter.* Qui in Christo piè viuunt, cibum, qui Christus est, semper comedũt: quia semper, vt in ipso viuant, ab ipso accipiunt, Omnibus autem necessarius est hic cibus, vt iustè viuant. Et quoniam non licet conuersionem ad iustitiam differre, nec post initiatam conversionem segniter agere, dicitur, *Et comedetis festinanter*: vt qui nondum de Christo vel in Christo viuunt, sine mora & cunctatione incipiant secundùm Christum viuere, & ita Christum in cibum habere. Et qui iam in Christo viuunt, nihilominus satagant festinanter comedere, hoc est, auidè ad meliora proficere. Quando verò Christus in Sacramẽto altaris comeditur, festinanter comedi debet: non quòd solemnia Missæ festinanter, & quasi præcipitanter, sine gravitate & reuerentia peragi debeant: sed cùm ventum fuerit ad ipsam perceptionis horam, festinanter sumendũ est, ꝙ tanto desiderio comedendũ est. Sic enim sumendus est iste cibus, sicut qui toto desiderio desideratur, tota auiditate cõcupiscitur. Sic sumere debet quisquis accedit, sicut famelicus cibũ, vel sitibund⁹ potum, qui nolit morã pati, vel à tanta gratia differri. EST *enim Phase, id est transitus Domini.* Quare dicatur transitus Dñi, ostenditur, cùm subditur. *Transibo per terram Ægypti nocte illa: percutiamq; omne primogenitũ in terra Ægypti, ab homine vsque ad pecus.* Et infrà. *Videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens.* Et infrà. *Victima trãsitus Domini est: quãdo transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiẽs Ægyptios, & domos nostras liberans.* Hic transit⁹ Domini causa liberationis est, qua trãsierunt filij Israël de seruitute ad libertatem, de Ægypto ad terram sibi repromissam: signum autem illius transitus, quo in futuro transiet, alios percutiens, alios liberans: sicut scriptum est.

Non differenda conuersio

Luca 12. *Transiens ministrabit illis.* Christ⁹ autem victima transitus nostri. & ipse transiens de mũdo ad Patrem, viam nobis transeundi aperuit, & modum præmonstrauit, dicens. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudiciũ non venit, sed transiet à morte ad vitam.* Nobis autem geminus est transitus: aut de mala vita ad bonam, aut de bona ad beatam. Vtriusque signum transitus est Hebræorum de Ægypto: vtriusq; causa trãsitus est Christi de mundo ad Patrem.

Duplex nobis transitus.

Exod. 12. HÆC EST *Religio Phase. Omnis alienigena,* &c. vsque ad illud, *Qui peregrinatur apud vos.* Hic Religionis nomen inducitur, vbi conditio vel qualitas eorum, qui ad esum agni non admittuntur, distinguitur. In quo mõstratur, ad religionẽ hoc maximè pertinere, si ad esum veri agni non quilibet sine delectu admittatur: sed quis dign⁹ sit, vel indignus, summopere discernatur. Quatuor autem differentiæ non recipiendorum hic distinguuntur: alienigena, servus emptitius, aduena, & mercenarius. Alienigena per significationem indicat Gentilem, vel Iudæum, hæreticum vel schismaticũ, & excõmunicatum: qui manifestè foris sunt, & ideo Sacramẽtis corporis & sanguinis Dñi cõmunicare non debent. Seruus emptitius est, qui nomine tenus in Ecclesia est, & seruili timore comprimitur, ne palam noceat, ideoque seruus: qui rectè dicitur emptitius, quia qui inuitus seruit, libertatẽ vendidit, hoc est, à se alienauit. Advena est, qui aliunde venit ad fidem, & se credere fingit: ex nobis enim non est. Mercenarius est, qui pro temporalib⁹ servit. Alienigena ergo est manifestè incredulus, vel rebellis: aduena occultè incredulus: servus emptitius occultè malus: mercenarius fictè bonus. Quod de seruo dictum est, *Circumcidetur, & sic comedet*: de alienigena, & aduena, & mercenario intelligi potest. Quicũque enim mali, si spirituali circumcisione purgati fuerint, ad esum Agni possunt admitti. In circumcisione autem serui populo Dei aggregandi, & sic ad esum agni recipiendi, indicatur vocatio Gentilis populi, qui per circumcisionem non manufactam antiquis iustis associãdus est: vt ex vtroque populo vna sit Ecclesia, de qua subditur *In vna domo comedetur.* Extra Ecclesiam quippe in conventiculis hæreticorũ non est locus sacrificij. Vnde rectè adiungitur. *Nec efferetis de carnibus eius foras* Hoc enim sacrificium his qui foris sunt, & de hac domo non sunt, cõmunicandum non est, nec arcanum huius sacramẽti indignis auditoribus reuelandum: quia sanctum canibus dandum non est, qui parati sũt magis oblatrare & irridere, vel impugnare, quã reuerenter suscipere. Quod autem subiungitur, *Nec os illius confringetis,* Ioannes exponit, dicens.

Alienigena, servus, &c. quid significent

Extra Ecclesiam non est locus sacrificij.

Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura. Et post pauca subiungit. *Vt impleretur Scriptura, Os non comminuetis ex eo.* Os ergo Agni secũdùm præceptũ legis non frangendum, præfigurat crura Christi in cruce non frangenda: & in vtroq; per mysticam significationem monemur, spiritualiter os Agni infractum & integrum in conscientia fidei cõseruare. Os autem infractum diuinitatẽ Christi significat, quæ pati nõ potuit: vel virtutẽ potentiæ, qua à mortuis resurgere potuit: vel virtutem patientiæ, qua pro veritate vsq; ad mortẽ stare ipse voluit. Hoc est os, de quo dicit. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Os ergo frangit, qui diuinitatem Christi negat: vel diuinitatẽ in Christo passam fuisse affirmat. Os frangit, qui eius potentiæ Christum esse negat, vt posset à mortuis resurgere: vel eius patientiæ, vt sponte vellet mortem subire. Quòd autẽ ipse Christ⁹ dicit, *Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei,* de fortioribus eius membris accipiendum est. Cui contrarium videtur, quod in alio psalmo de iustis dicitur. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Sed attendẽdum est, quòd variè intelligi potest quod dicitur, *Dum confringuntur ossa mea*: quidã enim putatiuè ossa sunt, & verè fortes, & verè franguntur: quidam verè ossa sunt, & putatiuè franguntur. Quidam autem verè ossa sunt, & verè franguntur; sed corpore, non animo. Fractio enim duobus modis attendenda est; vel corporis, quæ cõmuniter ad bonos & ad malos; vel animi, quæ ad solos pertinet malos; nisi quòd boni ad horam, etiam animo labi permittuntur, vt fortiores resurgant. Fractio autem crurum in latrone malo & blasphemo, animoque fracto, geminam indicare potest fractionem in malis, corporum scilicet & animorum. Fractio crurum in latrone pœnitente & confitente, indicare potest fractionem corporum in iustis; quorum corpora permittit Deus conteri, & occidi, & ossa confringi & dissipari. Vnde est illa vox martyrum. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Crura Christi infracta indicant inuincibilem ipsius & membrorum eius constantiam. Vnde & de sponso dicitur. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super ba-*

Ioan. 19.

Exod. 12.

Psalm. 138.

Psalm. 41.

Psalm. 33.

Fractio crurũ in latronibus quid notent.

Psalm. 140.


Cant. 5.

Qui ad esum agni admittendi. ses aureas. Ostenso, qui non sunt admittendi ad esum agni, consequenter ostendit, qui sunt admittendi; generaliter pronuntians, quòd omnis cœtus filiorum Israël faciet illud; id est, sacrificabit phase, vel obseruabit, quod suprà dictum est. Quod autem de solo seruo dixerat, nunc de alienigena, & aduena, & mercenario, intelligẽdum insinuat, nomine peregrinorum omnes indicãs, qui non fuerint de cœtu filiorum Israël. *Si quis*, inquit, *peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam*, hoc est in cultum religionis vestræ, & facere phase Domini, *circuncidetur prius omne masculinum eius*, hoc est, omnis masculus de domo eius. In quo ostenditur, quòd siquis infidelium cum sectatoribus suis ad nomen & numerũ fidelium elegerit transire; ipse, & quicumque sectator ipsius, spiritualiter circuncidendus est, ad faciendum nobiscum phase. Sed etsi quis fidelis cognominatus, peregrinus est à cœtu bonorum, vt cum eis phase celebrare dignus sit, circuncidi debet omne masculinum eius; quia totum quod in ipso fortè est ad malum, & ea quę mundi sunt, purgare debet, & fortitudinem mutare ad bonũ, & ea quæ Dei sunt; & tunc circuncisus rite celebrabit, eritque sic indigena terræ. Siquis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo; quia ad sacram communionem accedere non debet, nisi prius spirituali circũcisione fuerit purgatus. (Exod. 12.)

(Exod. 12.) *Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos*: quia Iudæus & Gentilis in vna Ecclesia congregati vna sacrificandi lege tenentur.

(Num. 9.) De libro numerorum. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filijs Israël. Homo qui fuerit immundus super anima, &c.* vsque ad illud, *Preceptum erit apud vos, tam advenæ, quàm indigenæ.*

(Duplex celebrando Pascha mensis.) PRIMUM Pascha obseruabatur decimaquarta die prioris mensis. At qui immundi erant super anima, & qui in via procul, faciebant Phase decima-quarta die secundi mensis. Primus mensis est tempus legis. Primum Pascha Iudæorum est sub lege. Secundum tempus est gratiæ: secundum Pascha nostrum est. Nos enim ex Gentibus vocati immundi eramus super anima, colentes ligna & lapides, & in via erroris ambulantes, à Deo longè facti. Quod autem dicit, *immundus super anima*, potest specialiter pertinere ad immunditiam, quæ est ex contactu mortui; vel generaliter ad omnem immunditiam, quæ secundum legem purgatione indiget. Possunt aliter accipi, quæ de primo & secundo mense dicũtur. (Quid notent hi duo meses) Primus quippe mensis indicare potest tempus primææ innocentiæ, & statum vitæ incorruptæ post baptismum, & ante lapsum. Secundus mensis indicare potest tempus pœnitentiæ post lapsum. Habet autem singularem dignitatem illibata innocentia, & ætas adolescentiæ inter tentationes huius vitæ incorrupta & incontaminata. Verùmtamen & qui post baptismum lapsi sunt, non excluduntur, sed per pœnitentiam reparati, Phase possunt celebrare, sed quasi in secũdo mense; quia immundi fuerunt super anima, proprijs peccatis fœdati; vel consensu alienæ iniquitatis, quasi contactu mortui contaminati; vel quia procul fuerunt in via, quamvis in gente sua. Quod enim dicit, siue in via procul in gente vestra, indicat, nec Iudæum cum Iudæis posse immolare Phase procul à loco, quem adhoc elegerat sibi Dominus. Sicut enim certum temp⁹ cõstitutum est, sic & certus locus æquè constitutus est ad immolandum Phase. Nam de tempore in Exodo scriptum est, vt suprà ostendimus, & iterum in Deuteronomio, vbi dicitur, *Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum tẽpus, vt facias Phase Domino Deo tuo; quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* (Deute. 16.) Similiter in Deuteronomio de loco dictum est. (Locus celebrando pascha assignat. Ibidem.) *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Domin⁹ Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Tempus verò pro certis causis mutari poterat, de primo videlicet mense in secundũ: locus autem mutari non poterat. Non enim qui procul erat à loco ad hoc cõstituto poterat immolare Phase. In qua re ostẽditur, quòd in loco prophano non licet immaculatum sacrificium offerre. Sed & quiddam altius nobis insinuatur. Locus quippe, quem elegit Dominus sibi ad immolandum Phase, Ecclesia est fidelium, sed iustorum; à quo loco procul est, etiam qui fidelis est, & iustus non est. Malus ergo si fuerit in via per fidem, & in gente sua per cõmunem cum fidelibus professionẽ: & procul à domo, per morum dissimilitudinem à numero iustorum dissociatus, hic non potest celebrare Phase; quia non est in vnitate iustorum, in loco scilicet, quem elegit sibi Dominus. Cùm autem reuersus fuerit, tunc poterit celebrare Phase in secundo mense, quia reuersis per pœnitentiam venia conceditur, & communio non negatur. Fortè competentiùs hoc loco per viam intelligi potest erroris semita, vt manifestior differentia appareat secũdum mysticam intelligentiam, inter illum qui immundus dicitur super anima, & illum, qui procul est in via. (Immundus super anima aut in via quis sit) Vt enim ab inuicem discernantur, immundus super anima intelligi potest, qui iam commisit: at procul in via, qui scelera committenda disponit. Hic immundus est in conscientia perpetrati delicti; ille procul in via est proposito & desiderio peccãdi qui rectè dicitur in via esse, quia illuc pergit mente, quò per intentionem cordis tendit. Qui autem mundus est secundùm anteactam vitam, & in via non est, qua deserat iustitiam, hic dignus est primo mense celebrare Phase. Dignior quippe est innocentiæ puritas, quàm pœnitentiæ vtilitas. Cætera quæ sequuntur in hoc capitulo superiùs exposita sunt, vsque ad locum illum, *Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecerit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis*, (Num. 9.) quibus verbis ostenditur, quanto periculo à bono negligatur, quod damnabiliter à malo vsurpatur. Non licet malo comedere Phase. Nam vt Apostolus dicit, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* (1. Cor. 11.) Non licet bono tempore suo non facere Phase, nam hic scriptum est, *Qui sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit.* Quod autem sequitur, *Peregrinus & advena, si fuerint apud vos, facient Phase Domini iuxta caremonias & iustificationes eius*; nec non & illud, quod subjungitur, *Præceptum idem erit apud vos, tam aduenæ, quàm indigenæ*: cõcordat cum eo quod in Exodo scriptum est, sicut paulò antè posuimus; *Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.* (Exod. 12.) Ordo propositi nos admonet, vt de manna subjungamus, secundùm ea quæ in Exodo scripta sunt, vbi sic legitur,



Exod. 16. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Audivi murmurationes filiorum Israël, &c* vsque ad illud, *Hoc cibo aliti sunt, vsquequo tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars est Ephi.*

VNa facies aliter videtur in pictura, aliter in speculo, aliter in aqua, aliter in seipsa. Tres imagines siue similitudines, sibi inuicé dispares & inæquales vnã faciem repræsentant: quæ in singulis sigillatim conspicitur: sed perfectè nõ cognoscitur, donec in seipsa videatur. Sic veritas, quę Christus est, facies Patris, & imago Dei invisibilis, dum adhuc videtur per speculum, & in ænigmate, secundùm aliquid tres habet principaliter figurarum imagines: in pane, & agno, & manna: quibus ex parte cognoscitur, donec plenius videatur. Ipsa autem veritas semper sibi cõstans, nec in se sibi dissimilis est, nec inæqualis; sed dissimiliter aut inęqualiter in imagine alia & alia figuratur, & repræsentatur: nec totum quod est in proprietate veritatis, resultat in vna similitudine imaginis. Et quãvis singulæ habeant propriam significationis expressionem, quæ ex parte supplet, quod cęteræ non habent: omnes tamen figurarum imagines, & vmbrarum similitudines, ad plenã veritatis manifestationem non perveniunt: & ipsius veritatis in seipsa reuelandæ cõtemplationem æquare non possunt. Sunt autem omnium creaturarum istarum quædam mysticæ similitudines, in quibus invisibilia Dei conspiciuntur; & quod notum est Dei, manifestum est in nobis: & aliæ quidem ex aliqua parte notã faciunt potentiam Dei, aliæ sapientiam, aliæ bonitatem, vel misericordiam, vel iustitiã: aliæ indignationem & iram: aliæ ostendun t, quòd amabilis est; aliæ, quòd terribilis est; omnes, quòd mirabilis est, In his autem mysticis similitudinibus sapientia Dei mirabiliter se abscondit, & mirabiliter se prodit: & in his in præsenti inuestigatur; in his contemplatio sanctorum versatur: quos delectat quoquo modo videre in similitudine, quem toto desiderio desiderãt videre in sui proprietate. Hæ similitudines in diuino eloquio distinguuntur, cùm delectat sanctos per notas sibi similitudines Deum magnificare, laudare, legentes vel auditores ædificare. Hęc est eorum meditatio & contemplatio, hic eorum sermo, doctrina, & prædicatio. De his autem in Cãticis Canticorum, secũdùm quandam trãslationem scriptũ est. *Similitudines auri faciemus tibi, cum distinctionibus argenti.* Tres autem supradictæ similitudines ab invicem distinguuntur. Panis enim de terra nascitur, secundum illud, *Vt educat panem de terra*: Et, *veritas de terra orta est.* Agnus immolatur; & de Christo scriptum est, *Quasi ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Manna de cœlo descendit; & Christus de se dicit. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* De similitudine hujus figuræ, qua Christ⁹ per manna figuratus est, quæ sit distinctio argenti, idest eruditio sacri eloquij, nunc dicendum est.

Christi figura panis, agnus, manna

Cant. 1.

Psalm. 105.

Isaiæ 53.

Ioan. 16.

Audiui murmurationes filiorum Israel. Loquere ad eos. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus . . Ascendens coturnix &c.

Exod. 16.

POpulus ingrat⁹ beneficijs Dei, desiderio carnis murmurauit cõtra Moysen & Aaron. Et quidem greges ouium habebant, & armenta boum, de quibus comedere poterant: sed desiderio auium, quibus abundabat Ægyptus, à quibusdã murmurasse putantur. Dominus autem volens murmurationem eorum compescere, & præsentibus eorũ desideriis satisfacere, & quæ circa eos quandoque erant futura figurare: ad vesperam dedit eis carnes, coturnices scilicet: & mane dedit eis manna, quintodecimo scilicet die secundi mensis, quando Pascha celebratur iuxta legem. Quæ dies Dñica fuisse probatur: quia sex diebus continuis collectum est manna, & septima, quæ est sabbatum, cessatũ est. Quòd Dominus loquitur ad Moysen, dicens, *Audiui murmurationem filiorum Israel*, hoc indicat, quòd Moysi, hoc est Ecclesiastico Doctori manifestat Deus, vt per eũ aliis manifestetur, ad suam notitiam peruenire, & ad suum iudicium pertinere, non solùm opera, quæ in manifesto fiunt: sed murmurationes cordis & oris, quas ipse audit, vt puniat. Sic è diuerso audit orationes iustorum, vt parcat. Audiuit quidem, sed distulit, & non cõtinuò puniuit, sed beneficia prærogauit: postea verò in loco, qui dicitur *Sepulchra concupiscentiæ*, pro murmuratione plaga magna nimis percussi sunt. Vel audiuit murmurationes, hoc est, murmurantium petitiones, de quibus scriptum est. *Et tentauerunt Deũ in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis* Quòd dicit, *Loquere ad eos, Vespere comedetis*, &c, insinuat, promissiones Dei, sicut & comminationes, per legem aut Ecclesiasticum Doctorẽ populo notificandas. Quòd dicit, *Scietis, quòd ego sum Dom. Deus vester*; insinuat, Deum cognosci in beneficiis suis, per misericordiam: sicut in iudiciis per iram. Cùm dicit, *Ascendens coturnix*, singularẽ numerum ponit pro plurali: sicut ibi, *Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus*. Quod dicit, *Operuit castra*, exponit Psalmista, dicens. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* Et in libro Numerorum scriptũ est. *Ventus egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & dimisit in castra*, &c. Carnes & manna vtraque diuersis modis accipiuntur. Possunt enim per carnes significari carnalia sacrificia, & cæteræ carnales legis obseruãtiæ vsque ad tempus correctionis impositæ. His nutriti fuerunt filij Israël, has carnes comederunt, sed vespere; vt significaretur defectus & finis carnalium obseruantiarum, quæ quãdoque erant cessaturæ. E diuerso per panes intelligi possunt noui Testamenti instituta, quibus saturati sunt filij Israël in Apostolis, alijsque de eodem populo ad gratiam Christi conversis; & hoc mane, id est, in aduentu Christi; vel à tempore resurrectionis Christi. Item per carnes significari possunt carnales intelligentiæ Iudæorum de promissis sacramentis, & præceptis, de Christo & aduentu eius. His carnibus pascuntur nũc Iudæi, in his, qui non credunt; & ad vesperam, quia nunc vespera est eis, & finis diei, id est, defectus fidei, quæ in antiquis justis præcessit. Sed mane tunc erit, quo panibus vitæ & intellectus saturabuntur; cùm plenitudo Gentium intrauerit, & omnis Israël saluus fiet. In fine enim mundi reliquiæ conuertentur. De qua conuersione Psalmista dicit. *Conuertentur ad vesperam.* Vesperam autem hic dicit finem mundi, in quo Iudæis cõuersis erit mane per illuminationem incipientis gratiæ. Item per carnes & panes intelligi possunt duo genera beneficiorũ Dei, quæ sæpe murmurantibus confert & indignis. Sunt enim quędam carnalia bona, quibus omnes indigem⁹ pro infirmitate carnis, & defectu vitæ, qui per vespe-

Desiderio auium murmurãt Iudæi

Ad Dei iudiciũ pertinent secreta cordium.

Psalm. 77.

Psal. 104.

Ibidem.

Num. 11.

Per carnes & panes quæ designentur.

Psalm. 58.

Vespera finis mundi est.

iam potest significari. Sunt quædam spiritualia bona, quibus indigemus pro salute animæ; qualia sunt dona Dei in verbo vitæ, in sacramentis, & cæteris charismatibus gratiarum, quæ secundùm initium gratiæ mane dantur. Hæc per panes, illa per carnes designantur. Carnalibus autem bonis mali abutuntur, per multimodas vitæ corruptiones; & Dei misericordiam conuertunt sibi in iram, comedentes & bibentes, & in bonis dies suos ducentes, donec veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. De qualibus Psalmista dicit. *Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis Dominus; non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erāt in ore ipsorū, & ira Dei ascendit super eos.* Et Isaias. *Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus.* Horum bona transitoria, & leuia, & illicita desideria, per coturnices, siue volatilia pennata, quia volatica sunt, & citò pertrāseunt, significari possunt. Hæ sunt carnes, quas pluit Dominus; non solum bona carnalia, quæ ipse dat, & pluit super bonos & malos; sed pluit super peccatores laqueos; & dimittit eos in desideria cordis eorum. Hæ autē carnes rectè apud Psalmistam pulueri & arenæ comparantur; tum pro multitudine diuitiarum, quibus abundant, sicut scriptum est: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerūt diuitias;* tum quia puluere terrenæ cogitationis fœdantur, qui hæc temporalia malè habent; & quantò damnabiliùs, tantò steriliùs & infructuosiùs possidēt. Spiritualibus quoque bonis sæpe abutuntur mali; qui significati sunt per malos, qui manna manducauerunt, de quibus Dominus dicit in Evangelio. *Patres vestri manducauerunt manna, in deserto, & mortui sunt.* Item carnes possunt aliter accipi: sicut colligi potest ex verbis B. Augustini super illum locū Psalmi, *Et pluit super eos, sicut puluerem carnes.* Sunt quidam boni in Ecclesia, infirmi, & quasi carnales, qui profunda fidei mysteria, & perfectioris vitæ instituta capere & apprehendere non possunt: sed parvula fide minimis præceptis cōtenti simpliciter credunt, & innocenter vivunt. Talibus pluit Deus carnes, siue volatilia pennata: quia ex nubibus, id est de prædicatoribus ministrantur eis signa vocum carne edita, & per aërem trāscurrentia, sicut volatilia, de verbis prædicationis carnalibus congruentibus, & parvula fide, & innocentia vitæ, quasi carnibus pascuntur. Hinc Paulus dicit. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Et iterum. *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Secundum Origenem verò per carnes perfectionis doctrina, per vesperam finis perfectionis significatur, vel per carnes ad vesperam. Verbum in vespera mundi incarnatum.

Psalm. 77. — *Isa. 22.* — *Coturnices quid designēt* — *Psalm. 72.* — *Ioan. 6.* — *Augusti. in Psalm. 77.* — *Infirmis pluit Deus volatilia.* — *Rom. 6.* — *1. Cor. 3.*

Mane quoque iacuit ros per circuitū castrorum. Cùm omne datum optimum, & omne donū perfectum, de sursum descendens à Patre luminum, per manna possit significari: principaliter tamē in eo Christus significatur: siue vt est in cælo, siue vt fuit in carne, inter homines homo, siue vt est in Sacramēto Altaris, siue vt est in Lege & Prophetis, siue vt est in verbo prædicationis, siue vt est in cordibus Electorum per fidem, siue vt est vbicumq; per gratiam. Mane ergo ros iacuit per circuitum castrorum, quando per Resurrectionē Christi mane factam, & initio gratiæ Gentib⁹ reuelatæ, verbum Dei per circuitum Gentium & nationum, vel Ecclesiarum, vel cordium Fideliū, disseminatum, & quasi per circuitum castrorum sparsum iacuit, in credentibus humiliter & reuerenter susceptum. Ibi autem iacuit, vbi remāsit. Ecclesiæ autem per orbē terrarum longè lateq; constitutæ castra sunt, per quorum circuitū circumferenibus Apostolis verbum Dei, Christus prędicatus est. Hinc Apostolus ait. *In virtute Spiritus sancti, ita vt ab Ierusalem per circuitum vsq, ad Illyricum repleuerim euangelium Christi.* Quòd autem verbum Dei ros sit, ostendit, qui dicit. *Fluat vt ros eloquium meum.*

Exod. 16. — *Christus per manna significatur.* — *Rom. 15.* — *Deut*

Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, &c. Cùm ros & manna, vt dictum est, cōmuniter possint Christum significare, vel gratiam Christi, siue verbū Christi, distinctè tamē hoc loco verbum Christi in rore significatur. Hic ros per prædicationem Apostolorum circūquaq; diffusus terram operuit, iuxta illud Isaiæ. *Repleta est terra scientia Domini; sicut aquæ maris operientis:* & tunc manna in solitudine apparuit: id est Christus Gentibus innotuit, secundùm illud, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Ecclesia, vel fidelis anima, secundùm statum priorum temporum solitudini comparari potest: quia ante conuersionem solæ bestiæ habitabant in ea: hoc est, in gentilitate homines morum qualitate bestiis similes: vel in anima bestiales affectiones. Potest autem secundùm præsentem statū solitudo dici, vel in Ecclesia, vel in anima: quia tumultum & frequentiam errorum & vitiorum fugiens, ad quietem mentis se conuertit. Vnde & pœnitēs dicit. *Similis factus sum pellicano solitudinis.* Et iterum. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Manna minutum erat; quia totum quod de Christo creditur vel prędicatur, ꝓpter eius inęstimabilem humilitatē, quasi ꝓpter nimiam exiguitatem, subtile est & incōprehensibile: & hoc est apud fideles: apud infideles autem contemptibile & paruum. Vnde apud Danielem Christus paruus lapis præcisus de monte dicitur: & ipse regnum cælorū grano sinapis comparat. Manna quasi pilo tunsum erat, non solùm quia Christus tunsionibus persequētium sese exposuit: sed quia posit⁹ est in signum, cui contradiceretur. Et verbum fidei in pilo cōtradictionis tunditur, quia à multis impugnatur, & in ipsa tunsione literali sensu exuitur: sicut solet folliculis frumentum, vel milium, vel aliquid tale, quod in mortario pilo teritur. Christ⁹ ergo tunsione passionis & pilo crucis mortalitate exutus est. Christus per pruinam variis de causis potest significari: tum quia candorē habet per munditiam sanctitatis: tum quia terram cordis nostri impinguat & fœcundat: tum quia rigore disciplinæ fluxum uitiorum in nobis restringit: tum quia incentiua carnalium desideriorum refrigerio gratiæ extinguit.

Ros verbum Christi significat. — *Isai. 11.* — *Idem ca. 45.* — *Psalm. 101. & 54.* — *Christ⁹ manna tunsum.*

Qvod *cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem, Man hu; &c.* Man hu aliter fideles dicūt, aliter infideles: aliter qui non credunt, & quærunt, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum:* aliter qui credunt, & mirantes obstupescunt dicentes, *Quis audiuit vmquam tale, aut quis vidit huic simile?* Quoties ergo vel in Christo, vel in verbis, aut operibus, vel sacramētis eius, aliquid verum comprehendimus, vel per

Exod. 16. — *Ioan. 6.* — *Isa. 66.*

infusionem supernæ gratiæ aliquid dulcius sentimus, toties admirantes & stupentes dicimus, *Man hu*, quod significat, *Quid est hoc*? Illi verò, quibus visibile manna apparuit, ignorabãt, quid hoc esset. In qua ignorantia præfigurata est cæcitas Iudæorum, qui Christum ignorant, in lege & Prophetis, in carne assumpta, & in sacrificio Altaris absconditum. In eo autem quod Moyses ait illis, *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum*, significatur, quod ipse Moyses est testis veri, veri scilicet panis ad vescendũ de cælo dati. Hinc Christus ad Iudæos dicit. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Hic ipse locus Scripturæ ad Christũ pertinet, dicente Moyse. *Iste est panis*, &c. Iste quippe panis primùm à Deo promissus, deinde de cęlo datus, Christũ significat, in Lege promissum, & in tempore gratiæ nobis datum. Demõstrans ergo panem, qui datus est, ostendit, hunc eumdẽ esse, qui promissus est, dicens. *Hic est sermo, quẽ præcepit Dominus*, sperare scilicet, & desiderare: ac si diceretur. Hęc est impletio sermonis, quo promisit Dominus panes, cùm diceret. *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus.* Potest autem simpliciter accipi, & ad sequentia referri, quod dicitur, *Hic est sermo Dei*. Sequitur enim,

Exod. 16.

Ioan. 5.

COLLIGAT *ex eo vnusquisque, quantum sufficit ad vescendum*, &c. Ex hoc loco adverti potest, gomor mensuram esse, quæ vni per diẽ sufficere possit. Gomor autem, vt in sequentibus habetur, decima pars est ephi. Quid sit ephi, ostendit Hieronymus in expositione in Ezechielem libro 14. his verbis. *Corus habet 30 modios, & in vtraq; mensura, tam aridorum, quàm liquentium, tenet principium. Decima pars cori in his, quæ modio mensurantur, appellatur ephi, id est tres modij, & decima pars cori in speciebus liquidis vocatur batus, siue vadus: vt eiusdem mensuræ sit ephi & batus.* Hęc Hieronymus: in quibus notandum, quòd cùm priùs dixisset *ephi*, postea dixit *epha*: quia, vt idẽ in eodem libro proximè antè ostendit, *epha* Græco sermone corruptè dicitur *ephi*. In eodem quoq; libro paulò pòst dicit, quòd *corus*, qui Hebraicè dicitur *Homor*, à 70 dicitur *Gomer* Hoc ideo dicimus, vt quæ sit differentia, appareat inter Gomor & Gomer. Quod dicit, *Colligat vnusquisque gomor per singula capita*, intelligendũ est, per singulos homines: vt principale corporis pro homine accipiatur. Quod autem subditur, *Iuxta numerum animarũ vestrarum, quæ habitant in tabernaculis sic tolletis*, ad hoc videtur pertinere, quòd per singulas domos tollendũ erat gomor, secundùm numerum hominum habitantiũ in eis, diligenter considerantibus, quantum quisque post collectionem repererit vel habuerit, manifestum est, gomor à singulis haberi, ex eo quod scriptũ est, *Mensi sunt ad mensurã gomor*: & ex eo quod sequitur: *Nec qui plus collegit, habuit amplius: aut qui minus paraverat, habuit minus.* Ergo post collectionem in habito vel reperto æqualitas fuit, quærentibus verò, quantum quisque collegerat, quædam suspicio cõtrarietatis se videtur ingerere ex verbis quasi cõtrariis. Nam ex eo quod scriptum est, *Colligat ex eo vnusquisq; quantum sufficit ad vescendũ, gomor per singula capita*: si secundũ formam pręcepti collectio facta est, tunc per singula capita gomor collectum est Hoc idẽ videtur ex sequentibus, vbi dicitur. *Singuli iuxta id, quod edere poterant, congregaverunt.* Quantũ autem sit, quod edere poterant, ostenditur, vbi dicitur. *Quantum sufficit ad vescendũ, gomor per singula capita.* Quod si ita est: æqualitas fuit in colligendo. Sed videtur contrarium, quod dicitur, *Collegerunt, alij plus, alij minus.* Quid ergo dicemus? Primò attendendum est, hoc quod dicitur, *Collegerunt alij plus, alij minus*, dupliciter intelligi potest: vno modo, vt sit comparatio inter ipsos colligentes ad inuicẽ, quasi alter altero plus vel minus collegerit: alio modo, vt sit comparatio inter ipsa collecta & gomor: quasi vnus minus collegerit quã gomor, & alter plusquã gomor. Si ergo inter colligentes fiat cõparatio, sine vlla contrarietate intelligi potest, vnumquemque secundùm formã præcepti ad minus collegisse gomor, & tamen nõnullos collegisse plusquam gomor, & post collectionem non reperisse, nisi gomor. Si autẽ inter collecta & gomor fiat comparatio, vt intelligatur alius minus collegisse quàm gomor, difficilis erit expositio literæ, cũ iussi sint colligere gomor, & Scriptura dicat, *Feceruntque ita filij Israel*: & in sequẽtibus addat, *Singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.* Quod autem scriptum est, *Mensi sunt ad mensuram gomor*, intelligi potest, quod in colligendo haberent mensurã gomor, ne minus colligerent quàm gomor: vel quòd post collectionem mensi sint ad mensurã gomor, vt probarent singuli, si collegissent gomor: vel quòd de collectis & in acervũ comportatis mensi sint, vt singuli acciperent gomor. Fieri enim potuit, vt secundùm solam æstimationem priùs colligerent gomor, & deinde probarent, an verè esset gomor. Nunc quam ædificationis gratiam hic locus Scripturæ contineat, pro posse, attẽdamus. Per gomor significari potest mensura donationis Christi: vel mensura gratiæ, quæ nobis datur secundùm mensurã donationis Christi. Mensura autem donationis Christi potest intelligi, aut secundùm gratiã donatricem aut secundùm gratiam donatam. Nam apud Deum in prædestinatione est, quantum cuiq; dare velit, alij plus, alij minus: & ideo alius plus colligit, alius minus. Omnibus tamen iustis datur gomor; quia vna norma credendi & rectè viuendi de lege Dei omnibus proponitur, aut de occulta inspiratione suggeritur. Et quãvis alterius fides cognitione vel deuotione maior sit, alterius minor, & alius alio iustior: vna tamen est fides, & vna lex iustitiæ, quæ est charitas; & vna forma credendi & diligendi, quæ omnibus iustis & solis communis est: & pro iustitia fidei vna spes vitæ æternæ omnibus nihilominus cõmunis est. Sic vnus denarius omnibus promittitur: cùm tamen pro diuersitate meritorũ sit diuersitas præmiorum. De hoc Scripturę loco videtur Apostolus sumere, quod ad Corinthios scribit, dicens. *Qui multum, non abundauit: & qui modicum, nõ minorauit.* Qui diuites cohortans ad pręstandam consolationem indigentibus de bonis suis, ita dicit. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt illorum abundantia vestra inopiæ sit supplementũ: vt fiat æqualitas.* Æqualitatẽ autem dicens, videtur alludere mensuræ gomor.

Hieronym.

Exod. 16.

Ibidem.

Ibidem.

Gomor mensuram gratiæ designat.

Matth. 20

2. Cor. 8.

Ibidem.

Sed mirum videri potest, quod Apostolus dicit, æqualitatem fieri, cùm plus accipiant diuites in participatione spiritualium, & minus pauperes in participatione temporalium. Sed æqualitas, quantum nunc occurrit tripliciter accipitur, aut secundum æquitatem, aut secundum paritatem, aut secũdùm qualitatem, siue qualemcumque similitudinem. Æqualitas æquitatis est, vt

cùm pro malo redditur malum, sicut vetus testamentum præscribit, oculum scilicet pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore: & cùm bonum redditur pro bono, sicut in ratione dati & accepti, de qua Apostol⁹ ad Philippenses scribens, dicit. *Nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli.* De hac æqualitate dicit Apostolus, *Vt fiat æqualitas*: quæ quidem æqualitas æquitatis potest esse siue æqualitate paritatis. Vnde Apostolus. *Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est, si carnalia vestra metamus?* Non est magnum, carnalia metere, etsi magnũ sit, spiritualia seminare. De æqualitate paritatis scriptum est. *Æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.* De æqualitate secundùm similitudinem potest intelligi, quod scriptum est. *Miserere Domine, plebi tuæ, super quam inuocatum est nomen tuũ: & Israël, quem coæquasti primogenito tuo.* Hæc quidem coæquatio non secundùm æqualitatem omnimodæ paritatis est: sed pro ratione quantulæcumque similitudinis secundùm nomen honoris, & secundùm honorem nominis. Nam fili⁹ Dei primogenitus dicitur, & Deus Israël dicit; *Primogenitus meus Israël.* Filius Dei imago Dei dicitur, Deo per omnia similis: & nos inquantum conformes sumus imagini filij Dei pro modulo nostro, similes ei sumus; & magis erimus, cùm videbimus eum sicuti est. Hæc autem dicimus, vt vna mensura gomor in omnibus possit intelligi, secundùm aliquod genus æqualitatis.

Philip. 4. *1. Cor. 9.* *Luca 20.* *Eccli. 36.* *Exod. 4.*

Dixitque Moyses ad eos, null⁹ relinquat vsq; mane. Simile est hoc illi, quod supra de agno dixerat, *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane;* quia in præsenti vita quisq; debet credere, quod prædicatur, & operari quod iubetur; & non vsque mane differre, id est ad tempus, quo præoccupetur morte vel judicio; quando erit mane, hoc est, clara & manifesta cognitio meritorum. Illi verò qui non audierunt Moysen, sed dimiserunt manna vsque mane: quod scatere cœpit vermibus, atque computruit, Iudæos huius temporis significant; qui verbum Dei per Moysen sibi ministratum in lege malè seruant; quod vermes peccatorum eis generat, & eis computrescit, & in corruptionem vertitur. Christus autem vermis dicitur tribus modis. Pro vera humilitate: vnde in figura Christi de Dauid dicitur, *tenerrimus ligni vermiculus.* Illud quoque in figura humilitatis Christi potest intelligi, quod Isaias dicit. *Noli timere vermis Iacob.* Item pro vili abjectione sicut in Psalmo, *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis*: quod etiam de humilitate potest intelligi. Item pro mordaci seueritate, sicut dicitur tinea. Hinc apud Osee dicit. *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.* Quòd autem dicitur, quòd manna cœpit scatere vermibus, quasi pluribus; ad hoc pertinere potest, quòd Christus multis modis grauis est in se non credentibus. Hoc autem exemplo de manna damnatur malum auaritiæ, qua pecunia malè seruata possessori suo in vermem vertitur, qui non moritur. Sed & gratia fidei in eo nõ operatur: gratia quoque sapientiæ vel scientiæ, sive gratia sermonis, cùm steriliter habetur, & in bonum vsum non assumitur, sicut manna in vermem vertitur: quia bonum Dei donum ei in malum cedit, à quo malè habetur. Quidusdam autem placet, quòd Christus ex Maria vermis sit ex manna. Quod mirum videtur, cùm per vermem ex manna demonstrata sit quorumdam diffidentia & inobedientia. Verumtamen non impiè dici potest, quòd Maria manna est absconditum in figuris & testimonijs legis ad ipsam pertinentibus. Sed quoniam quod de ea scriptum est, in libris suis Iudæi seruant, sed non intelligunt, nec piè credunt: ideo Christus, qui ex Virgine natus est, illis vermis efficitur. Sequitur. *Et iratus est contra eos Moyses.* In quo ostenditur, quòd lex vel Legislator reprehendit, & pœnam comminãdo prædicit his, qui manna vsque mane dimittunt, aliquo modorum, qui prædicti sunt. Illi verò, qui colligebant mane, quantum sufficere ad vescẽdum poterat, strenuos operarios significãt, qui studiosi sunt operari cibum, qui non perit: incipientes mane, hoc est in initio fidei vel conversionis suæ: de qualibus dicitur in Psalmo. *Ortus est sol.* Et post pauca. *Exibit homo ad opus suũ: & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

Exod. 16. *Christus vermi comparatus.* *2. Reg. 23.* *Isa. 41.* *Psalm. 21.* *Ose. 5.* *Maria manna est.* *Psalm. 103.*

CVMQVE *incaluisset sol, liquefiebat.* Hoc multis modis potest intelligi. Christus sol iustitiæ tunc incaluit, quando feruorem suæ caritatis, pro nobis hora sexta crucem ascendẽs, effudit. Qui autem sol est, secundũ quod lucet, ipsemet manna est, secundum qud se nobis fruendum & participandum indulget. Qui cùm desiderio amoris, & affectionibus compassionis in mortem resolutus est, tunc verè manna liquefactum est. Tunc enim apparere cessauit: quando ad tempus humanis obtutibus se subtraxit. Vnde & dixit. *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* In nobis verò incalescit sol, quãdo cor nostrum desiderio diuini amoris fervescit: tunc & manna liquescit, quando verbũ Dei per amorem Christi cor nostrum liquefieri facit. Vnde & Spõsa dicit. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Et in Psalmo. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Sic autem dicitur manna, hoc est verbum Dei liquefieri per effectum, quia liquefacit: sicut ignitum eloquium dicitur, quia ignit: & molliti sermones super oleum, quia cor emolliunt. Vel mãna liquefieri dicitur, quia Christus cùm in corde suscipitur, quodammodo per cõpassionẽ resolutionem patitur. Quomodo enim cor peccatoris à sua duritia resoluitur, si non Christ⁹ à duritia iudicis relaxatur? Qui cum peccata soluit, sicut glacies in sereno soluitur, ipse tunc à securitate iudicis resoluitur; vt in verbo ejus mens attacta, in spe veniæ & amoris desiderio mollius resoluatur. Incalescit sol iste, quandoque super iustos, quasi per iram, & manna liquefacit; & quasi vt deficiat efficit, dum dulcedinem corporalis aut spiritualis consolationis ad tẽpus subtrahit. Hinc & Ionas subtracta sibi cõsolatione vmbraculi in arefactione hederæ grauiter perdoluit; quando percussit super caput ejus, & æstuabat, & petiuit animæ suæ, vt moreretur. Incalescit sol iustitiæ super bonos & malos, nec est, qui se abscondat à calore eius: sed super bonos per calorẽ charitatis, vel quasi indignationis, super malos vero per calorem iræ & furoris. Vnde & infidelis Synagoga, super quam effudit Deus iram suam, nunc manna veræ fidei non habet, quia fides antiquorum primum iam in ea excœcatã euaruit & defecit. In nobis autem in futuro manna fidei per plenam illuminationem liquefactum cessabit: quando fides euacuabitur, & omnis intellectus patebit. Miro autem modo sicut ex sequentibus patebit, manna quod ad solem deliquit, ad ignem duruit. In quo ostenditur quod mens

Christus amoris calore liquefactus. *Ioan. 16.* *Cant. 5.* *Psalm. 147.* *Vt incalescat Christus bonis & malis.* *Iona 4.*

quòd mens ad solem iustitiæ conversa, cùm per desideriũ amoris liquefacta resolvitur, tunc ad ignem passionis per virtutem patientiæ solidatur. Quod ostendit, qui dicit. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei. Aruit tamquam testa virtus mea.*

Psal. 21.

Exod. 16.

IN DIE *autem sexta colligebant cibos duplices: id est duo gomor per singulos homines.* Spẽ vitæ æternæ per iustitiã fidei ab exordio mundi per quinque ętates vsque ad Christum, omnes iusti habuerunt: & hęc est vnum gomor, quod per singulos dies vsque ad sextam colligitur. A nobis autem in sexta ętate, quasi sexta die ante sabbatum, hoc est ante requiem animarum, duo gomor colliguntur: quia vitæ ęternæ spem habemus, & pignus: id est ipsum auctorem & consummatorẽ fidei nostræ Iesum Christum, qui in Sacramento Altaris nobiscum est vsq; ad consummationem sęculi. Illi autem vnum gomor collegerunt, quia spem, & nondum rem habuerunt. Nos autem spẽ habemus, & rem tenemus: nondum tamen sicut post hanc vitam. Quamvis enim Christus nostra refectio sit in pręsenti vita, & in sacrificio altaris manducetur, nondum tamen vsq; ad satietatem nos reficit: sed hoc manducandi modo, quo interim sumimus, ad vitam æternam capessendam præparamur, & quasi alterũ gomor in hac sexta die colligimus: vt in septimo die, id est in sabbato animarum, vsque ad satietatẽ reficiamur. Sexta autem die vnum gomor colligitur & cõsumitur, alterum colligitur & seruatur. Spes quippe vitæ æternæ, quæ in præsenti habetur, cum hac vita deficit. Cùm enim plenè videbitur res, tunc omnino euacuabitur spes. Quod enĩ videt quis, quid sperat? Alterum autẽ gomor colligitur, & seruatur. Nec obsistit huic sententiæ, quòd panis vitæ æternæ hac sexta die manducatur, cùm gomor in sabbatum seruandum sexta die non ederetur. Præsens quippe refectio ad futuram refectionem comparata, vix quædam prælibatio est; & magis futuræ refectionis pręparatio. Sicut enim nunc edimus, prægustare per efficientiã huius cibi, hoc est colligere & servare. Mãna enim colligimus, dum per gratiã huius sacramẽti quotidianis profectibus id agimus, vt in futuro pleniùs mãducare valeamus. Manna seruamus, quãdo in condigna veneratione hui⁹ sacramenti vsque in finem perseueramus. Iudæi, qui adhuc expectant, sicut onagri in siti sua, hac sexta die non nisi vnum gomor, si tamen vnum, colligunt: & ideo in die sabbati remanebũt ieiuni, quia in parasceue non præparauerunt sibi. Potest hic loc⁹ & aliter intelligi. In quinque libris Moysi simplicis & innocentis vitæ cõtinetur instructio, aut secundùm exempla iustorum, vt in Genesi, aut secundùm pręcepta rectè viuendi, vt in aliis quatuor libris. Hi sunt 5. dies, in quibus colligitur vnum gomor. Sexta dies est doctrina noui testamenti in qua duo gomor colliguntur: hoc est in minoribus præceptis iustitia imperfectorũ, qualis erat in Lege, quæ neminem adduxit ad perfectum: & in maioribus pręceptis & consiliis perfectionis iustitia perfectorũ. Perfecta autem iustitia gomor sabbati est. Nam qui hanc apprehẽdunt, sabbatismum cordis habẽt in lætitia & exultatione. Possunt hęc eadẽ aliter intelligi. Sunt enim 5. virtutes: quæ per 5. dies possunt significari. Hæ sunt 5. species continentiæ: quæ qer 5. virgines solẽt designari. Custodia quippe 5. sensuum nobis necessaria est, vt in innocentia ambulantes, immaculati ab hoc sęculo custodiamur. Initium autem iustitiæ hoc est, à malo declinare, manũ ab opere iniquitatis cohibere, oculos claudere, ne videant malum; aures obturare, ne audiant sanguinem: cæterosq; sensus ab illicitis retinere. Vnaquęque autem abstinentia simplicem præstat vtilitatem: immunitatem scilicet pœnæ, quam cõtraria præuaricatio potest inferre. Nam qui non furatur, vel non adulteratur, vel non occidit, pœnã declinat, quæ talibus debetur. Propterea per singulos dies vnum gomor colligitur, vsque ad diem sextam. Hęc sexta dies pietas est: quæ non solùm malũ detestatur, sed iustitiam & misericordiã operatur. Hac die duo gomor colliguntur: quia pietas per immunitatem pœnæ & spem glorię duplicem pręstat nobis vtilitatem Hoc est, quod Apostolus dicit. *Corporalis exercitatio ad mod cum valet: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionẽ habens vita quæ nunc est, & futura.* Valet quippe pietas ad obtinendam vitam æternam: valet ad bona spiritualia multiplicanda in hac vita: valet & ad carnalia, quantũ necesse est, obtinenda. Altera autem vtilitas huius temporis est, sextæ scilicet diei: altera verò futuri temporis, i. sabbati. Vtilitas quoq; quinque pertitæ continentiæ secundùm immunitatem pœnę tẽporalis contra malefactores legibus constitutæ, huius temporis est.

Qui colligãt duo gomor, qui vnicum

Præsens refectio futuræ prælibatio

Quinq; dies sunt 5. virt.

Pietas sexta dies est

1. Timo. 4.

Venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi; &c. Principes multitudinis, qui venerunt ad Moysen, & narrauerunt de collectione, & liquefactione, & duplici collectione, hi sunt Ecclesiæ Doctores, qui lectionem noui Testamenti conferunt lectioni Moysi. Lex quippe & Evangelium quasi colloquuntur inter se quia mutuò sese exponunt & aperiunt; & mutuò sua testimonia approbãt & cõfirmant. Cùm ergo Ecclesiastici Doctores per verba Evangelij de Christo legem aperiunt, tunc principes multitudinis de manna annuntiant Moysi. Quando verò lex verba Evangelij aperit, tunc loquitur Moyses, & dicit. *Hoc est, quod locutus est Dominus.* Quasi diceret; bene respondet euentus rei verbis Dei. Et addit moyses. *Requies sabbati sanctificata erit Domino.* Dominus requiem amat, vt requiescat in nobis, ac per hoc nos in illo. Est autem quædam requies futuri temporis, de qua dicitur. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Est & quædam requies præsentis temporis, de qua dicit Propheta. *Quiescite agere peruersè.* Ad requiem futuri temporis peruenitur per sex opera misericordiæ, quæ in Evãgelio numerãtur, vbi dicitur. *Esuriui, & dedistis mihi mãducare, &c.* Aut per senarium perfectionis secũdùm mensuram iustitiæ cuiusque, maioris, vel minoris. Sex enim dies sunt, in quibus oportet operari: deinde nox, id est mor, in qua nemo potest operari. Post sex dies sabbatum: quia post consummationem bonorum operum requies animarum. Et quoniam omni tempore vitæ præsentis bonis operibus insistendum est, sicut scriptum est, *Quodcumque manus tua potest facere, instanter operare,* adjungitur. *Cras quodcumque operandum est, facite,* &c. Quo monet, quod operãdum est facere, & coquenda coquere. Alterum pertinet ad opera iustitiæ & misericordiæ, quæ indesinenter, quantum possumus, facienda sunt; alterum ad infirma morum & operum nostrorum, quæ igne pœnitentiæ coquenda sunt. Vel alterum ad minora opera bona, quæ faciliùs pos-

Exo. 16.

Lex & Euangeliũ mutuò se exponunt.

Apoc. 14.

Isa. 1.

Mat. 25.

Eccle. 9.

sunt fieri; alterũ ad perfectiora studia virtutum, quæ igne ferventioris deuotionis debeant excoqui. Quòd autem dicit *Cras*, sic accipiendum est, acsi diceretur. Amodo in posterum hoc pro lege seruetur, vt fiant, quæ dicta sunt. *Quidquid autem residuum fuerit, reponetis vsque mane.* Hoc intelligendum est de manna in sabbatum seruãdo. *Feceruntque ita*, &c. Quod reposita pro sabbato non corrũpuntur, signum est, quoniam bona pro futura requie facta, in futurũ integra manẽt. Quæ autem propter præsentem vitam & amorẽ sæculi fiunt, corrumpũtur: ex his vermes ebulliunt. *Dixitque Moyses, Comedite* &c. Rectè dicitur, *Comedite illud hodie, quia sabbatum Domini est.* In vita enim futura tempus erit comedendi, non colligendi. quicũque enim hic colligis, labores tuos tunc manducabis; beatus eris, & bene tibi erit. Rectè adiungitur. *Non inuenietur hodie in agro*: quia post hanc vitam non licebit operari; nec tunc inuenietur manna ex operandi exercitio, quod per agrum potest significari. *Sex*, inquit, *diebus colligite*; hoc est, in perfectione bonorum operum viuite. *In septimo autẽ die sabbatum est Domini, idcirco non inuenietur*: hoc est, post hanc vitam erit requies animarum: & non inuenietur manna, quod colligi possit. *Venit septima dies.* Hoc non de primo sabbato intelligẽdum videtur: cùm priùs dictum sit. *Comedite hodie, quia sabbatum est Domini.* Sed curauit Moyses ostendere, non per vnum tantùm sabbatum accidisse, vt manna non inueniretur. In duobus itaque exemplis manifestat; quod de sequentibus intelligendum est, & de secũdo sabbato videtur addere, vt arguat populi incredulitatem. Nam post exemplum primi sabbati, si hoc de secundo intelligẽdum est, & post verba Moysi de duplici cibo colligendo, *egressi, vt colligerent, non inuenerunt.* Si autem quod dicit, *Venit septima dies, &c.* de primo sabbato intelligendum, quod Moyses dicit, *Non inuenietur hodie in agro*, probatio potest esse sermònis Moysi, quòd *egressi, vt colligerent, non inuenerunt.*

Exod. 16

Quæ fiunt propter cœlum, manẽt.

Dixit autem Dominus ad Moysen. Vsquequo non vultis custodire mandata mea, &c. Otium & saturitatem amant & bruta animalia: & in ijs est eorum qualiscumque beatitudo. Veram autem beatitudinem perficiunt sanctum otium, & sancta saturitas: quæ duo significãtur per sabbatum & manna. Postquam ergo Dominus otium & saturitatem in mãna & sabbato populo suo præstitit, & in his veram beatitudinem, quam sibi obedientibus daturus est, figurauit; arguit eorum inobedientiam, per quam alienari possunt ab his quæ potissimùm desiderãtur. Dicit ergo. *Vsquequo non vultis custodire mandata mea, & leges meas?* Quasi diceret. Cùm otium sabbati & panem de cœlo vobis prouideo, & per hoc ad meliora vos inuito, parum est vt mandata mea seruare velitis. Hæc autem interrogatio, qua quærit, *Vsquequo non vultis custodire mandata mea, &c.* illi interrogationi consonat, qua postea in carne veniens quæsiuit, dicens. *O generatio incredula, quamdiu vos patiar?* Post interrogationem Domini Moyses ad considerationem beneficiorum Dei eos inuitat; monens, vt attendant, quòd Dominus eis sabbatum dederit, & in die sexta cibos duplices, vt ei seruire velint. In quo significatur, quòd electis suis daturus sit requiem à labore, & solatia præsentis vitæ pariter & futuræ. Duæ autem vitæ nobis hic insinuantur: actiua scilicet

Verba beatitudo in otio sancto & saturitate sancta.

Matt. 9.

vita, in qua nunc laborandum est: & contemplatiua, pro qua laborandum est; in qua soli Deo contemplando vacabitur. Ipsa autem contẽplatiua vita quamvis maximè futuri temporis sit, in hoc tamen tempore per sanctum otium repræsentanda est, quod in sabbato figuratur. De cuius vacatione Moyses subiũgit. *Maneat vnusquisque apud se, nullusque egrediatur de loco suo die sabbati.* Ac si diceret: vnusquisque requiescat in domo sua, & non egrediatur ad aliquod opus die sabbati In quo monemur, tempore contẽplationis apud nos manere, & per illicita desideria foras non exire: sed totam intentionem in puritate cordis ad solũ Deum cogitandũ & diligendum colligere. *Appellauitque domus Israel nomen eius Man, &c.* Quia nomen *Man* dubitationem significat, interpretatur enim *quid est hoc?* & propterea non indicat certã notationem: curauit Moyses per accidentia aliquam eius notitiam, certi mysterij causa, ostendere, per speciẽ scilicet, vbi dicit, *Quasi semen coriandri*: per colorem, vbi dicit, *album*: per saporem, vbi dicit, *Gustus eius quasi simila cum melle.* Videtur tamen secundùm tenorem literæ manna semini coriandri cõparari per colorem, si indistinctè legatur, *quasi semen coriandri album.* Secundùm hanc autem intelligentiam, oportet semen coriandri vspiam terrarum album esse, vt ei manna in albedine rectè possit comparari. Si autem distinctè legendum est, & intelligendũ sine comparatione, dicitur manna esse album, in comparatione autem quasi semen coriandri; quod de specie, aut qualitate, aut forma intelligi potest. Rectè autem dicitur manna quasi semẽ coriandri: quia verbum Dei aliquid oleris habet, vnde nutriatur infirmus, vnde Apostolus. *Qui infirmus est, olus manducet.* Christus enim condescendit infirmis vsque ad exiguitatẽ parui seminis in levibus minimisque præceptis; vt qui non potest eum capere in sublimitate vitæ perfectioris, capere possit in mediocritate vitæ leuioris; & eum capere possit in fidei simplicitate, qui capere non potest in mysteriorum profũditate. Manna autem dicitur album; quia verbum Dei ab omni labe mundum est & purum, secũdùm illud, *Eloquia Domini, eloquia casta.* Et Christus cùm sit ipse candidus & rubicundus, suos mundat, & dealbat, secundum illud. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Quod autem verbum Dei dulce sit sicut mel, ostendit, qui dicit. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quod gustus eius sit quasi similæ cũ melle, ostendit qui dicit. *Cibauit illos Dominus ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.*

Vita contẽplatiua futuri temporis maximè est.

Rom. 14.

Psalm. 50.

Psalm. 118.

Psalm. 80.

DIXIT *autem Moyses ad eos, Iste est sermo, quem præcepit Dominus.* Quod iubet Moyses implere gomor ex manna, vt custodiatur in futuras generationes, significat Christum, qui est verum manna, & in quo est totius iustitiæ forma & norma, nobis seruatum, & generationi omni quæ ventura est, vt noscamus panem, quo aliti sunt in solitudine, qui educti sunt de terra Ægypti. In fide enim Christi iustificati sumus nos, & iustificandi sunt, qui venturi sunt post nos, & iustificati sunt quotquot ante nos iusti fuerunt, educti de terra Ægypti: hoc est liberati de seruitute diaboli.

Christus verum manna & seruatur nobis in futurum.

Dixitque Moyses ad Aaron, Sume vas vnũ, &c. in tabernaculum reseruandum,

QVOD Dominus locutus est ad Moysen hoc Moyses loquitur ad Aaron, vt per ministerium

sacerdotis reponatur manna in loco suo. Ponit ergo Aaron manna in vase, quando sacerdos de lege Dei sumens quod faciendum vel dicendum est, prædicat Christum in beata Virgine de Spiritu sancto conceptū, vt credatur θεώτικος, & quasi vrna aurea habens manna: & quādo Christum prædicandum ponit in corde auditoris per fidē Christum in se suscipientis; & quod docet Christum in vnitate Catholicæ Ecclesiæ esse, non in synagoga Iudæorum, vel in conuenticulis schismaticorum vel hæreticorum. Vas hujus manna quod ponitur in tabernaculo, paucitas est electorum, vel fidelis Synagoga Iudæorum. Ipsum verò tabernaculum multitudo est vocatorū, vel generalis Ecclesia Iudæorum & Gentium. Quod autem dicit, *Posuit illud Aaron in tabernaculum reseruandum*, per anticipationem hic dicitur, ꝙ postea factū est, constructo tabernaculo. Quod Dn̄s primo iussit manna non seruari, & deinde man in vase, & vas in tabernaculo reseruari, ad hoc pertinere potest, ꝙ verbū Dei quādoque abscondendum est, quandoque non abscōdendum Nam qui dicit, *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, idem ipse dicit, *iustitiam tuam non abscōdi in corde meo*. Verbum enim Dei abscondendum est in sinu dilectionis, in sinu memoriæ, ne per negligentiam vel per oblivionem elabatur: abscondendum est & à laude hominum, & ab indignis auditorib⁹. At propter gratiam vel timorem hominum, cum res exegerit, abscondendum non est.

B. Virga vrna aurea.

Exod. 16.

Psal. 118. & 39.

Filij autem Israël comederunt man quadraginta annis: donec venirent in terram habitabilem. — *Exod. 16.*

VERBVM Dei, siue corpus Christi, secundùm hunc vtendi modum, quo interim participamus, cibus noster est; donec exeuntes de hoc deserto, veniamus ad terram habitabilem, ad terram scilicet viuentium. Quadragenarius numerus diversis servit mysterijs. Hoc enim numero dierū effudit Deus indignationem suam super omnem carnem, vt periret aquis diluvij, exceptis paucis in arca seruatis & saluatis. Hoc numero, exemplo Moysi & Eliæ, & ipsius Christi, dicata est abstinentia, per quā placari potest ira & indignatio Dei. Hoc numero annorum instituit Deus populum suum in eremo, vices tēporum beneficijs & flagellis alternans, placat⁹ vel iratus. Hinc scriptum est. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic*: vel secundum aliam literā. *Quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Hoc umero inobedientia punitur vel corrigitur; oc numero obedientia exercetur. Hic ergo nuierus per significationem iram continet & graiam. Significatio verò eius in partibus eius coniideranda est, denario scilicet & quaternario. Denarius autem propter decalogum, significat obedientiam legis: quaternarius obedientiam Evangelij. Prima est in simplicitate innocentiæ, secunda in consummatione iustitiæ. Ad primam pertinet non occidere, aliena non rapere; ad secundam, non irasci, propria distribuere. Quaternarius autem in quatuor Euangelijs accipiendus est, vel in quatuor virtutibus principalibus, quarū perfectio in Evangelio præscribitur: vel in quatuor sacramentis, Natiuitatis scilicet, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi; quorum virtute Christo conformamur renascendo, compatiendo, conresurgendo, de virtute in virtutem ascendendo. Quatuor autē virtutes obtinentur institutione quatuor Evangeliorum, & virtute quatuor sacramentorum. Quoniam igitur tota vita nostra in obediētia legis secundum mor. La eius præcepta transigenda est, & per obedientiam Evangelij virtus animæ semper multiplicanda; quasi denario in quaternarium ducto rectè tempus vitæ nostræ hoc numero figuratur.

Quadragenarius numerus mysticus est.

Psalm. 94.

Tota vita in obedientia legis est.

Hoc cibo aliti sunt, vsquequo tangerent fines terræ Chanaan. Fines terræ Chanaan tāgemus; cùm de hac vita exeuntes, terram viuentium ingredi incipiemus: sicut scriptum est, *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc vltra fines progressi, securi habitabim⁹ in ea: quoniam *Dominus saluam faciet Syon: & semen servorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.* Terra autem Chanaan terra promissionis est, de qua dictum est ad Abrahā. *Dabo tibi terram Chanaan funiculum hereditatis vestræ.* Cur autem terra illa visibiliter dicta sit terra Chanaan: ratio in promptu est, cum possessa sit à semine Chanaan, qui maledictus est à Noë, & seruituti subiectus. Terra verò viuentium, quæ significata est per terram promissionis, quomodo spiritualiter sit terra Chanaan, tres causæ occurrūt. Eiectis enim malignis spiritibus secundum illud, *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, à filijs Israël, id est à nobis, possidenda est. Item omnes in Adam de paradiso ejecti sumus, sicut semen Chanaan de terra promissionis; sed commutati in filios Israël, & bene commoti, (Chanaan enim commota vel cōmotio interpretatur:) obtinebimus eam. Item Chananæi possunt dici Iudæi, quia generatio perversa & infideles filij facti sunt, semen Chanaan & non Iuda: quibus terra repromissa est, sed eis propter infidelitatem ablata: nobis qui secundum spiritum in filios Abrahæ reputati sumus, data est, secundū illud. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Et iterum. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.*

Exod. 16.

Psalm. 126.

Psalm. 68.

Psalm. 104

Luc 10.

Iudæi semen Chanaan.

Matth. 21. & 8.

Gomor autem decima pars est Ephi. Per mensuram Ephi, quæ decem partibus absoluitur, intelligi potest mensura donationis Christi; qua toti rationali creaturæ, id est nouem Angelorum ordinibus, & humanæ creaturæ, distribuit sicut vult, & quātum vult. Et quoniā homo in ordine rationalis creaturæ, quæ sola iustitiæ & beatitudinis capax est, & ideo Christum participare sola potest, decimum locum tenet: rectè ei competit decima pars ephi. Per ephi enim rectè intelligitur plenitudo gratiæ, quæ sufficit vniuersis. Per gomor vero partitio gratiæ, quæ inuenitur in singulis. Quæ partitio gratiæ etsi inæqualis sit: tamen per communionem caritatis reducitur ad vnitatem æqualitatis: cùm id efficiat caritas, vt communia sint omnium, quæ propria sunt singulorum.

Exod. 16.

Ex libro numerorum. *Anima nostra arida est: nihil respiciunt oculi nostri, nisi Man.*

CVM vulg⁹ promiscuum, ꝙ ascēderat cum filijs Israël, flagraret desiderio carnium, sedēs & flēs iūctis pariter sibi filijs Israël, dicebat. *Quis nobis dabit ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porique, & cepe, & allia. Anima nostra arida est. Nihil res-*

Num. 11.

Num. 11. piciunt oculi nostri, nisi man. Forma nostri temporis hæc est. Filij quippe Israël iuncti murmurantibus, bonos indicant, qui ex societate malorum corrũpuntur, sicut de quibusdam scriptum est. *Cõmixti sunt inter gẽtes, & didicerunt opera eorum.* Et Apostolus dicit, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Multi de conuersatione seculari, quasi de Ægypto egressi, & iter melioris vitæ aggressi, in memoriam reuocant cibos Ægyptios, & eorum condimenta & irritamenta, vitia scilicet priscæ conuersationis, & eorum oblectamenta: & desiderio talium miserabiliter arescunt & tabescunt, & spirituale manna diuini verbi fastidiunt, dicentes. *Anima nostra arida est.* De qualibus scriptum est. *Omnem escam abominata est anima eorum.* Sæpe autem qui hui⁹modi sunt, animo malis iuncti, sed inter bonos positi sunt: sicut odio habent bona facere, ita fastidiunt bona audire, & in alijs bona videre: & dum de vita bonorum scrutantur exempla & solatia sui erroris, non inuenientes, nisi bona quæ fastidiunt, dicũt, *Nihil respiciunt oculi nostri nisi man.* Et quoties vel hæretici in veris Ecclesiasticis, vel Iudæi in Christianis, vel laici in clericis, vel clerici in viris Religiosis, vel circa eos, non vident, nisi quæ sancta sunt, & pudica, & honesta, & bonæ famę, & quęcumque ordinem & professionem deceat; toties qui hæc fastidiũt, & inuiti aspiciũt, dicunt. *Nihil respiciunt oculi nostri, nisi man.* Sic autem dicunt fastidiosi, *nihil respiciunt oculi nostri, nisi man,* sicut iustus aggratulando dicit. *Testimonium Iesu Christi, quæcumque vidi.* Et illud de Sponsa: *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Quale fuerit man, ostendit dicens, *Erat autem man quasi semen coriandri, coloris bdellij.* Hoc in Exodo dixerat, excepto, quod ibi colorem albũ expressit, & nomen bdellij non posuit. Bdellium autem, vt aiunt, arbor est aromatica. Quòd circuibat populus colligens manna, significat deuotionem fideliũ, qui prædicata de Christo mente perlustrant, vt spiritualem refectionem percipiant. Manna autem mola frangebatur, quia verbum Dei inter duo testamenta, vel inter literam & spiritum, id est spiritualem intelligẽtiam, & literæ expositionem dum discutitur: molitur, & comminuitur, vt subtiliùs intelligatur. Aliter. Mens sua volubilitate multa circuiens, & perlustrans, quæ pro fide vel cõtra fidem cogitari possunt: quasi superior mola in circuitu voluitur; cui dum substat incõcussæ fidei firmitas, verbum fidei minutim frangitur, & subtiliùs percipitur, Vtraque enim mola in mente inuenitur, altera in constantia fidei, vel boni propositi; altera in perlustratione, hoc est consideratione eorum, quæ credenda sunt, vel facienda. Vel altera in voluntate, quæ subjacet rationi obediendo, altera in judicio rationis, quæ circuit quærendo, & comminuit discernendo. Vel altera in timore, altera in spe. In his enim verbum Dei comminuitur, vt nec minutissimum mandatum contemnatur, nec vnum iota vel vnus apex negligatur. Terebatur manna in mortario. Mortarium cor nostrum est, vbi verbum Dei, quasi pilo tunditur. Apud Salomonem ostẽditur à stulto non auferri stultitiam suum, etsi in pila quasi typsana contundatur: id est in stultitia vel conscientia sua cõturbetur, pilo duræ increpationis desuper feriente. Sic enim scriptum est. *Si contuderis stultum in pila, quasi typsanas, feriente; desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.* Sicut autem stultus cõtunditur ab his, qui oderunt stultitiam: sic verbũ Dei contunditur ab his, qui oderunt sapientiam: vel pilo contradictionis, vel persecutionis. Alij enim linguis, alij gladiis, alij malorum operũm exemplis, verbum Dei persequendo atterunt, & particulatim cõminuunt. Exercitatione enim cõtradictionis & persecutionis verbum Dei semper subtiliùs investigatur, & subtiliùs comprehenditur. Multa siquidẽ fidei mysteria nobis patefacta sunt, quę adhuc clausa permansissent, nisi fides tot sibi aduersantes pertulisset. Pilo itaq; in mortario manna teritur, cùm adversariorũ tunsione verbum Dei in corde discretiùs & subtili⁹ cogitatur. Et si fortè adversarij desint, à quibus verbũ Dei impugnetur, exercitatione tamen Christianæ disciplinæ, qua quisque sibi aduersari debet, quasi pilo, verbũ Dei in corde teritur: quod vsu disciplinæ semper subtiliùs discernitur. Dum hæc verba discutimus, quid nisi manna vel mola frangimus, vel pila terimus? Sed quantumcumque discutimus, quantumcumque studiosa meditatione hoc quasi semen coriandri comminuimus: poterit tamen adhuc magis comminui, & partibiliùs frangi, vel atteri. Quia participatione semper in augmentum proficit, & comminutum crescit. Frãgitur autem vel teritur manna duobus modis; vel cùm diligenter discutitur verbum Dei, vt subtiliùs intelligatur, vel cùm à nobis proficiendi studio id agitur, vt districtiùs custodiatur. Inter manna frangere, & manna terere, sic distingui potest, vt ad primum pertineant, quæ difficiliora sunt, vel intellectu vel facto: ad alterum verò, quæ alterutro modo faciliora sunt. Terebat populus in mortario manna, coquens in olla. Est olla tribulationis dę qua Ieremias dicit, *Ollam succensam ecce video.* In olla autem tribulationis, per ignem passionis aut charitatis manna coquitur: quando ad bonum quod in nobis est, inter mala quæ patimur, magis magisque solidamur. Quod tunc quidem fit, cùm Deus inter flagella magis diligitur, & propter Deum is etiam qui nos persequitur. Torta autem, vel per diminutionem tortula, à torquendo dici videtur. Siue autem generaliter panis sic dicatur, pro eo quod torquendo formatur, & formando torquetur: sicut formella casei à formãdo generaliter dicitur: siue aliqua species panis ab aliqua arte torquendi sic appelletur: credendum est, non frustra hoc loco tortulas nominari: nec sine causa accipiendum est, quod scriptura tam diligenter dicere curauit, manna frangi & teri, & ex fracto & trito tortulas fieri. Fortè hoc ipsum verbum, quod nunc tractamus; quia verbum Dei est, & ideo manna, si dignè frangi & teri possit, poterunt ex eo tortulæ formari; vt hoc quod scriptum est, ad ædificationem fidei & charitatis valeat intorqueri. Si enim dilectio, per quam fides operatur, plenitudo legis est: & si in vno mandato charitatis tota lex pendet & Prophetæ; cur non liceat ad ędificationem charitatis vel fidei, omnia cõuertere quæ salubriter scripta sunt: cùm propter chatitatem omnia scripta sint: propter quam & omnia sunt facta? Cùm ergo legis verbum Dei pro testimonio fidei, vel ædificatione charitatis, ad aliud assumptum, & quasi vsurpatum, quàm ab initio positum esse videatur: memento quod populus Dei ex manna trito tortulas faciebat. Licet ergo historicum & literalem & simplicẽ sensum gratia fidei vel charitatis in mysticum intellectum & spiritualem

Marginal notes: Quos designent Iudæi murmuratores. — Psalm. 105. — 1. Cor. 15. — Psalm. 106. — Num. 11. — Apoca. 1. — Cant. 7. — Num. 11. — Quid sit man mola frangi. — Prouer. 27. — Mysteria fidei magis elucescũt agitata ab aduersarijs. — Ierem. 1. — Torta à torquẽdo dicta. — Rom. 13. — Matth. 22.

sensum conuertere, & ex his quæ scripta & facta sunt vbicúque, salubriter facienda cogitare. Sed & expedit, de verbis Dei vbicumque & qualitercumque positis consilia salutis nostris temporibus, necessitatibus, infirmitatibus, & moribus, formare: salua semper charitate, quâ Deus immobiliter diligendus est, cui omnis scriptura seruit. Pro qua charitate seruanda multiformiter & multipliciter inter innumerabilia tētationum discrimina, dispensare oportet: ita vt sæpenumero pro iustitia quasi contra iustitiam nonnulla attētare necessitas imperiosa compellat. Pro hac seruanda sæpe rigor iustitiæ inflectendus est in temperamētum misericordiæ: sæpe quod indultum est intuitu misericordiæ, reduci oportet in seueritatem disciplinæ: sæpe tolerandum est minus malum, vt quod grauius est euitetur flagitiū. Propter quod Moyses attendens duritiam cordis Iudæorum, permisit dari libellum repudij: ne committeretur crimen homicidij. Sæpe nobis perdenda est gratia proximi, ne nobis pereat gratia Dei. Sæpe cum cōtraria iubent Christus, & qui vices Christi agere creditur, præceptum Christi dicentis, *qui vos spernit, me spernit*, ea moderatione dispensandum est, vt quasi contra obedientiam Deo obediatur. Sæpe cùm illicita fiunt aut promissa, aut iuramenta, verbum Dei de eligenda veritate ad eam intelligētiam intorquendum est, ne pro reuerentia veritatis præsumatur opus iniquitatis. Consultius enim est, in tali necessitate errorem pœnitentia reuocari, quam Dei statuta conuelli, debitaque reuerentia fraudari. Sicut autem admittenda est dispensatio, cùm vtrimque periculum instat, in electione minoris mali: sic præceptum Dei vel cōsilium pro humana infirmitate nonnumquam inflectere oportet, ad electionem inferioris boni. Hinc Paulus, cùm propensior seruitus iustitiæ debeatur à bonis, quam iniquitati soleat exhiberi à malis: humanæ infirmitati se condescendere ostendens, dicit. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis mēbra vestra seruire immuditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quo in loco non inuitat ad id quod perfectum est: sed cōsilium intorquet ad id quod nostræ infirmitati accommodum est. Similiter cùm quodam loco sic dicat, *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est eis, si sic permaneant*, &c. ad Timot. scribēs cōsilium inflectit dicēs. *Volo autē iuniores nubere.* Omnis autem iustitia bonorum in præsenti quasi quædā inflexio est à summa perfectione, summaq; directione, & si fideliter appendatur, invenitur min⁹ habēs. Ipsaque iustitia perfectorū magis conat⁹ quidam & cursus est ad finē cōsummationis: quam apprehēsio perfectionis. Quantumcumque enim quis profecerit, & currendo processerit: adhuc tamen iustitia ante eum ambulabit, nondum plenè apprehensa: sed qui continens est iustitiæ, tandem apprehendet illam. Hoc Paulus in se ostendens, dicit. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* Vita itaque nostra sic disponenda est, & sic dirigenda: vt cùm non sit nobis liberum, statim apprehendere quod perfectum est: præcepta Dei inflectamus ab eo quod supra vires est, ad id quod nobis possibile est. Inflectam⁹ dico, non ea mutādo: sed eis accedēdo, & pro viribus obseruando. Licet enim non sufficiamus omnes cogitationes nostras, & affectiones, & intentiones, tam castè & purè, quàm dignum & iustum est in Deum dirigere: vt eum toto corde, tota anima, tota mente diligamus: consultius tamen est, pro modulo infirmitatis nostræ diligere, quam omnino non diligere. Et si non possumus puras orationes, quales desideramus, Deo offerre: meli⁹ tamen est, vt datur, & vt possumus, orare: quā omnino non orare. Ergo cùm nobis iniunguntur, quę perfecta sunt: ne nihil faciamus, quia totum non possumus, inflectenda sunt ad id quod possumus: vt aliquo modo excusati inueniamur in eo quod debemus, & non possumus: iuxta vocem Domini de muliere sibi obsequēte, dicētis. *Quod habuit hæc, fecit.* Omnia itaque consilia in verbis Dei nobis præscripta sic intelligēda sunt, & sic accipienda, vt in occasionem nostræ supernæque salutis, conuertantur, prout ratio causarum dictauerit: quibus aut necessitati cedere, aut infirmitati aliquid indulgentiùs cōcedere oportuerit. In omnibus autem quæ circa alios disponimus, quamvis districtiùs interdum agendum sit: misericordiam cogitare debemus vt & ipsi misericordiam à Deo consequamur. Sic enim tortulæ ex manna factæ erunt saporis quasi panis oleati. Postquam autem ostendit scriptura quomodo manna frangerent, tererent, & tortulas facientes coquerēt: curauit adijcere, quod cùm rore manna descēderet. Verbum Dei cū perfundit, ros est: cum reficit, manna est. Cùm prædicatur, perfundit: cum dignè suscipitur & custoditur, reficit. Manna ergo descendit cum rore; quia verbum Dei in corda fidelium peruenit ex Prophetarum & Apostolorum prædicatione. Hinc Apostolus ait. *Quomodo credent ei quem non audierunt?* &c. Et post pauca. *Ergo fides ex auditu, audit⁹ autem per verbum Dei.* Verbum ergo in corde, māna est; verbum in ore, ros est: nihilominus tamen & manna est. Nocte descendit ros, sicut scriptum est. *Cum quietum silentium cōtinerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit.*

Pro charitate quā multa facienda.

Minus malum aliquādo permittēdum.

Luc. 10.

Rom. 6.

1. Cor. 7.

Philip. 3.

Quo sensu Dei præcepta inflectenda sint.

Marci 14.

Misericordia circa proximum attendenda.

Rom. 10.

Sapien. 18.

Item de Lib. Numer. *Tædere cœpit itineris.* *Num. 11.*

MVlti diuinis mācipati obsequijs, & arctiorem vitam professi, tandem laboriosæ disciplinæ pertæsi, quæ non nisi fine vitæ finienda est: contra Moysen, hoc est contra ipsum Deum legislatorem, vel contra ipsius legem, quasi supra modum insuauem murmurant, & in solitudine non habentes panem absconditum, qui suauior est, & aquas furtiuas, quæ dulciores sunt: dicunt. *Deest panis, non sunt aquæ.* Manna cęleste supra modum fastidientes adijciunt dicentes. *Anima nostra jam nauseat super cibo isto leuissimo.* Isti quippe post nouitium feruorem inchoatæ conuersionis, tepidi facti, deteriores sunt quam frigidi; quos & Dominus ex ore suo euomit. quia prius sibi quasi incorporatos, pòst ad vomitum suum iusto iudicio suo redire permittit: vnde & dicit. *Vtinam esses calidus vel frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Cibum autem illum leuissimum dicebant fastidiosi, vel quia sine aliquo suo labore à Deo eis præparabatur, vel quia nullo pretio comparabatur; vel quia præ nimia abundantia minùs illis sapiebat, ideoque contemnebatur. Sic & verbum Dei nonnumquam ex facilitate intelligendi, & ex desiderio ciborum Ægypti fastidiosis animis vilescit, & in tædium vertitur,

Ibidem.

Apocal. 3.

Manna cur cib⁹ leuis malis.

Nec sufficit eis panis vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris, quin mussitantes dicant: *deest panis, non sunt aquæ.*

Deute. 8. *In Deuteronomio.* Dedit tibi cibum &c.

Alloquitur Author Iudæos infideles. AVdi nunc ô Iudæe, & intellige ex lege tua, si ei credere placet, diligenter disce, quid sit manna. Ne dicas amplius, *Quid est hoc.* Ignorabas tu, & patres tui, infideles quidem sicut tu, & ideo patres tui, hunc cibum non intelligens, quid esset, & ad quid tibi datus esset: scrutare scripturas, in quibus te putas habere vitam: scrutare legem, in qua confidis: ecce ipsa tibi non involutè, non obscurè, sed manifestè & apertè ostendit tibi, quid sit verũ manna: & ad quid De⁹ tibi dederit cibum manna. Non ob aliud, quàm ob id, quod hic scriptum est, quod literis tuis insertum est, quod auribus tuis sæpe inculcatum est, quod oculis tuis ingestum est: *vt ostenderet,* Ibidem. inquit, *tibi, quod non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo quod egrederetur ex ore Domini.* Frustra tibi manna datum est: si nondum vides ostensionem, quæ tibi in manna data est. Ad ostensionem datum est, aliquid ostendit. Viuit quidem homo, secundum hanc corporalem vitam, de pane corporali, id est cibo corporali, ad quem pertinet corporale manna. Nam teste scriptura, de manna panes fiebant: sed secundum spiritualem vitam non viuit in hoc pane, ad quẽ pertinet corporale manna; sed in omni verbo Dei, quòd ostensum est in mãna. quomodo enim ostenditur, hominem viuere in verbo Dei, per manna: nisi & ipsum verbum ostenditur tibi per manna? Sed frustra tibi ostenditur, quod detrectas credere, quod non potes videre: sicut de re Isai. 42. per Isaiam dicitur. *Quis cæcus, nisi seruus meus: & quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* Nobis autem ostendit Deus, quod abscondit ab oculis tuis, abscondens faciem suã à domo Iacob, verũ manna esse, ꝙ egreditur ex ore Dei Christũ scilicet Dei virtutem, & Dei sapientiam: qui Eccli. 24. apud Salomonem dicit. *Ego ex ore altissimi prodij.* Hoc est verbum, quod dixit Deus, & facta sunt; mandavit, & creata sunt vniuersa: hoc est verbum, quod testificatum est à lege & Prophetis: & quoniam Prophetæ, in quibus locutus est Deus, os Dei dicuntur, omne verbum quo prędicatur hoc verbum à Prophetis, ex ore Dei egreditur: vt in eo viuat homo. Verbum egrediens ex ore Dei, tribus modis dicitur. Verbum in Patre, à Patre genitum; patrique coæternum; verbum in ore prædicantis, verbũ in corde credentis. Verbum in corde credentis fides est vel charitas, vel quæcumque virtus animæ, quæ dici potest insitum verbum. Verbum autem fidei occulto susurrio loquitur Deus in corde, sicut Matth. 16. scriptum est. *Beatus es Simon bariona; quia caro & sanguis non reuelavit tibi: sed Pater meus.* Omne autem verbum quod egreditur ex ore Dei in manna ostensum. Nam Christus manna est, & verbum prædicationis manna est, intimum verbum quod loquitur in corde De⁹ manna est: & vtrumque istorum in Christo manna est: & in vtroque Christus manna.

Iosue 5. *Ex Lib. Iosue.* Defecit manna postquam &c.

FIlij Israel exeuntes de deserto & ascendentes de Iordane, decimo die primi mensis castra metati sunt in Galgal, ibique secunda circumcisione purgati fecerunt phase. 14. die mẽsis ad vesperam in campestribus Iericho; & comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes & polentam eiusdẽ anni: & tunc defecit mãna. Manna verbum Dei est in lege & in Evangelio. Mãna autem diuini verbi secundum figuralia legis tunc defecit: quando Christus 14. luna ad vesperam cum discipulis suis verum pascha celebravit, & fructum terræ promissionis comedendũ dedit. Per fruges enim terræ significari potest ipse Christus: de quo scriptũ est, *Terra nostra dabit fructum suum,* vel fruges iustitiæ & perfectionis euangelicæ, qua incipiente cessauit manna, secundùm iustitiam quæ erat ex operibus legis. Rectè ergo phase & esus frugum terræ manna finiuit; quia mors Christi & lex evangelij figuralibus legis terminum ponunt. Psalm. 84.

Sapien. 16. *Ex Libro Sapientiæ.* Angelorum esca nutriri iussisti populum tuum, &c.

Exod. 16. Num. 11. IN Exodo scriptum est de manna, quod gustus ejus esset quasi similæ cum melle. In Lib. Numerorũ scriptũ est, quod esset saporis quasi panis oleati: hic uero dicitur, quòd omne delectamentum in se haberet, & omnis saporis suauitatẽ: & quòd deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Pro tãta varietate dubitari potest de sapore mannæ. Si vero vnicuique sapiebat secundum suam voluntatem quomodo ostenditur certũ habere saporem quasi similæ cum melle, vel quasi panis oleati; vel quid necesse fuit, vt manna fastidirent, & pepones, & cucumeres, & cepe, & allia desiderarẽt, si omnium sapor in manna eis reprȩsentabatur? Sed dici potest, quod manna proprie & naturaliter saporem habebat sicut similę cũ melle, & ex parte quasi panis oleati: sicut solet vnum condimentum ex diuersis speciebus confectum diuersos simul sapores reprȩsentare: vel quòd non coctum haberet saporem quasi similæ cum mellę: coctum verò quasi panis oleati. Hunc siquidem commemorat Scriptura, vbi de manna cocto mẽtionem facit: quibus autem isti duo sapores non sufficiebãt, alterutro duorum modorum, siue mixti scilicet, siue diuisi, manna, sicut ex hac scriptura videtur, quemcumque alium saporem, iuxta desiderium suum, referebat. Et sicut illi qui in mellito poculo dulcedinẽ mellis sentiunt, possunt tamen mellis suauitatem, sicut est in fauo pleniùs gustandam desiderare: sic illi poterãt pepones, & cucumeres, cepe, & allia desiderare: quamvis omnium horum sapores in manna experti, fortè omnino sicut in proprijs speciebus sentire cõsueuerant: vel idẽtitatis fastidio victi, sicut est humana curiositas, varietate semper gaudere, poterant sapores in manna gustatos in alijs quoq; rebus leuitatis causa gustatos affectare: sicut solent vini amatores eiusdem vini saporem in altero scypho post alterum leuitatis vel curiositatis suæ vitio attentare. Sic videtur manna certos habere sapores, quos scriptura determinat, & tamen multipliciter sapere, secundũ varia desideria: sed vt multipliciter saperet non in illo esse, sed in illis, quib⁹ variè sapiebat. Hãc opinionem iuuare potest, quòd vnus idemque fructus, sicut vsu probamus, diuersis modis alijs & alijs sapit: dum vnus contẽdit eum esse minùs dulcem, alius, magis dulcem, alius nec dulcem. Cui simile est, si tamen vera est opinio, ꝙ sermo vnus per Apostolos in quacumque lingua pronunciatus, in auribus audientium variè sonabat, ad vniuscuiusque intelligentiam, iuxta propriã ipsius linguam. Verumtamen huic opinioni obsistere videtur, quod scriptura dicit. *Ad quod* Sapien. 6.

Sapor mannæ qualis esset.

quisque volebat, conuertebatur: vt causam varietatis in ipso manna ponere videatur. Nisi fortè sic dictum sit, *conuertebatur*, quod ita gustantib⁹ videbatur. Quoniam autem quod incertum est, varijs opinionibus solet esse obnoxium: sufficere nobis debet in re ambigua modum cogitare, quo potuit esse possibile, quod scriptura dicit: ne fides Scripturę de aliqua coniectura impossibilitatis in corde nostro vacillet. Possumus adhuc aliter dicere, quod videlicet māna eam gratiam saporis haberet, quæ posset quamcumque saporis suauitatem vel vincere, vel æquare, omnique desiderio quicquid in cibis desideraretur satisfacere. Hoc si verum est, cōuertebatur manna ad quod quisque volebat, non desiderati saporis repræsentatione, sed pari vel potiori recōpensatione: sicut sitim aquæ tam aquæ quam vini potio refrigerare potest: altera iuxta votum, altera supra votum. Spirituale autem manna, cui nihil deest in vlla saporis gratia, tanto dulciùs & suauiùs sapit: quāto pleniùs omne desideriū vincit. Deus qui bonitas est, cuj⁹ substātia caritas est; cuiùs essentia benignitas est; volens substantiam suam ostendere, quam dulcis naturæ est, & dulcedinem suam quam habebat in filios, quam suauissimæ benignitatis est; propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, filium suum panem Angelorum in mundum misit. *Sic enim Deus dilexit mundum: vt vnigenitum suum daret.* Hoc est verum manna, quod pluit Dominus ad manducandum. Etenim cęli distillaverūt à facie Dei Synai. Hæc est pluvia volūtaria, quā segregauit Deus hæreditati suæ. Hoc est quod parauit in dulcedine sua pauperi Deus. Christus autem pro omnibus descendens, & omnibus cōdescendēs, ineffabili gratia suauitatis omnes ad se allicit, neminem abijcit, omnes ad pœnitentiā recipit, omnibus se excipientibus suavissime sapit, omnibus pijs desidrijs solus ipse sufficit & satisfacit: & habens in se omne delectamentum & condimentum, & omnis saporis suavitatem, alijs & alijs aliter & aliter se contemperat, iuxta cuiusque desiderium, appetitum, & affectum. Sunt enim iustitiæ Domini rectæ, letificātes corda, tam multæ quidem, quam multæ sunt viæ in Christo ad Christum. Hoc cuique sapit, secundum quod elegit & diligit. Sunt diuersi ordines & mores iustorum, diuersæ professiones & conversationes, diuersa vota & studia: & his omnibus se indulget benignitas Christi, qui suauis est vniuersis, omnibus se imptiens, & singulis sui saporis condimenta dispertiens. Aliter enim sapit pœnitenti & incipienti, aliter proficienti, & aliter peruenienti; aliter in vita actiua, aliter in cōtemplatiua: aliter vtenti hoc mundo, aliter non vtenti: aliter cælibi, aliter coniugato; aliter abstinenti, qui sapit inter diē & diem: aliter ei qui sapit omnem diem. Dulce sapit manna, cùm necessitates releuat, cùm infirmitates curat, cùm tētationes mitigat, cùm conatus adiuvat, & spem confortat. Dulcis Iesus, & dulce nomen eius, & memoriale eius in desiderio animæ. Dulcis est, cùm vota suscipit, cùm singultus reprimit, cùm suspiria finit, cùm lacrymas abstergit. Dulcis in puritate vitæ, dulcis in pace conscientiæ, dulcis in spe visionis suæ. Dulcis in oratione; dulcis in sermone, dulcis in lectione, dulcis in contemplatione, dulcis in compunctione, & in cordis iubilatione. Dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in amore: amor ipse dulcedinis, & dulcedo amoris. Cuius inæstimabilis suauitas prima est in donis, summa in delicijs: qui gustauerunt adhuc esurient, & qui esurient, saturabuntur, & satiati semper memoriam abundantiæ suauitatis eius eructabunt.

Alia expositio. — *Ioan. 3.* — *Psalm. 18.* — *Dulcedo Christi.*

Rursus de Epistola 1. ad Corinthios. *1. Cor. 11*

Conuenientibus vobis in vnum, &c. Post doctrinā eorum quæ spectant ad honestatem, consequenter agit de his, quæ necessaria sunt ad salutem, hoc est de sacramēto altaris: in quo Corinthij maximè errabant. Conueniebant enim in Ecclesia ad manducandum & bibendum, & postmodum saturati & inebriati corpori Christi & sanguini communicabant. In quo reprehenduntur in duobus: tum quia pauperes ad cœnā suam non vocabant: tum quia pransi & non ieiuni tāto sacramento communicabant. Christus reuera post cœnam Corpus suum & sanguinem discipulis dedit, sicut beatus Augustinus dicit, quo vehementiùs commendaret: volens hoc vltimum memoriæ eorum tenaciùs infigere. Vel sicut alibi habetur, celebrato cum discipulis pascha more Iudæorum, novum pascha inchoauit, donans Corpus suum & sanguinem discipulis in sacramento panis & vini: significans illud Pascha de cætero non esse tenendum; instituens & pręcipiens illud, quod in fine fecit ad retinendū, *Iam non est Dominicam cœnam māducare*: hoc est, non conuenitis, tamquam ad Dominicam cœnā manducandum, sed tāquam ad vestram: qui nil pauperibus erogatis. Quod probat. *Vnusquisque enim suam cœnam presumit.* Vel aliter. Conuenientibus vobis iam non est, id est non licet, Dñicam cœnam manducare: hoc est corpori & sanguini Domini cōmunicare. Et quare illis iam nō licet, subdit, quia vnusquisq; cœnam suam præsumit, i. sumit ante cœnam Dñicam, & ita pransi sumitis Dñicam cœnam: quod iam non licet, sed solùm ieiunis. Et secundùm hanc lectionem manifestā habemus hic ab Apostolo auctoritatē, quòd non nisi ieiuni debemus hoc sacramentum accipere. Alibi autem in toto Apostolo ita manifestè nō habetur. *Quoniam Dominus Iesus.* Quia circa hoc sacramētum salus nostra consistit, & eo nullum est in Ecclesia maius: pręter seriem Apostolicā quædam hic quæri solent: quæ quia fidei necessaria sunt, prætermitti non debent. Notandum tamen primò & sanè intelligendū, quia in fine cuiusdam Glossæ super hunc locum habetur, quia *caro Christi pro salute corporis, sanguis pro anima nostra.* Nonne vtrumque, hoc est caro Christi & sanguis, vtrumque in nobis operatur, hoc est salutem animæ & corporis? quare ergo diuidit, quasi non vtrūque vtriusque salutis sit effectiuum? Alibi dicit Apostolus *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustific. nostram;* tamen & mors Christi vtrūque operatur in nobis, scilicet peccatorū remissionē, & nostrā iustificationē: & resurrectio vtrūque. Consimiliter dictum est, ꝙ caro Christi salutem corporis, & animæ salutem operatur sanguis; licet vtrumque vtriusque salutem operetur in nobis. Caro enim magis propriè ad corpus, sanguis vero ad animam referri solet; quia sedes animæ in sanguine est. Ampliùs autem, quia caro sumitur in specie panis, qui est cibus corporis, & substentatio: sanguis vero in specie vini, quod generat lætitiā mētis. Panis enim cor hominis confirmat, & vinum lætificat: sub vtraque specie sumitur totus Christus. Si autem sub altera tātum su-

Cur reprehendantur Corinthij. — *Ibidem.* — *Glossa exponitur.* — *Rom. 5.*

meretur, ad alterius tantũ id est animæ vel corporis salutem valere significaretur. Sed quæritur, quare sacramentũ in hac specie panis & vini potius celebretur, quam aliarum rerum. Ideo, quia ipse author & dator huius sacraměti sub his speciebus illud consecrauit & dedit; & ideo in specie panis de frumento, quia ipse se granum frumenti nominauit quod cæteris granis dignius est & vtilius. Sunt autem tria circa hoc sacramētum attendenda: significantia tantum, significata & significantia, & significata tantum. Significantia tantum, species visibiles: quæ sacramēta dicuntur, iuxta illud. *Sacramentum est visibile signum inuisibilis gratiæ Dei.* Significata & significantia sunt ipsum corpus & sanguis Christi. Corpus enim Christi per speciem panis ibi designatur: sanguis vero per speciem vini. Item Corpus Christi, quod ibi sumitur, corpus significat Ecclesię: sanguis vero charitatem; sumpta proprietate significandi à natura specierum visibilium, in quibus sumuntur: quemadmodum in hac epistola dictum est. Significata tãtum sunt corpus Christi, quod est Ecclesia; & charitas, per quam vnitur capiti suo, quod est Christus, & in qua tanquam in sanguine vita est huius corporis. Item quæritur, vtrum substantia panis transeat in corpus Christi, & substãtia vini in sanguinem; quod omnino credendum est: si ergo substantia illa panis materialis per sacerdotalem benedictionem transit in verum corpus Christi, & vinum in sanguinem, substantia panis erit corpus Christi: ergo aliqua substantia quæ non est nata de virgine erit corpus Christi. Non est verum. Sicut substantia humana est Deus, non tamen aliqua substãtia, quæ non sit ab æterno, est Deus, vel aliquid, quod non sit ab æterno. De accidentibus illis quę post consecrationem vidētur & sentiuntur, in quo subiecto remaneant, solet quæri. Et sunt, qui dicãt, illa in aëre fundari Sunt qui in oculis intuentium: sunt qui sine subiecto illa manere credant: quod verisimilius videtur: licet contra naturam eorum hoc esse videatur. Non enim quærend⁹ est hic ordo naturæ: vbi supra naturam est, ꝙ totũ agitur. De fractione etiam quæri solet, cuius rei sit; id est, quid ibi frangatur, & quid partes illæ significent fractionis. Dicunt quidam, solum sacramentum ibi frangi; eo quod corpus Christi impassibile sit, & nullam recipiat fractionem, nullam partium diuisionem. Sed quomodo vera tunc erit illa confessio Berengarij, quæ Romæ coram Papa præsentibus C. XIII. Episcopis facta est, & scripta? Confessus est enim, panem & vinũ, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse, & suasualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri. Ecce dicit, quia corpus Christi frangitur in veritate, fidelium dentibus atteritur. Eadem ratione ibidem in veritate videtur non solũ oculis cordis, sed corporis. Error Berengarij fuit, quod post consecrationem panis, panis remanebat & solum sacramētum corporis Christi, non verum corpus eius ibi erat. Sua verò confessione, fidei expressit veritatem; dicens, non solum sacramētum fractioni illi subesse, quod prius crediderat, sed corpus Christi in veritate. Corp⁹ enim Christi in veritate est, quod videtur, quod frangitur, & fidelium dentibus atteritur. Sed quomodo

Sacramenti definitio.

Berengarij resipiscentis cōfessio fidei.

inquis, impassibile frangitur, quomodo indiuisibile diuiditur? Respondemus, quomodo Deus mori potuit, si immortalis fuit; quomodo comprehendi, si incomprehensibilis? Secundum aliud & aliud, dicis & tamen vnus & idem. Sic vnum & idem corpus impassibile, & tamen frangitur: sed secundum aliud & aliud, vtrumque tamen in veritate, quod secundum se & in se impassibile est, in sacramento diuiditur, in sacramento videtur, & dentibus fidelium atteritur. Hæc tamen omnia in veritate, & in phãtasmate nihil. Quod autem in tres diuiditur portiones, est propter sacramẽtum corporis Christi, id est capitis & membrorum. Vna enim duarum, quæ extra calicem remanent, caput huius corporis jã impassibile, jam glorificatum significat: altera mēbra illa corporis huius, quæ jam impassibilia, & iam glorificata, capiti suo in requie conjunguntur: tertia, quæ sanguini admiscetur, illa membra corporis huius figurat, quæ nondum mortem euaserunt; quæ adhuc in laboribus hujus vitæ detinentur.

Diuisio hostiæ in 3. partes quid significet.

Quæritur autem de aqua, quare in hoc sacrificio apponatur: & vtrũ vt vinum in sanguinem cōuertatur. Non ideo apponitur, vt quorumdam fortassis habet opinio, quia pariter cum sanguine fluxit de latere Christi. Illa enim significauit aquam baptismatis, quod purificandi virtutē habet à sanguine Christi. Ideo tamen pariter sanguis & aqua: quia nec sine sanguine salus, nec sine baptismo. Aqua verò, quæ in calice ponitur, vt dicunt, significat populũ, qui per Christi passionem est redemptus. Vnde si vinũ tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si enim vinum tantùm quis offerat sine aqua, simpliciter vel ignoranter: consecrat quidē, sed pœnitentiam agere debet. Quòd autem aqua vertatur in sanguinem, nobis videtur. Si enim per vinum Iudaicus populus designatur, quod plerũque fit, & per aquã Gentiles: cùm vterque sit de corpore Christi, vtrumq; in sanguinem, hoc est, vinum & aqua, converti videtur. Quæritur etiã, vtrùm debeat concedi, quòd Christus quotidie immoletur. De quo Augustin⁹. *Semel immolatus est in seipso Christus: & tamen quotidie immolatur in sacramēto: vocaturq; ipsa carnis immolatio, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio & mors, & crucifixio, non rei veritate, sed significati mysterio* Immolatio hæc non est occisionis, sed significationis, & repræsentationis. Quæri præterea solet, vtrũ corpus Christi sumptum à nobis vadat in vētrem, aut aliquid tale. Huiusmodi quęstionem vtinam nemo faceret: eam tamen facieti S. Ambros. respondet. *Non iste panis est, qui vadit in corpus: sed panis vitæ est æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Si mucidum fiat, si à muribus corrodatur, vel aliquid minus honestum circa ipsum fiat: sacramentũ tamen, etsi videatur, nihil tale contaminat. Ipsum enim nullius immũditiæ sordes attingunt: etsi circa speciem sacramenti videantur accedere.*

Aqua in sãguin. Christi conuertitur.

Hic calix. Continens pro contento, calix pro sãguine: quia in calice sãguis. Calix in Scriptura pluribus modis accipitur. Aliquando per calicē sanguis Christi designatur: sicut hic, & in Psalmo, *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* Aliquando ipsa mors Christi, & suorum: vt ibi. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quæ ideo calix dicitur, quia ad mensuram est: vt eius acerbitas sustinentis patientiã non excedat. Dicitur etiam calix pœna malorum: vt ibi. *Pluet super*

Psal. 22.

Mat. 20.

per

per peccatores laqueo : ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum: quia eis ad mensuram sunt genera tormentorum.

1. Cor. 11. *Hic calix est nouum testa.* id est noui testamenti confirmatio: quia morte testatoris confirmatur. Quare hoc testamentum nouum, & aliud vetus dicatur : dici potest, quòd hoc ad similitudinem noui panni dicitur, qui calorē habet, & splendodorem. Calorem charitatis, & splendorem boni operis, Vetus testamentum similitudinem tenet veteris vestimenti in deformitate & frigiditate. Deformitatē proculdubio habent obseruantiæ illæ veteris testamenti, & sacrificiorum ritus. Habēt & frigiditatem : quia timore fiunt, & nō amore.

Testamentū vetus quasi pannus vet.

Reus erit corporis & sang. Dom. Hoc est, reatum Dñicæ mortis incurret. Nō enim minorem ei facit iniuriam, qui in vase eum locat immundo, q̄ qui eum crucis affixit patibulo. Vel reus erit corporis &c. quia beneficium mortis eius, quantum in se est, euacuat; vt Christus frustra esse mortuus videatur. *Probet autem se*, interrogādo cōscientiam : cuius semper debet esse responsio, quia nō est dignus ad tantum sacramentū accedere. Sed interest, quomodo. Si enim eum conscientia de criminali accusat, & accipit; iudicium sibi manducat & bibit. Si verò in mortali peccato se non invenit: quia sine quotidianis non est, pœniteat de ipsis, & cōmunicet, dicēs cum illo Centurione. *Domine non sum dignus, &c.* Quid ergo? nōne dignus est cōmunicare? Non dignè cōmunicat? Alioqui iudicium sibi manducat & bibit. Et si dignus est, & dicit se indignum, mentitur, & ita fit indignus. Quomodo non est mentit[9] Apostolus, vbi ait, *Non sum dignus vocari Apostolus*, & tamē dignus erat : nec iste, qui dicit se indignū cōmunicare, & tamen dignus est. Excellentiam enim tanti sacramenti considerat, & ꝓpria merita: quę tantæ rei ęquiparari non possunt. Ex misericordia ergo Dei est, quòd dignus est : qui parvum bonum ei reputat pro maiori : qui fidem Abrahæ ei reputauit pro iustitia, vt ibi dictū est. Notandum autem, quòd S. Augustinus duos manducādi Christum modos assignat : vnum, quo manducant eum boni & mali: alterum, quo tantū boni. Vnum sacramentaliter, alterū spiritualiter. Vnde & idem dicit. *Qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit : etsi tāta rei sacramentum ad iudicium quotidie accipiat.* Hæc verba, nisi cautum & Catholicum habuerint interpretem, simplicitatē fidei facilè decipient. Dictorum ergo intelligentia ex causis est assumēda dicendi. Ideo enim dicit, eum, qui à Christo discordat, Christi carnem non manducare: quia per hanc manducationē Christo non incorporatur. Causam habet, sed effectum non sequitur. Non manducat quia ad vtilitatem sibi non manducat. Sicut nec habere dicitur quis: quod ad vtilitatem suam non habet. Vt ibi, *Et autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*

Mat. 8.

Quo sensu iustus non sit dignus corpore Christi.


1. Cor. 15.

Eucharistia duobus modis sumitur.

Quòd si nos iudicauerimus. Quomodo homo se debeat iudicare. S. August. in lib. *De pœnitentia*, his verbis ostēdit dicens. [Veniat ante oculos imago futuri iudicij & ascendat homo adversus se tribunal mentis suæ, & cōstituat se ante faciem suam; atque constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, & testis cōscientia, & carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sentētia proferatur : vt se indignum homo iudicet participatione Corporis & Sanguinis Dñi, vt qui separari à regno timet per vltimam sententiam : ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis separetur. Indignè enim accipit : si tunc accipit, cùm deberet agere pœnitētiam.] Sed hoc de publicè pœnitentibus, hoc est extra Ecclesiam agētibus, dictum esse videtur. Cæteri nondum peracta pœnitentia communicare possunt & debent statutis temporibus.


August. lib. 50. homil. hom. 50.

FINIS.





OPERA
B. AILREDI RIEVALLIS ABBATIS
PRAEFATIO,
VITAM ET OPVSCVLA AVTHORIS CONTINENS.



VIS fuerit hic AILREDVS, *seu* AELREDVS, *disce ex Pitseo lib. de Illustribus Angliæ Scriptoribus, ætate 12. ad annum 1166. vbi hæc de illo habet. Ælredus nobilibus in Anglia parentibus natus, ab ipsa tenera ætate in timore Dei & bonis studiis sollicitè educatus, à primis annis adolescentiæ suæ didicit iugum Domini portare; semper innocens vitæ scelerisque purus. Crescente cum annis pietate & doctrina factus est Ordinis Cisterciensis monachus, in quo solitaria vitæ genere rerum cælestium contemplationi ita se dedidit, vt inter suos, tanquam luna inter stellas minores emineret. Nec tamen interea sacrarum literarum studium neglexit, nec aliarum scientiarum cognitionem amisit. Vnde tantis virtutum ornamentis insignitus, primùm communi suorum suffragio Rievallensis Abbas electus est, qui locus Eboracensis Diœcesis est: nec multò pòst tempore ad aures Dauidis Scotorum Regis hominis fama peruenit: eumque Rex sibi fecit familiarissimum: quamvis ille mundanos libenter fugeret honores, & varias dignitates Ecclesiasticas, adeoque Episcopatum aliquando recusauerit; vt ad diuinarum rerum contemplationem fieret expeditior, & Evangelij prædicationi liberiùs vacare posset. Frequens erat in voluendis S. Augustini libris, in quibus eius Confessiones præ cæteris omnibus mirificè placebant. Erat in scriptis, dictis, factis, omnique vitæ ratione sancti Bernardi diligentissimus imitator. Mitis, mansuetus, humilis, modestus, pius, temperans, castus. & qui in se, & cum aliis, & inter omnes pacem & concordiam, supra quàm dici vel cogitari potest, amabat, conciliabat, fouebat. Tam in omnibus & cum omnibus pacificus, vt eo nomine meritò beatus dici, & optimo iure filius Dei posset vocari. Hæc Pitseus; qui mox enumerat eius opuscula, de quibus & nos statim dicturi sumus. Ex ipsius autem Aëlredi præfatione in Speculum, apparet eum ante conuersionem Oeconomum seu dapiferum Regis vel alicuius principis fuisse aut simile aliquod munus obiisse; cùm dicat, se de coquinis ad eremum venientem, locum non officium mutasse: quia scilicet cùm hæc scriberet monasterij sui, vt hinc colligitur, Oeconomum seu dispensatorem agebat. Rieuallè migrauit ab hoc sæculo anno salutis humanæ 1166. pridie Idus Ianuarij, vitæ suæ anno 57. sub Henrico II. Anglorum Rege Sanctorum adscriptus tandem numero, vt testantur Molanus in notis ad Vsuardum, Missalis veteris Cisterciensis ordinator, qui inter Beatos & Sanctos Ordinis ei dat locum, Ioannes Abbas in suo Catalogo Sanctorum, Trithemius lib. de Scriptorib. Ecclesiasticis, Arnoldus de Vuion Ligni vitæ lib. 1. cap. 47. Petrus Calzelarius, Guillelmus Eysengreinus, Pitseus, Richardus Gibbonus, Miræus, & nouissimè P. Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis & in Menologio. Refert ex codice manuscripto Cisterciensi Manrique hæc verba de Aëlredo. Eius solemnitas in octauis Epiphaniæ solemniter celebratur, iuxta decretum Capituli Generalis anni 1276. quæ & ego in codice antiquo Claræ-Vallis; legi. Miror autem, eundem P. Henriquez in prædicto Menologio huius Authoris mortem in annum 1220. referre; cùm in Fasciculo eam cum aliis ad an. 1166. rectè retulisset, & notasset, eum quandoque confundi cum alio authore qui Edilredus est appellatus, & obiit anno 1220. Certè noster Aëlredus successit in Abbatis dignitatem Guillelmo primo Rieuallis Abbati S. Bernardi discipulo, (qui & primam in ordine Epistolarum eiusdem Bernardi scripsit in medio imbre sine imbre, & mortuus est anno Domini 1148.) De Aelredi transitu ab hoc sæculo loquitur Gilbertus eius synchronus, serm. 41. in Cantica vicissim ab eo laudatus serm. 2. de Oneribus. Aëlredi opera recensent Pitseus, Henriquez, & alij, sed confusè; quædam enim ter aut quater ponunt diuersis titulis & inscriptionibus, vt Sermones in Isaiam, sermones de Oneribus, &c. cùm sit idem opus. Postquam autem descripsi huius sancti opera ipsa, inueni ea à P. Gibbono Societ. IESV Theologo edita, magnâ tamen parte omissa, Sermonibus scilicet per anni circulum, tam de Tẽpore quàm de Sanctis, quos ex Clara-Vallensi codice exscripsi. Hos sequentur sermones de Oneribus, & Homilia de Puero Iesu duodenni S. Bernardo falsò adscripta: deinde Speculum charitatis tres in libros diuisum: denique liber de amicitia, qui mutilus inter opera Augustini reperitur Tomo. 4. Huius viri Sancti, vt testantur authores, eloquentia Bernardinæ prope par fuit; ac imprimis Nicolaus Rieuallensis monachus, qui hæc de eo cecinit

> Inclytus Aëlredus conditus aromate morum,
> Et mellis fauus, & dulcedo fuit Monachorum.
> Flore iuventutis hunc Regis regia fouit.
> Quæque nociua procul animoq; manuque remouit.
> De Iericho venit in Ierusalem duce Christo.
> Hic citò fructificat, spinas in lilia vertit.

Sparsa recollegit, & in vnum fracta redegit.
Celsior hinc factus, post cœlica præmia natus.
Si libet, & fas est hic dicere, vera retexam:
Nec reor ordiri quidquam de stamine falsi.
Maurus erat maturis moribus, & Benedictus
Exemplo, similis Bernardo cœlibe vita.
Virtutum specimen, vitiorum scopa, decusque
Ordinis, & speculum, via pacis, fibula legis.
Prætulit exuvias Pauli Hieronymus auro,
Cresi, nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa, sed ipse.
Pacificus Salomon fuit, & mansuetus vt agnus.
Antiquo de consilio, non multa reuoluo.

Idem in alio epigrammate, hæc de tribus primis Abbatibus Rievallis, ex quibus AELREDVS fuit secundus, habet.

Primitias capit Vuillelmus, sed proximus illi.
Aelredus maiora tulit, Silvanus adauxit.
Tres sunt præcipuè meriti vix imparis, ille.
Primus, & alter ei successor, & iste supremus.
Alius. *Ecquis Aelredum Bernardo inuidit, & vno*
Tam similes calamo credidit esse duos?
Item. *Vincit Aelredus mella attica, saccara vincit.*
Tam bene nec Sicula mellificatis apes.
Stillat nescio quid dulcedine dulcius ipsa,
Et citò quàm legitur, tam citò relegitur.
Nulla venit cupido saties, accrescit edendo
Irritata fames, lecta relecta placent.
Istud Aelredi, Bernardi est istud, & idem
Creditus ore sonus, creditus ore fauus.
Pangit vterque pios castè festiuus amores
Doctus vterque sacris ludit acuminibus.
Fouit vtrumque, reor, mellita Maria clientem,
Mel de virgineo suxit vterque sinu.
Bernardo prope par fluit, & dulcedine certat:
Mirè mellitos condit vterque fauos.
Bernardo primas demus, ferat ille secundas,
Proximus à primo iure legendus eat.
Par vtrique ætas, ambos eademque tulere
Tempora, par Ordo, par pietatis amor.
Gallia Bernardum, nostrum tulit Anglia, sed tunc
Discolor, heu! nostris Anglia temporibus.
Anglia tum terris fundebat dulcia mella,
Dulcis Hibla Europa, dulcis Hymettus erat.
Iā prope fit Colchis, quidquid modò trāsfretat inde,
Noxia pestiferis fert aconita libris.

HÆC ad commendationem nostri AELREDI sufficere reor. Has enim laudes non esse mendaces, qui eius opera sequentia lecturi sunt, experientur. Porrò sermones sequentes de Tempore & Sanctis, alium habent à reliquis operibus stylum; nec tamen ob hoc Authori nostro abiudicari debēt aut suppositity æstimari. Nam quia sermones illos coram fratribus laicis, & illiteratis quos Conuersos vocamus, habuit, (illi enim concionibus, quæ diebus festis & Dominicis in Capitulo Monachorum habebantur, intererant, non autem ijs quæ alijs diebus habebantur,) ideo humiliore & familiariore sermone vtebantur interdum Patres Abbates, & alij, in concionibus illis, ignorantia eorum condescendentes.

SERMONES
D. AELREDI
RIEVALLIS ABBATIS.

Sermo primus. De Aduentu Domini.



VOs debetis scire, fratres carissimi, quia hoc tempus beatum, quod nos vocamus Aduentum Domini, repræsentat duo quædam: & ideo de duabus rebus debet esse gaudium nostrum; quia & duplex nobis debet conferre commodum. Repræsentat nobis hoc tempus vtrumque aduentũ Dñi nostri: & illum scilicet dulcissimum aduentũ, quo ille speciosus forma præ filijs hominum, ille desideratus cunctis gentibus, Dei scilicet filius, diu expectatam, & ab omnibus Patribus ardenter optatam, huic mundo suam visibilem in carne exhibuit præsentiam: id est quando venit in hoc mundo peccatores salvos facere: & illum nihilominus à nobis solida spe expectandum, & vtique cum lacrymis sæpius recolendum, quãdo idem Dominus noster qui priùs in carne venit occultus, veniet in gloria sua manifest⁹, sicut canitur de eo in Psalmo. *Deus manifestè veniet*, &c. id est, in die iudicij, quando veniet manifestus iudicare. Primus namque aduentus eius perpaucis iustis innotuit: in secundo suo aduentu & iustis & reprobis manifestè apparebit, Propheta id apertiùs insinuãte, qui ait. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Sed tamen propriè, sicut dies ille, quem debemus celebrare paulopost, in memoriam natiuitatis illius, repræsentat natum; id est plus expressè significat illum diẽ & horam, quãdo venit in hunc mundum; ita istud tempus ꝙ celebramus ante illum diem, repræsentat illum desideratũ, id est illud desiderium, quod habebãt sancti Patres, qui fuerunt ante eius aduentum. Pulchrè ergo in Ecclesia prouisum est, vt hoc tempore eorum verba recitarentur, eorumque desideria recolantur, qui primum Domini præcesserunt aduentum. Nec hoc desiderium illorum celebramus vno tãtum die, sed quasi longo tempore; quia hoc solet euenire, vt quod multũ desideramus, si aliquo tempore differatur, videatur nobis dulcius, quando venerit hoc quod amatur. Nostrum est ergo, fratres carissimi, sanctorum Patrum exempla sectari, eorumque desideria recolere, & sic mentes nostras in amorem & desiderium Christi accendere. Debetis ergo scire, quod propter illam causam nobis institutum est celebrare hoc tempus, vt debeamus attendere desiderium, quod sancti Patres nostri habuerunt de primo aduentu Domini nostri, & per exemplum illorum discamus habere magnũ desiderium de secundo illius aduentu. Debemus considerare, quot bona nobis fecit Dominus noster per suum primum aduentum, & quòd faciet nobis multò maiora per secundũ: & per istã considerationem illum primum aduentum illius multùm amare, & illum secundum multùm desiderare. Et si non habemus tam bonam conscientiam, vt audeamus desiderare aduentum eius: debemus saltem timere aduentum eius, & per illum timorem à vitijs nostris nos corrigere: vt si fortè non poterimus hic non timere, saltem quãdo venerit, tunc non timeamus, sed securi simus. Et reuera fratres, qui modo sunt soliciti circa seipsos, & timent diem illum iudicij antequam veniat; sine dubio tunc non timebunt, quando venerit. Et quis est tam durus, qui non possit timere diem illum, quando Dominus noster veniet in maiestate sua; quando cælũ & terra ardebunt; quando patebunt omnia mala, quæ homines fecerunt in ista vita, coram Deo & Angelis eius, & coram diabolo, & angelis eius, & coram toto humano genere ad Adam vsque ad nouissimum hominem, qui erit in mundo? Sine dubio omnia vitia & peccata, quæ in ista vita non cooperuerit cõfessio, ibi publicabuntur. Quis non potest timere diem illum, in quo vnusquisq; recipere debet hoc, quod sine fine habebit? Bonũ valdè est, fratres, sæpe cogitare ista: & maximè, quando tentationes surgunt; tunc vnusquisque qui elegit perfectiorem vitam, quàm habent illi qui sunt in sæculo, debet adhoc conari, vt per bonam conuersationem suam acquirat talẽ conscientiam, vt non timeat pœnam in illa die: sed desideret gloriam & gaudium, quod iusti habebunt in illa die. Et quemadmodum sancti Patres desiderabant illum diem, in quo debebant redimi; ita desideret illum diem, in quo omnes Sancti debent glorificari. Nam primò venit ille, vt liberaret nos à peccatis nostris; sed in secundo aduentu eius sanabit ille omnes infirmitates nostras. Ideo quidam hortatur animã suam benedicere Dñm, & dicit, quarè. *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatib⁹ tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Vnum pertinet ad primum aduentum Dñi, aliud ad secundum: quia per primum aduentum deleuit ipse peccata nostra; sed adhuc patimur magnas infirmitates, propter pœnam ipsorum peccatorũ. Quis potest enumerare omnes infirmitates huius vitæ, famem, sitim, labores, dolores, morbos, pigritias, lassitudines? Sed ista pertinent ad corpus. Quantæ sunt infirmitates animæ, quantæ concupiscentiæ, quantæ tentationes! Istas omnes infirmitates, & alias omnes infirmitates, quas non possumus commemorare, sanabit Dominus per secundum aduentũ suum, quando implebitur hoc quod ait Apostolus. *Oportet autem corruptibile hoc induere incorruptelam*, &c. Per primum aduentũ suscitauit nos Dñs noster tantum in anima, sed per secundum aduentum suscitabit nos in corpore: vt sicut modo per vtrumque, id est per animam & corpus, seruim⁹ Deo, ita tunc & in vtroque perfectam beatitudinem habeamus cum Deo. In isto aduentu eius dedit nobis fidem, vt sciamus credere in illum: in secundo aduentu eius per-

Duo sunt Aduentus Christi.

Psalm. 49.

Psalm. 97.

Desiderium Patrum de Domini aduentu.

Timendus aduentus secundus.

Vtriusque aduentus bona.

Psalm. 102.

1. Cor. 15.

Videbũt omnes Christu iudicem. ducet nos, ad hoc vt possimus videre illum: non sicut impij videbunt illum in die iudicij; quia in die iudicij omnes boni & mali videbunt illum in illa similitudine, in qua passiones pertulit pro nobis, & in qua resurrexit, & ascendit in cælum: sed illo modo videbimus eum, quo illi poterunt videre, qui habebunt mũdum cor. Sic enim dicit Matth. 5. Dominus. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, hoc est, quòd & diuinitatem eius videbimus, illam excellentiam & pulchritudinem, quam modo vident Angeli; quia nos erimus sicut Angeli in cælo: sed si modò amamus eum, & desideramus, & contemnimus omnes delicias & honores mundi, tunc sine dubio videbimus eũ securè in illa similitudine, in qua iudicabit viuos & mortuos: & feliciter videbimus eum in illa similitudine, in qua ostendet seipsum tantùm bonis, quos ducet secum de iudicio ad regnũ. Cogitemus modò, quãtum possumus, quantũ gaudium habebimus, & quantam felicitatem, si in illa die, quando cælum & terra ardebunt, quando Dominus veniet cum tanta virtute & potestate, poterimus esse securi: & non solum non timere eum, quando venerit: sed multum amare, & securè aspicere eum. Et ideo fratres, si volum⁹ tunc habere istã lætitiam & securitatem, studeamus multum amare Dominum nostrum. Et quẽ debemus tantum amare, quantum illum, qui est creator & Dominus noster, insuper & redẽptor noster? Sed & hoc, nihil est quod possimus ita securè amare: quia quidquid aliud amamus, sine dubio habemus amittere: & si habemus delectationem in illis rebus, quas debemus amittere, quando venerit hoc vt amittamus illas, vtique quantam delectationem priùs senserimus, tantam tristitiam postea sentiemus. Et ideo securè amem⁹ illum, qui semper est, & eodẽmodo semper bon⁹ est, & eodem modo delectabilis est. Ita fratres, amemus eum modò, vt quando viderim⁹ eum venire de cælo cum Angelis eius, non timeamus aduentum eius: sed cum magno desiderio statim curramus ad eum, quasi ad familiarissimũ amicum. Videamus, quomodo omnes sancti, qui fuerunt ante primum aduentum eius, desiderabant eum: & sequamur illorum exemplum: non ilorum qui diligunt mundum, quia dicit 1. Ioan. 2. scriptura. *Mundus perit, & concupiscentia eius.* Et ideo qui diligunt mundum, quando mundus peribit, & ipsi peribunt cum mũdo. Et vt sciam⁹ quantum desiderium antiqui patres habebant videndi Dñm nostrum, audiamus, quia hoc ipse Luc. 10. Dominus dicit in Evangelio. *Amen dico vobis, quia multi Reges & iusti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*, &c. In ista significatione dicit scriptura de Salomone. *Cuncti reges* 3. Reg. 10. *terræ desiderabãt videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius.* Nam sine dubio illi soli Reges dicendi sunt, qui desiderant videre faciem Qui dicendi Reges. Salomonis, & audire sapientiam eius. Ipsi enim sunt qui bene regunt seipsos, & seruant membra sua à macula peccati: quia illi non sunt verè Reges, qui habent terram multam, & homines multos sub se, sed sunt servi peccatorũ: quia Ioan. 8. sicut dicit Dominus noster, *omnis qui facit peccatum, serv⁹ est peccati.* Et sine dubio ille non debet appellari Rex, qui est servus, & tam vilis servus, vt peccatũ ei dominetur. Qua propter fratres, studeam⁹ bene regere nos ipsos, bene custodire membra nostra: & sic nos quoque erimus Reges, & incipiemus desiderare videre faciem veri Salomonis, id est Domini nostri Iesu Christi. Non est necesse fratres, dicere vobis causam, quare Dñs noster dicitur Salomon. Vos sæpe audistis, ꝙ Salomon dicitur in lingua nostra pacificus, & Dñs noster ipse est pacific⁹ noster, qui fecit pacẽ inter nos & Deũ, & reconciliauit nos patri suo per proprium sanguinem suum. S. David ipse erat vtique vnus de illis Regibus, qui desiderabant videre faciem veri Salomonis. Quod ipse ostendit apertè quadam vice, quando desiderabat aquam de fonte, qui erat in Bethleem. Nam sicut narrat scriptura, de illa desiderauit Rex, & ait. *O si quis daret mihi aquam de cisterna* 2. Reg. 23. *Bethleem, quæ est in porta.* Et erant ibi quidam viri, qui putabant, quod ipse desiderabat aquam Quã aquã desiderarit David; è Bethleem. illam visibilem de illa cisterna; & cum magno periculo transierunt castra inimicorum suorum, & hauserunt de illa aqua, & portauerunt ad Regem. Sed quia ipse voluit ostendere, quod per spiritum Prophetię hoc dixerat, non propter illã carnalem & vilem aquam, statim fudit eam in terram. Non enim desiderabat illam aquam de illa corporali cisterna: sed aquam de illo fonte, qui natus est in Bethleem. Vnde alibi dixit. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, &c.* Iste Psalm. 42. est verus fons, Dñs noster IESVS-CHRISTVS, qui natus est in Bethleem Iudæ; qui dicit. *Siquis* Ioan. 7. *sitit, veniat & bibat: & de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hanc aquam desiderabat sanctus David: ad hunc fontem cum magno desiderio currebat; sicut statim in ipso versu exposuit. Postquam enim dixit, *Sicut servus desiderat*, &c. statim sub- Psalm. 41. junxit, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ecce videmus, fratres, modò, quid ille desiderabat tunc. Natus est ille fons in Bethleem: Christ⁹ fons de Bethleem & de illo fonte currũt aquæ per vniuersum mũdum. Talis sine dubio aqua, vnde se lauant, qui habent aliquam in se sordem: vnde potant illi, qui sitiunt; vnde etiam coquunt suos crudos cibos, qui esuriunt. Aqua ista, fratres, quæ currit de isto fonte, est doctrina Christi, quam ipse docuit in Evangelio. Per istam omnes illi qui ligati sunt peccatis suis, & sordidati, se lauant: sicut illi fecerunt, quibus dixit Dominus. *Iam vos* Ioan. 15. *mundi estis, propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Ecce isti mundati erant per doctrinam Christi. Per istam aquam illi etiam qui sitiũt cognitionem Dñi nostri, se potant, & se inebriant: quia in doctrina Christi possum⁹ illum cognoscere. Si enim cor nostrum non versat carnales cogitationes; si libenter audimus verbum Dei, & intelligimus; inde orietur quidam ignis in nobis; vt non cogitemus, nisi ea quæ pertinent ad amorem Domini nostri. Quãdo sanctus David sicut cervus desiderauit tanto desiderio illam aquam, antequàm natus esset ille: certè magnus pudor est; si nos, qui fontem istum videmus natum, & jam aliquid gustauimus de aqua, quæ currit de illo fonte, non multum desideramus & amamus. Videmus enim, quod impletum est modo hoc, quod Isaias Propheta multum desiderabat, quãdo dixit. *Vtinam Domine, dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent.* Quid pu- Isa. 64. tamus, quod sanctus Propheta desiderabat istis verbis? Primum sine dubio aduentum eius; & hoc cum magno desiderio; & statim dixit, causam, quare ita ardenter desiderabat illum, *A facie*, inquit, *tua montes defluerent.* Videbat enim Ibidem. ille sanctus homo, quomodo ille diabolus, qui per superbiam suam cecidit de cœlo, possidebat

totum genus humanum. Videbat, quomodo tumebat & superbiebat, quòd Reges & Principes huius mundi adorabant eum: & quòd pene omnes homines, qui erant in mundo, sequebantur superbiam eius. Hoc videbat Propheta, & valde dolebat: & sicut ego puto, vix poterat sufferre illum dolorem; maximè quia Dominus tantum tardabat, qui debebat totam eius superbiam destruere. Ideo cum magno desiderio ait. *Vtinam, Domine, dirumperes cœlos & descēderes*, &c. Sciebat, quod prouisum erat illud tempus, quo debebat venire: sed tantam moram ille Propheta cum magna augustia tolerabat; & ideo desiderabat, vt si fieri posset, præueniret illam horam quam proposuerat: hoc significans illis verbis, *Vtinam, Domine dirumperes cœlos, & descenderes*. Quasi diceret: scio, Domine, quia tu expectas illud tempus, quod prouidisti ab initio: expectas, vt primò sint impleta illa omnia, quæ sancti dixerunt debere impleri ante tuum aduentum. Sed vtinam, Domine, dirumperes cœlos, id est, interrumperes, si fieri posset, illud propositum tuum, quod reuelasti cœlis, id est sanctis tuis; & venires. Video tantam superbiam diaboli, qui totum humanum genus trahit in potestatem suā: & ecce mittit manum suam ad illam gentem, quā tu elegisti. Iam inter istos Iudæos, qui solebant esse tuus populus, regnat superbia, luxuria, omnia vitia. Quare amplius tardas: quid amplius moraris? Nos minamur eis, & dicimus; veniet Dominus noster, veniet & Christus, qui malos iudicabit, & bonos honorabit; & ipsi subsannātes irrident nos, *manda remanda*. Ecce quot anni transierunt, postquam primò promisisti nobis, quod ille veniret, & adhuc non venit: videtur, quod non facitis, nisi fallere nos. Hoc dicebant miseri, & quasi securi dederunt semetipsos ad seruiendum Idolis, & ad omnem superbiam & luxuriam. Sic illi faciebant; sed sancti Prophetæ tristabantur, dolebant & flebant, & mirabili desiderio desiderabāt aduentum eius. Hinc est ista vox Isaiæ. *Vtinam, Domine, dirumperes cœlos, & descenderes*. Sed quid egit misericordia Christi? Vtique non est passus, sanctū Prophetam suum esse diu in illo tanto dolore, sine magna consolatione. Audite enim, quid paulò pòst dicit idem Propheta. *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt*. Miram rem potestis hic audire. Primò dixit. *Vtinam, Domine, descenderes, &c.* & modo dicit, *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt*; quasi iam factum esset, quod ipse tantum desiderabat. Quare hoc? Ego puto, quod sanctus Isaias quando erat in illo dolore, & de superbia diaboli, & de nequitia hominum, Dominus noster, vt eum consolaretur, ostendit ei in spiritu, hoc quod nos modo videmus; scilicet, quod totus mūdus crederet in eum: quod Reges & Principes adorarent eum; quod omnia Idola deberēt esse destructa: & illi qui erant superbi, debebant fieri humiles per aduentum Domini. Hæc sine dubio videns Propheta in spiritu, exultabat & gaudebat; & præ nimia exultatione, quasi iam videret impletum, quod veraciter vidit implendum, dicebat, *Descendisti, Domine; & à facie tua montes defluxerunt*. O fratres charissimi, vtinam sentiremus nos tantum gaudium, qui videmus modo hoc esse impletum, quantum ipse sensit, quando vidit esse implendum. Nos modo videmus hoc; nos possumus vertere nos ad Dominum nostrum, & cum magno gaudio dicere, *Domine, descendisti, & à facie tua montes defluxerunt*. Impletum est hoc modò, sicut etiam desiderabat David, qui ait, *Tange montes, & fumigabunt*. Descendit Dominus noster, tetigit per gratiam Sancti spiritus montes, id est superbos huius sæculi; & ecce quomodo defluxerunt; id est quomodo humiliati sunt. Incipiunt plorare peccata sua; nō possunt pati fumum, id est tenebras & obscuritates peccatorum suorum. Nonne videtis hoc, fratres, quotidie? Nonne videtis quotidie superbos huius sæculi cum magna cōfusione, cum magno timore, conuerti ad Dominum: & humiliare se, & flere peccata sua? Certè, fratres, quotidie hoc fit. Nam etsi non fit quotidie hoc ante nos; quotidie tamē hoc fit in sancta Ecclesia. Ideo fratres carissimi, multo meliùs & apertiùs videmus nos, hoc esse impletum, quod sanctus Isaias alibi dicit, quàm Iudæi putant. Dicit enim in quodam loco, vbi ostendit, quid euenire deberet in advētu Domini, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo simul pascentur, & puer paruulus minabit eos*. Quid magnum hoc esset, si Deus hoc faceret de multis bestijs, quod & homines faciunt sæpe per ingenium suum: scilicet vt bestiæ quæ sunt per naturam contrariæ, simul sint? Certè nos dicamus cum Apostolo Paulo, *Numquid de bobus cura est Deo?* Si Deus fratres, non curat eo modo de bobus, vt propter illos aliquid præcipiat in lege; multo minùs ei cura est de leonibus aut pardis, vt de illis vellet loqui tanta, per Prophetam suum. Si nos voluerimus tamen istam congregationem videre, & considerare, possumus videre, istam prophetiam esse multò pulchriùs & meliùs impletam, quàm si illæ bestiæ simul essent. Considerate, quomodo vos huc Deus congregauit; de quàm diuersis regionibus, de quàm diuersis moribus. Alius vestrum, quando erat in sæculo, quid erat per similitudinem, nisi leo: quādo propter superbiam suam & diuitias suas despiciebat alios, & se extollebat super alios? Alius vestrum nonne erat quasi lupus, quando viuebat de rapina; & studebat, quomodo posset res alteriùs rapere? Pardus est animal quoddam plenum varietate: tales fuerunt aliqui vestrum, per calliditatem, per deceptionem, per fraudem. Iterum multi sunt in ista congregatione, qui erant fœtidi propter luxuriā. Illi qui tales erant, similes erant hœdo; quia hœdus est quoddam fœtidum animal? Sunt etiam quidam, qui quando fuerunt in sæculo, viuebant innocentes; qui possunt bene cōparari agno. Iterum alij, qui propter simplicem vitam, quam ducebant, erant quasi oues. Videte modo fratres, quanta cōcordia & pace Deus congregauit omnes istos in vna societate. Hic lupus habitat cum agno, mādücat & bibit cum agno, & nō ei nocet, sed multùm diligit. Sine dubio enim ille, qui q̄do fuit in sæculo, fuit lupus, modò est cum magna concordia cum illo, qui fuit innocens sicut agnus. Ille qui fuit superbus sicut leo, modò est cum magna pace & quiete cum illo, qui fuit & est adhuc ouis per simplicitatem. Hic leo non solum manet simul cum vitulo, sed & hoc, quod magis mirum est, leo deuenit vitulus. Vos scitis, quod iamdudum in veteri lege solebant offerre vitulos in sacrificium: ideo ille spiritualiter fit vitulus, qui seipsum offert Deo in sacrificium. Hoc modo multi leones fiūt vituli; quia multi crudeles & rapaces priùs, seipsos modò sacrificāt Deo per labores & vigilias, & cetera talia exercitia.

Prophetarū gemit⁹ ob dilationem aduent⁹ Christi.
Isai. 64.
Isai. 28.
Verba subsannantium Prophetas.
Isaia 64.
Ibidem.
Ibidem
Isai. 64.
Psalm. 143.
Vt mōtes defluxerint in aduētu Christi.
Isai. 11.
1. Cor. 9.
Qui sint lupi cum agnis habitantes, &c. post Christi aduentum.

Similiter non solum lupus habitat hic cũ agno; sed hic lupus factus est agnus. Quam pulchrum est videre aliquos vestrum, qui ita in seculo erant sapientes, ita potentes, ita superbi, & callidi: devenire modò ita simplices & idiotas, quasi nihil scirent. Quare hoc totum euenit; nisi quia descẽdit Dominus noster, & montes defluxerunt à facie eius? Etsi nos non possemus hoc ostendere in ista congregatione: nũquid ideo non est factum per aduentum Dñi? Cogitate, quomodo Paulus sæuiebat sicut lupus; quomodo rapiebat Christianos oues Christi, & spoliabat, & lapidabat. Considerate, quàm subitò est mutatus, & factus est ouis; quàm suauiter, quàm dulciter, quam benignè postea habitabat cum alijs Christi ouibus; & non solum eas non rapiebat, sed semetipsum tradebat in mortem propter oues Christi. Certè fratres, si consideremus istam mutationem, maj⁹ mirum fecit Domin⁹ in hoc, quam si fecisset illas bestias, lupum & ouem, simul esse. *Et puer paruulus minabit eos.* Quis est iste puer parvulus; nisi ille, de quo ait Isaias. *Puer natus est nobis, & paruulus datus est nobis?* Ipse est sine dubio, qui minauit Paulum, & fecit eum ire ad Ananiam. Ipse est etiam, qui minauit istos lupos & leones, qui in ista societate sunt, de sæculo; adhuc minat ante se, ad omnia illa, quæ facimus. Necesse est ergo fratres, vt tandiu minet nos ante se, donec tales simus, vt possimus sequi eum. Hæc sunt fratres, duo quædam, quæ debemus considerare in esse nostro, initium, quod pertinet ad comminationem, qua ipse nos minat: aliud, quod pertinet ad secutionem, qua sequamur eum. Nam pastor aliquis terrenus illa animalia, quæ nesciunt aut nolunt sequi eum, minat ante se: videmus etiam ita quædam esse domestica, vt etiam sciant sequi pastorem. Cõsideret modo vnusquisque seipsum, vtrum ipse sequatur istum nostrum pastorem: an adhuc minet ante se eũ. Nam sine dubio primò ipse minauit sanctum Paulum; quando prostrauit eum, & quasi vi fecit ire eum ad Ananiam, vt baptizaretur ab eo; sed postea cum magna hilaritate secutus est eum, quando dixit. *Cupio dissolui, & esse cum Christo, &c.* Minatio ista fratres, pertinet ad timorem, sequutio ad dilectionem. Tunc minauit nos ante se, quãdo fecit nos considerare peccata nostra, malam conuersationem nostram: quando fecit nos timere pœnam inferni, & propter hunc timorem fecit nos relinquere sæculum, & huc venire. Et adhuc fratres, quicunque adhuc est hic, & est obediens & humilis, & seruat ordinem suum; & hoc facit propter timorem, ne videlicet dãnetur; quia scit, quod qui deseruerit hæc quæ incœpit, non poterit salvari: quicumque ista cõsideratione facit ea quæ præcipiuntur, & quæ pertinent ad ordinẽ suum, adhuc pastor noster minat eum ante se. Sed ille qui iam sæpe gustauit, quàm dulcis est Dominus noster, qui cœpit iam diligere eum: qui tale invenit cor suum, quod quamvis nulla alia pœna sequeretur, nisi tantum offensio Domini sui, vel minima diminutio amoris eius, non desereret quod incepit: iste iam sequitur, nec est necesse, vt minet eum pastor suus: sed tãtum præcedat eum, & ostendat illi viam, per quam vult, vt sequatur. Iste potest dicere, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum:* non sicut tũc, quãdo necesse habuit clamare, *Confige timore tuo carnes meas.* Non adhuc susceperat illud latum mãdatum, quo fuit dilatatum cor eius, quando cucurrit. Fratres, illos qui erant ante aduentum Domini, quia ipsi erant quasi ante eum, meritò minauit: & ideo dedit eis legẽ, quæ significauit timorem: ad quem sine dubio pertinent adhuc omnes quos minat: quia quamdiu propter timorem benefacimus, vtique ad legem pertinent. Sed quia hoc est initium nostrum, debemus tendere ad hoc, vt transeam⁹ istum statum, & veniamus ad talem, vt cũ gaudio sequamur: hoc enim pertinet ad charitatem, quæ maximè conuenit nobis, qui sumus post aduentum Domini, & videmus, quò ipse ante nos ascendit. Et quem debemus ita libenter sequi, quàm istum puerum, qui hoc quod puer est, pro nobis est? Certè fratres, non solum sequi, sed etiam currere debemus post eum: quia quamvis eius dulcedo non traheret nos, & quodammodo cogeret nos sequi eum; deberet tamen cupiditas illius beatitudinis, illius gaudij, quod est in illo loco, ad quẽ ille præcessit nos, multum hilarescere nos ad currendum post eum. Non enim ad gaudia caduca & transitoria eum sequimur; sed ad id, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit; id est ad illam beatam patriam, vnde dicit Propheta. *Portio mea Domine, sit in terra viuentium.* Ideo, fratres carissimi, si volumus ad illam beatitudinem peruenire, oportet nos non solum isto modo, quo diximus, sequi Dominum nostrum: sed etiam illo modo & sequi & præcedere, quò illi præcesserunt, & sequuti sunt, de quibus hodie narrat Euangelium, qui eum in Ierosolymis cõduxerunt. Veniente enim Domino Ierosolymis, vt ait Evãgelium, *Plurima turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cedebant ramos de arboribus & clamabãt: Osanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sæpe audistis, fratres, aduentum Domini nostri; quomodo & qualiter venit ad Ierosolymam, id est ad Ecclesiam suam; & ideo non est necesse, dicere vobis modum, quo ipse venit: maximè quia dies breuis est, & propter Dñicam isto die multũ occupamur; & propter communionem sanctam, & propter binam refectionem. Volumus tamen breuiter dicere, propter Euãgelium, quod hodie legitur in sancta Ecclesia, quomodo ipsa Ecclesia aduẽtum eius suscepit. Sine dubio alij de Ecclesia præcesserũt aduentum eius, alij subsequuntur. Non solùm enim Dei Ecclesia est ista fidelium congregatio, quæ credidit in eum post eius aduentum: sed omnes sancti ab Abel vsque ad vltimum iustum, qui erit in hoc mũdo, pertinent ad sanctam Ecclesiam; & de omnibus illis constat illa vna Ecclesia, cui dicitur, *Vna est columba mea:* sed vna pars præcessit aduentum eius, scilicet Abel, Noë, Abraham, David, &c. sancti: post aduentum eius Apostoli, Martyres, Confessores & omnes fideles, inter quos & nos per ej⁹ misericordiam sumus. Sed de his omnibus alij vestimẽta prosternunt ante pedes Iesu, alij ramos arborum, prosternũt, qui omnem gloriam mundi propter Christum abijciunt. Quid enim sunt diuitię & gloria istius mundi, nisi vt folia & rami arborum, quæ virescunt in æstate, in hieme arescunt? Quia sine dubio omnis gloria mundi in prosperitate quasi florescit, sed in aduersitate, maxime in ista morte hominis, quando superuenit tempestas hyemalis, id est extrema damnatio, vilescit & sordescit. Sed beatus est, qui ea prosternit ante pedes Iesu; distribuendo pauperibus, qui sunt quasi pedes eius, infirma scilicet mem

S. Paulus ex lupo fit ouis.

Isa. 11.

Psa. lxx 141.

Mat. 21.

Philip. 1.

Quando minemur à Deo, quando eum sequamur.

Qui præcesserint Christum, qui eũ sint secuti.

Cant. 6.

Psal. 118.

Ibidem.

Opes & gloria mundi folia sunt.

bra eius. Multò autem beatior est, qui etiam vestimentum suum potest pro Christo contemnere, & sub pedibus eius prosternere. Quid enim est vestimentum nostrum, nisi corpus nostrum; quo ipsa anima nostra quodammodo tegitur & operitur? Beatus est, qui ipsa membra sua, ipsum corpus suum potest pro Christo contemnere, & omnia facta corporis sui Dei obsequio mācipare. Vtrumque fecerunt, & illi qui præcedebant aduentū Domini, & qui sequebantur. Nam sancti Patres in veteri testamento diuitias mundi & gloriam pro nihilo duxerunt, propter fidem quam habebant in Christi aduentu. Multi etiam ipsa corpora sua martyrio subdiderunt; sicut prim⁹ Martyr Abel, & Isaias, sicut Machabæi martyres; quorum mirabilem passionem ante paucos dies audistis. Et non solùm sigillatim homines, sed quot millia hominum hæc omnia fecerunt post aduētum eius, quis potest enumerare? Nam ex illorum numero & vos estis. Vos enim ramos arborum, omnem scilicet pompam mundi, projecistis in obsequium & honorem Christi. Vos, quod maius est, ipsa corpora vestra cōtempsistis: vos ipsam animam vestram, quod adhuc est amplius, in honorem Christi expendistis: quia propriam voluntatem animæ vestræ dimisistis. Porro omnes qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes, *Osanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini.* Magna fides, & magna confessio, magna laus. *Osanna* est vox postulantis salutem, quasi diceretur, saluifica. Sine dubio illum, à quo postulant salutem, confitentur Saluatorem: quod propriè pertinet ad Deū. Vocant eum filium David, quia confitentur eum verum hominem. Benedicunt eum, quia venit in nomine Domini: per quod apertè ostendunt, quod ipse est, quem Deus Pater per Prophetas suos promisit esse venturum. In ista fide suscipit sancta Ecclesia aduentum filij Dei. Credit eum verum Deum, verum hominem, verum mundi Saluatorem, à Deo Patre promissum, à sanctis Prophetis prænunciatum. In ista fide & illi qui præcedunt aduentum eius, & qui sequuntur, conueniunt & sociantur, & sunt vna Ecclesia. In ista fide vtrique saluantur: quicumq; sine ista fide sunt, extra Ecclesiam sunt, ad illos non venit Christus; & ideo isti non saluantur in Christo. Hæc de primo aduētu. Scire autem debemus, fratres, quia in ipsa eadem forma, in qua venit primò, vt redimeret Ecclesiam suam, in ipsa eadem veniet secundò, vt glorificet Ecclesiā suam: sic enim dixerunt Angeli Apostolis, post Domini Ascensionem. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hoc erit fratres, ad cumulum damnationis impiorum. Non enim sine magna confusione & dolore poterunt videre illum in tanta gloria & potestate, quem contempserunt in humana infirmitate. Isti secundo aduentui Domini conuenit satis, quod de illa historia alij quoque Euangelistæ narrant. Veniente enim Iesu Ierosolymis, pueri Hebræorū acceperunt ramos oliuarum, siue palmarum, & venerunt ei obuiam. Sic erit in secundo aduentu Domini. Cùm enim ipse venerit in illa forma, in qua redemit Ecclesiam, vt illam glorificet, & exhibeat sibi eam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi; tunc vtique pueri Hebræorum venient obuiam ei cum palmis, siue oliuarum ramis. Et qui sunt isti pueri, nisi illi, de quibus dicit Propheta, *Laudate pueri Dominum:* Et alibi, *Custodiens parvulos Dominus?* Nō enim magnos, & elatos, & superbos custodit, sed parvulos, idest humiles. Isti laudant Dominum, si tamen fuerint Hebræi, id est transilientes. Si enim modò sunt humiles, si modò transeunt opera & vitia carnis, si modò sciunt spiritales saltus dare contemplationis, & per bonas cogitationes: tūc sine dubio in die iudicij, cùm Iesus venerit in potestate sua, ipsi venient obuiam ei cum palmis, id est cum signis victoriarum, quas hic conquisierunt de diabolo: (palmæ enim signant victoriam:) tunc poterunt quasi cum palmis gloriari, & dicere, *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Tunc enim venient cum oliuis, quæ significant pacem. Modò enim non habent pacē, quando pugnant cum diabolo, quando pugnāt contra vitia, contra carnem suam. Sed tunc erit pfecta pax, perfecta tranquillitas quia caro non poterit spiritui resistere, nec spiritus Deo; nec diabolus impugnare, nec mors, nec infirmitas grauare. Sed si voluerimus in secūdo Domini aduētu istam pacem habere, studeamus primum aduentum eius cum fide & dilectione suscipere; in illis operibus perseueranter manere, quæ nobis per primum suum aduentum ostendit, & docuit. Nutriamus vernm eius amorem, & per amorem desiderium, quatenus cùm venerit ille desideratus cunctis gentibus, cum omni eum fiducia videre valeamus, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat p omnia sæcula sæculorū, Amen.

Margin notes: Christo quis vestimenta sua sternat. — Matth. 21. — Eadem fides nostra & antiquorum. — Actor. 1. — Confusio impiorum in die judicij. — Psalm. 112. & 114. — 1. Cor. 15. — Modò non est pax, sed pugna.



SERMO IN NATALI DOMINI.

Luc. 2.



NOLITE *timere: ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate David.* Rumorem, quem Angelus mūdo prædicat, charitati vestræ hodie meritò debeo commendare. Iam exijt edictum à nostro Imperatore Deo, vt totus mundus describatur: orbis subiectus est Imperatori nostro, Deo videlicet. Missi sunt legati eius per vniuersum mundum, vt describatur & censum profiteatur. Legati isti sunt Apostoli, & prædicatores sancti, quorum sonus exijt in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum: vt describeretur vniuersis orbis. Sicut terrenus ille Imperator describi voluit & præcepit omnem mundum, vt omnes scirent se pertinere ad illam metropolim ciuitatem Romam, & omnes ei tributum soluerent, id est denarium, in quo eius erat imago; sic noster Imperator, qui iam acquisivit vniuersum mundum, vult, vt omnes scribantur in illa ciuitate, quæ sursum & libera est: & est mater omnium nostrum: de qua dicit Propheta. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Hæc ciuitas meritò potest appellari Roma, id est excelsa. Beatus, qui suscipit hoc sui Imperatoris edictum, vt scribi possit

Margin note: Edictum orbis describendi à Christo latum.

possit in ciuitate ista. Particeps enim gaudij est, quod Angelus hodie annuntiat. Auditui eius Domin⁹ dedit gaudium & lætitiam. Socius enim eorum est, & in sorte hereditatis eorum inuenitur qui ab ipso, qui natus est hodie saluator mũdi. fons & origo omnis veri gaudij, audierunt:

Luc 10.

Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Denarius autẽ ille, quem noster Imperator requirit à nobis, quis est? Sine dubio anima nostra, quæ habet eius imaginem in se. Fecit enim nos Deus ad imaginem suam: sed in anima. Beatus, qui ei hoc tributum reddit, qui hunc denarium soluit; qui suam imaginẽ ei restituit. Videtis, fratres, per vniuersum mundũ homines currere ad Legatos Imperatoris nostri; vt digni habeantur scribi in illa gloriosa & excelsa civitate; & vt ei reddant imaginem, hoc est animas suas. Hoc faciunt singuli in sua ciuitate. Vna est civitas, ad quã omnes tendimus, in qua omnes volumus scribi; sed quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, vigilantes contra hostes nostros. Non omnes sumus in vna ciuitate, nec omnes in vno loco se custodiunt. Licet enim vna ciuitas dicatur & sit sancta Ecclesia; tamen in ipsa diuersi sunt ordines, quasi diuersæ civitates, in quibus singuli profitentur, id est suam faciunt professionem. Sunt enim multi, qui vel nolunt, vel non possunt, seruare castitatem. Ne ergo isti per libidines & fornicationes, siue immunditias rapiantur ab inimicis suis, necesse habent, vt sint in aliqua ciuitate, vbi se tueantur. Istorum ciuitas, vbi se custodiunt ab illis vitijs, conjugium est. Ista civitas multos habet incolas, licet infirmos. Sed & continentes, qui castitatem seruare disponũt, alij vnam ciuitatem eligunt, alij aliam. Alij eligunt solitudinem, alij claustrum; alij magis student in jeiuniis, alij præcipuè in vigilijs, alij per quotidianos labores superbiam carnis edomant. Alij cordis contritione & lacrymarum profusione vitia extinguunt. Videamus nos & nostram ciuitatem. Munitissima ciuitas est ordo noster; & vallata vndique bonis observantijs, quasi quibusdam muris & turrib⁹, ne hostis noster nos decipiat, ne nos ab exercitu nostri Imperatoris auertat. O qualis murus paupertas, quomodo nos defendit contra superbiam mundi, contra vanitates & superfluitates noxias & damnabiles! Qualis turris silentium, quod premit assultum contentionis, rixæ, dissensionis, & detractionis! Quid obedientia, humilitas, vilitas vestium; quid asperitas ciborum? Muri sunt, turres sunt, contra vitia, contra assultus inimicorum nostrorum. In hac ciuitate profitemur nos, non Romanos, sed angelicos. Istæ enim observantiæ ostendunt nos esse de societate Angelorum; non de seruis Romanorum. In tẽpore professionis huius impletur illud Isaiæ, *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Et subdit. *Non leuabit gens contra gentem gladium; nec exercebũtur vltra ad prælium.* Sine dubio fratres, licet prælia abundent, crebrescant seditiones, & occisiones multiplicẽtur; impletur modò, quod promittit Propheta. *Non levabit gens contra gentem gladium.* Duæ gentes sunt; de quibus in ista scriptura sæpe fit mentio: vna electorum alia reproborum. Illa vtique gens reproborum regnum diaboli est, & est diuisum istud regnum aduersum se ipsum; ideo gens ista nunquam habet pacem in se ipsa; semper pugnant, se inuicem destruunt, siue corporaliter, siue spiritualiter. Et gens ista aliquando leuabat gladium contra illam aliam gentem: quando scilicet terrena civitas reproborum persequebatur Ecclesiam Dei, & occidebant & trucidabant sanctos Martyres Christianos. Hoc modò non fit, cessauit illa aperta persecutio; in qua multi propter timorem non audebant profiteri, se esse Christianos. Securè modò qui ad supernam ciuitatem illam pertinent, ad eam tendunt, & profitentur censum, quem requirit ab eis Imperator magnus, Deus ipsorum: quia in tempore hoc non leuat gens contra gentem gladium. Liberè videtis multos conflare gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Ad literam quotidie impletur hoc, non in illa perfida gente, quæ pacem non habet, nec habuit, nec habebit; sed in illa generatione justorum; quæ benedicetur. Nonne videtis homines sæculi nobiles ad conversionem venientes, lanceas & gladios suos dimittere, & quasi rusticos manibus suis cibũ suum operari? Sed multò meliùs, & apertiùs, atque pleniùs hoc spiritualiter impleri intelligitur in omni genere hominum: pauperum scilicet & diuitum, clericorũ & laicorum. Attendamus gladium, de quo dicit Dominus: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit:* & illum vomerẽ, quo scinditur terra cordis nostri, iuxta illud, *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* & videbimus innumerabilẽ multitudinem in hoc tempore mutare gladios suos in vomeres. Gladius iniquitas est. Hoc gladio quisque seipsum priùs lædit, quàm alium, sicut dicit beatus Augustinus, *Omnis,* inquit, *homo priùs in seipsum iniquus est, quàm in alium: quia statim vt concipit voluntatem lædendi alium, etiam antequã alium lædat, se lædit: quẽ gladio iniquitatis occidit.* De hoc gladio dicit Dominus Petro. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quàm multi, fratres, in tempore isto hunc iniquitatis gladiũ conflant in vomerem cõpunctionis! Multi, qui priùs animam suam gladio peccati occiderunt, modò cor suum per compunctionẽ pœnitentiæ scindunt: lanceas quoq; suas, id est subtilitatem sui ingenij, qua solebant multos secum trahere ad peccatum, multi hodie mutant in falces, quibus fructus spirituales colligant: vt obuiam veniant Dño, portãtes manipulos iustitiæ & salutis. Meritò ergo in die isto & tempore, hunc rumorem, quem Angel⁹ annuntiat nobis, commendamus. Et quis est rumor iste? *Natus est vobis hodie Salvator mundi,* ait, *in ciuitate Dauid.* Meritò commendat gaudium, qui prædicat Salvatorem natũ. Verum est enim gaudiũ, gaudium salutis: & gaudiũ salutis veraciter nobis confert natiuitas Salvatoris. Oportet nos igitur gaudio magno gaudere, pro his, quæ nobis hodie dicuntur ab Angelo: scilicet, quia natus est hodie Salvator. Sed fratres carissimi, non omnibus sapit rumor iste. Nõ sapuit Herodi, nec Scribis & Pharisæis: imò audito eo turbati sunt, & multi cum eis. Sed nec modò omnibus sapit. Multis hodie plus sapiunt corruptibiles deliciæ ventris, quàm istæ incorruptibiles deliciæ mẽtis. Multi hodie magis gaudent in potatione, quàm in Christi natiuitate. Aure audiunt isti rumorem istum, sed non intelligunt. Non enim habent aures interiores, quas requirit, qui dixit. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Vobis autem bene dicitur rumor iste: qui & aures ad audiendum, & sanum palatũ ad gustandum habetis. Vigilatis namq;, & vigilias noctis custoditis super gregem vestrum. Illi autem,

Margin notes (left): *Quis denarius à nobis requiratur.* — *Diuersi Ordines in Ecclesia.* — *Ordo Religiosus ciuitas munitissima.* — Isa. 2.

Margin notes (right): *Pax Ecclesiæ post persecutionẽ.* — Mat. 26. — Ioel. 2. — *Qui conflẽt gladios suos in vomeres.* — Mat. 26. — Luc. 2. — *Verum gaudium est gaudium salutis.* — Luc. 8.

qui calicibus epotandis student, vt inebrientur, & luxurientur, non vigilant in nocte: sunt enim somno inertiæ depressi, & vino ebrietatis. *Qui enim dormiunt*, sicut ait Apostolus, *nocte dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Dies enim eorum nox est, propter opera tenebrarum quæ agunt. Obscuratum est insipiens cor eorum: vos verò circumfusa est claritas Dei, sicut filios diei, imitantes beatos pastores istos, de quibus Euangelium loquitur. Vigilatis quippe, sicut dixi, & vigilias noctis super gregem vestrum custoditis; cautè vos vbique habendo, & omnes actus vestros, vt Deo placeant, intendendo. Et reuera sic oportet. Nox enim est, in qua ille leo rugiēs circuit ouilia Christi, quærens quem deuoret. Si pastores dormientes inuenerit, rapit de gregibus eorum: & quod rapuerit ad mortem trahit: proinde custodiamus vigilantes gregem nostrum. Grex noster affectus nostri boni, & bonæ cogitationes. Super hos greges necesse est vt vigilemus: nequando præualeat inimicus aduersus eos, & auferat eos nobis, dissipans & disperdens. Super gregem suum vigilant, qui omnes cogitationes suas, locutiones, & opera, sollicitè conseruant; ne in aliquo oliquam offensionem incurrat. Similiter qui sensus suos, id est visum, auditum, gustum, odoratum, & tactū, custodit: ne fur ille pessimus eos furetur vel rapiat. Furatur visum, quādo per negligentiam incautè per visum peccamus. Rapit, quando per vim delectationis nos compellit peccare. Sic & auditum furatur, quando penè nescientes ad vanitates & verba otiosa audiēda, nos allicit: rapit, quando vi delectationis ad vana facienda impellit. Furatur gustum, quando per concupiscentiam gulæ ignorātes decipit. Rapit, quando gulæ desiderio scientes vincit. Hoc ipsum quoque de alijs sensibus intelligendum. De his gregibus dicit in canticis sponsus sponsæ suæ, Christus scilicet Ecclesiæ, siue cuilibet sanctæ animæ. *Capilli tui sicut grex caprarum.* Capilli animæ nostræ sunt cogitationes subtiles, quæ procedunt de rationali mente, quæ est caput animæ. Sicut nobis nescientibus capilli oriuntur de capite: & iterum nobis nescientibus defluunt; ita siue dubio cogitationes sæpe etiam nobis nescientibus veniunt & recedunt. Et sicut in sectione capillorum nullus dolor sentitur; ita quando superfluas cogitationes abijcimus, gaudemus potius quam dolemus. Comparantur capilli isti in sanctis animabus gregi caprarum, qui pascitur in montibus, & erecto capite; quia cogitationes sanctorum semper se de cœlestibus pascunt, & ad cœlestia erigunt se, implentes illud Apostoli, *Quæ sursum sunt quærite*, &c. Porro quod sensus carnis hœdorum nomine debeam accipere, dicitur in eisdem Canticis. *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post hœdos tuos*; quia sine dubio qui oculos aufert à se ipso, nolens seipsum, suam scilicet infirmitatem attendere, sed magis aliorum vitam explorare & iudicare; ipse plane egredietur à consortio ouium Christi, & pascet carnales sensus suos pessima delectatione peccati. Sed quia vos exemplo pastorum istorum gregem vestrum vigilantes custoditis; vobis adhuc hodie dicitur, quod illis tunc dictum est ab Angelo; & quod initio sermonis huj⁹ proposuimus vobis. Audite igitur illud, & cum speciali jucunditate percipite. *Nolite timere.* Meritò vtiq; vobis dicitur, *Nolite timere.* Sed quid? Vtique amate, habetis enim iustam & manifestā causam, quare debetis amare, potius quam timere. Ante hunc diem necesse erat timere: ante hunc diem habuimus Creatorem Dominum, judicem Deum, & vtique iustè eum timuimus: quia Creatorem nostrum; cui nos creatura eius tantam iniuriam fecimus, quòd eum in primo homine contempsimus, nolentes esse subiecti; sed ex consilio Diaboli tentauimus ei fieri pares *Eritis*, ait, *sicut dij, scientes bonum & malum.* Meritò potuimus timere Dominum nostrum; quem sicut mali serui offendimus. Meritò enim Dei iudiciū potuimus timere, qui nihil dignum habuimus, quo possemus tantum expiare peccatum. Non erat ante hunc diem, vnde securè gauderet homo; nisi inquantum cognouit vel credidit hunc diem futurum. Hodie autem vobis dicitur, *Nolite timere*, sed amate; nolite tristari, sed gaudete. Ecce Angelus de cœlo adest, annuntians vobis gaudium magnum. Gaudete ergo pro vobis, gaudete & pro alijs: quia gaudium hoc non solū est vobis, sed omni populo. O quale gaudium, quam magnum, quam dulce, quam desiderabile! Huc vsque tristabamini, quia mortui eratis: sed jam gaudete; quia ad vos vita venit, vt viuatis. Tristabamini, propter tenebras vestræ cœcitatis: sed gaudete, quia hodie exortum est lumen in tenebris rectis corde. Tristabamini, quia miseri eratis: sed hodie natus est misericors & miserator, vt vos ad beatitudinem transeatis. Tristabamini, quia oppressi eratis mole peccatorum, sed gaudete modò; quia hodie natus est Saluator, qui saluum faciet populū suum à peccatis eorū. Hoc est gaudium, quod anuuntiat Angelus. *Natus est hodie saluator.* Timuistis huc vsque eum qui creavit vos: amodo amate eum, qui sanabit vos. Timuistis huc vsque Iudicem vestrum; amate amodo Saluatorem vestrum. *Natus est*, ait, *vobis hodie Saluator.* Quis est iste, vel qualis? Audite. *Qui est Christus Dominus*: Chrisma græcè, vnctio latinè. Inde Christus, idest vnctus. Ecce qualis venit Saluator noster Christus venit, vnctus venit. Ipse enim tanquam sponsus processit de thalamo suo: & vnct⁹ processit, vt magis placeret sponsæ suæ. Sed vnde vnctus? Audi. *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ, præ consortibus tuis. Myrrha, & gutta, & cāsia à vestimentis tuis.* Ecce lapis quem vnxit oleo sanctus Iacob. Ipse lapis hodie abscissus de mōte sine manibus, id est natus de virgine sine opere virili, processit vnct⁹ oleo exultationis. Et bene oleo exultationis; quia exultauit vt gigas ad currendā viā Exultavit & cucurrit. Quod nobis per Apostolū suum præcepit, hoc ipse primitus exhibuit. Dicit Apostolus. *Non ex tristitia, aut ex necessitate, quia hilarem datorem diligit Deus.* Sic ipse primo vnctus oleo exultationis, viam qua nos saluauit, non ex tristitia aut ex necessitate, sed sua bona voluntate, & cum magna exultatione ingressus est. Meritò ergo Christus; quia vnctus oleo letitiæ præ consortibus suis. Consortes eius vocat omnes sanctos, qui eius nominis participes sunt, vocati à Christo Christiani. Similiter & sanctos veteris testamēti: qui licet hoc nomine nō vocarētur; re tamen, quam hoc nomen significat, non fraudātur. Omnes sunt vncti oleo lætitiæ, de quibus dicit Apostolus, *Spe gaudentes.* Sed quia omnes aliquid inueniunt in seipsis peccati, vnde debeāt contristari: ipse qui nullum habebat peccatum, dignè dicitur vnctus oleo lætitiæ præ cōsortibus suis. *Myrrha*, inquit, *& gutta, & casia à vestimētis*

Margin notes (left column): *1. Thessal. 5* — *Dies iniquorum nox est.* — *Quo vigilādum super gregem nostrum.* — *Cant. 4.* — *Capilli animæ cogitationes eius.* — *Colos. 3.* — *Can. 1.* — *Luc. 2.*

Margin notes (right column): *Timendus Creator.* — *Gen. 3.* — *Amandus puer natus.* — *Luc. 2.* — *Ibidem* — *Psalm. 44.* — *2. Cor. 9.* — *Sancti veteris Testamenti re Christiani* — *Rom. 12.* — *Psalm. 44.*

tuis. O Christe, ô vncte, ô quantum fragrant hæc vestimenta tua. Vestimenta eius mẽbra sunt corporis assumpti pro nobis. *Verbum caro factũ est.* Ibi myrrha, ibi gutta, ibi casia. O dulcia vnguenta vncti nostri. Ille qui in se est vita immortalis, pro nobis mortalis factus est: ideo myrrha. Ille qui per præsentiam diuinitatis omnia implet, pro nobis exinaniuit semetipsum, factus sicut aqua effusa: ideo gutta. Ille quem tremunt Angeli, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: ideo casia. Myrrha, qua mortua corpora solent inungi, significat mortalitatem. Gutta, quę per paruas guttas colligitur, significat exinanitionem, qua propter nos minoratꝰ est paulominꝰ ab Angelis. Casia humilis herba vel arbor, sed odorifera, significat humilitatem eius, cuius odor per totum mundum respersus est. Meritò ergo Christus, meritò vnctꝰ; meritò oleum effusum nomen tuũ. ideo adolescẽtulæ te, quem prius timuerunt, sentientes hunc odorem vnguentorum tuorum, dilexerunt. Ergo fratres, teramus hæc vnguenta sedulâ meditatione in corde. Cogitemus, quàm dulcis nobis debet esse myrrha mortalitatis eius, per quam nos ab omni mortalitate liberamur: quàm dulcis eius minoratio, qua nos ad cœlestia subleuamur: quàm dulcis eius humilitas, qua nos exaltamur. Cõsideremus, quantum se Christus inclinauit propter nos. *Matth. 26.* Videte mira. Appropinquãte morte Christus tristatur, *Philip. 1.* & Paulus lætatur. *Ioan. 11.* Mortuo amico suo Lazaro Christꝰ plorat; *1 Mac. 7.* & non plorat mulier illa Machabæa, in morte horrẽda septem filiorum. *Mat. 11.* Venit Ioannes Baptista non manducans, neque bibens: venit Christus manducans & bibens, & vorator & potator vini appellatur. Non sapiunt tibi ista, ô Iudæe, siue Pagane, non tibi sapiunt, nullum hinc sentis odorem. Imò hinc Paganus nobis opponit stultitiam, hinc sibi Iudæus scandalum sumit. Quare ista tibi non sapiunt, quare non fragrant? Non vtique, quod ista sapida non sint & odorifera; sed quia tu insipidus es, & putidus. Mihi certè magis sapit tristitia tua, Domine Iesu, quam omnis mundi lætitia. Magis mihi dulces sunt tuæ lachrymæ, quas fudisti in morte amici; quam illa fortitudo Philosophorum, *Stoicorum dogma.* qui sapientem nullo volũt affectu moueri. Dulciùs certè mihi olet cibus tuus & potus in medio peccatorum & publicanorum, quàm rigida abstinentia Pharisæorum. Certè odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Quomodo mihi sapit, quod cerno Dominum maiestatis exhibẽtem se, quantum ad corporalia exercitia, & humanas affectiones, non secundum modum fortium, sed secundum modum infirmorum! Quantum me confortat hoc in infirmitate mea! Hæc certè infirmitas Domini mei, sine dubio fortitudo & firmamentum est infirmitatis meæ. Vnde monendi estis, qui fortes estis in Religione, & ad asperitates omnes promptissimi; vt non eos temerè iudicetis, quos videtis aliquando temperare rigorem suum secundum esse infirmorum. Si enim videro fratrem meum, cuius corporis & animæ curam habeo, (non enim totum hominem diligo, si quorumlibet istorum aliquid negligo,) si ergò videro eum necessitatem patientem, vel propter asperitatem ciborũ, vel laborum, vel vigiliarũ; si inquam videro eum cruciari corpore, & corde tentari; (valde difficile est, quando caro nimis affligitur, vt mens non tentetur:) si ergo videro eum sic afflictum, & habuero substãtiam mundi, & clausero viscera mea ab eo: quomodo charitas Dei manet in me? Certe si semper me habeo secundum rigorem fortium, & non aliquando condescendo ad esse infirmorum, non curro in odore vnguentorum Christi: sed in duritia Pharisæorum, qui se iactabant de rigore abstinentię, & iudicabant discipulos Domini: imò ipsum Dominum; vocantes eum voratorem, & potatorem vini. Hoc vtique cauendum est, ne sub specie cõdescensionis nutriatur mollities remissionis; sed tenendum est illud B. Gregorij, vt nec districtio rigida, nec pietas sit remissa. Curramus ergo, fratres, curramus in odorem vnguentorum istorum, quibus vnctus est Christus; curramus cum pastoribus ad vnctum nostrum; quia quod eis dictum est, dicitur & nobis: quia videlicet, *Natus est nobis hodie saluator mundi, qui est Christus Dominus.* *Luc. 2.* Et bene additur, *Dominus.* Si quis propter fœtorem vitiorũ carnalium non potest sentire odorem istum, nec ideo potest amare vnctum, id est Christum: timeat saltem Dominum; quia natus est nobis hodie Saluator mundi, qui est Christus Dominus in ciuitate David. Ipsa est Bethleem, ad quam debemꝰ currere; sicut fecerũt pastores audito rumore isto. Sicut enim cantare soletis, *Gloriam Deo cantauerunt, cucurrerunt in Bethleem.* *Hymnus Ecclesiæ.* *Et hoc*, ait, *vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio.* *Luc. 2.* Ecce quod dixi, quia amare debetis. Timetis Dominum Angelorum, sed amate infantem paruulum. Timetis Dominum majestatis, sed amate inuolutum pannis. Timetis regnantem in cœlo: sed amate iacentẽ in præsepio. Sed quale signum acceperunt pastores? *Inuenietis infantem pannis inuolutum; & jacentem in præsepio.* Quod ipse est Saluator, quod ipse est Christus, quod ipse est Dominus. Sed quid magnum est inuolui pannis, jacere in stabulo? Nonne & alij infantes inuoluuntur pannis? Quale ergo hoc signum est? Magnum certè: si tamen intelligimus. Intelligimus, si non solum istum amorem audimus: sed etiã lucem, quæ cum angelis apparuit, in corde habemꝰ. Ideo cum luce apparuit, quãdo istum rumorem primò nũtiauit: vt sciamus, quia illi soli verè audiunt, qui lucem spiritualem in mente habent. Multa dici possunt de hoc signo: sed quia hora præterijt, parum quid inde dicam, & breuiter. Bethleem domus panis sancta Ecclesia est, in qua ministratur corpus Christi, verus scilicet panis. *Ecclesia est Bethleẽ, altare præsepe* Præsepium in Bethleem, altare in Ecclesia. Ibi pascũtur animalia Christi, de quibus dictum est, *Animalia tua habitabunt in ea.* De hac mensa scriptum est. *Parasti in conspectu meo mensam:* *Psalm. 67. & 22.* In hoc præsepio est Iesus panni is inuolutus. Inuolutio pannorum est tegumentum sacramentorum. In hoc præsepio in specie panis & vini est verum corpus & sanguis Christi. Ibi ipse Christus esse creditur; sed inuolutus pannis, hoc est inuisibiliter in ipsis sacramentis. Nullum tam magnum & euidens signum habemus natiuitatis Christi, quàm quod in sancto altari sumimꝰ quotidie corpus & sanguinem eius; & quod illum, *Corpus & sanguis Christi in altari.* qui semel pro nobis natꝰ est de virgine, quotidie cernimus pro nobis immolari. Ergo, fratres, ad præsepium Domini festinemus; sed quãtum possumus, priùs ad accessum hunc nos per gratiam eius præparemus, quatenus sociati Angelis, & corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta; cantemus Domino in omni vita & cõuersatione

Luc. 2. nostra. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Per eundem Dominum nostrum IESVM-CHRISTVM; cui honor & gloria in sæcula sæculorum. AMEN.

SERMO IN APPARITIONE DOMINI.



ANTE dies aliquos intimavimus vobis, fratres, exortum in tenebris lumē rectis corde: exortum illum, quem vnxit Deus Pater oleo exultationis, præ consortibus suis. Sed non potuit sermo noster exprimere dulcedinem & virtutem illius vnctionis. Talis est virtus Christi, vt nulla lingua possit eam exprimere: nullum cor, ita vt dignum est, cogitare. Sed quod homo non potest verbis, Deus rebus ostēdit. Placuit benignitati eius manifesta rerum exhibitione hodie nobis potentiā suā intimare. Mundi huius sapientes parvas admodū res, scilicet Regum victorias, prælia fortium, vel certè siderum cursus, ipsum etiam mundi situm, pulchris & ornatis sermonib⁹ eloquūtur: nostri autem piscatores magna & mirabilia, quæ cognouerunt de Deo, paucis & simplicibus verbis, sed testimonio magnarum rerum ostenderunt. Sciebant namque se esse debitores, non solùm sapientibus, sed etiam insipientibus: non solùm ingeniosis, sed etiam idiotis: & ideo simpliciter loquebantur, vt omnes possent intelligere: tam apertis rebus probabant quæ dicebāt, vt omnes possent videre. Illos nos imitari oportet; ad vtilitatem simplicium aptantes verba nostra, propter gloriam Christi, & ipsorū profectum. *Apostolorū doctrina rerum testimonio fulcitur.* Diximus vobis alia vice, quòd Christus in hunc mundū venit peccatores salvos facere: Christus autem vnctus dicitur: virtus autem huius vnctionis hodie palam innotuit. Nat⁹ est Christus in Iudæa, & statim odorē vnctionis illius senserunt illi, qui fuerunt in Chaldæa: & cōpletum est in ipso Dño nostro, quod postea Apostolus de se, & sui similibus dixit *Bonus odor sumus Deo in omni loco: alijs odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem*. (2. Cor. 2.) Hoc hodie factum est de ipso Christo: à quo omnis odor bonus. Quid enim significat bonus odor, nisi bonam famam? *Bonus odor bona fama.* Et quæ fama melior, aut dulcior, quàm quòd, qui parvulus iacebat in præsepio, Deus esset, & Dominus, & totius mundi salus? Hanc famam audierunt Pagani, audierunt & Iudæi. Priùs viuebant Iudæi, & mortui erant Pagani: sed statim quando vtrique hunc odorem senserunt, reuixerunt Pagani, & mortui sunt Iudæi. Paganis erat odor iste ad vitam, Iudęis ad mortem. Statim enim vt isti Reges, de quibus loquitur Evangelium, per stellam quam viderant in Oriente, natiuitatem Dñi cognouerunt, venerunt cum muneribus adorare eum: & mox vt Herodes famam eius audiuit, cū Iudæis quæsiuit ingenium, quomodo occideret illum. Tunc cœpit illa cæcitas esse in Israël, de qua dicit Apostolus. *Cæcitas ex parte cōtigit in Israel*. (Rom. 11.) Tunc etiam cœpit oriri illud lumen, ꝙ Dominus per Prophetam Ecclesiæ suæ, quam collecturus erat de Gentibus, promisit, dicens. *Surge, illuminare, Ierusalem: quia venit lumen tuū*. (Isaia 60.) Hęc est Ierusalem, quam Dominus IESVS, qui pax vera & summa est, ædificat de viuis lapidibus: *Ierusalem Ecclesia est.* quæ ad eius visionem tendit, in eius visione beatam se futuram certissimè credens. Ipsa est sancta Ecclesia, ipsa vnaquæque congregatio sancta, ipsa vnaquæque anima sancta. *Surge*, inquit, *illuminare, Ierusalem*. Meritò ei dicitur, *Surge*, quæ iacebat: meritò ei dicitur, *Illuminare*, quæ cæca erat. Iacebat cæca in tenebris, in erroribus, in iniquitatibus. *Monetur vt surgat Ecclesia Gentium.* Dicitur ergo ei, *surge*, quia iam se inclinaverat, qui eam erigeret: dicitur, *illuminare*, quia iam aderat, qui eā illuminaret. Quid aliud clamat hodie stella noua de cęlo, nisi, Surge, illuminare? Signum Dominicæ natiuitatis ideo in cælo apparuit: vt à terrenarū rerum amore surgamus ad cęlum. Et hoc signum ideo in stella, vt per eius natiuitatem nos illuminandos sciamus. Sed cui hoc clamabat illa stella? Non vtique Iudæis, qui cæci erant: non Ierusalem sanguinariæ, quæ mox pacis audita præsentia turbata est, & ipsam pacem occidere quærebat pace perdita: sed sine dubio illi Reginæ Ierusalem, quæ festinauit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, qui pacific⁹ interpretatur. Et ideo illa est Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur, quia ad videndum pacificum veniebat. Regina hæc Ecclesiam significat de Paganis: nā & ipsa Regina Pagana erat. Et Ecclesia sine dubio Regina est, quæ tot gentes & populos regit: de qua dicit Dauid. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato*. (Psalm. 44.) Ista Ecclesia hodie cœpit nasci in illis Paganis, qui viderunt stellam istam, & eius significationem intelligebant. Ergo ista Regina hodie venit à finibus terræ videre faciem eius, de quo dicitur. *Ecce plusquàm Salomon hic*. (Mat. 12.) Verè plusquā Salomon, quia ille tantùm Salomon, id est pacificus: iste ita est pacificus, vt sit etiam ipsa pax, sicut dicit Apostolus. *Ipse est pax nostra: qui fecit vtraque vnum*. (Ephes. 2.) Et ideo illa nostra Regina bene dicitur Ierusalem, id est visio pacis: quia ad ipsam pacē properabat. Et hæc Regina nostra pulchrè etiam dicitur Regina Saba. Saba quippe captiuitas interpretatur. Ecclesia planè est Regina Saba: quia cōponit & regit bene istā captiuitatem: in qua peregrinatur ab illo regno, in quo nulla est captiuitas, nulla miseria: *Ecclesia nūc exul à regno* quod regnum ipsa percipiet in die iudicij, dicēte Dño. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est* &c. (Matth. 25.) Hęc Regina, id est Ecclesia sancta de Gentibus, ante istum diem iacuit: ante istum diem cæca fuit: sed ei hodie dicitur, *Surge, illuminare*. Hodie in istis tribus Paganis Regibus surrexit de illa pessima consuetudine, de illo immundo lecto, in quo cum dæmonibus fornicabatur: quia idola & simulachra, & dæmonia adorabat: & cœpit concupiscere illum speciosum forma præ filiis hominū, faciem scilicet veri Salomonis. Cæca erat ante hunc diem: sed hodie erigens oculos ad illam mirabilem stellam, quasi audiens, *Accedite ad eum, & illuminamini*, (Psalm. 33.) cœpit quęrere illud verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum. Videtur mihi hodie Deum dicere. *Fiat lux: & facta est lux*. (Genes. 1.) Creauerat priùs cælū & terram: sed terra erat inanis & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi. Cælum erat S. Simeon, qui Dominū agnouit infantem. Cælum S. Anna Prophetissa: *Sancti sunt cæli.*

cælum Zacharias & Elizabeth, & cæteri spirituales, qui erant inter Iudæos. Terra adhuc erant isti tres Reges, in quibus sanctam Ecclesiam diximus significatam. Terra erant: nihil nisi terrã sapiebant. Terra autem hęc erat inanis & vacua. Inanis veritate: vacua ab omni bono opere. Tenebræ quoq; erant super faciem abyssi. Abyssus anima est, propter nimiam naturæ suæ profunditatem: facies abyssi ipsa mens. Super hanc faciem abyssi tenebræ erãt: tenebræ erroris, tenebræ gentilitatis, tenebræ horrendæ infidelitatis. Sed hodie eis dicitur, *surge*, qui terra erant; *illuminare*, his, quibus tenebræ erant super faciem abyssi. Hoc est, *Fiat lux*, quod est, *Illuminare*. Cùm fide & cognitione Dei Gentiles illuminãtur, lux fiunt, & audiunt à Paulo. *Fuistis aliquãdo tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Sed vnde illis hoc lumen? *Surge*, ait, *illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*. Hęc est tota causa, quare illuminatur sancta Ecclesia: primò in illis tribus Regibus, & postea in omnib⁹ Gentibus. Hæc est tota causa, quæ ei dicitur per Prophetam. *Quia venit lumen tuum.* Exortum est enim in tenebris. Sed quibus? Non peruersis corde, permanentibus in tenebris suis: sed rectis corde, qui ipsũ lumen agnoscentes, adorare desiderauerunt. Dicitur terræ inani & vacuæ, vt surgat: id est vt ad cęlestia desideranda se præparet. Et quasi respondenti, Non video, quæ cęlestia, quæ spiritualia debeo desiderare: subiungitur, *Illuminare*. Et videte, quàm pulchrè in istis duabus lectionibus, Prophetica videlicet, & Evangelica, quæ hodie recitantur in Ecclesia, duo Testamenta conueniant. Videmus apertè Euangelium in Prophetia, & Prophetiam in Evangelio, quasi rotã in rota. In Prophetia dicitur sanctę Ecclesiæ de Gentib⁹, *Surge, illuminare, quia venit lumen tuũ*: in Evangelio narratur, quõ ipsi Ecclesiæ de Gentib⁹ apparuit noua stella in cælo: quæ eam à terrenis operibus surgere cõmoneret, & ad verum lumen nouiter natum inuitaret. In Prophetia additur, *Et gloria Domini super te orta est*: in Euangelio narratur, quõ ipsa stella, in qua magna gloria Dñi apparebat, super ipsos tres Reges, in quibus tunc erat sancta Ecclesia, manifestè orta est. Sed hoc secundùm literam. Secundùm spiritualem sensum, quid est, quòd sanctæ Ecclesiæ dicitur, *Quia gloria Domini super te orta est?* Carnales Iudæi ante hoc tempus glorificabãt Dñm: sed omnis illa gloria sub ipsis erat, nõ super ipsos. Omnia enim terrena & trãsitoria, omnes diuitiæ, oĩs honor mundi, fine dubio sub homine est, non supra hominem. Quòd autem illi carnales Iudęi glorificabant Dominum, ideo faciebant, quia eis Dominus terrena bona promittebat. Ideo illam gloriam Dñi, qua eum glorificabant, quasi sub se habebant: quia non aliud, quàm temporalẽ mercedẽ quærebant. Sed hodie sanctę Ecclesiæ dicitur, *Surge, quia gloria Domini super te orta est*: vt filij sanctæ Ecclesiæ cor suum à terrenis ad cęlestia dirigant: & nec pro terrenis, sed pro cęlestibus Deo seruiant, & glorificent eum. Sed videamus, quid in Prophetia sequitur, quid in Evangelio. *Quia ecce*, inquit Propheta, *tenebræ operient terrã, & caligo populos.* Sed hęc nunc ei dicũtur, quasi ad priora respondisset Ecclesia de Gẽtibus, mirata, quòd sui curã haberet Deus. Quare me modò vocas? In principio abiecisti me, & ad opus tuum elegisti Iudęos: sicut scriptum est. *Quando diuidebat Altissimus gẽtes, &c. pars Domini Populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.* In illa plebe Prophetæ, & iusti, & sancti, qui tibi placent. Me ergo nũc quare, inquit, vocas? Audi quare. *Quia ecce tenebræ operient terram.* Terram vocat Iudæos: quia terram tantum sapiebant, & nihil nisi terrena cupiebant. Hanc terram tenebræ operiunt; quia sicut ait Apostolus, *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.* Recipiunt hodie pagani veram lucem, ad cuius præsentiam cæcantur Iudæi. Et audite, quomodo istas tenebras Euãgelium ostendit; & quomodo ipsos Iudæos secũdum istam prophetiam cæcatos esse describit. Venerunt isti tres Reges de quibus locuti sumus, in Ierusalem, & dixerunt. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Statim vt Herodes audiuit istum sermonem, turbatus est. Quare: nisi quia terra erat, & tenebræ operuerunt terram? Timuit perdere terrenum regnum suum; ideo quando audiuit, quod natus est Rex Iudeorum, turbat⁹ est, & excæcatus: quia ipse nihil aliud nisi terrenum regnum quærebat; nihil illum, qui natus est, nisi regnum terrenum quęsiturum putabat. Et non solum Herodes turbatus est, sed & omnis Ierosolyma cum illo; quia tenebræ operiebant terram: & caligo populos. Turbata est illa Ierusalem terrena, illa quæ occidit Prophetas, & lapidat eos. Sed mater nostra Ierusalem illa spiritualis, sancta scilicet Ecclesia de Gentibus, non est turbata, sed gauisa. Ideo adjunxit Propheta. *Super te autem orietur Dominus: & gloria ejus in te videbitur.* Et inter ista duo posuit excæcationem illam carnalium Iudæorum. Videte, quàm pulchrè his omnibus convenit Evangelium. Sic sine dubio sancta Ecclesia, quam hic Propheta alloquitur, primò in illis tribus Regibus paganis vidit gloriam Dei super se, quando noua illa stella annuntians natum Dominum illis apparuit. Postea statim venientibus illis in Ierusalem apparuit tanta cæcitas Iudeorum, vt illum qui natus erat, Christum putarent, & tamen ad occidendum eum quæreret. Et iterum mox vt ipsi reges egrediuntur de Ierusalem, *Stella, ista quam viderant in Oriente antecedebat eos: vsque dum veniens staret supra vbi erat Puer.* Ideo fortè Propheta postquam dixerat de Iudæis, *Quia ecce tenebræ operient terram: & caligo populos;* Quod sine dubio factum est, quando Herodes Rex turbatus est & omnis Ierosolyma cum eo; conuertit se statim ad Reginam nostram, & ait. *Super te autem orietur Dominus:* Sine dubio stella ista quam viderunt super se isti pagani, significat quod Dominus noster, qui natus erat super sanctam Ecclesiam, de paganis regnaret *Et gloria ejus*, ait, *in te videbitur.* Hodie, fratres, hodie pro certo visa est gloria Domini Ecclesiæ de Gentibus. Nonne magna gloria Domini visa est, quando illum paruum & pauperem, & pauperis puellæ filium, Reges adorabant, & munera offerebant? Et tamen fratres, parum est hoc ad aliud, quod significatum est in illis Regibus, & istis muneribus. Veniat nunc in memoriam Regina illa memorata, quæ venit à finibus terræ videre faciem Salomonis, & audire sapiẽtiam eius. Non venit vacuis manibus, sed munera pretiosa valde obtulit Salomoni. Ecce in istis tribus paganis hoc quod significat illa Regina, idest sancta Ecclesia de paganis. Ibi munera, & hic munera. Quare? quia sine dubio significatum est, quod per vniuersum mundum sancta Ecclesia oblatura erat munera spiritualia Domino nostro IESV

Anima abyssus mens facies abyssi est

Genes. 1.

Ephes. 5.

Isa. 60.

Duo Testamenta mirè conueniunt.

Isa. 60.

Ibidem

Deute. 32.

Rom. 11.

Cæcitas Iudæorum & illuminatio Gentium.

Matth. 2.

Isai. 60.


Matth. 2.

3. Reg. 10.

Regina Saba Ecclesiã designat.

CHRISTO, vnde sequitur in Propheta. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & reges in splendore ortus tui.* Videtis, quod vbique ambulant gentes in lumine sanctæ Ecclesiæ. Quod est lumen Ecclesiæ, nisi quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Est & sanctum Euãgelium lumen Ecclesiæ, quia quædam clarissima stella, per quam illuminatur, & ambulat de virtute in virtutē, vt veniat ad Ierusalem, & offerat ei aurum, thus, & myrrhã. Aurum significat fidem diuinitatis eius, myrrha humanitatis, thus sacrificij, quod ipse obtulit pro nobis ad placandũ nobis Deum Patrem. Hæc sunt munera, hæc sunt aromata, quæ nostra Regina veniens à finibus terræ, id est omnibus partibus mundi, offert vero Salomoni. Vnusquisque nostrum erat in Saba, id est in captiuitate. Vtique in captiuitate fuimus, quando fuimus in sæculo. Eramus captiui in vitijs, in peccatis, in potestate diaboli: vincti vinculis pessimarum consuetudinum fuimus inter Chaldæos, qui interpretãtur, quasi dæmones. Quasi dæmones sunt, qui soli nolunt ire in perditionem; sed & quoscumque possunt, decipiunt, & ad vitia trahunt, quibus ipsi implicantur. Inter tales fuimus, imò tales fuerunt multi nostrum. Sed ibi audiuit anima nostra. *Surge, illuminare Ierusalem.* Ibi audiuimus famam veri Salomonis, & cœpimus desiderare venire ad eũ. Sed quia cœci eramus & paralytici, jacentes in desiderijs carnis nostræ, quasi in grabato dissoluti, infirmi, & ad nullum bonum opus idonei; & ignorantes viam, quæ ducit ad vitam; necesse erat, vt diceret vnicuique nostrum, *Surge*, vt possis ambulare, *illuminare*, vt possis rectam viam agnoscere. Quando per gratiam visitationis suæ excitauit vos Deꝰ, vt indignaremini peccatis vestris, tunc dixit, *Surge*, Quando bonæ æmulationis inspirauit affectum, tũc dixit, *illuminare*. Sed quid est, quod anima in tenebris existens, jacens in peccatis, vocatur Ierusalem: nisi quia hoc erat futurum, vt de cõfusione trãsiret ad pacem? Vocauit eam Ierusalem, vt hoc audito nomine suggereret ei occulta inspiratione, ad quid creata erat, & qualis; quatenus hæc aduertens, erubesceret fœtorem vitiorum suorum, & conuerteret se fideliter ad eum, qui pax & gloria est omnium sanctorum suorum. Ad ipsum nos præuia stella perducit, quæ illum nuntiat & ostendit. Apparendo nuntiat, & antecedendo ac stando super domum, vbi est ipse, ostendit. Stella fratres, stella, quæ nos perducit ad Iesum, sancta scriptura est. Ecce jam venit lumen nostrum; quia propter nos, & propter nostram salutem, Deus homo factus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, vt in virtute verbi & vitæ exemplo illuminaret sedentes in tenebris, & dirigeret eos in viam pacis. Non erat mirum, quod ante aduentum Domini Pagani iacebant in peccatis suis, & tenebris errorum, quando nihil de Deo audierant, quando lumen Scripturarum non nouerant. Sed modo magna confusio est, jacere in carnalibus desiderijs, & in tenebris iniquitatum: quia iam venit lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Iesus-Christus. Non possumus vlterius excusationem habere de peccatis nostris; quoniã manifestè nobis loquitur Christꝰ, qui aufert peccata mundi, & iustificat impios. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et quæ est via, per quam ipse ambulat, & quæ ducit ad ipsum? Dicat ipse, dicat. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Demonstrat etiam Apostolus viam quæ ducit ad Christum; *Per multas*, inquiens, *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Item Dominus in Euangelio. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hæc est via, per quam ambulauit IESVS, & per quam veniemus ad eum; propriæ videlicet voluntatis abnegatio, imitatio passionis Christi, huius vitæ aduersitas, volũtaria paupertas. Hanc viam sancta Scriptura nobis ostẽdit, quæ significatur per stellam istam: quæ sicut diximus, tribus Regibus apparuit. Estote igitur Reges, sit & anima vestra Regina, & Regina Saba. Adhuc enim estis in Saba, id est in captiuitate; & videte, quali. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Ecce Saba: sed carnales in vobisipsis cõprimite motus, ne regnet peccatũ in vestro mortali corpore: & Reges estis, & anima vestra Regina Saba. Sed quia per ducatum euangelij pacis, quasi stella duce & præuia, pergitis itinera, quæ ducunt ad Christum, sine dubio venietis ad eum, & adorabitis eum. Sed quoniam vacua manu non oportet venire ad Christũ, vel eum adorare: præparate ei munera vestra. Offerte illi aurum, id est charitatem veram: offerte thus, id est orationem puram: offerte myrrham, carnis videlicet vestræ mortificationē. Talibus muneribus placabitur vobis Deus: vt & ipse oriatur super vos, & gloria eius videatur in vobis. Ipse enim glorificabitur in vobis, & gloriæ suæ vos participes faciet: quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat per omnia sęcula sæculorum, Amen.

Isai. 60. *Ecclesia lumen Christ. & Euangelium eius.* *3. Reg. 10.* *Scriptura sacra stella est ad Christum nos ducens.* *Ioan. 8.* *Luc. 9.* *Act. 14.* *Matth. 5.* *Rom. 7.* *Rex est, qui illicitos cohibet motus.*



SERMO IN PVRIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

CONGREGATOS vos video, fratres, vt pascamini cibo qui permanet, pabulo salutaris verbi Dei. Sicut dicit Dominus, cælũ & terra transibunt: verbum autem Dñi permanet in æternum. Hic est panis, qui de cælo descendit, & dat vitã mundo. Istum panem petitis, sicut paruuli Domini Iesu: de quibus ipse dicit *Sinite paruulos ad me venire: talium est enim regnum cælorum.* Sed ne deficiatis in via veniendo pasci vultis: & pasci vtique pane illo, qui mentem potiùs implet, quàm ventrem Dei Dominus, vt sit qui frãgat eum vobis, ne de nobis dicatur, *Paruuli petierunt panem: nec erat qui frangeret eis.* Sicut vestrum est petere panem, ita & nostrum est frangere. Frangẽdus est nobis panis, quem concessit vobis Deus in itinere peregrinationis vestræ: vt ad illum panem peruenire possitis, quem vobis integrum seruat cum Angelis in patria vestra. Panis peregrinationis vestræ mysteriũ est Incarnationis Christi, & ve-

Matth. 24. & Luc. 21. *Isai. 40.* *Marc. 10.* *Thren. 4.*

ritas doctrinæ, atq; exemplum humilitatis eius, & fidelium suorum. Panis patriæ vestræ, quo pascuntur Angeli, facies Dei est: participatio Diuinitatis, & possessio gaudij, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit. Vt istum panem Angelorum auidiùs desideretis, & ad eum ardentiùs festinetis: Euangelium administrat vobis hodie panem, qui fortitudinem dabit spiritui vestro in via ista exilij vestri. Apponit vobis purificationem matris Dei sanctæ Mariæ Dñæ nostræ: & oblationē ipsius Saluatoris. Frangendus est panis iste, vt comedatur: quia exponenda sunt ista, vt intelligantur. Illa se purificat, quæ illum genuit, qui nullum habebat omnino peccatum: imò qui sufficiebat totum mundum purificare. Ille dedit sacrificium pro se, qui erat sacrificium pro toto mundo. Quare hoc totum? Primùm, quia non erat adhuc tempus, vt lex Moysi dimitteretur. Deinde, quia volebat ostendere, quòd lex Moysi bona erat: quando eā ipse implebat. Postremò, voluit nos docere, vt quæramus aliquid spirituale in illis corporalibus obseruantiis, quas Iudæi obseruabant. Quare præceptum est, vt infans circūcideretur octaua die, & vt eius mater post dies 40 intraret in Tēplum: & tunc cum filio, & sacrificio? Quare etiam præceptū est, vt omnes partem carnis suæ abscidererent: & illam partē, vnde homo solet plus erubescere? Posset aliquis putare talē obseruantiam turpem, non sanctam: nisi Dñs ipse primò præcepisset eam, & postea seruasset. Verùm sancta erat obseruantia ista: quia per istā obseruantiam purgabatur homo à peccato originali: & significabat fidem, quam habemus in Dño IESV, per quam fidem purgamur ab omnibus peccatis. Sed licet multi fuerunt, qui non exierunt de lūbis Abrahæ, sicut fuit sanctus Iob: tamen filiis Abrahæ præceptum circūcisionis specialiter datum est: & quod illi, qui erant de genere Abrahæ, vnam partem præcidebant illius mēbri, per quod generant homines, & generantur, in carnali corruptione & delectatione, significat, quòd Dominus Iesus de stirpe eius nasceretur: sed sine omni corruptione & delectatione carnis. Et sicut illi filij Abrahæ abscidebant sibi partem illā carnis, in qua maximè regnat voluptas: ita nos spirituales filij Abrahę abscidere debemus omnē carnalem delectationē: & hoc die octauo. Quare? Quia sicut illi octauo die per hoc sacramētum à peccato, in quo per corruptionem nati sunt, purgabantur: ita Dominus noster, qui natus est de genere Abrahæ, per suam resurrectionē, quæ die octauo facta est, id est post septimum, qui dictus est sabbatum, deposita omni mortalitatis & corruptionis infirmitate, immortalem & incorruptibilē resuscitauit ipsam carnis naturā, quam acceperat de nobis, & pro nobis. Similiter nos per fidem resurrectionis Dñi nostri purgamur ab omnibus peccatis. Post circūcisionem sequitur purificatio. Ante circumcisionē immunda erat mulier, immundus infans: post circūcisionem nec ex toto mundi, nec ex toto immundi. Nam si ex toto mundi essent, nō indigerent purificatione, nec prohiberentur ingredi templum. Si autē non inesset illis maior immunditia ante circumcisionem, non esset præceptum, vt si mulier habuisset infantem, immunda haberetur, quando infans debebat circūcidi. Retinete quod diximus de circūcisione: & sic frangamus istum panem, vt possit saporem habere. Mihi videtur, quòd mulier ista significat humanam naturā: quæ immunda per vitia & peccata proiecta est de paradiso. Fuerunt nonnulli, qui sine fide Christi, propria virtute se putabant posse iustificari, & venire ad Deum. Hoc credebant multi & maximè Philosophi: sed decepti sunt. Generabāt filios, id est virilia opera faciebant in abstinentia, & cōtemptu mundi, & continentia carnis. Generabāt filios, quia multos discipulos habebāt: sed quia ignorabant circumcisionem, & octauum diem, in immunditia permanebant, & qui generabant, & qui generabantur. Ita in illis mater, id est humana natura, & filius, id est opera eorum, non poterant aliquā munditiā habere. Ideo docuit nos Dominus per Moysen, quomodo debet mundari hæc mulier, & filius eius. Primò immunda est vsque ad octaui diei circūcisionem. Circumcisio octaui diei fides est Christi, quæ maximè pertinet ad resurrectionem eius. Nam mortuus fuit corā omnibus. Ideo non est meritū, credere, quòd mortuus est: sed in hoc est meritum, credere, quod occultè fuit factum. Per istam fidem habemus iustitiam: per istam iustitiā mundationem. Ideo dicit Apostolus. *Christus traditus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram.* Antequam homo habeat istam fidē, immundus est, & quidquid facit immundū est: sicut apertè dicit Apostolus. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Si peccatū, & immundum. Ergo mulier, quidquid generet, quidquid operetur, immunda erit vsque ad octauum diem: quia humana natura semper in peccato est, & ipsa, & quidquid fecerit, donec veniat ad fidem Christi. Die octauo mulier suscipit mundationē: & humana natura in fide resurrectionis Christi suscipit remissionē peccatorum. Tunc puer circūciditur, quia opus à peccato mundatur: verbi gratia ante fidē Christi habebat castitatem, sed ista castitas immunda erat, quia in peccato infidelitatis erat. Puer ergo octauo die circūciditur: quia in fide Christi castitas ista à peccato infidelitatis mundatur. Sed quid est, quòd post istā mundationem mulier quasi adhuc immunda purgatur? Multa genera sunt immunditiarum. Quædam immunditia venit ex natura, alia venit ex voluntate, alia venit ex infirmitate. Ex natura venit illa immunditia, quam habemus, quādo nascimur; vnde dicit S. Iob. *Nō est mundus à sorde: nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Ideo dicit Dauid. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.* Hanc immunditiam considerabat S. Iob, qui dixit. *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine?* Propter istā immunditiam omnes homines, quando nascuntur, sunt filij gehennæ, & filij iræ. Propter istam immunditiā erat circūcisio in veteri lege: quæ ideo purgabat hominem ab ista immunditia, quia significabat fidem Dñi nostri Iesu Christi. Ista sola immunditia sufficiebat homini ad damnationē. Sed quis est, qui non ad istam immunditiā aliam addidit ex propria voluntate? De ista immunditia dicit Scriptura. *Non est iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet.* Et si iustus auget istam immunditiam: quō illam augent adulteri, fornicatores, homicidæ, fures! Et tamen omnes istas immunditias mundat baptismus, & post baptismum pœnitentia: & hoc octaua die, in fide resurrectionis Dñi nostri Iesu Christi. Est adhuc quædam immunditia, quæ prouenit ex infirmitate. De illa dicit Apostolus. *Video aliam legem in mēbris*

Circumcisio non turpis, sed sancta erat olim.

Gen. 17.

Circūcisio à peccato origi. purgabat

Philosophorum error.

Rom. 4.

Rom. 14.

Triplex immunditia hominis.

Iob 14. apud Septuaginta

Psal. 50.

Iob 14.

Eccle. 7.

Rom. 7. *meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Quis est, fratres, qui possit gloriari, quòd non habeat in se istam immunditiam? *Immūditia cōcupiscētia* Inde mala desideria, & malæ delectationes: inde inordinati motus in membris nostris: inde vanitates & perpugationes cordis humani. Iam videte, fratres, purgati estis ab illis magnis immūditijs, id est vitijs damnabilibus. Purgata sunt opera vestra, quasi filij circuncisi octauo die. Numquid tamen potestis statim ingredi tēplum: illud scilicet quod sursum est in illa cœlesti Ierusalem? Sed quis, quamdiu manet in ista carne, potest ingredi in illud templum? *Psalm. 41.* *Transibo*, ait David, *in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Sed putari potest, quòd hoc post mortem futurum dixerit. Sed audi, quod sequitur. *Ibidem.* *Quare tristis es omnia mea; & quare conturbas me?* Quare ergo tristis erat anima eius; nisi quia descenderat de illo templo iterum ad seipsum; vbi inuenit miseriam & dolorem? Audite alium, qui iugiter in illo tēplo manebat. *Philip. 3.* *Nostra*, ait, *cōversatio in cælis est.* Ergo fratres, non statim, quando purgamur à peccatis nostris per baptismum vel per confessionem, possumus ascendere in illud templum. Quare? Vtique propter quasdam immunditias, quæ nos comitantur. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Quando enim volumus leuare cor nostrum sursum, & conari ad hoc, vt possimus ascendere ad illud templum, veniunt quædam cogitationes in corde nostro de illis vitijs, quæ fecimus; & illis vanitatibus, quas secuti sumus: quæ non sunt adhuc deleta de memoria nostra; & trahūt cor nostrum deorsum, vt non possim⁹ ascendere ad illud templū. Ideo necesse est, vt sustineamus quadraginta dies, & quæramus sacrificium per quod possimus ita purgari, vt valeamus ingredi hoc templum, de quo loquimur. Numerus iste, id est quadraginta, significat labores & tētationes quas debemus patienter tolerare, quamdiu sumus in ista vita. Propter istam significationem filij Israël quadraginta annis fuerunt in deserto, vbi tolerauerunt multas tentationes, & multos labores; & sic venerunt in terram repromissionis. Propter istam etiam significationem Elias ieiunauit quadraginta diebus, & sic venit ad montem Dei. Quia sine dubio qui cupit ingredi in illud cœleste templum, quod significat illa terra repromissionis, & ascendere ad montem Domini, & stare in loco sancto eius, necesse habet ieiunare, & laborare, & ferre tentationes & ærumnas huius vitæ; vt sic possit purgari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & esse de illis, de quibus scriptum est. *Purgatio cælum petenti necessaria.* *Matth. 5.* *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Ideò fratres carissimi, post purgationē baptismatis vel confessionis, si volumus mūdo corde cœlestia rimari, & visitare Dei Templum; necesse habemus purgationem quadraginta dierum sustinere, id est labores & tentationes præsentis vitæ patienter tolerare. Debemus etiam quærere sacrificium. Quale? Par turturum aut duos pullos columbarum. Ambæ aues istæ solent gemere, numquam cantare: & significant lacrymas & gemitum, per quæ possumus purgari ab omnibus vitijs nostris. Solent lacrymæ nasci illis, qui adhuc indigent purgatione, de duabus rebus, videlicet, de timore, & de pudore. *Lacrymæ timoris & pudoris.* Nam est tertium genus lacrymarum, quod non tam purgat, quam impinguat & reficit; & illud genus lacrymarum oritur ex amore. Sed de illis duob⁹ generibus debem⁹ dicere, per quæ possumus purgari. In gemitu columbæ intelligite illas lacrymas, quæ veniūt de timore. Columba enim habitat inter homines, vbi habet semper insidias & laqueos. In gemitu turturis intelligite illas lacrymas, quas pudor prouocat. Turtur enim dicitur esse quædam verecunda auis, quæ non potest nisi vnum tantum habere maritum, pro quadam, vt puto, naturali verecundia. Ideo dicit Sponsus in Canticis animæ sanctæ. *Cant. 1.* *Genæ tuæ sicut turturis.* Stitis, quia in genis ostenditur pudor. Sancta anima habet genas, id est verecundiam turturis: quia ad omnes alios amores verecundatur, nisi ad amorē Dei. Ille offert columbam, qui pro timore Dei compungitur de peccatis suis, & lacrymas fundit. Ille offert turturem, qui pro verecundia de peccatis suis plorat ante Deum. Sed quare præceptum est, offerre par turturum, aut duos pullos columbarum? Quia debemus habere duplicem timorem, & duplicē verecundiam. *Duplex timor requiritur.* Timorem, ne damnemur pro illis peccatis, quæ cōmisimus; & timorem, ne adhuc in peccatis incidamus. Nam quamvis verum sit, quòd Dominus dimittit omnia peccata illis, qui conuertuntur ad illum, & faciunt pœnitentiam: tamen semper debemus timere: quia nescimus, vtrùm digna sit nostra satisfactio. Iterum quāvis homo sentiat se esse in bono: tamen quādiu viuit, potest cadere in malum. Et ideo timere debemus semper, & in isto duplici timore flere coram Deo: & tunc offerimus duos pullos colūbæ. Iterum debemus habere duplicem pudorem: pudorem, quia nosmetipsos per peccata & vitia cōtaminauimus & corrupimus: pudorē, quia omnib⁹ bonis, quæ nobis Deus fecit, ingrati fuimus. Ipse nos creauit, nutriuit, & dedit sensum & intelligentiam: ipse, quod est super omnia, mortē suam pro nobis obtulit: & tamen nos fuimus ingrati omnibus, & insuper reddidimus mala pro bonis, & odiū pro dilectione eius. Ergo fratres, qui hoc duplici pudore afficitur, & lacrymatur, offert par turturum. Per hoc sacrificiū possumus sine dubio purgari: cum hoc sacrificio debemus filios nostros offerre Deo in templo: id est omnia opera nostra cum lacrymis Dño commendare, & trāsferre omnem thesaurum operum nostrorum, quasi filium nostrum in illud sublime templum: *Qualis debeat esse nostra oblatio.* sicut præcepit Dñs dicens. *Matth. 6.* *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* In terra thesaurizat, vbi ærugo & tinea, id est superbia, & vana gloria, qui facit opera sua, non in templo Dei, sed in oculis hominū. Ideo erigamus omnia opera nostra ad Deum: vt sicut ille pro nobis hodie in templo est præsentatus, ita nos illi puris mentibus & actib⁹ in illo cælesti templo præsentemur. Quod ipse nobis præstare dignetur: qui cum Patre & Spiritusancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.



SERMO



SERMO IN NATALI SANCTI BENEDICTI.

Scio, quia soletis cum omni gaudio Sanctorum Festiuitates, quandocũque occurrerint, suscipere, & per memoriam & repręsentationem vitæ & perfectionis eorum vosmetipsos ad spirituale feruorem excitare: tamen puto, quia festiuitasi sta sancti Patris nostri Benedicti vobis dulcior est cæteris, & quodam modo acceptior: non quòd eius festiuitas sit cęteris altior; sed quòd ipse Pater noster est nobis cæteris Sanctis propinquior. Nam in Christo Iesu per euangeliũ ipse nos genuit. Quidquid enim puritatis habetis in castitate, omnem spiritualem dulcedinem, quam habetis in charitate: omnem gloriã, quam habetis in conscientia vestra de mũdi contemptu, de laboribus, de vigiliis, de ieiuniis, de voluntaria paupertate: de doctrina eius est. Quidquid in meditationibus, in orationibus, in compunctione, in deuotione, cæterisque spiritualibus rebus proficitis: nonne totum vobis Dei gratia per eius ministerium & exemplum ministrauit? Ideo ipse vobis cæteris Sanctis est vicinior, vt non immeritò eius festiuitas vobis debeat esse iucundior. Videte Israël secundũm carnem, carnales scilicet Iudæos: qui quàvis sint de genere magnorum Patrum, Abraham, Isaac, & Iacob, de quibus Dñs dicit, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*: quod vtique Domin' dixit propter eorum excellentiam: tamen ipsi Iudęi magis gloriantur de Moyse, dicentes. *Nos Moysi discipuli sumus*. Et Apostolus Iacobus in Actibus Apostolorum dicit. *Habet Moyses, qui eum prædicent per omne sabbatum in Synagogis*. Quare ergo ipsi carnales Iudæi tantum affectum habent erga Moysen? Puto, idcirco, quòd Dominus per ministerium Moysi eduxit eos de terra Ægypti, trãsduxit per mare rubrũ: quòd per orationes eius mãna de cælo acceperunt, aquam de petra: quia illo orante inimicos suos superauerunt: illo dante legem acceperunt, quam si seruarent, terram repromissionis & acciperent & possiderent. Certè, fratres, si bene videam' & intelligamus, quæ nobis beneficia Dñs contulit per sanctum Patrem nostrũ Benedictum, apertè videbimus, quòd non minùs eum debent diligere monachi, quàm Moysen carnales Iudæi. Illos per ministerium Moysi eduxit Dominus de Ægypto: nos per ministerium S. Benedicti eduxit de sæculo. Illi erant sub Pharaone Rege pessimo: nos sub diabolo. Illi in seruitute Ægyptiorum, nos in dominio vitiorũ. Ministri Pharaonis flagellabãt eos, & lateres de luto exigebãt. Fortè obliti estis, quæ flagella patiebamini in sæculo. Alius tendebat ad aliquem honorem sæcularem, vel diuitias: quæ flagella patiebatur in illis cupiditatibus? Quomodo flagellauit eum timor, inuidia: quõ flagellabatur, quando non potuit acquirere ꝙ voluit: quando aliquis alius hoc acquisiuit, ad quod ille ita ardẽter inhiauit? Si autem acquisiuit, quomodo flagellauit eum timor, ne amitteret: dolor, cùm amitteret? Alius ad hoc tota intentione festinauit, vt posset explere omnes voluntates suas, & libidines: quomodo talẽ flagellauit pessimus amor, zelus, suspiciones? Quid, quando vitia illius per aliquem discooperiebantur? Quõ dolebat, quomodo flagellabatur animus eius? Et super hæc omnia, quomodo vnũquemq; propria flagellabat conscientia? Quid, quando vnusquisq; cœpit cogitare vitam suam, peccata sua: quàm sæpe propter ipsa flagella proprij cordis proposuit, & dixit: numquam hoc faciam ampliùs, nũquam ampliùs in illud vitium me demergam? Et tamen ministri Pharaonis, id est immundi spiritus nos impingebant quasi inuitos, vt faceremus lateres luteos, id est immunda & sordida opera: & sic ędificaremus ciuitatem Pharaoni, id est diabolo, in corde nostro. Quicũque potest recordari illam violentiã, quam patiebatur de sua mala consuetudine, & videt se modò per Dei gratiam, & doctrinam beati Benedicti liberatum, ipse videt, quia nobis maiora præstitit Deus per illum, quàm Iudæis per Moysen. Si cõparetis illã spiritualem dulcedinem, quam soletis sentire de Christo, illi mannæ, quod Iudæi manducabant in deserto: si comparetis illas victorias, quas sæpe habetis de spiritualibus inimicis vestris, per merita & doctrinam beati Benedicti, illis victoriis, quas habebant de hominibus; videbitis vtique ista esse multò maiora, quia sunt spiritualia. Moyses constituit illis legem, & erudiuit, vt possent terram promissionis ingredi, & eam, quãdiu hoc sæculum manet, possidere. Beatus Benedictus constituit nobis legem: quã si seruauerimus, in ipsum cælum, terram scilicet viuentiũ, ingrediemur, & illud in æternum possidebimus. Lex ista, fratres, Regula illius est. In hac nos docet, Deo spiritualiter sacrificare, spiritualiter sabbatum celebrare, spirituale tabernaculum Christo in cordibus nostris fabricare. Hanc legem si seruauerimus: erimus, sicut ipse dicit, heredes regni cælorum. Sed quia mentionem fecimus de Moyse & Pharaone, de eorum verbis aliquid ad ędificationem nostram in hac festiuitate Patris nostri loquamur. Sicut nostis, cùm filij Israël captiui essent in Ægypto sub Pharaone, miss' est Moyses, qui ex parte Dei diceret ipsi iniquo Pharaoni, vt dimitteret populum Dñi. Qui cùm hoc facere contempsisset, plagis magnis & multis cũ populo suo percussus est. Tandem propter istas plagas quas patiebatur, dixit ad Moysen, *Ite, & in ista terra sacrificate Domino Deo vestro*. Cui Moyses. *Nequaquam, inquit, non potest ita fieri*. Et dixit causam, quare. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*. Ideo nõ poterant in Ægypto sacrificare Deo, quia abominationes Ægyptiorum debebãt sacrificare. Nam licet per interrogationẽ legatur ita, *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* eũdem sensum habet. Nam quia Pharao dixerat, *Ite, & in terra ista sacrificate*, ait Moyses. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* & subaudiendũ est, in hac terra: & subintelligendũ est, Non potest ita fieri. Vbi autem hoc debeat fieri, ostendit Moyses: nam addidit. *Viam trium dierum ibimus in solitudine, vt immolem' Domino*. Scitis, fratres, quæ sit Ægyptus, quis Pharao, qui Ægyptij. Di-

Exod. 3.
Ioan. 9.
Act. 15
Sanctus Benedictus monachorum Moyses.
Maiora sunt S. Benedicti beneficia quã Moysis.
Regula sancti Benedicti lex eius est
Exod. 8.
Ibidem
Ibidem

Ægyptus mundus, Pharao diabolus cam tamen breuiter. Ægyptus sæculum; Pharao diabolus, Ægyptij vitia & peccata. Sic accipite. Fuistis in hac Ægypto, sub istis Ægyptiis, sub isto Pharaone. Tenebat vos diabolus captiuos per amorem mundi, per amorem parentum; ligabat vos propriis cupiditatibus vestris: tenebat vos per malos mores vestros. Fratres, quãdo vos dimitteret, nisi eũ Dominus percussisset? Sed quõ eum percussit? Vtiq; bona voluntate vestra, quã vobis dedit; bonis desideriis, quæ vobis inspirauit; bonis cogitationibus, quas cordibus vestris in[illegible]uit. His omnibus percussit Dominus diabolum: his omnibus attriti sunt spirituales Ægyptij, id est vitia & peccata. Tenebat vos tamẽ Pharao per malam consuetudinem vestram: & non permisit vos illa citò vincula cõsuetudinis rumpere. Sed quando vidit propositũ vestrum prævalere, quid ait? *Ite, & in terra ista sacrificate Domino.* *Exod. 8.* Miror, fratres, miror, si non omnes istam vocem audistis, siue per diabolũ occultè in cordibus vestris: siue aperta voce per aliquod ex mẽbris eius. Vis, inquit, seruire Dño? Bene. Numquid ideo necesse habes, dimittere possessiones tuas, Ecclesias tuas, diuitias tuas? Hic servi Deo, hic age pœnitentiã: de ipsis rebus tuis servi Deo, fac eleemosynas. Puto, quia recognoscitis, quæ dico. Quàm multi, fratres, per istam vocem decepti sunt, nouimus, experti sumus. Scimus, aliquos bonam voluntatem concepisse: firmiter proposuisse, quòd sæculum relinquerent, & penè iam faciebant. Sed audierunt istam vocẽ Pharaonis: audierunt, & consenserunt. Cœperunt velle viuere quasi religiosè in sæculo, sed decepti sunt. Nam in pristinis vitiis corruerunt, & hypocrisin superaddiderunt. Nec mirum. Magna, fratres, magna præsumptio est, in ipsis diuitiis, & deliciis, & honoribus, velle agere pœnitentiã; per quas diuitias, & delicias, & honores, in illa horrenda crimina ceciderunt. Non sic, fratres, non sic: eundum est per viam trium dierũ in solitudine: vt possimus sacrificare Dño Deo nostro abominationes Ægyptiorum. Fortassis ipsa pœnitentia pertinet ad abominationes Ægyptiorum: ideo non potuerunt illi inter Ægyptios hoc sacrificiũ offerre. Sed primò videamus, quæ sint istæ tres dietæ. *Tres dietæ spirituales.* Prima dieta est, relinquere sęculũ: secunda relinquere vitia & peccata, & mores in melius mutare: tertia relinquere propriam voluntatem. Quicumq; has tres dietas perficit, poterit abominationes Ægyptiorum immolare Dño. Et videte, fratres. Multi sunt, qui dimittunt diuitias, & honores mundi, & quasi via vnius diei se elongant de sæculo: sed quia nolũt adhuc deserere malos mores suos; sed sunt superbi sicut prius, luxuriosi sicut pri⁹, amari sicut prius, iracũdi sicut prius; nequaquam duas dietas perficiunt, & ideo non sunt idonei, vt Deo sacrificent. Sunt etiam alij, qui vtrumque faciunt, idest diuitias & honores deserunt, & à pristinis criminibus se abstinent: sed quia per seipsos secedunt in aliquam siluam, vel in alium aliquem locum, & manducant quando volunt, iejunant quando volunt, vigilant quãdo volunt, dormiunt quando volunt, laborant & quiescunt quando volunt; sine dubio tertiam dietam non perficiunt. Sed & illi qui sunt in congregatione, & videntur reliquisse suam voluntatem, si adhuc quærunt quasdam libertates, vt possint exire de claustro quando volunt, loqui quando volunt, laborare quando volunt, esse in lectione quando volunt; & quidquid possunt, & quantum possunt, trahunt ad propriam voluntatem: nec isti tertiam dietam perficiunt. Non dico omnes, qui habent istam libertatẽ; sed illos qui istam libertatẽ quærunt, & in illa delectãtur. Nam aliqui exeunt aliquando, & loquũtur & quædam talia faciunt, quibus omnia ista magis oneri sunt, quam delectationi: & libentiùs in quiete essent. Ille ergo perfectè egress⁹ est de Ægypto, qui istas tres dietas perficit; qui primò sicut semel exterius reliquit diuitias mundi, ita quotidie & iugiter ab animo suo illas abijcit; & semper animum suum liberum ab omni cupiditate & ambitione ostendit Domino, dicens cum B. Petro. *Ecce nos reliquimus omnia.* *Matth. 19.* Qui postea vitam corrigit, & vitijs quibus subjacuit in sæculo viriliter resistit. Qui postremò totam propriam mortificat volũtatem, & quidquid facere debet, ex senioris sui pendet arbitrio. Et certè fratres S. Moyses docuit filios Israël illas tres dietas corporales, per quas venerunt ad illum locum, vbi corporaliter Domino sacrificabant. Vos autem B. Pater Benedictus istas tres dietas spirituales docet, & viam, per quam poteritis istas dietas perficere, satis aperte ostendit. Nam sicut mihi videtur, prima dieta perficitur per viam timoris Domini, secũda per viam mortificationis, tertia per viam obedientiæ. *Tres dietæ spirituales vt perficiantur* Audite beatum Benedictum istam viã nobis demonstrantem. *Primus*, inquit, *humilitatis gradus est, timor Domini.* *Regul. c. 7.* Et sicut mihi videtur, primum humilitatis indicium, est contempt⁹ diuitiarum & honorum. Nam quamdiu homo seruat & tenet diuitias & honores mundi, potest fortè esse humilis, sed non ita apparet eius humilitas; ideo per primum gradum humilitatis peruenit homo ad primum indicium humilitatis. Et vtique vnusquisque potest hoc videre in semetipso. Quomodo enim possetis diuitias vestras & possessiones deserere, quomodo istam dietam fecissetis, nisi timor Domini vos vrgeret? Timor ergo Domini est via, qua ista prima dieta peficitur. Sed dicit aliquis. Quomodo istam dietam perfeci, qui nihil reliqui? quia enim nihil habui in sæculo, nihil reliqui. Quicumque hoc cogitat, respondeat mihi, quãdo fuit in sæculo, vtrum aliquas diuitias concupierit, vtrum secũdum posse suum acquisiuit, quod potuit. Si ergo & cupiditatem reliquit, vtique primam dietam bene perfecit. Iam vero viam secundæ dietæ videamus, & per eam libenter incedamus. Ipsa est carnis mortificatio. Ait B. Benedictus. *Secundus humilitatis gradus est, si quis propriam non amans voluntatem, desideria carnis nõ delectetur implere.* *Ibidem.* Hæc est planè via, qua possumus alteram dietam implere, id est pristina vitia vitare, si videlicet per vigilias, & ieiunia, & labores, desideria carnis mortificem⁹. Nemo dicat, fortis sum, castus sum, sapiens sum, non habeo necesse laborare, vigilare, ieiunare. Numquid sapientior Paulo, numquid fortior B. Benedicto? Paulus castigat corp⁹ suũ & in seruitutem redigit; sicut ipse dicit, *In fame & siti, in labore & ærumna*: *2. Cor. 6.* & tamen videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ. Diuus quoque Benedictus aliquot annis vitam suam pane & aqua trãsegit: & tamen vix tentationem libidinis euasit. Nam pene superat⁹ est. Hac nocte id lectum est, sicut audistis. Illi sic, & tu nescio quibus delicijs & vanitatibus intentus, putas te spurcitiam carnis posse euadere? Qui ergo voluerit abstinẽtiæ dietam per-

ficere, desideria carnis non delectat implere. Iam vero de via tertiæ dietæ audiamus quid dicat sanctus Benedictus. *Tertius*, ait, *humilitatis gradus est, si quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori.* Hoc modo vtique homo ex toto relinquit seipsum, & tradit Deo; si omni obedientia se subdat alteri: vt neque mãducet secundum suam dispositioné, neque ieiunet, neque laboret, quando ipse voluerit; sed quando alter præcipit; & sic de omnib⁹ alijs rebus, non suam sed alteri⁹ sequitur voluntatem. Qui has tres dietas perficit, oportet, vt sacrificet Deo abominationes Ægyptiorum, id est ea quæ Ægyptij abominãtur, & odio habent. Ægyptij sunt dilectores mundi, sæculares & vitiosi; qui lætãtur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis: & quando expleuerint mala desideria sua, gaudent, superbiunt, nesciunt erubescere, nolunt pœnitere. Abominationes ergo Ægyptioru sunt amaritudo pœnitentiæ, luctus doloris, voluntaria paupertas, & suiipsi⁹ despectus. Has abominationes Aegyptioru immolare debemus Dño Deo nostro. Pœniteat nos de peccatis nostris, lugeamus & ploremus peccata nostra, quæ fecimus, & facimus; vt in lacrymis pœnitentiæ, quasi in amaris & salsis aquis Ægyptij, id est vitia & peccata nostra submergantur, pereant, & deleantur. Amplectamur etiam paupertatem, viles simus & despecti in oculis nostris: & veraciter sicut perfectè egressi de Ægypto, abominationes Ægyptiorum immolabimus Dño Deo nostro: & placebit ei sacrificium nostrum. Sunt autem quidã, qui postq̃ sæculũ reliquerunt, vel de censu suo, vel de clericatu suo, uel etiam de diuitiis, vel vanitatibus in nobilitate & honore sęculi, quas reliquerunt, superbiunt: & putant, quòd magis debeant honorari quàm alij. Volunt, vt Prelatus suus eos vocet ad consilia sua, plus eos, quàm cęteros honoret: in omnibus dispositionibus suis se volũt intromittere: si aliqua sine eorũ consilio ordinantur vel disponuntur, indignãtur, irascuntur, putant, quòd Prelatus propter inuidiam eos contẽnat. Tales nondum abominationes Ægyptiorũ offerunt Dño. Sed videte, quõ S Benedictus nos docet istas abominationes Ægyptiorum offerre. Postquã de illis tribus gradibus humilitatis docuit nos viam, per quam illas tres dietas perficere poterimus: statim de ipsis abominationibus Ægyptiorum, quas debemus offerre, subiunxit. *Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrariis rebus, vel quibuslibet irrogatis iniuriis tacita conscientia patientiam amplectatur* Et ibidem. *Qui percussi in maxilla, prabent & aliam: angariati milliario, vadunt & duo: & falsos fratres sustinent, & persecutionem.* Hæ sunt planè abominationes Ægyptiorum, quia ista omnia abominatur Ægypt ùs, id est animus sæcularis. Valde enim turpe arbitratur, non solùm si patienter sufferet iniurias: sed etiam si se non vindicat, quantùm potest. Ista sunt sacrificia grata Deo: in quibus sacrificiis occiduntur illa, quæ mũdus colit & diligit. Meritò ait sanctus Moyses. *Quòd si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, coram eis, lapidibus nos obruent.* Quid colũt Ægyptij? Vtique diuitias, honores, aurum, argentum, delicias ventris, & gulæ. Ista colunt Ægyptij: quicũque Aegyptius ista habet, superbit, & extollit se supra alios. Qui autem ista non habent, venerantur & colunt, & quasi adorant eos, qui ista habent, & beatos eos dicunt. Vnde dicitur in Psalmo. *Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neq; transitus: neque clamor in plateis eorum.* Ista est felicitas Aegyptiorum: & alij Aegyptij, qui ista non habent, istos beatificant, & dicunt, q addit Propheta. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Ista omnia quicũque voluerint interficere in animo suo inter ipsos sęculares: hoc est contẽnere diuitias, honores, delicias: & viuere parcè, sobriè, castè, & religiosè: statim Aegyptij lapidibus eos obruunt: id est duris conuitiis eos insecãtur. Alius vocat eum deceptoré, alius hypocritam. Ideo sapiens consilium habuistis, qui egredientes de Aegypto, per prædictas tres dietas venistis in solitudinem. Sed quid est, venisse in solitudinem? Omnem istum mundũ pro deserto habere, desiderare patriam suã, tantum habere de hoc mundo, quantum sufficit ad istam viam perficiendam: non quantum caro cupit. Offerte igitur sacrificia Deo: occidite in vobis ea, quæ amat mundus: amate esse viles pro Christo, pauperes pro Christo, abiecti pro Christo. Hoc docet beatus Pater noster Benedictus. Sequimini vestigia eius, doctrinam eius: vt ipse vos dignetur inter suos agnoscere, quasi pastor oues, pater filios, magister discipulos: quatenus interuenientibus eius meritis, perveniatis ad pascua æternæ felicitatis, ad hereditatem seruorum Dei, ad gaudia discipulorum Christi: præstante eodem Dño nostro Iesu Christo: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sęcula sæculorum, Amen.


S. Bened in Reg. cap. 7. — *Quando se homo penitus deserat.* — *Abominationes Aegyptiorũ quid.* — *Reg. cap. 7.* — *Ibidem.* — *Exod. 8.* — *Quid colũt sæculares.* — *Psalm. 143.*

SERMO SECVNDVS, IN EODEM FESTO.

QVIA hodie celebramus transitum sancti Patris nostri Benedicti: oportet, vt de eo aliquid loquamur: maximè quia vos auidos intuemur ad audiendũ. Ad hoc etiam tãquam boni filij conuenistis in vnũ: vt de Patre vestro, qui in Christo Iesu per euangelium vos genuit, audiatis. Quia igitur eũ trãsisse cognouim⁹: vnde, & quò transiit, videamus. Transiit vtique inde, vbi nos adhuc sumus: & eò transiit, quò nos necdum pervenimus. Et tamen licet corporaliter non simus illic, quò trãsiit ille: nos spe & amore sumus, iuxta illud Redemptoris nostri. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Vnde & Apostolus. *Nostra conuersatio in cælis est.* Nam & ipse S. Benedictus cùm hic corporaliter viueret, in illa cælesti patria cogitatione & auiditate conuersabatur. Transiit ergo Pater noster S. Benedictus hodie de terris ad cælũ, de carcere ad regnum, de morte ad vitã, de miseria ad gloriam: de vita hac, quæ rectiùs mors dicenda est, ad terram viuentium feliciter transmigrauit. Bene dico, quòd ad terram viuentium transiit: quia hæc vita non est viuentium, sed morientiũ. Omnia quippe, quæ suprà diximus, mors scilicet, & carcer, & miseria, inueniuntur in hac vita: imò omnia hæc præsens vita. Nam si mors non esset,

Matth. 6. — *Philip. 3.*

Apostolus Paulus nequaquam diceret. *Quotidie* 1. Cor. 16. *morior per vestram gloriam, fratres.* Et illud. *Infe-* Rom. 7. *lix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Manifestissimè hác vitam mortem vocat: & in corpore viuere mori dicit. Quòd autē car-Psalm. 141. cer dicatur, Psalmista testatur, dicens. *Educ de carcere animam meam.* quòd autem vita hæc misera, imò ipsa miseria sit: quāuis quotidiana miseriarum nos doceant experimenta, beatus tamē Vita hæc lacus miseriæ. Dauid eam lacum miseriæ, lutumq; fæcis vocat: & se ereptum iam, quia eripiendum nouerat, cū Psalm. 39. ingenti gaudio proclamat. *Exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Sed quia vnde, & quò trāsiit, scimus: etiam quà trāsiit, videamus. Nihil enim eum sequi cupientibus scire prodest, vnde, & quò transiit: nisi etiā quà transiit, sciant. Per Christum vtique transiit ad Christum: per fidem Iesu Christi, quæ in eo operabatur per dilectionem, transiit ad speciem, & contemplationē Iesu Christi: in qua bonorum omnium desideriū satiatur. Via ergo eius Chri-Ioan. 14. stus fuit, qui dè se in Euangelio ait. *Ego sum via, veritas, & vita.* Per ipsum trāsiit ad ipsum: quia ipse vita, qui via. Via rectissima eiusdem etiā Patris nostri optima conuersatio fuit. Via vitæ illius sanctitas fuit Nam, vt ait beatus Gregorius, nil est aliud pręsens vita, quàm via quædam. Qui ergo bene & laudabiliter viuit: ad Deum, & ad vitam æternam transit: qui autem reprobam vitam ducit, per ipsam ad gehennā, & ad mortem tendit sempiternam. Et hæc est via peccatorum: de qua in primo Psalmo agitur, dicente Dauid. Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Per hanc viam malā itur in mortem peccatorum pessimam: de qua a-Psalm. 33. libi ait idem Propheta. *Mors peccatorum pessima.* Rectissimè quidē peccatorum mortem dicit fore pessimam, quorum viam constat esse malam. Vt enim ait Apostolus, mali semper proficiūt in peius: errantes, & alios in errorem mittentes. Et ideo mors peccatorum dicitur pessima: quia eò vsque perditè viuendo in malitiā ꝓficiunt, quousque pessimi effecti, succidi, & in ignem proiici merentur. Sed beat⁹ Pater Benedictus hanc viā non tenuit, quia reprobam vitam non duxit, sed Via iustorū initio arcta. illam tenuit, de qua dicitur, *via iustorum recta est:* quæ licet arcta sit, ad vitam tamen ducit. Hæc autem via initio quidem arcta est: nam postea, vt ipse B. Benedictus in Regula sua docet, curritur inenarrabili dilectionis dulcedine via mandatorū Dei. Inchoantibus quidem arcta est: qua-Psalm. 16. lis erat Dauid, cùm diceret. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Sed nūquid hic Propheta, quia arctam in initio inuenit: ideo aut deseruit, aut deserendam iudicauit? Absit. Imò tamdiu tenuit, donec satis huic dissimilem Psalm. 118. sententiam proferre potuit Ait enim alio loco. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Hanc etiam viam beatus Benedictus in initio conuersionis suæ arctam reperit: & in fine latissimā inuenit. Numquid ei non arcta fuit: cùm, sicut in vita eius legimus, ne libidini cōsentiret, sese in spinas proiecit? Sed cùm arctam inuenit, quid fecit? Numquid ab ea declinauit? Imò eam tenuit, & in ea viriliter stetit. Fecit pri-S. Benedict⁹ or ipse, ꝙ docuit: vt nos sequaces suos posset do-fecit, quod cere, quod fecerat. Vt enim dicit de eo sanct⁹ Pa-pòst docuit. pa Gregorius, sic vixit, vt docuit: nec aliter po-Gregor. 2. tuit docere, quàm vixit. Quàm ergo viriliter in Dial. C. 36. via Dei stetit, ex ipsius verbis possumus colligere: quia in Regula sua monet, ne quis timore perterritus viam salutis refugiat: quam nisi angusto tramite non esse incipiendam, experiētia ipsa didicerat. Nouerat enim, quòd quamuis arctissima foret, ad vitam tamen duceret, sicut ait ipse Domin⁹ noster. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam: &* Matth. 7. *pauci sunt, qui ambulant per eam.* Ad quam autem vitā ducit hęc via, ipse Dominus in alio loco docet, dicens. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te* Ioan. 17. *verum Deum, & quē misisti, Iesum Christum.* Hęc est ergo via, per quam Isaac profectum legimus: quæ ducit ad puteū videntis & viuentis. Dè hac etiam via dicitur in libro Sapientiæ. *Iustorum se-* Prouer. 4. *mita quasi lux splendens, crescit vsque ad perfectum diem* Hanc viam timor gehennalis, qui & seruilis dicitur, angustat, charitas perfecta dilatat. Quādiu enim quis timet in via Dei, difficultatem, patitur, & sentit asperitatem. Quando autem ad charitatem peruenit, quæ perfecta foras mittit timorem, tunc cū ingenti gaudio illud Apostolicum ꝓclamat. *Bonum certamen certaui, cursum* 2. Timot. 4. *consummaui, fidem seruaui.* Et illud Dauidicum. *Viam mandatorū tuorū cucurri, cùm dilatasti cor* Psalm. 118. *meum.* Iam qui talem Christum habet, cum Paulo dissolvi desiderat, & esse cū Christo; imò grauissimè tolerat, diutius separari à Christo, dicens quotidie cum lacrymis illud Psalmi. *Vsquequo* Psalm. 12. *Domine, obliuisceris me in finem?* Et cū Habacuc. *Vsquequo Domine, clamabo, & non exaudies: vo-* Habacuc 1. *ciferabor, ad te, vim patiens, & non saluabis?* Per hanc viam transijt S. Benedictus, vt diximus, de morte ad vitam, de Aegypto ad terrā repromissionis: id est de tenebris hujus mundi ad Ierusalē, quæ est visio pacis. Et certè feliciter trāsiit, quia laudabiliter vixit. Transiit namque cum Moyse, vt videret illam magnam visionē: non quomodo rubus arderet, & non combureretur: sed quō beati Angeli, & æquales Angelis Sācti, Dei semper amore ardeant: & in eis nūquam amor refrigescat. Transeamus & nos, carissimi, ad videndam hanc magnā visionem. Sequamur vestigia sancti patris nostri Benedicti. Rectissimam habe-S. Benedicti mus viam, qua illuc perueniamus: Regulam vi-Regula via delicet, & doctrinā eius. Hanc si sicut debemus, recta est. tenuerimus, & si in ea pseuerauerimus: sine dubio illuc, vbi est ipse, & nos perueniemus. Quod vt possimus, per merita & intercessionem S. Benedicti præstet nobis gratia Redemptoris nostri Iesu Christi: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sęc. sęc. Amen,



SERMO TERTIVS DE EODEM.

Exod. 35. SÆPE audiuit charitas vestra, fratres carissimi, quòd sanctus Moyses posteaquā eduxit filios Israël de terra Ægypti, construxit tabernaculum in eremo, ex oblationibus filiorum Israël. Offerebant enim ei alij aurum, alij argentum, alij lapides pretiosos, & alij animalia; quæ non sunt modo necessario commemoranda. Sed hoc videndum, quia sicut

dicit Apostolus, omnia hæc in figura contingebant: nos fuimus in spirituali quadam Ægypto quando fuimus in sæculari cõuersatione. Ægyptus quippe interpretatur tenebræ. Iniquitates & peccata, & in his mentis obstinatio, densæ tenebræ sunt. In his nos aliquando fuimus, quorum etiam participatione nos ipsi tenebræ facti sum⁹, dicente Apostolo. *Fuistis aliquando tenebræ.* Vt autem essemus lux in Dño, cõstituit nobis quẽdam Moysen, quemdam Legislatorem, sanctum scilicet Patrem nostrum Benedictum; cuius hodie festum celebramus, cuius scientia & industria transimus per eremum mũdi huius, vt veniamus in terram repromissionis: non illam, quam carnales filij Israël carnaliter desiderabãt; sed illam quam Propheta sperabat, qui dixit. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et de qua Dominus. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terrã.* Ipse replet⁹ non tantum Moysi spiritu, sed etiam quodammodo, vt quidam ait, omnium iustorum spiritu plenus fuit, hoc spirituale tabernaculum construxit de oblationibus filiorum Israël. In regula eius refulget aurum beatissimi Augustini, argentum Hyeronimi bis tinctus coccus Gregorij; sed & sententiæ sanctorum Patrum, quasi lapides pretiosi, quibus omnibus hoc cæleste ædificium decoratur. Vos enim fratres, vos estis tabernaculum Dei, vos templum Dei: dicẽte Apostolo. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Templum ideo, quia in ęternum regnabit Dominus in vobis. Adhuc autem tabernaculum, quia peregrinatur in vobis, esurit in vobis, sitit in vobis. Adhuc fertur tabernaculum istud ministerio Levitarum. Sed alij portant proprijs humeris; alij solatio boum & plaustrorum. Illi portant tabernaculum, qui præceptum illud Moysi nostri intente implent, *Infirmitates suas siue corporum siue morum patientissimè tolerent: obedientiam sibi certatim impendant.* Sed illi proprijs humeris portant, qui nullum terreni commodi solatium expectantes, illud quod in eodem versiculo sequitur, sedulè pensant. *Christo omninò nihil præponant.* Illi portant, sed non proprijs humeris, qui Regulæ quidem obseruationes custodiunt, sed hic aliquid transitorium sperant, dignitates, honores, vel aliquid huiusmodi: & ideo hac spe frustrati, quasi solatio plaustrorum, deponũt tabernaculum & recedunt. Per plaustra enim temporalis honor exprimitur. Alij item portant, sed non proprijs humeris; sed solatio boum; id est Prælatorum: volũt enim sibi a Prælatis suis semper adulari, & aliquid temporalis fauoris exhiberi. Vnde si fortè contigerit eis vel durum aliquem ab eis audire sermonem, quasi solatio suo frustrati, vel omnino deponunt tabernaculum, vel cum murmure portãt. De quibus Apostolus. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Sicut enim adulteri pruritum libidinis, ita ipsi sibi quærunt pruritum adulationis. Hoc, fratres mei, hoc patitur hoc tabernaculum, quamdiu portatur per eremum sæculi huius, donec introducatur in terram promissionis; & de tabernaculo fiat templum, & dedicetur à vero Salomone 7. diebus, & 7. diebus, id est duplici requie, duplici perfectione, cum datæ fuerint singulis stolæ binæ, immortalitas scilicet corporis, & animæ beatitudo. Sed iam nos fratres, si sumus spirituales filij Israël, si spiritualiter egressi sumus de terra Ægypti, offeramus singuli, offeramus omnes ad constructionẽ huius tabernaculi; & vnusquisque ex eo quod abundat. Vnusquisque enim proprium donum habet ex Deo: alius sic, alius vero sic. Alius plus potest offerre laboris, alius plus vigiliarum, alius iejuniorum, alius orationum, alius plus lectionum vel meditationum. Fiat ergo vnum tabernaculum ex omnium oblationibus, vt secundũm Legislatoris nostri præceptum, nemo aliquid suum dicat, vel pręsumat; sed sint omnibus omnia communia. Quod non tãtũm intelligẽdum est, fratres, de cuculla & tunica; sed multomagis de virtutibus & spiritualibus donis. Nemo ergo de aliqua gratia sibi à Deo collata, quasi de propria, singulariter glorietur. Nemo fratri suo pro aliqua gratia, quasi propriè sit sua, inuideat; sed quod suum est, hoc omnium fratrum suorum existimet: & quidquid fratris sui est, hoc suum esse non dubitet. Posset quidem omnipotens Deus quemcũque vellet ad perfectionem statim promouere, & singulis omnes virtutes largiri: sed pia dispensatione nobiscum agit, vt vnusquisque alio indigeat, & quod in se nõ habet, hoc in altero habeat; vt sic seruetur humilitas, augeatur charitas, vnitas cognoscatur. Sunt ergo singula omnium, & omnia singulorum: & fructus virtutum vtiliter carpitur, dum ex cõsideratione propriæ infirmitatis humilitas custoditur. Non ergo querantur fratres nostri laici, quòd non tantũm psallunt & vigilant, quantũ monachi. Non querantur monachi, quòd non tantũ laborant, quãtũ fratres laici. Verissimè enim dico, quòd quidquid vnus facit, hoc est omnium: & quidquid omnes faciunt, hoc est singulorum. Sicut enim vnius corporis mẽbra, non omnia eũdem actum habent: ita, dicẽte Apostolo, *Multi vnum corpus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* Infirmus ergo dicat, fortis sum: quia sicut in ipso alius habet patientiam infirmitatis; ita ipsi in alio est robur fortitudinis. Caueam⁹ ergo, ne muscæ morituræ exterminent suauitatem olei. Suauitas olei est dulcedo fraternæ dilectionis: quam muscæ morientes exterminant: cupiditas videlicet, inuidia, suspicio. Nemo enim perfectè diligit, qui aliquid in hoc sæculo cõcupiscit. Ex cupiditate nascitur inuidia. Quidquid enim sibi cõcupiscit, hoc inuidet alteri: & sępe animus de eo, cui inuidet, malę suspicari contendit. Sed iã conferamus quædam instituta illius antiqui Moysis, cum institutis huius moderni Moysis nostri. Cõstituit ille Moses sex ciuitates refugij filiis Israël: tres extra terram promissionis: tres in ipsa terra repromissionis: vt quicumq; homicidium ignoranter perpetraret, ad has fugiens saluaretur. Est homicidium corporale, est & spirituale. Peccatũ quippe est mors animæ, & hoc est pessimum genus homicidij, vel seipsum vitio, vel alium occidere exemplo. Et filij Israël, quãdiu fuerunt in terra Aegypti, non habebant ciuitates confugij: non quia non occidebant; sed quia magis ex superbia, quàm ex ignorantia. Et nos in spirituali Aegypto existentes peccabamus: non quia infirmi eramus, sed quia superbi: & delectabat peccare: & ideo non erant nobis ciuitates confugij. Nũc licet egressi simus de Aegypto, si dixerimus, quia peccatũ non habem⁹, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. In multis enim offendim⁹ omnes. Sed interest, vtrum ex infirmitate, & ignorantia, an ex superbia. Quamdiu enim quis superbè in aliquo peccato iacuerit: quamuis

Marginalia (left column): Ephes. 5. — Psalm. 26. — Matth. 6. — 1. Cor. 3. — Qui portẽt tabernaculũ humeris. — Sanctus Benedictus in Reg. cap. 72 — 2. Timot 4.

Marginalia (right column): Cur quisq; alio egeat. — Rom. 12. — Instituta Moysis & S. Benedicti comparantur. Num. 35.

videatur exiisse de Aegypto, nihil tamen ei ciuitas refugij proderit. Sicut dicit Apostolus, volũtariè peccantibus nobis post agnitam veritatem, iam non relinquitur hostia pro peccato. (*Hebr. 10.*) Videtur mihi sex istæ ciuitates significare posse sex illa generalia exercitia, quæ nobis instituta sunt: tria corporalia, id est labores, vigiliæ, ieiunia: & hęc specialiter pertinẽt ad eos, qui adhuc carnalibus passionibus appetuntur, & sunt adhuc quasi extra terram promissionis: quibus non est dicere. (*Sex ciuitates confugij quid sint.*) *Nostra conuersatio in cælis est.* (*Philip. 3.*) Tria autem sũt spiritualia: scilicet lectio, oratio, meditatio. Hæc specialiter pertinent ad eos, qui iã debellatis passionibus transiere in affectum virtutum: gustantes in his ciuitatibus, quàm dulcis est Dominus: fructus videlicet terræ repromissionis. Ad has ciuitates confugimus, ꝓpter eos, qui nos insequũtur propter homicidium. Qui sunt illi? Videlicet vel diabolus, vel ipsa cõcupiscentia. Sicut enim ait Iacobus Apostolus, *Vnusquisque tentatur à cõcupiscentia sua abstractus & illectus.* (*Iac. 1.*) Quãtò magis enim peccatur, tantò magis ipsa concupiscentia peccati augetur. Audi Apostolum, hunc hostem vehementer timentem. *Video*, inquit, *aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* (*Rom. 7.*) Audi ad has ciuitates fugientẽ. *Castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo.* (*1. Cor. 9.*) Quomodo? Planè, quõ aliàs dicit. *In laboribus, in vigiliis, in ieiuniis.* (*2. Cor. 6.*) Audi Petrum, ad has ciuitates nos prouocantem. *Sobrij estote, & vigilate in orationibus* &c. (*1. Pet. 4. & 5.*) Quòd autem in Lege dicitur, vt ad vnam ciuitatum istarum refugiat: quamvis ita debuerit præcipi, vt ad literam possit impleri; tamen id videndũ, quia nullus in omnibus exercitiis ęqualẽ gratiam habet. (*Num. 35.*) Ad illud ergo exercitium debet quisque cõfugere in tentatione: in quo inuenit se maiorem gratiam habere. Iam verò considerandum, quòd præcipitur, vt ex his ciuitatibus non recedat vsque ad mortem summi Pontificis, Et quis noster summus Pontifex, nisi Iesus? Tãdiu ergo est in laboribus, ieiuniis, vigiliis insistẽdum, donec mortificentur membra nostra, quæ sunt super terram: donec mortem Iesu circũferamus in carne nostra: vt dicere possimus cum Apostolo. *Christo confixus sum cruci.* Et illud. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto* (*Galat. 2. & 6.*) Sed est & mortificatio spiritus, sicut & carnis. Ideo scriptũ est, *Psallite Deo in cithara & cithara*, id est duplici cithara. (*Psalm. 97.*) Est ergo etiam spiritualibus insistẽdum: vt sicut caro passionibus pessimis, ita spiritus prauis moriatur cogitationibus. Si sic complantati fuerimus similitudini mortis huius, cõsociabimur & resurrectioni, in nouitate vitę ambulãtes: & cùm Christus apparuerit vita nostra, apparebimus & nos cum ipso in gloria. Quod meritis & precibus beati Patris nostri Benedicti largiri dignetur ipse Domin⁹ noster Iesus Christus: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.



SERMO IN ANNVNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.



RECEDENS à nobis corporaliter Dominus & Salvator noster IESVS, præsentiã nobis suæ diuinitatis, præsentiam suæ gratiæ promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (*Matth 28.*) Sed quia nobis expediebat semper memores existere beneficiorum eius, quæ nobis per præsentiam suam corporalem exhibuit; quia sciuit memoriam nostrã esse corruptam per obliuionem, intellectum per errorem, studium per cupiditatem; piè prouidit nobis, vt ipsa sua beneficia non tantùm recitarẽtur nobis per Scripturas, sed etiam repræsentarentur nobis per quasdam spirituales actiones. Ideo quando tradidit discipulis suis sacramentum corporis & sanguinis sui, ait illis. *Hoc facite in meam commemorationem.* (*1. Cor. 11.*) Ob hanc causam, fratres, institutæ sunt istæ festiuitates in Ecclesia, (*Cur festis colãtur mysteria.*) vt per hoc, quòd modò eius Nativitatem repræsentamus, modò eius Passionem, Resurrectionem, Ascensionem: semper sit recens in memoria nostra illa pietas, illa suauitas, illa pura charitas, quam in nobis per hæc omnia ostendit. Ex his etiam plurimùm debet proficere fides nostra, quando & auribus nostris audimus, & quasi sub oculis nostris videmus, quid Christus pertulit pro nobis; quid etiam in ista vita dat nobis; quid post istã vitam promittit nobis. Pertulit pro nobis mortem, in pręsenti dat nobis peccatorum remissionem, promittit nobis post istam vitam æternam felicitatem. Omnis ista liberatio nostra, omnis ista spes nostra, omnis ista beatitudo nostra hodierna die incœpit. Ante istam diem non erat in mundo nisi miseria & tenebræ; sed hodie visitauit nos oriens ex alto, & exortum est lumen ijs qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebant. Hodie vestiuit se noster Ioseph polymita tunicą sua; id est varia & pulchra, in qua missus est à Patre, vt visitet fratres suos & oues. Hodie impleuit hoc, quod per Isaiam Prophetam prænuntiatum est, quod nos in exordio huius sermonis nostri proposuimus. *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem: & ingredietur Ægyptum.* (*Isai. 19.*) Multùm hoc desiderabat S. Moyses: sicut possumus ex eius verbis intelligere. Sicut enim sæpe audistis, & legistis, quando filij Israël patiebantur illam duram seruitutem in Aegypto sub Pharaone, apparuit Deus Moysi: & præcepit ei, vt descenderet in Aegyptum, & populum suum de illa miseria educeret. Sed Moyses, licet multùm doleret illã captiuitatem, quam patiebãtur filij Israël in Aegypto: magis tamen plangebat illam miseriam, quã totus mundus tolerabat sub diabolo. Et ideo illum desiderabat, illum quærebat, qui esset idoneus, non solùm illum populũ educere de Aegypto; sed etiam totum mundum de inferno liberare. Idcirco cum magno affectu dicebat. *Obsecro, Domine, mitte, quẽ missurus es.* (*Exod. 4.*) Sciebat quidem, quòd eũ missurus erat: sed nolebat, vt tantùm differretur. Ac si diceret. Scio, dulcis Domine, quia missurus es dilectum filium tuum: qui nos ab illa magna miseria, de illa infelici captiuitate liberaturus est: & ideo fortè significatiorem illius liberationis hanc vis præmittere. Sed quid tantis opus est? Ipse potiùs veniat, ipse descẽdat, ipse spiritualẽ Aegyptum, id est tenebras totius

mundi sua dulci præsentia illuminet. Hoc desiderium S. Moysis hodierna die impletũ est. Cõsideremus ergo, fratres, quanta debeat esse nostra exultatio, qui hoc videmus impletum, quod S. Moyses tam ardenti affectu desiderabat implẽdum. Hodie enim ascendit super quamdam leuẽ nubem, & egressus est Aegyptum. Aegyptus, fratres interpretatur tenebræ. Et quid erat tot⁹ mund⁹ ante aduentũ Christi nisi tenebrę? Et ideo omnino necesse erat, vt hoc mirabile lumen oriretur in his tenebris, idest vt Christus in mundo nasceretur. Sed sicut dicit Euangelista, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* (*Joan. 1.*) Sine dubio enim mẽs hominum ita erat in tenebris peccatorũ obvoluta & excæcata, vt nequaquam posset interiorem oculum in illam diuinam lucem intendere. Idcirco ipse, id est ipsa misericordia, misericorditer egit; & hanc claritatem suæ diuinitatis per quandam nubem nobis temperauit. (*Caro Christi nubes levis.*) Illa fratres, illa sanctissima caro, quam hodie ex virginis carne assumpsit, nubes appellatur: quia ex illa fuit adumbrata diuinitas. Sed leuis ideo dicta est, quia eam nulla grauauit iniquitas. Iniquitas grauis est, & in profundũ trahit. (*Zachar. 5.*) Ideo Propheta vidit eam sedere super talentum plumbi. Ipsa quoque caro eius satis conueniẽter appellatur tunica: quæ significata est per tunicam Ioseph, quæ polymita erat, varia, & talaris, quia pertingebat vsq; ad talos (*Gene. 37.*) Iste Ioseph, fratres, sicut ex sacra historia didicistis, filius fuit Iacob: quem ipse plusquã alios dilexit, quem genuit in senectute sua. Fuit autem filius Rachel: quæ post longam sterilitatem hunc demum filiũ genuit. Quę omnia Dño nostro Iesu Christo aptissimè congruunt. Ipse enim est, quẽ Pater plusquàm cęteros dilexit: in quo sibi per omnia placuit, sicut ipse dicit. (*Luc. 3.*) *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui.* Ioseph autẽ interpretatur accrescens. Hoc nomen nulli tam propriè conuenit, quàm Christo. Ipse enim est lapis ille abscisus de monte sine manibus, qui creuit in montẽ magnum, & impleuit vniuersum mundum. Vnde eius pater in benedictione ait. (*Gen. 47.*) *Filius accrescens Ioseph; filius accrescens, & decorus aspectu.* Verè decorus aspectu, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinẽ sol & luna mirãtur. Verè decorus aspectu. Ipse enim est Dei sapientia, de quia scriptum est, (*Sap. 7.*) *Speciosior est sole, & super omnem stellarum dispositionem.* Nascitur ille Ioseph de sterili, noster de virgine. (*Conuenientia sterilitatis & virginit.*) Est autem quædam conuenientia inter sterilitatem & virginitatem. Nam quamuis in virginitate sit quædã fœcunditas spiritualis, est tamen sterilitas carnalis. Sed quia illud priuilegium vero Ioseph seruabatur: vt de virgine nasceretur; ille Ioseph de sterili nascitur, quia sterilitas quodammodo vicina est virginitati. Quapropter illa prophetia libri sapientiæ satis conuenit beatæ Mariæ. *Felix est, & incoinquinata, quæ nesciuit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* (*Sap. 3.*) Felix vtique erat beata Maria, quæ vt vitaret carnis coinquinationem, elegit carnis sterilitatem. Nec multum illi curæ fuit de illa maledictione Iudæorum, *Maledicta sterilis in Israel.* Videte fratres, pulcherrimã quãdam conuenientiã inter filium & matrem. Scriptum est in lege Moysi. (*Deute. 21.*) *Maledictus est omnis qui pendet in ligno.* Non vitauit filius maledictum crucis; non vitauit mater maledictum sterilitatis. Ille autem per crucem nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, redemit: & illa quia elegit talem sterilitatem virginalem, meruit fœcunditatem, & Dei filiũ generauit. Non ergo sine causa de sterili natus est S. Ioseph. Illa enim in Rachel sterilitas matris nostri Ioseph præfignrabat virginitatem. Nec hoc sine significatione est quod Rachel interpretatur ovis. Melius multò mater nostri Ioseph potest appellari ouis: in cuius vell⁹ illa cœlestis pluuia descendit, sicut dicit sanctus Dauid. (*B. Virgo ouis.*) *Descendet sicut pluuia in vellus.* Vellus, vt ait quidam, cum sit de corpore, nescit corporis passiones. Sic virginitas cũ in carne sit, vitia carnis nescit. *Descendet sicut pluuia in vellus.* (*Psalm. 71.*) Vellus potest illum humorem, qui desursum venit recipere: sed non potest humorẽ de carnis voluptate sentire. Sic virginitas beatæ Mariæ illum rorem, qui de cœlo venit, excepit, sed nullam carnis voluptatem sentire potuit. Præterea quid tam conueniẽs agno, vt ovem habeat matrẽ? Videte ergo quàm conuenienter appellatur ouis, de qua ortus est agnus ille cœlestis, qui tollit peccata mundi; qui tamquam ouis ad occisionem ductus est; & quasi agnus coram tondente se obmutuit & non aperuit os suum. Porrò de Rachel dicit Scriptura. (*Gen. 29.*) *Erat autem pulchra & venusta aspectu.* Licet de beatissima Maria dulce sit opinari, quod fuerit etiã secundum corpus venustissima & formosissima: nos tamen debemus hæc verba ad interiorem eius pulchritudinem derivare. Sed quis poterit digne loqui de interiori ei⁹ pulchritudine: quam ipse, qui est speciosus forma præ filijs hominum, super omnes creaturas intantum amauit, concupiuit, sanctificauit, vt non solum eius mentem inhabitaret, sed & in eius corpore sibi habitaculum præpararet? (*Cant. 1.*) *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Sine dubio vbi ipse erat in sinu patris, ibi sensit odorem virginitatis eius, ibi considerauit pulchritudinem animæ eius: & ideo hodie missus est Angelus eius, qui eius nuntiaret aduentum, non solũ in cor eius, sed & in carnem eius. Videte fratres, quales nuptiæ, & quam cœlestes: in quibus sponsus Deus est, sponsa virgo, paranymphus Angelus. (*Nuptiæ Virginis cũ Deo*) Virgo per has nuptias non amisit virginitatẽ suam, Deus per has nuptias non amisit diuinitatem suam: Angelus per has nuptias non amisit dignitatem suam. Est adhuc in his nuptijs maius miraculum. Sponsus filius est, sponsa mater est, quia animam illius sanctissimæ Virginis suæ diuinitati coniunxit filius, quia Deus ipse homo factus, de ipsius vtero quasi sponsus de thalamo processit. Merito ergo eam Angelus salutavit dicens. (*Luc. 1.*) *Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Considerate fratres, qualia munera filius Dei misit sponsæ suæ. Modo veniunt in mentẽ illa munera, quæ filius Abrahæ per seruum patris misit Rebeccæ sponsæ suę; & illa sicut Rachel erat virgo pulcherima; quæ non noverat virum. (*Gen. 24.*) Servus autem Abrahæ iuxta aquam eam inuenit, ibi eam allocutus est, & ibi ei munera dedit. Nostra quoq; formosissima virgo, de qua loquor, libẽter manebat iuxta spirituales aquas, idest sanctas scripturas: ad has aquas sæpius recurrebat, vt posset dicere cum Propheta. (*Psalm. 22.*) *Super aquam refectionis educavit me.* Denique ibi eam inuenit Angelus; seruus videlicet Abrahæ, non illius terreni & mortalis, sed illius cœlestis & æterni. Sic enim dicit Euangelista. (*Luc. 1.*) *Ingressus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena Dominus tecum.* Quò ingressus est ad eam? Sine dubio

Virginis meditatio in momento annuntiationis. vbi ipsa se absconderat à vanitatibus sæculi, & de curis mundi ingressa erat in priuatum thalamũ suum, & clauserat ostium suum, & priuatim orabat patrem suum. Hauriebat sibi aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: idest de Scripturis sanctis, vbi legerat & virginis partum, & saluatoris adventum. Fortè eo tempore quo Angelus venit, habebat Isaiam in manibus, forte tunc studebat in illa Prophetia. *Isai. 7.* *Ecce virgo concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Putò quod ea scriptura in illa hora fecerat quãdam pulcherimam rixam in eius corde. Puto enim quia quando legit, quia futurum erat, quod quædam virgo debebat generare filium Dei, occultè & quodam timore optabat vt illa ipsa posset esse; sed iterum putabat, quod omnino indigna esset, cui tam magnum munus concederetur. Charitas rixabatur cum timore, devotio cum humilitate. Penè jam desperabat præ nimio timore, sed iterum præ nimio desiderio quod inde habebat, non potuit nisi sperare: iterum deuotio fecit eam præsumere: sed iterum magna eius humilitas faciebat eam hæsitare. Cùm ergo esset in hac hæsitatione, in hac fluctuatione, in hoc desiderio, ingressus Angelus ad eam ait. *Luc. 1.* *Aue gratia plena.* *Genes. 24.* Dedit servus Abrahæ, sicut dicit Scriptura, Rebeccæ inaures aureas & armillas. De his inauribus loquuntur amici veri sponsi, quorũ vnus est iste Gabriel, qui loquitur ad Mariam, & dicunt ad spõsum. *Cant. 1.* *Murenulas aureas faciemus tibi.* Murenulæ & inaures vnum sunt. Sunt autem ornamenta aurium, sicut armillæ sunt ornamenta brachiorum. Et vtique iste servus magni Abrahę, idest Gabriel Angelus, ornauit aures hujus nostræ virginis decoro ornamento, quando ait, *Aue gratia plena.* Ornauit brachia sua pulchra quadam armilla aurea, quando ait, *Dominus tecum.* Ille enim cuius aduentum Angelus nuntiabat, potest bene nuncupari armilla: quia sicut armilla nec initium habet nec finem; ita ille secundùm diuinitatem nec incipit esse, nec desinit. Hac armilla fuerunt ornata brachia huius nostræ virginis: quia ipsa Dei filiũ, quem de se genuit, sæpe inter brachia sua amplexans portauit. In his omnibus diuitijs & delicijs B. Maria non solùm carne sed etiam mente castissima perseverauit. Ideo dicitur in Canticis Canticorum. *Cant. 7. Vbi habetur castissima, non castissima.* *Pulchra es & decora, castissima in delicijs.* Corruptio carnis est luxuria: corruptio mentis superbia. Non est magnum in egestate seruare castitatem, sine virtutibus humilitatem. Nemo enim potest carnalibus vitijs subjacere, & spiritualiter superbire. Non modo loquimur de illa superbia, de qua solent carnales & sæculares homines superbire, sed de illa quæ solet perfectos & sanctos viros pulsare. Sicut ergo magnum est, in corporalibus diuitijs & delicijs carnis integritatem servare; ita sine dubio summum est, in spiritualibus gratijs hanc superbiam non sentire. Illa est vtique vera castitas mentis, quæ plenariè fuit in B Maria. Et ideo in his omnibus spiritualibus gratijs, quas habebat super omnes homines, audite quàm humilis fuit. *Humilitas B. Virginis* Dixit Maria ad Angelum. *Luc. 1.* *Ecce ancilla Domini.* Audite adhuc Evangelistam. *Exurgens*, inquit, *Maria cum festinatione, abijt in montana ad domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.* Addamus adhuc hoc. *Luc. 2.* *Ascendit autem & Ioseph in Bethleem, cum Maria desponsata sibi uxore pregnante.* Considerate in his omnibus miram humilitatem. Illa plena Deo, major mundo, celsior cœlo, fœcundior paradiso, decus virginum, gloria mulierum, laus hominum, lætitia Angelorum: illa quam filius Dei sibi elegit matrem, ancillam se nominauit, illa quã salutauit Angelus, magna obediẽtia fabro se subdidit. Illa Regina cœlorum, Domina Angelorum, quę Deum gestabat in vtero, parẽtem suam, quia ætate prouectior erat, humiliter salutauit. Opimè ergo B. Mariæ dictum est. *Pulchra es & decora, castissima in delicijs.* *Cant. 7.* Si bene possumus æstimare istam pulchritudinem, videbimus, quod dictum est de Rachel, nulli magis conuenire, quam matri nostri Ioseph. *Erat autem pulchra facie, & venusto aspectu.* *Genes. 29.* Dicit preterea Scriptura, quod Iacob plusquam cæteros filios dilexit Ioseph, eo quod in senectute genuisset eum. Filius Dei fuit Moyses, filius Dei fuit omnis Propheta, omnesque sancti filij Dei sunt. Sed, *quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filijs Dei.* *Psalm. 88.* Omnes dilecti, sed nullus ita dilectus, sicut noster Ioseph. Hunc in senectute sua genuit ipse ille antiquus dierum, de quo dicit Daniel. *Daniel 7.* *Aspiciebam donec throni positi sunt; & antiquus dierum sedit.* Vetustas Dei, siue senectus, siue longævitas, non est aliud quam eius æternitas. In hac æternitate hunc nostrum Ioseph æternus genuit sibi coæternum, & consubstantialem. Ipse est enim candor lucis æternæ & speculum sine macula Dei Majestatis; & imago illius bonitatis, Non est ergo mirum, si Deus Pater non diligit tantum illos qui sunt filij eius per gratiam, quãtum illum, qui filius eius est per naturam. Ipse etiam Ioseph noster, licet secundùm carnem sit posterior natu, quam multi alij filij Dei; ipse tamen primogenitus est omnium, sicut dicit Apostolus. *Qui primogenit⁹ est omnis creaturæ.* *Colos. 1.* Vnigenitus ex Deo, primogenitus ex mortuis. Propter hanc significationem de illo typico Ioseph dicit Scriptura, quod licet Ruben fuerit secũdùm carnem primogenitus, primogenita tamen reputata sunt Ioseph. Ideo de nostro Ioseph ait eius Baptista Ioannes. *Post me venit vir, qui ante me factus est.* *Ioan. 1.* Ac si diceret. Quamvis ego sim secundùm carnem priùs natus, ipse tamen est primogenitus. Quãtum autem ad homines spectat, illis senescit Deus, in quorum cordibus Dei amor tepescit, *Quibus senescat Deus.* charitas refrigescit. Iam huic mundo quodam modo Deus senuerat, quia omnes declinauerãt, simul inutiles facti fuerant, non erat qui faceret bonum. Fecit autem pater suus Ioseph tunicam polymitam. Hæc est illa nubes, de qua paulo ante locuti sumus, sanctissima caro nostri Salvatoris: sed ideo nubes est, quia per illam nobis claritatem suæ diuinitatis temperauit. *Caro Christi tunica polymita.* Tunica ideo, quia quasi vestitus carne in hoc mũdo apparuit: & quasi tunicam ipsam carnem suam quãdo voluit deposuit, & quando voluit iterum sumpsit. Fecerat jamdudum Adæ inobedienti tunicam, sed pelliceã; fecit Ioseph nostro, qui ei in omnib⁹ obediuit, tunicam, sed polymitam. Illa pellicea tunica, quæ solet fieri de mortuis & terrenis animalibus, ostendebat, illum esse terrenũ. Ista polymita tunica, quæ per illam pulchram uarietatẽ habebat quamdam similitudinem cæli, significat istum Ioseph esse cęlestem. Inde dicit Apostolus. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo celestis.* *1. Cor. 15* Pulcherrimè quoque illa tunica dicitur polymita: quia Dñs noster Iesus Christus omniũ virtutum varietate, etiam secundùm carnem, decoratus fuit. Ideo dicta est talaris, id est

attingens

attingẽs vsq; ad talos, vbi finis est corporis: quia illa sancta caro vsq; in finem incorrupta perdurat: sicut dicit Psalmista. *Non dabis sanctum tuũ videre corruptionem.* Exuamus ergo, fratres, tunicam illam Adæ pelliceam, opera scilicet tenebrarum, & quia hodie nobis verus dies illuxit, *Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione.* Hæc enim omnia pertinent ad illam tunicã, quam oportet nos exuere, si volumus illam tunicam polymitam induere, de qua statim subiunxit Apostolus. *Sed induimini Dominum IESVM-CHRISTVM.* Ad varietatem autem huius tunicæ alibi nos hortatur, dicẽs. *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam.* Hæc est illa pulchra varietas virtutum, qua principaliter indutus est Dominus noster IESVS CHRISTVS: quam inducere etiam habet omnis Christianus. Sed quia tunica nostri Ioseph nõ solùm polymita fuit; sed sicut in Evangelio scriptum est, desuper contexta per totum: postquam Apostol⁹ numerauit illam pulchram varietatem in diuersis virtutibus, statim de ipsa textura subiunxit. *Super omnia autem hæc charitatem habete: quod est vinculum perfectionis.* Sed sicut per hanc varietatem significatum est, ꝙ ipse plenus fuit omnibus virtutibus: ita per nubem leuem significatũ est, quòd vacuus & leuis fuit ab omnibus omnino vitiis. Possum⁹ etiam per illam nubem leuẽ beatam Mariam intelligere: per quam Dñs noster in Ægyptum, id est in hunc mundũ advenit. Ipsa rectè potest appellari nubes: quia illa pluuiâ spiritualis gratiæ plena fuit. Ideo leuis: quia eã nulla sarcina mundi onerauit. Super hanc nubẽ Dominus ascendit, & Ægyptum, id est mundi infima intrauit: secundùm illam prophetiã, de qua locuti sumus. *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. Et mouebuntur,* inquit, *simulacra Ægypti à facie eius.* Deo gratias, iam factũ est: mota sunt simulacra Ægypti: ablata sunt idola de mundo: vel pauci, vel nulli sunt, qui adorent lapides & ligna, sicut penè tot⁹ mũdus fecit ante aduentum Christi. Sed vtinam, fratres, sicut homines proiecerunt idola de domib⁹ suis: ita vellent homines omnia idola proiicere de cordibus suis. Sed quicumq; plus amat nummum, quàm Deum; Deum negligit, & idola colit. Quid est enim nummus; nisi idolũ, non Dei, sed hominis habens effigiem? Sed hæc nihil ad nos. Quid ergo? Nihil debemus de his simulachris timere? Vtinam nihil. Sed quamvis Iacob egressus sit de Mesopotamia Syriæ, licet ascenderit ad Bethel: tamen habebat in comitatu suo vxorem, quæ furata est idola Laban. Et nos, quãvis simus egressi de sæculo, sicut Iacob de Mesopotamia: tamen habemus adhuc sensualitatem & carnalitatem, quasi mulierẽ, quæ retinet memorias mundi, & imagines illius vitæ, quam deseruimus: ita vt illam partem memoriæ nostræ, quam solus Deus debet habitare, ista simulachra Ægypti occupent, & sibi vẽdicent. Propter hæc simulachra persequitur nos Laban, id est diabolus: & quia non potest nos sibi vendicare per diuitias mundi, per deliciosa conuiuia, per ebrietates, per libidines, per discordias, & inimicitias: quantùm potest, nititur, vt per illusiones horũ simulachrorum saltem nobis inferat calumniam. Quid ergo agendum est? Etsi non possumus ea ex toto expellere; debemus ea, quantùm possumus, tegere. *Beati enim, quorum remissa sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.* Quidquid enim in hac mẽtis instabilitate, & pervagatione, & huiusmodi memoriis delinquimus: vigilijs, ieiunijs, sedulisq; orationibus contegamus. Et quia charitas operit multitudinem peccatorum; hanc omni studio exerceamus: sic enim nihil suum in nobis diabol⁹ inueniet. Efficiemur enim per has virtutes vnum cum ipso, in quo ipse nihil inuenit. Insistamus omni intentione, vt possimus & nos spirituales nubes fieri: vt rore cælestis doctrinæ abundemus. Simus leues; vt à fæce cupiditatum liberi, possimus per quasdam pẽnas virtutum aluùs hoc mundo volitare. Si enim talis fuerit anima nostra; dignabitur Dominus super eam, quasi super nubem leuem ascendere: & Ægyptum nostram, id est tenebras cordis nostri illuminare, & omnia illa singula, de quibus locuti sumus, expellere, & animam nostrã solus possidere, solus inhabitare. Sed quia hæc simulachra solent oriri per quamdam curiositatem, qua solemus in hæc externa intendere: intremus cum beata Maria cubiculũ, & quãtùm possumus, nosmetipsos abscondamus: & clauso ostio deprecemur Dominũ nostrum Iesum Christum: vt qui hodie dignatus est assumere naturã nostram, secundùm suam voluntatem, nostramq; vtilitatẽ: præparet, & ita custodiat vitam nostram, vt in cordibus nostris semper maneat: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Psalm. 15. *Rom. 13.* *Coloss. 2.* *Vestis Christi polymita variæ eius virtutes.* *Ibidem.* *Isai. 19.* *Ablata sunt idola de domib⁹ non de cordibus.* *Genes. 31.* *Simulacra mundi apud Religiosos quæ sint.* *Psalm. 31.*



SERMO IN RAMIS PALMARVM.

QVAMVIS præsentia huius diei, quam omnes Christiani tam intente celebrant, sufficiat ad excitandum corda nostra in deuotione, tã propter recitationem Dominicæ passionis, quàm propter memoriam nostræ salutis, debemus tamen etiã officium vobis nostri sermonis adhibere. Sic enim ex omni parte nobis prouisum est, vt nullũ omnino institutum nobis desit, quod possit animos nostros in dilectionem Dei inflãmare. Primum autem videte fratres, quia duo quædam nobis hodie de Domino nostro IESV-CHRISTO commendantur; illa scilicet gloria maxima, quam ei gens Iudæorum in hoc mundo exhibuit: & illa maxima contumelia, quam illi eadem gens irrogauit. Sicut enim paulò antè ex Evangelio audistis, & adhuc post modicum audituri estis, cùm adueniret Dominus Ierusalem, sedens super asinum, turba multa ei obuiam processit: & alij vestimenta prosternebant in via; alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: & qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes. *Osanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini,* narratur etiam ex ipso Evan-

Duo hodie maximè cõmendantur. *Matth. 21.*

gelio, quod tunc non audistis, sed Deo annuente post paululum audietis, quantam contumeliam ipsa eadem gens Dño intulerit. Ligatus est enim ab eis, colaphizatus, & consputus, tandem turpissima, secũdum eorum æstimationem, morte damnatus. Sed intentius cogitate; quod dixi, eadem gens, non ijdem homines. Nam Iudæi fuerunt illi, qui Dñm cum tanto honore susceperunt: & Iudæi fuerunt illi, qui eũ tanta contumelia affecerunt. Sed tamen alij isti, alij illi. Hos vtrosq; ostendens quondã Dominus Ieremiæ Prophetæ per quamdam similitudinem, ait illi. *Quid tu vides, Ieremia?* Et ille. *Ficus: ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde, quæ cõedi non possunt, eo quòd sint malæ.* Bonæ quidem ficus illi appellantur, qui Dño tantam dulcedinẽ dilectionis suæ, tantam suauitatem obsequii sui exhibuerũt; vt digni essent, quos ipse quasi dulcissimas ficus comederet, id est corpori suo, sanctæ videlicet Ecclesiæ vniret. Ideo de bonis illis ficis ait Ieremias. *Tales fuerunt, quales solent esse ficus primo tempore.* Isti enim erãt quasi primitiæ sanctæ Ecclesiæ, de quibus dicit Apostolus. *Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Illi quoque pessimæ ficus conuemétissimè possunt vocari, qui nullam dulcedinem charitatis, nullam suauitatem devotionis in se retinuerant; sed per inuidiam, sed per odium, sed per malitiam, amarissimi facti erant; & ideo nequaquam digni, qui ab eo comederentur, id est qui in corpus suum traijcerentur. Ipsa erat vinea illa, de qua ipse dicit per Isaiam. *Expectaui, vt faceret vuas, & ipsa protulit spinas.* Spinas vtique protulit tam amaras, tam pungentes, vt etiam sanguinem de illo sanctissimo corpore educerẽt. Cùm ergo Propheta & bonas & malas ficus dixit, vtrasque ficus vocauit; sed tamen quandam divisionem inter eas fecit, qui alias bonas, alias malas nominauit. Sic & illi qui hodie clamaverunt, *Osanna filio David,* & illi qui clamabunt, *Crucifige crucifige eum,* Iudei quidem fuerunt, sed magna inter eos diuisio. Ista diuisio, fratres, satis aperte in libro IESV Naue significata est. Cùm enim filij Israël transituri essent Iordanem, vt in terram promissionis intrarent, secũdum præceptum Domini, primo ingressi sunt leuitæ in Iordanem, portantes Arcam Domini. Mox vt arca Domini ingressa est aquã, diuisæ sunt ipsæ aquæ; & illa quæ superior erat stetit ad instar muri, & illa pars quæ inferior erat, defluxit in mare. Illa arca, fratres, Dominum nostrum significabat. Erat in arca virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti, & vrna aurea habens manna. Hæc omnia in Domino nostro pulcherrimè inveniuntur. In eo quippe virga Aaron, id est potestas Sacerdotalis, quæ primo aruit in Iudeis, sed in Domino Iesu-Christo æternaliter effloruit, sicut illi dicit Psalmista, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* In eo sunt tabulæ Testamenti, perfecta scilicet scientia, sicut dicit Apostolus. *In quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Dicit quodam loco Apostolus. *Caput Christi Deus.* Et in Canticis de illo scriptum est. *Caput ejus aurum optimum.* Per vrnam ergo auream ipsa diuinitas eius intelligi potest. Vnde dicit Apostolus. *Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* In qua vtique manna continetur, panis scilicet Angelorum, refectio animarum sanctarum. Ille est panis de quo scriptum est. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Iste est panis, quem ipse Dominus post diem iudicij trãsiens omnibus suis ministrabit. Porro satis pulchè hæc tria in illo tabernaculo memorantur esse, virga, tabulæ, manna. Virga, qua nos erudiat: tabulæ, vt nos instruat: mãna, vt nos pascat. Virga flagellat nos, ne superbiamus: tabulis nos instruit, vt eum diligamus: manna dulcedinis suæ nos pascit, ne in via deficiamus. Hanc virgam quibusdam minatur dicens. *Visitabo in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum.* Hanc virgam Propheta desiderabat, qui ait. *Corripe me Domine, Verumtamen in judicio, & non in justitia.* Has tabulas nobis Dominus promittit, dicens. *Dabo legem meam in mentibus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Has tabulas desiderabat, qui ait. *Viam justificationum tuarum instrue me.* Hoc mãna promittit nobis Dñs dicens. *Venite ad me, omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiã vos.* In hoc spirituali cibo exultabat, qui ait. *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Arca ergo in Iordane, Christus in Iudæa. Per Iordanem quippe, qui erat in terra promissionis, quam Dominus ipse Iudæis promisit, & dedit, ipsi Iudæi significabãtur. Quemadmodum ad præsentiam huius arcæ diuisa est aqua, considerate eos, de quibus paulò ante cantastis. *Ingrediente Domino in sanctam Civitatem:* &c. Hæc est superior pars aquæ, quæ stetit: stetit in lege Domini, in via mandatorum eius, in exultatione laudis eius, in dulcedine dilectionis eius. Et bene superior pars. Pertinet enim ad Ierusalem quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater nostra. Bene superior, quæ non declinat cor suum in terram, & ideo clamat, *Osanna in excelsis.* Pueri autem dicti sunt, quasi puri. Puri à malitia, puri ab invidia, puri ab auaritia. Hos Propheta hortatur dicens. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Isti sunt veri Hebræi, id est transilientes. Transilierant quidem omnia caduca, omnia trãsitoria: tantùm in laudibus Creatoris sui. Saluatoris sui, iubilabant, exultabant. Illis vtique conveniebat palmas gestare in manibus; quod est signũ victoriæ, signum pacis. Agnoscebant enim inuictum Regem suum; qui, sicut dicitur in Apocalypsi, exiuit vincens, vt vinceret. Agnoscebant verum Salomonem filium Dauid: in cuius regno pax perpetua est, & requies sẽpiterna. Istæ sunt aquæ Iordanis, quæ dulcedinem suam, & suauitatem, quam de fontibus suis, id est de origine traxerãt Prophetarum & Patriarcharũ, sine admixtione alicuius amaritudinis, in præsentia huj⁹ arcæ seruabant: & ideo virtutem æternæ dulcedinis & suauitatis meruerunt gustare, & resurrectionis gloriã in suis factis ostendere Obuiantes quippe Dño cum palmis, resurrectionem vitæ pronuntiabant: quoniam Sancti venient cum exultatione, portantes manipulos operum suorum: portantes palmas victoriarum suarum, quas de diabolo obtinuerunt. Tunc, id est in illa resurrectione, ingredietur Dominus in sanctam Ciuitatẽ, in Ierusalem cælestem. Ingredietur autem cum pueris Hebræorum, qui in illa resurrectione illi obviam venient; sicut dicit Apostolus, *Nos, qui viuimus, rapiemur in nubibus obviam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Tunc vtique verè pueri; quia perfectè puri, non solùm à peccati contagione, sed etiam ab omni corruptione. Tunc verò Hebræi, id est perfectè transilientes, non solùm mortis periculum, sed etiam

Marginalia (left): Iere. 24. — Quinam bona ficus sint. — Hebr. 12. — Mala ficus qui nã sint. — Isai. 5. — Matth. 21. — Ioan. 19. — Iosue 4. — Hebr. 9. — Psalm. 109. — Coloss. 2. — Ephes. 5. — Cant. 5. — Coloss. 2. — Luc. 14.

Marginalia (right): Psalm. 88. — Iere. 10 & 31 — Psalm. 118. — Matth. 11. — Psalm. 22. — Quæ sit superior pars aqua Iordanis. — Psalm. 112. — Apocal. 6. — 1. Thessal. 4.

mortis metũ; tunc securè portabunt palmas victoriæ, cum magna exultatione & securitate dicentes. *Vbi est, mors, victoria tua? vbi est, mors, stimulus tuus?* Et verè, fratres, dignum fuit, vt illi resurrectionem vitæ pronuntiarent, quibus ipse Dominus positus est, non in ruinam, sed in resurrectionem.; sicut de eo prophetauerat Simeon. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum cui contradicetur.* Tria dixit. Ruinam alijs, resurrectionem alijs, signum quoque contradictionis. Iam in ista diuisione, de qua loquitur, videte quomodo alijs est Resurrectio IESVS, alijs ruina. Illis vtique, qui resurrectionem pronunciabant; qui futuram resurrectionem in suis factis ostendebant: qui se in anima iam resuscitatos manifestissimè declarabant, qui se ab ipso resuscitandos in die iudicij sperabant; illis sine dubio positus est Iesus in Resurrectionem. Videte nunc illam aliam partem Iordanis, quæ ad præsentiam arcæ Domini defluxit in mare. Cùm hodierna die hæc sancta arca, quam paulò ante cõmendauim⁹ charitati vestræ, in aquis Iordanis, id est populo Iudæorum appareret, vnde illa pars bona profecit, & se in meliori & fortiori statu cumulauit, inde alia pars, Scribæ scilicet & Pharisæi, in maiorem amaritudinem se quasi in mare præcipitauerũt, & quicquid de naturali fonte de quo egressi sunt secum traxerant, salina maris absorptum est. Omnem siquidem scripturarum scientiã, omnem legis cognitionem, omnem Prophetiæ intellectũ, in ipsis inuidiæ & malitię amaritudo cõsumpsit. Et ideo audientes clamorem populi, qui eũ laudabant, videtes illam mirabilem gloriã, quam ei exhibebant; nimio liuore stimulati, quia populum non potuerunt compescere, ipsum, qui hæc patiebatur, increpabant, dicentes. *Audis, quid isti dicũt?* Quibus ille optimè respondit,. *Amen dico vobis, quia si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Hoc iã fratres, manifestissimè impletum est. Iudæi tacent, clamant lapides. Impletum est istud propheticũ, *Lateres ceciderunt: sed quadris lapidibus ædificabimus.* Qui sunt isti lateres, nisi illi Iudæi lutei, & terreni: qui ab illo sancto ædificio Patriarcharũ & Prophetarum ceciderunt? Isti sunt, quib⁹ positus est Iesus in ruinã. Vnde enim illi meliùs ędificari poterant, inde miserabiliter ceciderũt. Sed illis ruentibus, qui fundamentum firmum & solidum reprobauerunt, ædificatur Ierusalem de lapidibus viuis, lapidibus quadris: qui adhęrentes illi solidissimo lapidi Christo, qui factus est in caput anguli. etiam ab illo nomen accipiunt. Eia Iudæi, quid proficitis? Factum est, quod voluistis. Non clamant modò pueri Hebræorum secundùm carnem, non clamant, *Osanna filio David.* Sed numquid ideo non clamatur? Clamant Reges, clamant Imperatores, clamant viri, clamant fœminæ, clamant juvenes, clamant virgines, clamant denique pueri, clamant senes. Videte miseri, videte excœcati, quot mille millia hominum ei hodie cum palmis obuiam procedunt. Videte, quot millia hodie ei non vestimẽta, sed ipsa corpora sua ei prosternunt. Audite, si tamen surdi non estis. Quot millium hominum hodie ore clamatur, cantatur, iubilatur, imploratur, *Osanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini!* Sed impletum est, quod ait sanctus David. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Ecce fratres, quod possunt hodie Iudæi in tot laudibus Christi. Irasci põssunt, fremere dentibus possunt, invidia tabescere possunt: sed desiderium peccatorum peribit. Adoratur Christus, laudatur, clamatur, quia illis luteis lateribus viui lapides clamant. Positus est ergo Iesus noster in ruinam & in resurrectionem multorum: in ruinam laterum, in resurrectionẽ lapidum. *Et in signum,* inquit, *cui contradicetur.* Hoc est signũ illud, ꝙ iam leuauit in medio Gentium, signum scilicet passionis suæ, signũ crucis suæ. Hoc est signũ, cui totus cõtradixit mũdus, scandalũ Iudæis, stultitia Gentibus. *Nos,* inquit Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Et videte fratres, quam cito huic signo cõtradictum est. Ipsa die qua erectum est signum istud, sicut audistis in Euãgelio ipso, scriptus est ei titulus à Pilato. *Hic est IESVS Nazaren⁹ Rex Iudæorum.* Contradictum statim. Dixerunt enim. *Noli scribere Rex Iudæorum.* Vicit hanc contradictionem crux Christi, & vbi impij putabant se magis Christum vicisse, ibi magis victor apparuit Christus. Fixum est in ipsa cruce signum victoriæ eius, & quod magis mirandum fixum ab ipsis inimicis eius. Inimici eius qui cõsenserant in morte eius, iam inter se certant pro gloria eius. *Noli scribere,* dicit Pharisæus: *quod scripsi scripsi,* dicit Pilatus. Et ecce jã interierunt Pilatus & Pharisæus, & adhuc non est deletum, quod scripsit Pilatus. Nonne fratres mei, mira quædam lætitia oritur in cordibus vestris, quando cernitis ante vos signum crucis, adhuc illo titulo gloriosum? Adhuc legi potest in cruce Christi. *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Adeo nihil profecit illa contradictio impiorum. Hanc contradictionem Iudæorum secuta est cõtradictio Paganorum, armantur etiam Imperatores contra crucem Christi, disputant Philosophi, Oratores concrepant, vilissimum etiam vulgus oblatrat. Quid dicam? Cõtra vnum lignum tot⁹ vbique pugnabat mundus. Sed iam fratres, considerate Domini nostri Iesu Christi omni potẽtiam, cõsiderate sapientiam. Per illud lignum quo nihil erat abiectius, nihil vilius, nihil odibilius, nihil horribilius: (quid enim vilius cruce, in qua latrones suspendebantur: sacrilegi interficiebantur, paricidæ necabantur) per illud inquã subjugauit Imperatores, infatuauit sapientes, simplices & idiotas erudiuit, pauperes glorificauit, omnes simul illos ligni adoratores fecit. Ecce fratres, in fronte Regum nihil gloriosius, nihil in manu insignius, nihil in pectore salubrius. Perijt jam omnis illa contradictio, sed vtinã sic à moribus, sicut perijt à vocibus. Multi autem, & quod magis dolendum, etiam professores crucis Christi, contradicunt cruci Christi. Non vtique vocibus, sed moribus. Audi Apostolum. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico,) inimicos crucis Christi.* Qui sunt contradictores crucis Christi, nisi inimici crucis Christi? Et qui sunt? *Quorum,* inquit, *Deus venter est.* Vos alloquor fratres meos, filios meos, nõ solùm adoratores crucis Christi, sed etiam professores, sed etiam ipsius crucis amatores. Vos alloquor, sentiat quisque vt volet, iudicet vt volet, blandiatur sibi quãtum volet: in cruce Christi nihil est tenerum, nihil molle, nihil delicatum, nihil quod carni & sanguini dulce sit. Iam ipsa crux Christi sit quasi speculum Christiani. In ipsa cruce Christi si respiciat, vt in vita sua mores sui ipsi cruci Christi conueniant, & inquantum


Marginalia (left column): 1. Cor. 15 — *Christus aliis ruina aliis resurrectio.* — Luc. 2. — Luc 19. — Isai. 9. — *Christo Gentiles acclamant Iudæis tacentibus.* — Matth. 21. — Psalm. 111.

Marginalia (right column): 1. Cor. 1. — Ioan. 19. — *Titulus crucis nequit à Iudæis tolli.* — Ioan. 19. — *Crucis victoria & gloria* — Philip. 3.

participat cruci Christi. Intantum sibi præsumat gloriam Christi. Qui autem abijcit amaritudinem crucis Christi, timeat ne forte arceatur ab aspectibus crucifixi. Iam fratres mei, quantum vobis gaudendum est animaduertite, qui vos cum ipso Christo crucifixistis. Veritatem dico fratres, non mentior. Ordo noster crux Christi est. Duo ergo hæc, fratres, diligenter seruate, vt nec à cruce Christi discedatis, nec in cruce positi cōtra crucem aliquid faciatis. Quod est, vt apertiùs dicam, in ordine vestro perseuerate, & in ordine ipso perseuerantes nihil scienter contra ipsum ordinem facite; & sic sine vlla dubitatione quo Christus de sua cruce præcessit, vos sequemini. Delectat me fratres, de cruce Christi, quæ est gloria nostra, via nostra, prolixiùs loqui: sed modus adhibendus est, maximè quia ipsis diuinis officijs necesse habemus diutius immorari. Ob quod conuertamus nos ad ipsum Dominum nostrum IESVM-CHRISVM, eiusque misericordiam exoremus: vt ipse respicere dignetur super hanc familiam suam, pro qua nō dubitauit manibus tradi nocētium: & crucis subire tormētum! Qui cum Patre & spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Ordo Religiosus crux Christi est.

Christi crux gloria nostra.



SERMO SECVNDVS IN RAMIS PALMARVM



AVDISTIS, fratres carissimi, in lectione Euangelica, quemadmodū Dominus noster cùm appropinquasset Ierusalem, fecit sibi adduci asinam & pullum. Audistis etiam deuotionem plebis Israëliticæ: quomodo processerunt ei obviā, cum ramis palmarum: & illi qui præcedebant, & qui sequebantur, clamabāt dicentes. *Osanna filio Dauid.* Sed dicit aliquis. Verum quidem est, audiuim⁹ ista, & cum magna exultatione audiuimus. Sed quid hoc pertinet ad hanc diē: in qua repræsentamus non passionem Dñi, sed aduentū? Ita est, fratres, hoc sine dubio factum est, sicut alij Euangelistæ apertè ostendunt, paucis diebus ante passionem eius. Nam propter gloriam istam Pharisæi & Pontifices maxima inuidia cruciabātur, & congregato concilio tractabant de morte eius. Puto tamen, quia nō sine causa hodie historia hæc in omni Ecclesia recitatur; nec sine causa ità à sanctis Patribus statutū est. Scitis, quia rota, quā vidit Ezechiel, quatuor facies habebat. Rota illa significat sanctam Scripturam. Vnde dicit Psalmista. *Vox tonitrui tui in rota.* Ista rota quatuor facies habet: & aliquando consideramus tantùm vnam eius faciem, aliquando duas, aliquando tres: aliquando omnes quatuor. Prima facies eius est historia, altera moralitas, tertia allegoria, quarta anagoge, id est sensus de superioribus. Quibusdam, qui non possunt cape profundiora, ostendit Scriptura primam faciem suam, id est simplicem historiam tantùm: & illi in pulchritudine huius faciei delectantur. Hinc est, quòd quidam videntes tantùm istam faciē Scripturæ, quia in quadā parte ista facies minùs formosa est: sicut in facto Iudæ Patriarchæ, qui cū nuru sua concubuit: sicut & in facto Dauid, qui occiso Vria accepit eius vxorem: quando non poterant videre alteram faciem huius scripturæ, quæ formosa est: propter istam vnam faciem, quā viderunt, spreuerunt eam Scripturam. Ergo fratres, audiuimus istam scripturā Euangelicam, & considerauimus vnam eius faciem, idest eius simplicem historiam, & satis pulchra nobis apparet. Quæ enim scriptura pulchrior, quā ista, quæ narrat gloriam dulcissimi Domini nostri, & deuotionem fidelis populi? Sed tamen secundū istam faciem suam non ostendit nobis, quod ad tempus istud lectio ista pertineat. Considerem⁹ quapropter eius alteram faciem, & videamus vtrum illa nobis aliquod huius temporis reuelet mysterium. Et ideo breuiter intimaudum, quid in se sacramenti tempus istud contineat. Constitutum est hoc tempus, fratres, vt ad memoriam reuocemus aduentum Domini nostri Iesu Christi: quomodo ille, quem sancti patres veteris testamenti diu expectauerant, & multum desideraverant, humiliter venit, vt nos redimeret: vt etiā non obliuiscamur secundum eius aduentum: in quo ille, quem omnes sancti expectant & desiderant, veniet cum magna potestate & gloria, vt totum mundum iudicet, & reddat vnicuique secundū opera sua. Hæc sunt principaliter illa duo scilicet memoria vtriusque aduentus eius, propter quæ ista celebratio constituta est, & hoc necessario. Valde enim bonum est, vt hæc duo semper habeamus in memoria; idest primum adventum Domini, & secundum: quia de primo nascitur in cordibus nostris amor Dei, de secundo timor. Consideremus ergo hoc Euangelium, quod modò lectum est, vt videamus quæ ibi sacramenta cōtineantur. *Cum appropinquasset Dominus Ierusalē.* Scitis fratres, quia secundū literā Ierusalem quędam ciuitas fuit, quam acquisiuit Dauid sanctus, & ædificauit: in qua etiam Salomon fecit illud mirabile Templum, de quo sæpe audistis. Secundùm istam faciem, idest secūdùm historiam, nihil nobis ostenditur, quod ad istam pertineat celebritatem. Ideo necesse est, vt aliam huius scripturæ faciem attendamus. Ierusalem, sicut audire consueuistis, visio pacis interpretatur. Istud nomen primum illis conuenit, qui permanēt in perfecta visione Dei, qui vera pax est, & vera mentis tranquillitas; ac per hoc in seipsis veram pacem & tranquillitatem sentiunt. Hæc est illa beata Angelorum societas, quæ vtique dicitur Ierusalem, & propriè, sicut dicit Apostolus Paulus. *Quæ sursum est Ierusalē, libera est; quæ est mater nostra.* Sed huic ciuitati quomodo dicitur appropinquare Iesus, cum in ea semper sit, & illa ciuitas numquā ab eo recesserit? Hæc est illa alia facies huius scripturæ; idest anagoges, videlicet sensus de superioribus. Appareat nobis nunc illa facies, quam allegoriam nominauimus. Secundum hunc quippe sensum Ierusalem significabat Ecclesiam sanctam in hominibus: cui dicit Isayas. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.* Ipsa dicitur Ierusalem, non quia perfectè videt eam pacem, quam vident Angeli: sed quia ad illam pacem tendit rectè credendo, bene operando, feruenter amando illum, qui est pax nostra, Iesum Christum Dominum nostrum. Et huic Ierusalem quomodo appropinquauit

Psalm. 46.

Quatuor sēsus scripturæ

Genes. 38.

2. Reg. 11.

Duo aduentus Christi in memoria habendi.

Matth. 21.

Galat. 4.

Isa. 60.

Deus, qui vbique præsens est, & nusquam deest? Et tamen dicit per Prophetam, *Aproximate mihi & ego appropinquabo vobis.* Et quomodo nos appropinquamus ei, qui in ipso viuimus, mouemur & sumus? Dicit tamen Propheta. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Culpat enim Dñs quosdam & dicit. *Væ illis, quia recesserunt à me.* Qualis est iste accessus & recessus? non fit de loco ad locũ sed de affectu in affectũ. Si amas, mundũ recessisti à Deo. Si recedis ab amore mundi, & incipis amare Deum, jam accedis ad Deum. Nos itaque appropinquamus ei, quando proficimus in illius amore: ille appropinquat nobis, quando dignatur misereri nobis. Isto modo recessit Adam à Deo, scilicet minus illum amando, & plus mundum. Amauit enim priuatam excellentiam, quæ vtique pertinet non ad Deum, sed ad mundum. Hoc modo recessit totum genus humanũ à Deo; ideo quoque ipsa quæ nũc est Ecclesia Dei isto modo recessit à Deo, & tam longè, vt nullomodo p se posset appropinquare Deo, nec accedere ad eum. Necessariũ ergo erat, vt quoniã ipsa non poterat accedere ad Deum salutem suã, ipse Deus salus eius accederet ad eam. Sed primò appropinquauit. Accessit quidem, quando illam mirabilem misericordiã exhibuit, quã in cruce pendens suum pro ea sanguinem fudit, & aperto latere suo sibi eam vniuit & sociavit, vt essent duo in carne vna. Si ergo tunc accessit, appropinquauit vtique, quando ei misericordiam istam promisit, prędicauit, & cœpit ostẽdere. Appropinquauit Iesus Ierusalem, salus Ecclesiæ, salus mundo, salus misero homini expulso de paradiso, quando se futurum hominem prædixit, & misericordiam quam postea impleuit, ipsi Abrahæ promisit, dicens. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* De semine Arahæ nasciturus erat Christus; per quem abolenda erat illa maledictio, quæ lata est in Adam, & illa benedictio danda, quam prophetauit Isaias dicens. Quia *seruos suos vocabit nomine alio.* Primo vocabantur serui eius Iudæi, sed modo vocantur Christiani. *Et seruos suos vocabit nomine alio: in quo qui benedicendus est super terrã, benedicetur in Domino.* Quia sinedubio nullus potest cauere maledictionẽ, nec habere benedictionẽ, qui hoc nomen non habuerit. Ergo tunc appropinquavit Iesus Ierusalem, idest Ecclesiæ, quando suum aduentum promisit Ecclesiæ per sanctum Abraham. Sanctam Ecclesiam apertè significauit, quando omnes gentes nominavit; quia sancta Ecclesia de omnibus Gentibus constat. Tunc igitur cœpit appropinquare, sed non adhuc venit Bethphage. Bethphage quippe interpretatur domus buccæ, vel domus oris. Venerat fortasse ad Bethaniam, non autem ad Bethphage. Nam sicut alij Euangelistæ euidenter ostendũt, primo venit ad Bethaniam, ac deinde cum appropinquasset Ierusalem, venit Bethphage, ad montem Olineti. Bethania interpretatur domus obedientiæ. Et quid erat illa sancta anima Abrahæ, nisi domus obedientiæ, qui vt bonum obedientiæ seruaret, ꝓprio filio, & tali filio non credidit esse parcendum? Huic igitur primo venit Iesus, quia de aduentu Domini nostri Iesu primò ad eũ facta est promissio. Sed hanc promissionem, hanc futuram Domini misericordiam, ipse & filij eius tantum, & si aliqui alij, tamen pauci sciebant, sed tamen alijs non ostendebant. Non ostendebãt per oris prædicationem, sed per quædam occulta & mirabilia signa. Ideo non venerat adhuc Dñs ad Bethphage, idest ad domum oris. Nam sine dubio sancto Abraham per quoddam signũ occultum ostendit Incarnationem Dñi, quando mittens seruum suum, vt assumeret vxorem filio suo, ait. *Pone manum tuam sub femore meo, & iura per Deum cœli.* Quid est hoc? Deus cœli erat in femore Abrahæ? Ostendit certè pulchrè, sed occultè, quare voluit, vt filius eius acciperet vxorem: non vtique vt satisfaceret libidini eius, sed vt procrearet illud semen, de quo nasciturus erat Deus cęli. Ideo præcepit ei, vt poneret manũ sub femore ejus, & iuraret per Deum cœli: quia sine dubio de eius femore, idest generatione nasciturus erat Deus cœli. Nam quòd femur ponatur pro generatione, satis vsitatum est in scripturis, secundum illud. *Omnes animæ quæ exierunt de femore Iacob, septuaginta.* Et, *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius.* Sed hoc signũ Dominici aduentus occultum erat, quia nondum venerat Iesus ad domũ oris, idest non apertè ej⁹ Incarnatio prædicabatur [illegible] alicui, id est populo. Sed cum iam filij Israel educti essent de Ægypto, cum accepissent legem, cum sacrificia celebrarent, & tabernaculum construerent, tunc venire cœpit Iesus ad domum oris, quia apertè omni populo cœpit eius aduentus reuelari. Nã apertè Moyses coram omni populo dixit de eo. *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris: tamquam me ipsum audietis. Omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo suo.* Quod esse Prophetatum de Domino Iesu, ipsi Apostoli ostenderunt. Hoc enim testimonio sæpe vsi sunt cõtra Iudæos. Venit Dominus ad Bethphage, quãdo Isaias Propheta ipsum aduentum Domini, & virginis partum prophetauit dicens. *Ecce virgo cõcipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quando venit ad montem Olineti? Olios Grecè misericordia dicitur. Mons ergo Olineti significat illam excellentiam, & vt ita dicam, cumulum misericordiæ illius, de qua loquimur. Venit tunc ad montem Olineti, quando iam illud tẽpus appropinquauit, in quo voluit illam mirabilem & excellentem misericordiam ostendere, quã prius Abrahæ obedienti promiserat, & postea per Prophetas suos omni populo predicauerat. *Cum ergo appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Olineti, tunc misit duos discipulos, dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullũ cum ea. Soluite & adducite mihi.* Quid significant isti duo discipuli, quos præmittit Dñs? Hi sunt qui præcedunt faciem eius in omnem locum & castellum, quò est ipse venturus. Sic enim habes in Evangelio Lucæ. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos discipulos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.* Fortassis ergo isti duo significant illa duo, quæ vbique præcedũt faciem eius, de quibus ait Psalmista. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Facies eius significat præsentiam illius, præsentiam misericordiæ eius, præsentiam salutis nostræ per aduentum eius. Hanc faciem eius, hunc adventum eius, præcedit misericordia & veritas, vt adducant sibi asinã & pullum. Puto quòd per asinam & pullum possumus non inconuenienter accipere totam humanam naturam, idest carnem & animam. Per asinam carnem, propter tarditatẽ & grauitatẽ; per pullũ

Psalm 33. Ose. 7. Quõ approximemus Deo, & ille nobis. Genes. 22. Isa. 65. Abraha anima domus obedientiæ. Gene. 22. Incarnatio Abrahæ reuelata fuit. Gen. 24. Exod. 1. Gene. 49. Deutero. 18. Isa. 7. Mat. 21. Luc. 10. Psalm. 88. Facies Dei præsentia eius est.

Misericordia & veritas in Incarnatione. animam propter leuitatem & mobilitatem. Misericordia & veritas adducunt asinam & pullum ad filium Dei, quia vt verbũ caro fieret & habitaret in nobis, misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Misericordia & veritas adducunt asinam & pullum ad Dei filium, quia vt hominem totum, id est & carnem & animam Dei filius assumeret, sine dubio misericordia & veritas fecit. Non enim sola faceret misericordia, quia non posset sine veritate. Non faceret sola veritas, quia nollet sine misericordia. Item fecit hoc, vt scilicet Dei filius asinam & pullum, id est carnem & animam haberet, misericordia & veritas: veritas, quia hoc promisit Iudæis; misericordia, quam voluit exhibere paganis. Et ideo pulchrè hæc duo præmittit, quia hæc ante suum aduentum iureiurando quasi in veritate Iudæis promisit, & hanc misericordiam Gentibus exhibere proposuit. Quod Apostolus aperte ostendit, dicens. *Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circũcisionis propter veritatẽ Dei, ad cõfirmãdas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum.* *Rom. 15.* Ergo misericordia & veritas obuiauerunt sibi, & veritas de terra orta est: assumensq; sibi asinam & pullum, corpus & animam, venit ad Ierusalẽ: venit visitare Ecclesiam suam, venit eam saluare. Quod vtique non fecisset, nisi illo modo, vt diximus, asinam & pullum insedisset. Nec mouere debet, quòd ait, *Soluite.* Nam licet caro & anima quam Dei fili⁹ assumpsit, nũquam peccato fuerit obligata; quia statim ex quo homo ille creatus fuit, vtique perfectus Deus fuit: tamen quia ipsa humana natura semper ante in omnib⁹ hominibus fuerat peccatorum vinculis alligata: in ipso Dño nostro, eo quòd semper fuerit libera, non incongruè dicitur soluta: Si verò dicere voluerimus, quòd beatissimam Mariam, de qua natus est, misericordia & veritas ab omni peccati obligatione absoluerit, antequam cõciperetur in ea: vt hoc sit soluere asinam & pullum, & adducere ad Iesum, beatissimæ matris eius carnem & animam ab omni peccato mundare, & sic eam Dei filio grauidare: siue ergo hoc, siue illud dicatur: puto, locum istum non inconvenienter expositum. Audiuimus modum, quo Iesus venit ad Ecclesiam suam videlicet secundùm carnem & animam quam assumpsit. Nam secundùm diuinitatem nec venit nec recedit, quia vbique præsens est. Sed quid significant ista vestimenta, quibus discipuli tegunt hæc animalia, in quibus sedet Dei filius? Dicit Euangelista, quia *adduxerunt asinam & pullum: & eum desuper sedere fecerunt.* *Matth. 21.* Quomodo potuit super vtrumque sedere? A litera abstracti cogimur spiritualem sensum investigare. Salvo ergo alio sensu, quo per aliam significationem hæc duo animalia significant duos populos, Iudæum & Gentilem, salvo inquam & hoc sensu, dicimus eum in vtroque hoc animali venisse ad Ierusalem: quia in humana natura, quam totam assumpsit, id est in anima rationali & carne, Ecclesiæ suæ, hoc est, fidelibus suis apparuit. *Asina & pullus Iudæi & Gẽtiles sunt.* Sed quid significant hæc vestimenta? Forte hæc sunt illa, quibus major & minor filius Noë patris verenda versis vultibus texerunt. Magnum sacramentum fratres. Sed quia in multis occupatos nos habet dies hęc, breuitur dicam, quia hæc vestimenta significant fidem & doctrinam Apostolorum & Prophetarum: per quam humanitas Christi quasi quædam infirmitas cognitionẽ diuinitatis operitur. Illi asinam & pullum, quibus insedit Iesus, quasi nuda reliquerunt, qui credebant & prædicabant, eum esse solum hominem, & non Deum. Isti nudam reliquerunt humanitatem eius; sed fides & doctrina Apostolorum & Prophetarum non dimiserunt eã modum: quia eius infirmitatem, quã cõtempserũt infideles, fortitudinẽ diuinitatis ej⁹ prædicãdo, texerunt. *Nestoriani Heretici.* Ait quippe Isaias. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* *Isai. 7.* Ecce homo. Sed ne infirmus & paruus æstimaretur hic homo, statim subiunxit. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel:* quod est nobiscum Deus. Sic Paulus cum de infirmitate eius dixisset, *Factus est obediens vsque ad mortem*, paulò post ait, *quia Dominus Iesus Christ⁹ in gloria est Dei Patris.* *Philip. 2.* Plurima *autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & clamabant, Osanna filio David.* *Matth. 21.* Dictum est, quomodo Dominus venit ad Ierusalem: nunc dicitur, quomodo ipsa Ierusalem, hoc est Ecclesia sancta suscepit eius adventum. Ecclesia præcedit, & Ecclesia sequitur aduẽtum eius. Non enim est Ecclesia solùm ista fidelium cõgregatio, quæ credit in eum post ejus adventum, sed omnes sancti ab Abel iusto vsque ad vltimum iustum, qui erit in hoc mundo, pertinent ad sanctam Ecclesiam; & de omnibus illis constat illa vna Ecclesia, cui dicitur. *Vna est columba mea.* *Ecclesia ab initio mundi* *Cant. 6.* Pars vna præcedit aduentum eius; Abel, Noë, Abraham, David, & cæteri sancti. Pars alia sequitur: Apostoli, Martyres, Confessores, & omnes fideles: inter quos & nos per eius misericordiam sumus. De istis omnibus alij vestimenta sua prosternunt ante pedes Iesu, alij ramos arborũ. Ramos arborũ prosternũt, qui omnem mundi gloriã propter Chistum abijciunt, Quid enim sunt diuitiæ & gloria istius mundi; nisi vt folia & rami arborum, quæ virent in æstate, in hieme arescunt? Quia sine dubio omnis gloria mundi in prosperitate quasi florescit: sed in adversitate, maxime in ipsa morte hominis, quãdo supervenit tẽpestas hiemalis, id est extrema dãnatio, vilescit & sordescit. *Qui ramos & vestes offerũt Christo.* Sed beat⁹ est, qui ea prosternit ante pedes Iesu, distribuẽdo pauperibus qui sunt quasi pedes eius, infirma scilicet membra eius. Multo autem beatior est, qui etiam vestimentum suum potest pro Christo cõtemnere, & sub pedibus eius prosternere. Quid est enim vestimẽtum nostrum, nisi corpus nostrum, quo ipsa anima quodammodo tegitur & operitur? Beatus qui ipsa membra sua, ipsum corpus suum pro Christo potest contemnere, & omnia facta corporis sui in Dei obsequio mancipare. Vtrumque fecerũt, & illi qui præcedebãt aduentum Domini, & qui sequebantur. Nam sancti Patres in veteri testamento diuitias mundi & gloriam pro nihilo duxerunt, propter fidem quam habebant in Christi aduentu. Multi etiam corpora suo martyrio subdiderunt, sicut protomartyr Abel, sicut Isaias, sicut martyres Machabæi. Quot autem non solùm sigillatim homines, sed quot millia hominũ hæc omnia fecerint post aduentum eius, quis potest enumerare? Ex illorum numero & vos estis. Vos ramos arborum, omnem scilicet pompam mundi, projecistis in obsequium & honorem Christi: vos, quod majus est, ipsa corpora vestra pro illo cõtempsistis: vos ipsam animam vestrã, quod adhuc est amplius, in honorem Christi expendistis: quia propriam voluntatem animæ vestræ dimisistis. Porro omnes qui præibant & sequibãtur eum dicebant. *Osanna filio David, Be-* *Matth. 21.*

nedict⁹ qui venit in nomine Domini. Magna fides, magna confessio, magna laus. Osanna est vox postulantis salutem, quasi diceretur, salvifica. Sine dubio illum cōfitentur salvatorem, à quo postulant salutem, quod propriè pertinet ad Deum. Vocant eum filium David, quia confitentur eum verum hominem. Benedicunt eum, quia venit in nomine Domini: per quod aperte ostendūt, quia ipse est Deus, quem Deus Pater promisit venturum. In ista fide suscipit Ecclesia aduentum filij Dei. Credit eum verum Deum, & verum hominem: verum mundi Salvatorem, à Deo Patre promissum, à sanctis Prophetis prænuntiatum. In ista fide & illi qui præcedunt aduentū eius, & & illi qui sequuntur, conueniunt & sociantur, & sunt vna Ecclesia: in ista fide vtrique saluantur. Quicumq; sine ista fide sunt, extra Ecclesiā sunt: ad illos non venit Christus; & ideo non saluantur. Hęc de primo aduentu. Scire autem debetis, fratres, quia in ipsa eadē forma, in qua venit primò, vt redimeret Ecclesiam suam, veniet secūdo vt glorificet Ecclesiam suam. Sic enim dixerunt Angeli Apostolis post Domini Ascensionem. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hoc erit fratres, ad cumulum damnationis impiorum. Non enim sine magna cōfusione & dolore poterunt videre illum in tanta gloria & potestate: quem contempserūt in humana infirmitate. Huic secundo aduērui Dñi conuenit satis, quod de ista historia alii quoque Evangelistæ narrant. Veniente Iesu Ierusalem, pueri Hebręorum acceperunt ramos oliuarum, vel palmarū: & venerunt ei obuiam. Sic erit in secundo aduētu Dñi. Cùm enim venerit, vt glorificet Ecclesiam suam, exhibens eam omnino perfectam sine macula & ruga; tunc vtique pueri Hebrçorum venient obviam ei cum palmis, siue oliuarū ramis. Isti sunt pueri, quibus dicit Dauid. *Laudate pueri Dominum.* Et item. *Custodiens paruulos Dominus.* Nō magnos, elatos, superbos, custodit Dominus: sed parvulos, id est humiles. Isti laudant Dñm, si tamen fuerint Hebræi, id est transilientes. Si enim modò humiles trāsiliunt vitia carnis, & opera, & dant saltus per contemplationem & bonas cogitationes: tunc sine dubio in die iudicij, cùm Iesus venerit in sua potestate, ipsi venient obviam cum palmis, id est cum signis victoriarum, quas hic conquisierunt de diabolo. Palmæ enim significant victoriam. Tunc poterunt, quasi cū palmis gloriari, & dicere. *Vbi est, mors victoria tua? Vbi est, mors, stimulus tuus?* Tunc etiam venient cum oliuis, quæ pacem significant. Modò enim pacem non habent, pugnantes cum diabolo, cum mundo, & vitiis, & cum carne sua. Sed tunc erit pax perfecta, & tranquillitas vera: quando caro nō resistet spiritui, nec spiritus Deo: nec diabolus impugnabit, nec mors vel infirmitas vlla vmquam grauabit. Si istam pacem in secundo eius adventu volumus habere, primum eius aduentū suscipiamus cum fide & dilectione. Perseueremus in operibus, quæ nobis ostēdit, & docuit: nutrientes in nobis eius amorem, & verum desiderium; in quibus occurramus ei in virum perfectum, cùm venerit iudicare sæculum: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sęcula sæculorum, Amen.

Ecclesia eadem vtriusque testamenti. — *Acto. 1.* — *Psalm. 112. & 114.* — *Humiles Deum laudant non elati.* — *1. Cor. 15.*



SERMO IN DIE SANCTO PASCHÆ.

QVASI MODO *geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Apostolus vos hortatur, fratres, ad desiderandū lac: & tale lac, in quo possitis crescere, & crescere in salutem. Sed audite, quid addit. *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Et illud lac quid debet significare, nisi dulcedinē Iesu Christi? Quid est hoc ergo, quod nos hortatur desiderare lac, si tamen gustauerimus, quoniam dulcis est Dominus? Videtur ergo, fratres, quòd Apostolus faciat hic mentionem de duabus maneriis dulcedinis. Fortasse vna maneria illa est, quā in his diebus gustastis: & ideo securè vos hortatur, vt desideretis illam aliam maneriam dulcedinis, quæ significatur per lac. Quia credibile est, quòd in istis dieb⁹ gustastis, quàm dulcis est Dominus: vos maximè, qui vidistis & considerastis quasi in præsentia vestra, IESVM Christum in cruce: qui vidistis illa sancta brachia expāsa, quasi ad vos amplectendum: qui considerastis illa dulcia vbera discooperta, quasi ad vos reficiendum. Hæc omnia, fratres, licet semel sint facta: quia sicut dicit Apostolus, *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*: tamen vos hæc omnia multò meliùs vidistis, & clariùs oculis cordis, quàm multi tunc viderunt oculis corporis, quando facta sunt. In his omnibus gustastis, quia dulcis est Dñs. Dulcis, humilis, mitis, misericors, suauis, & pius. Quantam enim ostēdit dulcedinem in illa cœna, quam celebrauit cū discipulis suis ante passionem suam! In ista namque cœna dixit discipulis suis. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Hæc est illa dulcissima esca, in qua Iudæi miscuerunt fel: sicut proclamat sanctus Dauid. *Dederunt in escam meam fel.* Hoc secundùm literam impletum fuit, quando dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Sed quia illud fel datum est ei in potum, non escam: videtur, quod Propheta nos voluit in his verbis mittere non solùm ad literā, sed etiam ad significationem. In hanc ergo dulcissimā escam, quā tam dulciter, tā humiliter sumpsit cum discipulis suis, Iudæi miscuerunt fel: qui ipsum discipulum, qui cum aliis ad istam escam venerat, corruperunt pecunia, & abstulerunt ab eo dilectionem, & eum felle malitiæ amarissimum reddiderunt. Et quid erāt illi boni discipuli eius, nisi esca eius, in quibus ipse delectabatur, quorum dilectione & deuotione pascebatur? Et quid erat ille traditor Iudas inter illos, nisi sicut fel in bona esca? In illa cœna vetus illud Pascha, quod solebant celebrare Iudæi, finiuit, & illud nouū Pascha, quod nos celebramus, incepit. Et quomodo potuit nobis maiorē dulcedinem ostendere, quàm relinquere nobis in sui memoria corpus suum, & sanguinem? Vo-

1. Petri 2. — *Duplex in Christo dulcedo.* — *Hebr. 9.* — *Luc. 22.* — *Psalm. 68.* — *Iudas inter discipulos quasi fel in bona esca.*

fuit enim, vt illud pretiũ, quod semel dedit pro nobis, semper esset in oculis nostris. Voluit quadam mira affectione, vt corpus suum & sanguis esset non solùm pretium nostrum, sed etiam cibus noster. Nonne videtur vobis, fratres mei, apertissimè illum in cœna implesse, quod dixit Propheta Dauid, quia *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc?* Postquam enim celebrauerat illud vetus pascha, quod solebant celebrare Iudæi per carnem agni & sanguinem, accepit Iesus panẽ, & tradens discipulis, dixit, *Hoc est corpus meum*: & postea calicem, dicens, *Hic est sanguis meus*. Videte, quomodo calix in manu Dñi. Quid est iste calix, nisi institutio legis? Plenus erat calix iste meri vini, id est puri vini. Istud vinum est spiritualis intelligentia, quæ fuit in illis institutionibus, quæ erãt in veteri lege. Ideo vinum, quia lętificat cor hominis. Ideo vinum, quia inebriabat illos, qui eã intelligebant. Inebriabat dilectione Dei: inebriabat illos intantum, vt obliuiscerẽtur seipsos, & Deum solum diligerent. An non inebriatus erat hoc vino Dauid, quando seipsũ quasi ebrius nudauit & discooperuit, vt saltaret corãm arca Domini? Nonne inebriatus fuit hoc vino Isaias, quãdo, sicut ipse testatur, ambulauit nud⁹ & discalceat⁹ coram omni populo? Quamvis hoc vinum purum erat in se, tamen quia miscebantur quædam carnales obseruantiæ adhuc, ideo calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. Cosiderate ipsum agnum, quem in hac cœna Dominus noster habebat in manibus. Videte ibi illam institutionem legis, quasi calicem in manu Domini. In hoc calice, id est in hac constitutione, erat purum vinum, id est intelligentia spiritualis. Videte ex alia parte panem & vinum, quasi alium calicem. In hoc calice non erat priùs illud spirituale vinum. Iam videte, quomodo vinum, quod erat in vno calice, transfudit in alium. Quod erat vinum in illa antiqua institutione? Agnus ille significabat corpus Christi, sanguis agni sanguinem Christi. Ecce vinum in illo priori calice. Sed inclinauit ex hoc in hoc. Audi quomodo. Accepit panem, & dixit. *Hoc est corp⁹ meum.* Accepit & vinum, & dixit. *Hic est sanguis meus.* Mutatum est, vacuus remãsit agnus ille, in quo erat significatio corporis & sanguinis Christi. Impletus est alius calix, quia panis factus est corpus Christi, & vinum sanguis Christi. Videamus adhuc amplius. In illo agno erat significatio passionis Domini; & ideo præceptum fuit, vt in memoriam eiusdem passionis Dñi occideretur omni anno ille agnus. Commemoratio ergo passionis Dñi in agno, quasi vinũ in calice. Sed inclinavit Deus ex hoc in hoc: quia commemorationem passionis suæ, quæ priùs in illo agno fuit, transtulit in sacramentum corporis & sanguinis sui, quod modo tradidit discipulis suis dicens. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ibi quædam mixtura erat, propter carnales observantias; quia licet ille agnus significaret corpus Christi, non tamen erat in veritate corpus Christi, sed agnus. In nostro sacramento nulla mixtura est; quia nostrum sacramẽtum post consecrationem jam non est substantia pecudis, sed nec panis & vini, quod priùs fuit; sed in veritate corp⁹ Christi & sanguis. Sed quia Propheta prævidit in spiritu, quod carnales Judæi nollent deserere illam fæcem carnalium observationum, ideo addidit. *Verumtamen fæx eius non est exinanita.* Vinum sublatum est, & adhuc fæx manet. Et ideo ait, *Bibent omnes peccatores terræ.* Sed alij fæces, alij vinum. Ante aduentum Domini & passionem soli Iudæi bibebãt de isto calice; sed vinum mixtum, non purum. Non bibebant inde pagani, & ideo non omnes peccatores bibebant. Venit Christus, passus est pro nobis, resurrexit, ascendit in cœlum, & ecce bibunt omnes peccatores terræ. Omnes, idest Iudæi & pagani. Sed Iudæi non bibũt, nisi fæces, nos non nisi vinum. Illi habent agnum, in quo non est modo aliquis sapor significationis; nos illum agnũ, qui abstulit peccata mundi, in quo est expressio ipsius veritatis. Videte adhuc, quomodo inclinauit ex hoc in hoc. In veteri Pascha secũdum præceptum legis, cum carne agni comedebant azymos panes cum lactucis agrestibus. Ecce calicem in manu Domini. Quod vinum in isto calice mystico, vtique significatio sinceræ humilitatis est. Quid enim est fermentum, nisi superbia? Ideo nos hortatur Apostolus. *Expurgate vetus fermentum.* Verè vetus fermentum superbia. Quando enim primo Angeli creati sunt, tunc incœpit esse. Istud fermentum intãtum inflauit ipsum, vt vellet esse similis Deo; intãtum corrupit, vt de Angelo factus sit diabolus. Istud fermentum intantum inflauit hominem, vt cuperet esse sicut Deus: intãtum corrupit, vt sit similis jumẽtis insipientibus. In azymis, quæ patribus quasi vinũ erant, exercitia humilitatis; quia hoc vtique significabãt. Iam videte Dominum nostrum, quomodo surgit à cœna, quomodo præcingit se linteo, quomodo lavat pedes discipulorum. Sic illam significationem humilitatis, quę erat in azymis panibus, nũc tulit; & in hoc sacramẽtum transfudit. Ait enim. *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Hæc lavatio non solùm est significatio magnæ rei, de qua non est modo tẽpus loquendi; sed etiam exercitium manifestum humilitatis. Audite fratres, quomodo vobis in illa cœna non lactucas agrestes porrexit, sed vinum, id est significationem, quæ erat in illis lactucis. Quid enim significant lactucæ agrestes, nisi amaritudinem huius vitæ & persecutiones? Lactucæ enim agrestes amaræ sunt. Ideo Dominus inter alia multa, quæ in illo vltimo sermone dixit, hoc quoq; addidit. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et iterum. *In hoc mundo pressuram habebitis.* Vt quid amplius quæremus illas lactucas agrestes corporaliter, qui in ipsis amaritudinibus huius vitæ quotidie exercemur? Longum est, fratres, omnia illa aperire, quæ in illis veteribus obseruantijs faciebant corporaliter: quæ nobis Dominus spiritualiter celebrare instituit. Nam hæc & multa alia sacramenta ante hos tres dies vobis Dominus noster commendauit; in quibus omnibus sine dubio potuistis gustare, quod dulcis est Dominus; vt modo debeatis desiderare istam aliam dulcedinem, quam significauit Apostolus Petrus. Quid denique non potuit operari in cordibus vestris ipsa memoria passionis Domini? Quale fuit, videre dulcissimum Dominum nostrum ligari, conspui, colaphizari? Quomodo se pascebat Isaias hac visione, qui vtique non factum vidit, sed tamen quasi factum narrauit? *Sicut*, inquit, *obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.*

Multi

Marginal notes (left column): *Corpus Christi pretium & cibus noster.* — *Psalm. 74.* — *Matth. 26.* — *2. Reg. 6.* — *Isai. 20.* — *Matth. 26.* — *1. Cor. 11.* — *Presẽtia corporis Christi in Eucharistia.* — *Psalm. 74.*

Marginal notes (right column): *1. Cor. 5.* — *Superbia vetus fermentum est.* — *Ioan. 13.* — *Lactucæ agrestes amaritudines huius vitæ.* — *Ioan. 15.* — *Isai 52.*

Multi quidem obstupuerũt, quando pauit quinque millia hominum de quinq; panibus & duobus piscibus: multi obstupuerũt, quando cæcũ natum illuminauit: multi obstupuerũt, quando Lazarum suscitauit. Obstupuerunt, laudauerũt, glorificauerunt. Magna fuit illa gloria, sed non minor fuit illa contumelia, quam ei postea fecerunt. Ideo dicit Propheta. *Sic inglorius erit inter viros aspect⁹ ejus.* Inglorius, id est sine gloria. Verè inglorius erat aspectus eius, quando velata est facies eius, & consputa. Sine gloria erat forma illius, quando coronauerunt eum spinis; quando flagellauerũt eum; & arundine percutiebant caput eius. Sine gloria erat, sed sicut dicit Propheta, inter filios hominum. Nam inter filios Dei omnis ista contumelia magna gloria est. Intantum enim secũdum veritatem rei, hoc totum gloria erat, vt dicat idem Propheta. *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum.* Talem eum desiderabat Isaias. Quare? Videbat, quòd omnis illa despectio salus esset generis humani, & gloria ipsius Christi. Quod aperte ostendit Apostolus, qui ait. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce despectio. Sed audi quod sequitur *Propter quod & De⁹ exaltavit illum, &c.* Hoc ipsum Propheta clamabat sanctus Dauid. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* De torrente bibit, quia amaritudines huius vitæ gustauit; sed in via, id est in trãsitu. Citò enim finitæ sunt passiones eius: cito mutata est mors ejus. Propterea exaltauit caput. Quia enim mortuus est, ideo resurrexit. Ideo autem glorificatus est, quia resurrexit. Deinde quam dulcedinem potuit haurire cor vestrum, quãdo interiori oculo vidistis ipsum Dñm portare crucem suam? Quis poterit æstimare istam humilitatem, istam mansuetudinem, istam patientiam? Velut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Quæ fuit dulcedo, considerare quasi recentia vulnera Christi, stare quasi iuxta crucem eius, videre illas lacrymas matris eius, audire illam dulcem vocem, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt!* Quæ spes nobis poterat oriri de remissione peccatorum nostrorum, quando audiuimus eum tam dulciter etiam pro inimicis suis orare! Sed ista dulcedo non sicut lac fuit, sed sicut vinum. Ex vna enim parte dulcescebat, sed ex alia mordebat. Dulcescebat per affectionem & deuotionem; sed iterum mordebat per quandam dulcem tristitiam & compassionem. Sine tristitia enim quadam dulci non potuistis videre illas dulces manus tam duris clauis perforari, illos similiter pedes ferro perforari, illud suauissimum latus lancea vulnerari: nec sine cõpassione, licet dulci, potuistis illas dulcissimas lacrymas Dñę nostrę cernere. Ideo qui hoc vinũ mordẽs gustastis, id est memoriã passionis Dñi, modò lac concupiscite, id est suauitatem resurrectionis illius. Et meritò lac: quia nullam in se habet mixturam tristitiæ. Angeli exultant, Apostoli gloriantur, sanctæ mulieres in illa beata visione delectantur: vbique Alleluia, vbique laus, vbique gaudium. Iam quale est, videre illum cum discipulis suis manducare & bibere, quem priùs videbas in cruce pendere: illa dulcia vulnera cũ magna iucunditate osculari, pro quibus paulò antè tanta cõpassione fleuisti! Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lętemur in ea. Hunc diem vidit beatus Abraham in spiritu: vidit, & gauisus est. Sic enim ait Dominus in Euangelio, *Abraham pater vester exultauit, vt videret diẽ meum: vidit, & gauisus est.* Sicut sancti Patres exponunt, tunc Abraham diem Dñi vidit, quãdo in figura S. Trinitatis tres Angelos hospitio suscepit. Recepit enim eos, sicut dicit Scriptura, sub arbore, & quædam ministrauit in eorũ obsequium, in quibus ipse hunc diem vidit: vidit, & gauisus est. Occidit ad opus eorum vitulum optimum & tenerrimum: & cum lacte & butyro apposuit eis subcineritium panem. Videte, fratres, magnum sacramẽtum. Videtur enim, quod paruum saporem habeant ista. Obscura sunt: sed in his quasi absconditus est Dominus noster Iesus Christus. Opertus iacet. Sed eamus cũ istis sanctis mulieribus, de quibus hodie narrat Euangelista, eamus ad monumẽtum Scripturarum: eamus cum aromatibus piæ deuotionis: quæramus hic Dominũ nostrum: quæramus cum fide, cum deuotione, cum charitate. Hæc sunt enim vnguenta, quæ debemus afferre ad hoc monumẽtum: si volumus Iesum inuenire. Sed quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, id est tegumẽtum huius scripturæ, vt possimus inuenire, quod quærimus? Angelus eius, gratia eius adsit. Quæ est ista arbor? Illa est, in qua pependit botrus ille suauissimus, de quo profluxit illud vinum, quod totum mundũ hodie lætificat. Cogitate botrum illum, quem portauerunt filij Israel in ligno. Et quid est botrus in ligno, nisi Christus in cruce? Hodie, fratres mei, totus mũdus illo vino, quod de isto fluxit, saginatur. Quis est enim Christianus, qui hodie non bibat sanguinẽ Christi? Iam quid vidit Abrahã in illo optimo vitulo, nisi illud sacrificium, quod oblatum est pro totius mundi salute? Optimus vtiq; vitulus, qui sua morte totum mundum redemit: qui sua carne totũ mundum reficit, qui cornibus suis diabolum & angelos eius debellauit: qui vngulis suis terrena desideria de nostris cordibus effodere non desinit. Sed iã de subcineritio pane quid dicemus? Quid est panis in cinere? quis est iste panis? Iste fortè, de quo dixerunt Iudæi, sicut scriptum est in Ieremia Propheta. *Venite, mittamus lignum in panẽ eius.* Ecce iterum lignum, iterum crux Christi. Et panis quid est, nisi corpus Christi? *Panis, inquit, quem ego dabo caro mea, est pro mundi vita.* Quid est ergo panis in cinere? Panis vtique subcineritius quando coquitur, cinere tegitur. Et quid est cinis, nisi terra? Nonne videtur vobis appositissimè hic significatam esse sepulturam Christi? Panis ergo in cinere, corp⁹ Christi est in corde terræ. Sed quare ternarius numerus hic cõmemoratus est? De tribus mensuris iussit Abraham, vt fierent subcineritij panes. Quare hoc, nisi quia vidit in spiritu, quòd sicut fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita fuit caro Christi in terra tribus diebus & tribus noctibus? Sicut ergo in vitulo quem occidit, significata est Passio Domini, & in subcineritio pane sepultura; sic in lacte suauitas Resurrectionis eius intelligitur. Et necesse erat, fratres, vt discipuli eius, qui adhuc erant parvuli, nutrirentur hoc lacte. Tam parui erant, vt in passione eius fugerent, & relinquerent eum. Tam parvus erat Petrus, vt propter vocem vnius ancillæ eum negaret. Necesse ergo erat, vt quasi parvuli etiam oculis carnis viderent resurrectionem eius; sicque quasi quodam lacte nutrirentur: vt idonei essent invi-

Marginal notes: *Ioan. 6. 9. & 11.* — *Christus gloriosus, & idem inglorius.* — *Isai. 52.* — *Ibidem.* — *Philip. 2.* — *Psalm. 109.* — *Luc. 23.* — *Suauitas Resurrectionis lacte designatur.* — *Ioan. 8.* — *Quando viderit Abraham diem Domini.* — *Marc. 16.* — *Aromata Christo deferenda.* — *Ierem. 11.* — *Ioan. 6.* — *Subcineritius panis Christus est sepultus.*

sibilia credere, inuisibilia contemplari. Quam pulchrum est, quod voluit, vt mulieres resurrectionem suam nũciarent discipulis. Ad mulieres enim pertinet ministrare lac parvulis. Habet & hoc aliam significationem. Illi enim qui regunt parvulos & infirmos, magna compassione & cõdescensione debent quasi matres filijs hoc lac exhibere: nec antequam illo lacte nutriantur, debẽt eis panem solidum, idest profunda de diuinitate, monstrare. Talis fuit Paulus, qui ait. *Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Meritò Abraham qui ista vidit exultauit. Et vos fratres, qui ista videtis, exultate. Concupiscite hoc lac, concupiscite, gustate; in isto lacte crescite, & crescite in salutem. Ait enim Apostolus Paulus. *Si confitearis ore tuo Dominum Iesum, & corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Sed debemus hic intelligere illam fidem, quæ per dilectionem operatur. Colligite de lacte hoc, id est de hac memoria resurrectionis Domini, pinguedinem amoris Christi. Hoc enim significabat illud butirum, de quo paulò ante locuti sumus. Quia sicut butirum de lacte colligitur, ita de memoria quam debemus habere de resurrectione Dñi, de illa conuersatione, qua conuersatus est cum discipulis suis, de illa palpatione, qua palpabant vulnera eius, & de illis lacrymis, quas fuderunt mulieres iuxta sepulchrum eius, debemus quasi impinguari in dilectione eius. Simus quasi modo geniti infantes. Infantes per innocentiam, per simplicitatem, vt deposito veteri homine, secũdum quem priùs vixim⁹, qui cum Christo crucifix⁹ est, sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos crucifixi cum ipso, & ab omnibus hujus mũdi desiderijs sepulti, mereamur hic in novam vitam resurgere, & in futura resurrectione cum illo sine fine gaudere; quod ipse præstare dignetur IESVS-CHRISTVS Dominus noster, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

1. Cor. 3. — *Rom. 10.*



SERMO SECVNDVS, IN EODEM FESTO.

PRÆCEPTVM erat in lege, vt in illo tempore, quo filij Israel exierunt de Ægypto, immolaretur agnus, & comederetur. Ista festiuitas vocabatur Pascha. Deinde erat præceptum, vt per septem dies deberent comedere panes azymos, idest sine fermento; & ista festiuitas vocabatur festiuitas azymorum, sed etiam Pascha. Hoc ostendit Euãgelista qui ait. *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Prima illa festiuitas, quãdo occidebant agnum, tantum Pascha dicta est; ista & Pascha, & festiuitas azymorum. Sicut mihi videtur, illa festiuitas significat passionem Domini, ista resurrectionem. Et hoc satis notum est, quod illa festiuitas significat passionem Domini, in qua ille verus agnus occisus est, per cujus sanguinem saluati sumus de manu spiritualis Pharaonis, idest diaboli: & ideo illa festiuitas dicitur Pascha, quod est transitus; quia ipse Christus in passione sua transiuit de hoc mundo, sicũt dicit Euangelista. *Ante diem festum Pascha, sciens IESVS quia venit ejus hora, vt transeat de hoc mundo ad patrem.* Sed hoc videamus, quomodo ista alia festiuitas significat resurrectionem Domini. Et primo consideremus, quãtum se humiliauit illa majestas, & quousque descendit pro nobis. Ille qui erat creator, fecit se creaturã: qui erat Dominus, fecit se seruum: qui erat diues, fecit se pauperẽ: qui erat magn⁹, fecit se parvum: & Verbum caro factum est. Panis erat, & pascebat Angelos, sed non pascebat nos: & ideo miseri fuimus; quia rationalis creatura semper habet esse in miseria, nisi pascatur illo pane. Nos autem ita infirmi eramus, vt nullo modo possemus gustare illum panem in illa puritate. Habuimus enim in nobis quoddam fermentum, quod nos corruperat, & abstulerat primam fortitudinem, quam habuimus; & facti sumus ita dissimiles illi pani puro & mundo, vt nihil inde gustare possemus. Hoc fermentum, quod habuimus in nobis, duplex erat: habuimus in nobis quoddam fermẽtum mortalitatis, & habuimus in nobis fermẽtum iniquitatis. Videtis modo, quantum exultauimus in illo pane, in quo neutrũ erat, nec mortalitas nec iniquitas. Quomodo illuc ascenderemus, quomodo illum gustaremus? Quæ res ita sunt contrariæ, sicut mortalitas & immortalitas, iniquitas & justitia? Nos mortales & peccatores, ille immortalis & iustus. Quomodo potuimus cõuenire? Vidit hoc ille pius, ille misericors; quia non potuimus ascendere ad illum, & ipse descẽdit ad nos. Suscepit vnã partem fermenti nostri & ita temperauit se nostræ infirmitati. Non totũ fermẽtum sumpsit quod erat in nobis, sed quãdam partem. Si enim nihil sumpsisset, ita longe esset à nobis, vt nullo modo possemus appropinquare ei, & ideo semper maneremus in miseria. Diximus, quod duplex fermentum erat in nobis, mortalitas & iniquitas. Vnum suscepit, per quod factus est similis nobis. Suscepit ergo fermentum mortalitatis nostræ, & permansit in puritate iustitiæ suæ, vt esset talis, qui posset ad nos descendere, & tamen remaneret talis, ad quem nos deberemus ascendere. Videtis modo fratres, quomodo ille purus panis est fermentatus propter nos. Ad istud fermentum mortalitatis pertinet fames, sitis, tristitia, miseria: totum hoc habuit Dominus noster in se. Voluit hæc fermenta suscipere, sed non debuit in fermento remanere. Primò ostendit in se istud fermentum per mirabilem compassionem, & postea purgauit se ab isto fermento per mirabilem caritatem. Quia illo modo se purgauit ab isto fermento, vt in hoc ipso ostenderet suam miram caritatem in nobis. Sciebat, quia habuimus non solùm hoc fermentum, quod est valde malum: sed etiam aliud pessimum & mortiferum, quod impediebat nos conjungi illi pani, qui verè purus est & mundus: & ideo voluit illo modo se purgare à fermento iniquitatis. Sed debemus scire, quia iniquitas nostra est causa nostræ mortalitatis, & ideo quando fuerimus plenè purgati ab iniquitate, postea etiam sine dubio purgabimur ab ista mortalitate. Debemus adhuc scire, quia iniquitas nostra duplex est. Est enim de natura, in qua nati sumus; & est de mala voluntate, quam postea addidimus.

Exod. 12. Pascha & festiuitas azymorum diversi dies. — *Matth. 26.* — *Ioan. 12.* — *Duplex in nobis fermẽtum, mortalitatis & iniquitatis.* — *Christus vnam partem fermenti nostri suscepit.* — *Ab illo fermẽto se Christus exemit.*

Ab vtraque hac iniquitate nos purgauit Deus. Dedit sacrificium quoddam pro nobis, propriam videlicet carnē & sanguinē;& per illud sacrificiū purgati sumus. Et ideo quicquid nos patimur, ex corruptione nostræ naturæ, jā non est iniquitas, sed infirmitas. Ex corruptione naturæ nostræ sunt motus concupiscentiæ, quos patimur inuiti. Inde motus libidinis, motus iræ, motus superbiæ, motus ambitionis. Sed si non consentimus, non imputat nobis ista: quia pro corruptione naturæ nostræ fuit oblatum illud purum sacrificium. Sed ecce per compassionem, quæ operata est in nobis, in baptismo purgati sumus ab omnibus peccatis: & illis quæ ex natura erant, & illis quæ voluntate addideramus. Sed nunquid postea servauimus nosmetipsos in illa munditia? Quid igitur faciemus? Docuit nos quomodo debemus purgari. Ergo ipso modo quo ille purgatus est à fermento mortalitatis, nos debemus purgari à fermento iniquitatis. Sine dubio ille potuit se purgare ab ista mortalitate, ita vt non pateretur aliquam pœnam. Sed quia nos non possumus purgari ab ista iniquitate, nisi per tēporales pœnas; voluit nobis præbere exemplum inde. Iam reminiscimini, quod diximus, quia panis est Dominus noster IESVS CHRISTVS. Cogitate illum ante passionem, & videte quia erat quasi panis cum fermento. Esuriuit, sitiuit, plorauit, dormiuit, lassus fuit. Hæc omnia pertinent, non ad fermentum iniquitatis, sed ad fermentum infirmitatis & mortalitatis: per hæc omnia ostendit compassionem & caritatem, quam habuit erga nos. Hæc omnia sunt quædam species medicinæ, quæ conueniebant nostræ infirmitati. Hæc omnia, quia conueniebant nobis, quoniam non habuit in se ipso, sumpsit ea ex nobis. Sed in nobis ista omnia mixta sunt cum peccato. Quia fami nostræ & siti solet se sociare concupiscentia mala;& tristitiæ nostræ murmur & desperatio, vel amaritudo: & somno nostro dissolutio, & lassitudini nostræ tepor & torpor. Sed Dn̄s noster demiscuit ista & separauit, & peccatum dimisit, & infirmitatem suscepit. Et abscondit parvo quidem tempore quod erat suum;& assumpsit quod erat nostrum. Et inde dixit Isaias. *Vt faciat opus suum, alienum op⁹ eius: vt faciat opus suum peregrinum est op⁹ eius ab eo.* Vt faciat inquit, *opus suum.* Quod opus? Multa sunt opera Domini nostri; sed hic dicit de quodam speciali opere, quod maxime pertinet ad illum. Opus suum sunt Angeli, Archangeli, & omnes virtutes cœli. Opus suum cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Sed scimus, quomodo fecit illa opera; non suscepit ad hæc facienda aliena opera. Dixit & facta sunt. Quod est ergo istud opus suum tam speciale, tam singulare, tam mirificum, tam inauditum? Audiamus proinde quid dicit Scriptura. *Miserationes ejus, super omnia opera ejus.* Video tria genera operum Dei. Est opus sapientiæ eius; & est opus misericordiæ eius; & est opus iudicij eius. Opus sapientiæ, cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt. Opus Iudicij eius, reddere vnicuique secūdum opera, sua sed miserationes eius super omnia opera eius. Ergo opus misericordiæ eius, speciale est opus eius. Opus suum, opus propriū, in quo maximè apparet bonitas eius, caritas eius, benignitas eius. Secundum nom eius, ita & opus eius. Secūdum quod nomen eius? Nostis nomen eius. Quid sonat, quid sapit, quid fragrat nomen eius? Oleum, *Oleum effusum nomen tuum.* Quare oleum? Quia nomen eius sapit charitatem, sapit misericordiam. Quid enim sonat illud dulce nomen IESVS? Nostram salutem sapit: quia ipse Deus meus, & IESVS meus; id est Saluator meus. Fecerat opus sapientiæ suæ, quādo creauit mundum: sed non fecerat adhuc opus misericordiæ. Nam opus misericordiæ pertinet ad miseros. Fecerat etiam opus judicij quia proiecerat diabolum de cœlo propter superbiam suam. Fecerat etiam opus judicij, quando projecit hominem de paradiso, propter inobedientiam. Sed in his operibus ostendit ipse sapientiam suam, & potestatem. Voluit ostēdere & misericordiam suam: quia miserationes eius super omnia opera eius. Ideo opus misericordiæ eius propriè dicitur op⁹ suum. Sed quomodo faceret hoc opus, nisi salvaret miseros? Ideo opus nostræ salutis hoc est opus misericordiæ suæ, hoc est propriè op⁹ suum. Quid est ita proprium salvatori, id est IESV, quam salvare? Sed quid dicit Propheta? *Vt faciat op⁹ suum alienum, op⁹ ejus.* Sicut scitis, fratres, Dominus noster IESVS-CHRISTVS sapientia est; ipse vita est. Quid est contrarium, & quasi alienum à sapientia? Sine dubio stultitia. Et quid est contrarium fortitudini? Sine dubio infirmitas. Sic nihil est contrariū morti, nisi vita. Considerate modò, quomodo Dominus noster suscepit quoddam opus, quod erat alienum à se: vt posset facere opus suum, id est opus misericordiæ suæ. Ille qui erat sapientia, voluit esse quasi stultus; qui erat fortitudo, voluit esse infirmus. Ideo dicit Apostolus. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo. Panis esurit, & fons sitit, virtus lassatur, vita moritur. Sed per hoc alienum op⁹ quomodo facit opus suum? Eius esuries nos pascit, eius sitis nos inebriat, eius lassitudo nos recreat, eius mors nos viuificat: nostra spiritualis satietas, nostra spiritualis ebrietas, nostra spiritualis recreatio, nostra spiritualis viuificatio: hoc totū est opus misericordiæ eius. Per alienū opus hoc, totum facit. Sapientia facit hoc per stultitiam, sicut dicit Apostolus. *Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Ergo, sicut diximus, hoc opus suum facit sapientia per stultitiam: fortitudo hoc facit per infirmitatem, panis hoc facit per esuriem, fons hoc facit per sitim, virtus hoc facit per lassitudinem, vita hoc facit per mortem. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius; vt faciat opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Vt faciat opus misercordiæ suæ, peregrinū deuenit ab illo opus sapientiæ suæ, & opus iudicij sui. Diximus, quia opus sapientiæ sunt Angeli. Et audite, quid ipse dixit, quando captus est à Iudæis. Petrus voluit defendere Dominū, & percussit quemdam gladio suo. Et Dominus dixit ad eum. *Putas, quia non possum rogare Patrē meum; & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Potuit habere secum omnes Angelos, qui destruerent illos, qui volebant illum apprehendere, sed noluit. Vt enim posset facere opus suum, illud mirabile opus, quod proposuerat; voluit, vt ipsi Angeli quasi peregrini essent ab eo, & non pugnarent contra inimicos eius. Opus etiam sapientiæ eius sunt homines. Et audite, quid ipse dixit ad Pilatum. *Si de hoc mundo esset regnum meum; ministri vtique mei decertarent, vt non traderer Iudæis.* Noluit habere secum

Motus concupiscentiæ ex corruptione naturæ sunt.

Infirmitates in nobis sunt passim mixtæ peccatis.

Isai. 28.

Psalm. 144

Opus misericordiæ speciale op⁹ Dei

Cant. 1.

Opus nostræ salutis opus est Iesu id est Salvatoris.

Isai. 28.

1. Cor. 1.

Ibidem.

Isai. 28.


Matth. 26.

Angeli quasi à Christo peregrini in passione ejus

Ioan. 19.

neque Angelos, neque homines, neque aliquam creaturam. Ideo vt faceret opus suum, peregrinū fuit ab illo opus suum. Ideo ipse dixit. *Torcular calcaui solus.* Solus, inquit. Solus, quia peregrinum fuit ab illo opus suum. Peregrini Angeli, quia non affuerunt. Peregrini homines, quia nō certauerunt. Peregrinum cœlum, quia inimicos eius non fulminauit. Peregrina terra, quia eos nō absorbuit. Peregrinum mare, quia non eos demersit. Peregrinū etiam erat opus judicij sui ab eo, sicut ipse dixit. *Ego non iudico quemquam.* Et iterum. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Vt faciat opus suum, alienum opus eius. Vt faciat opus misericordiæ suæ, suscepit fermentum mortalitatis nostræ: quod sine dubio erat alienum à puritate diuinitatis suæ. Venit tandem tempus, quando voluit auferre à seipso istud fermentum: adhibuit ignem, id est passionem. In passione sua periit totum illud fermentū, omnis corruptio, omnis mortalitas: & surrexit hodie de terra panis azymus, panis purus. Videtis modò, quare fuit præceptum, vt postquam fuit immolatus agnus, panis, vnde se pascebant Iudęi, deberet esse sine fermento. Quia ante passionem illius agni Domini nostri Iesu Christi, sine dubio caro eiusdem Dñi nostri, quæ caro est refectio nostra, panis noster, sicut scitis, quia ipsam carnem manducamus in similitudine panis: ante passionē inquam, fuit illa caro mortalis: potuit esurire, potuit sitire, potuit tristari, potuit mori: sed post passionē surrexit immortalis, impassibilis, incorruptibilis. Eia, fratres, celebremus festum azymorum. Comedamus hunc panem sine fermento. Noster panis est corpus Domini nostri. Sine fermēto est: quia sicut dicit Apostolus, Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. Si volumus manducare istum panem, qui est sine fermēto: oportet, vt nos simus sine fermēto, sicut præcipit Apostolus. Paulò antè audistis, quid dicit. *Expurgate vetus fermentum.* Istud fermentū, sicut superiùs diximus, est peccatum. Sed quomodo debemus nos purgare ab isto fermento, sine dubio Dñs noster nos docuit. Eo modo, quo ipse dimisit fermentum, quod ipse susceperat propter nos, necesse habemus deponere fermentum, quod corrumpit nos. Per opprobria; per conuitia, per flagella, per crucem, per mortem, peruenit ipse ad resurrectionem. In resurrectione deposuit fermentum: & iam præbet nobis carnem suam puram immortalem. Quid putamus fratres mei; possumus nos per aliam viam venire ad resurrectionem, quàm ipse venit? Fallit seipsū, qui hoc putat. Sed interrogatis, ad quam resurrectionem. Legimus in Scripturis duas resurrectiones. Inde dicit Ioannes in Apocalypsi. *Beatus, qui habet partem in prima resurrectione.* Prima resurrectio est animarum, secunda corporum. Istas duas resurrectiones operatur in nobis dominus noster, per vnam suam resurrectionem. Ipse enim non potuit resurgere in anima, quia non fuit mortuus in anima: ille resurrexit in corpore, quia fuit mortuus in corpore. Nos qui habuimus mortem in corpore & in anima, necesse habemus resurgere in corpore & in anima. Sed primò in anima, postea in corpore. Dominus noster in resurrectione corporis deposuit fermentum mortalitatis. Nos per resurrectionem animæ deponimus fermentum iniquitatis. Sed si ille per tribulationes vitæ peruenit ad resurrectionem carnis, multomagis necesse habemus nos, per tribulationes huius vitæ peruenire ad resurrectionem animæ; vt possimus per resurrectionem animæ deponere fermentum peccati: vt sicut dicit Apostolus, simus noua conspersio. Vet⁹ conspersio erat peccatum, quo omnes fuimus conspersi & fermentati. Noua conspersio sanguis Domini nostri Iesu Christi, quo fuimus conspersi, & per hoc purificati ab illo malo fermento. Sicut farina, quando conspergitur aqua, se vnit, & fit quædam massa; ita nos quando fuimus conspersi in baptismo, facti fuimus quasi vna massa cum Christo: sicut dicit Apostolus. *Quia multi vnus panis vnū corpus sumus in Christo.* Quia per negligentiā nostram post illam purificationem coinquinamus nosmetipsos, tamē fugiamus ad sanguinem Christi: hoc est, imitemur passionem eius, vt possimus esse participes resurrectionis eius: hic in anima, & in die judicij in corpore simul & in anima. Quod quia fieri per nos non potest, oremus eius misericordiam, vt ipse hoc in nobis operari dignetur IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Isai. 63. | Ioan. 8. & 3. | Mortalitas erat olim fermentum carnis Christi. | Rom. 6. | 1. Cor. 5. | Apocal 20. | Duplex resurrectio, in anima & corpore. | 1. Cor. 10.



SERMO IN ASCENSIONE DOMINI.



IAM per aliquod tempus repræsentauimus resurrectionem Domini nostri Iesu Christi; & illud secundum tempus quo fuit in hoc mundo post suam resurrectionem: hodie illum diem, in quo ostendit nobis apertè, quod omnia illa, quæ fecit in hoc mundo, & passus est, ideo fecit, vt nos ab ista morte, in quam cecidimus per Adam, duceret ad veram vitam: & ab isto exilio ad patriam nostram, ad quam creati sumus, id est ad cœlum sublevaret. Mortuus est enim propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: & ascendit in cœlum propter glorificationem nostram. Per merita eius nos recepimus remissionem peccatorū nostrorum. Quod enim nos non potuimus, ipse soluit propter peccata nostra. Per fidem resurrection[illegible]ius sumus iustificati. Nam infideles Pagani & Iudæi, sciebant & credebant mortem eius, quamvis nollent credere in mortem eius. Sed resurrectionem eius quia non potuerunt videre, noluerunt credere. Nostra autem fides meretur iustificationem, & expectat magnam remunerationem: quia credim[illegible]s hoc quod videre non potuimus. Vnde dixit Domin⁹ ad Thomam. *Quia vidisti me credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt.* Illam autem beatitudinem, quam nos expectam⁹, voluit hodie ostendere in se ipso, ascendendo in cœlum: vt certi simus, quod nos qui membra eius sumus, illic ascenderemus, quò ipse ascendit, qui est caput nostrum. Et ideo charissimi fratres, debemus hunc diem celebrare cum magna lætitia: quia in ista die ostensa est tam magna glorificatio hominis, qua maior esse non potest. Quia hæc nostra natura,

Fides resurrectionis iustificat nos. | Ioan. 20.

quæ fuit ita deiecta & depravata, vt etiam brutis animalibus fuerit cōparata, sicut dicit Propheta, *Psalm. 48.* *homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus*, in Domino nostro Iesu Christo ita est exaltata, vt omnem creaturam habeat sub se, & etiam Angeli adorent eā super se.

Cur Christ' 40. dies egerit hic post resurrectionem. Sicut sæpe audistis, Dominus noster post resurrectionem suam, per dies quadraginta voluit in hoc mundo corpo aliter manere, propter multas causas. Voluit enim inde post resurrectionem suam affirmare, & multis modis ostendere, quod vere secundùm carnem resurrexit à mortuis: & ideo sæpe manducauit & bibit cum discipulis suis, & *Luc. 24.* ostendit eis vulnera sua. Et quādo Thomas Apo- *Ioan. 20.* stolus noluit credere aliis Apostolis, quòd eum vidissent, concessit ei palpare latus suum, & manus: voluit discipulos suos, qui supra modum erant contristati in eius passione, & penè desperauerant, per suam corporalem præsentiam confortare, & per auctoritatem scripturarum probare illis, quod ita oportebat eum mori, & resurgere: insuper aperuit illis sensum, vt intelligerent *Luc. 24.* scripturas. Sed & hoc notare debem', quòd ante passionem & resurrectionem suam per tantum tempus ieiunauit, quantum post resurrectionem suam voluit cum discipulis suis corporaliter esse. per ieiunium suum commendauit nobis corporalem afflictionem, quam debemus pati in ista vita: per corporalem suam præsentiam, quam exhibuit suis post resurrectionem suam, possumus intelligere consolationem eius dulcissimæ præsentiæ, quam habebimus post resurrectionē nostram. Sed vtraque commendata est eodem numero, quia secundum mensuram qua affligimur pro Christo in hac vita: recipiemus consolationem in futuro. Præter ista voluit Dominus noster post resurrectionem suam per quædam corporalia signa commēdare nobis magna sacramēta.

Ioan. 21. In istis diebus apparuit suis discipulis piscātibus, & eius iussione traxerunt ad littus rete plenum magnis piscib' centum quinquaginta tribus: vbi significata est beatitudo illorum, qui in futura resurrectione per ministros Christi Dño præsentabuntur: & illud conuiuium, quod voluit habere cum discipulis, significabat illud conuiuium, quādo edemus & bibemus super mensam eius in re-*Ioan. 20.* gno eius. In istis diebus dedit Spiritum sanctum *Acto. 1.* discipulis suis, qui adhuc erant in terra: quem postea misit de cœlo: & per hoc quod eundem spiritum sanctum bis dedit, dilectionem Dei & proximi commendauit. *Bis datus Apostolis Spiritus sanctus.* Sed adhuc numer' iste quadraginta dierum profunda significat sacramenta. Sed & vos, qui soletis expositiones sanctorum Patrum legere, non habetis opus inde multa audire: & fratres mei laici, sicut puto, libentius aliud audient. Ideo nolum' inde plura loqui. Ideo postquam omnia expleuit, pro quibus tantum temporis voluit conuersari in terra: hodierna die qua voluit ascendere in cœlum, apparuit illis, & manducauit cum illis: sicut dicit Lucas in Actibus A-*Acto. 1.* postolorum. *Et cōuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent.* O quam fœlices fuerunt, qui fuerunt in illo conuiuio. Tamen, sicut dicit Euangelista, exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Sæpe post resurrectionem suam apparuerat, manducauerat, & biberat cum discipulis suis. Sed in ista apparitione vltima, quando voluit ascendere in cœlum, multi sicut existimo, fuerunt, qui priùs non viderant eum: sed tantum audierant ab illis, qui viderant eum, & aliquantulum dubitabant: & ideo Dominus exprobrauit incredulitatem eorum, & fecit valde pulchrè. *Christus increpat & confortat discipulos.* Ex vna parte increpauit eos, ex altera confortauit: & tunc maximè eos increpauit, quādo tanta illis promisit: sicut scriptum est. *Præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis inquit per os meum; quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* *Acto. 1.* Legimus in libro Regum, quod quando Elias in curru igneo raptus est, reliquit pallium suum Elizæo, & factus est spiritus Eliæ duplex in Elizæo. Elias Propheta significat Dominum nostrum, & Elisæus significat Apostolos Domini, & discipulos. Hoc quod Elias raptus est in cœlum aëreum, significabat Ascēsionem Domini nostri. Sed quia non erat Elias, nisi tantùmmodo homo, indiguit auxilio alterius. Domin' noster qui erat Deus verus per propriam virtutem ascēdit in cœlum: sicut dixit Euangelista. *Et factum est, cùm benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* *Luc. 24.* Pallium Eliæ significabat sanctam Ecclesiam, sicut dixit sanct' Iacob Patriarcha de Dño nostro, *Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum*; *Genes. 48.* quia per proprium sanguinem mūdavit Ecclesiam suam. Quādo Elias ascendit currum, reliquit Elisæo pallium suum: & quando Dominus noster ascendit in cœlum, commendauit Ecclesiam suam discipulis suis. Dixit enim. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: *Marc. 16.* id est omni generi hominum, Iudæis & Gentilibus, sapientibus & insipientibus, diuitibus & pauperibus: de quibus omnibus sancta Ecclesia constat. *Omnis creatura quid designet.* Sed quid significat quod spiritus Eliæ duplex factus est in Elisæo? Dominus noster dixit in quodam loco discipulis suis. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet: & maiora horum faciet.* *Ioan. 14.* Et quidem multa fecit Dominus noster per se, quando fuit corporaliter in terra: tamen postquam ascendit in cœlum, multo plura quodammodo per Apostolos, & alios discipulos suos fecit. Per seipsum enim paucos Iudæos conuertit, & per Apostolos totum orbem fecit in se credere. Multi infirmi sanati sunt per hoc, quod tetigerūt fimbriam vestimenti eius: & quod majus videtur, per solam vmbram Petri multos à languoribus curauit. Ideo dici potest, quod spiritus Eliæ sit duplex factus in Elisæo, quia quantum pertinet ad conuersionem hominum, multo plures per Apostolos, quàm per se ipsum conuertit. Nam ipse Elisæus, de quo scriptum est, quod spiritus Eliæ sit duplex factus in eo, venit Iordanem: & percussit fluvium, & non est diuisus. Statim vt nominauit Eliam, dicens, *Vbi est Deus Eliæ, etiam nunc*, diuisa est aqua. *4. Reg. 2.* Sic quamvis videantur plura fecisse Apostoli, quàm Dominus fecit per se ipsum in terra: tamē non fecerunt illa in suo nomine, nec per propriam potestatem, sicut Dominus noster: sed in nomine magistri sui, & eius virtute. Potest etiam sic intelligi, quòd spiritus Eliæ est factus duplex in Elisæo, postquam raptus est: quia spirit' Dei, qui ante Ascēsionem eius erat in Apostolis, post Ascensionem eius duplex in eis factus est: *Spirit' Christi duplex in Apostolis.* quia maiorem gratiā Spiritus sancti habuerunt post eius Ascensionem, quam habuerunt priùs. Adhuc potest ita intelligi illa gratia, quam dicitur habuisse Elizæus, quòd sancti Apostoli spiritum nostri Eliæ, id est Dñi nostri IESV CHRISTI, Spiritum videlicet sanctum, bis

acceperunt, sicut paulò antè diximus: primò in terra, quando apparuit eis, & insufflauit, & dixit eis, *Accipite Spiritum sanctum*: & postea de cælo, quando apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, & sedit supra singulos eorum: cuius diei memoriam post paucos dies, Deo annuente, celebrabimus. Postquam ergo finitum fuit illud dulce conuiuium; dicit euangelista, *Eduxit eos foras in Bethaniam*. Bethania est vnum castellum, & est positum in monte Oliueti. Bethania autem interpretatur domus obedientiæ. Et notate hic pulcram significationem: quia primò manducauit cum illis, & postea eduxit eos foras in Bethaniam: quia illos facit verè obediẽtes, quos solet spirituali cibo reficere. Nec debemus præterire, quod ait, *Eduxit eos foras*. Ille enim vere ascendit in Bethaniam, quem Dominus eduxit foras. Primò foras de hoc mundo, quando facit eos non amare mundum, neque ea quæ in mundo sunt; foras etiã à suis malis operibus, & moribus: quando facit de luxurioso castum, de impatiente patientem, de superbo humilem. Adhuc etiã educit eum foras de se ipso, id est de sua propria voluntate; vt semper habeat in corde hoc quod Dominus dixit. *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. Illum, quem ita duxit foras, vtique ducit in Bethaniam, quæ est in monte; & non in qualicunque monte, sed in monte Oliueti. Quædam Bethania est in valle. Bethania, sicut diximus, interpretatur domus obedientiæ; & significat cor obediens præceptis Dei. Tunc domus obedientiæ est in valle, quando aliquis ideo obediens esse videtur, vt possit consequi aliqua terrena. Iterum sicut sunt montes boni, de quibus scriptum est, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*; ita sunt montes mali, de quibus dictum est, vbi Dominus loquitur de diabolo, *Huic montes herbas ferunt*. Est vnus mons superbiæ, in quo sedet ille, qui omne sublime videt, & est rex super omnes filios superbiæ. In isto monte habent quidam Bethaniam suam, id est cor suum, quod videtur esse domus obedientiæ: quia quidquid faciunt, ideo faciunt, vt glorificentur ab hominibus. Ad istam Bethaniam non accedit Iesus magister humilitatis: sed ad illam, quæ sita est in monte Oliueti. Mons Oliueti interpretatur pinguedo olei. Mons enim Dei, mons pinguis. Per mõtem Oliueti significatur charitas, quia ipsa est excellentior alijs virtutibus. In ipsa abundat oleum spirituale, quo vulnera animarũ nostrarum curantur: & per quod lumen veritatis nobis innotescit. Natura olei est, vt si ponatur in alijs liquoribus, omnibus supernatet; & ideo Apostolus, postquam locutus est de alijs virtutibus, quãdo volebat loqui de charitate, præmisit dicens. *Adhuc superexcellentiorem viam vobis demonstro*. Ideo fratres charissimi, si volumus spiritualibus oculis videre Iesum ascendere celum; & si volumus cum ipso, & per ipsum ad celũ peruenire; debemus mente exire, & contemplatione ab hoc mundo: debemus etiam, si possumus, cor nostrum à sensibus carnis erigere, & obediẽtiæ præclara arma assumere; & nõ obedientiæ nostræ premium debemus in vallibus, id est in terrenis rebus ponere; nec in monte superbiæ, ne de nobis Dominus dicat. *Amẽ dico vobis receperunt mercedem suam*. Sed debet nostra obedientia esse in monte olei, id est in monte charitatis: vt quidquid facimus, pro Dei dilectione

Ioan. 20.
Luc. 24.
Quis verè ascendat in Bethaniam.
Ioan. 5.
Psalm. 120.
Iob 40.
Mons superbia.
Mons Oliueti quid designet.
1. Cor. 12.
Matth. 6.

faciamus. *Eduxit ergo eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus benedicebat eis*. O quam felices fuerunt, qui in illa societate erant, qui illis manibus benedici meruerunt. *Et eleuatis manibus benedicebat eos*. Videte, fratres mei, qualem hereditatem Dominus noster nobis dimisit, quando de hoc mundo recessit; non aurum, non argentum, non aliquam terrenam rem, sed benedictionem suam. Et ne nimis simus contristati, quòd corporaliter recessit à nobis; audiamus secundùm alium Euangelistã, quid ipse dixit eis. *Ecce, inquit, ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Quomodo ergo recessit à nobis? Vtique secundum corporalem præsentiam. Secundùm diuinitatẽ eius semper nobiscum est: secundùm piam prouidentiã eius circa nos semper est. *Et factum est, cùm benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis? Debemus ergo, dilectissimi fratres, viriliter resistere cõtra diabolum, & eius insidias: & habere magnam spẽ in Domino nostro Iesu Christo. Quomodo enim possũt perire, pro quibus orat Christus, pro quibus repræsentat in conspectu Patris sui illa vulnera, quæ passus est pro nobis? Et ideo spes nostra firma debet esse in eo. Legimus in veteri testamento, quòd postquam egressi sunt filij Israël de Ægypto per Moysen, venit Amalech, quædã scilicet barbara gens, & pugnauit cõtra eos. Moyses autem misit contra eos exercitum: & ipse ascendit in montem orare pro eis, & eleuauit manus suas ad Dominũ. Et factum est, cùm eleuaret manus, vincebant filij Israël: si quando ipse deponebat manus, vincebat Amalech. Quare putamus, quia habebat manuum eus eleuatio tantam gratiam? Solet sine dubio Deus magis attendere affectum mentis, quàm gestum corporis. Quid ergo? eius oratio non habebat coram Deo effectũ, nisi eleuaret manus suas? Talem effectum habebat illa eleuatio manuum eius, vt non possent resistere filiis Israël inimici eorum. Ideo tantam vim habebat illa eleuatio, quia significabat elevationem manuũ eius, qui dixit in Psalmo, *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*: quia advesperascente iam mundo, illius dulcissimæ manus expansæ sunt in cruce: & oblatum est illud sacrificium vespertinum, quod totius mundi tulit peccata. Illa ergo elevatio manuum Moysi passionem Domini nostri significabat: qui ascendit in montem orare, quia ascendit in cœlum pro nobis Patrem interpellare. Ibi eleuat manus suas, ne nos possit vincere Amalech, id est diabolus: quia ibi appparet vultui Dei pro nobis; & repræsentat passionem suam, quã pertulit pro nobis. Et nos fratres, quãdiu sumus in hac misera vita, quæ tentatio est super terram; quandiu nobis est colluctatio aduersus principes & potestates tenebrarum harum, aduersus mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: necesse habemus, vt Dominus noster habeat manus suas eleuati in nobis, id est, vt iugis memoria passionis eius in mente sit nostra. Et certum habeamus, fratres mei, quia quandiu memoria passionis eius fuerit in corde nostro, quãdiu spes nostra illic directa fuerit, vbi Christus in dextera Patris interpellat pro nobis, non poterit vincere spiritualis Amalech, id est diabolus. Et ideo, fratres mei, videamus, ne per negligẽtiam

Luc. 24.
Ibidem.
Hereditas à Christo relicta est ejus benedictio.
Matth. 28.
Luc. 24.
Rom. 8.
Exod. 17.
Psalm. 140.
Eleuatio manuum Christi.

nostram tepuerit iste affectus in nobis, & ista memoria; quia statim deficiemus & superabit nos inimicus noster, & affliget. Ascendit ergo ad patrem hodierna die Dominus noster, intuentibus discipulis, & mirantibus, & exultātibus, sed cum exultatione dolentibus. Exultabant, quia in tali posuerant spem suam, qui tanta potestate praeditus fuit, vt posset cœlum propria virtute penetrare. Exultabant, scientes quod vbi ille ascendit, illi quoque futuri erant: sicut ante passionem dixit ad Patrem. *Volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum*, Exultabant, quòd superbia Iudaeorum erat cōfutata; quod ipsum videbant in cœlum ascendere, quem Iudaei blasphemantes, & caput iuxta crucem agitantes, putabant non posse de cruce descendere, Exultabāt, quòd Spiritum sanctum, secundum promissionem eius, post modicum erant accepturi, & eius consolatione contra omnia tentamenta roborandi. Insuper exultabant, videntes Angelos in vestibus albis, qui & dicebant. *Viri Galilaei*, &c. Et pulchrè Galilaei vocantur, id est transmigrantes: id est qui à carnalibus legis obseruantijs transmigrabant ad spiritualia: qui ante passionem Domini audierant, *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraveritis*. Nunc quasi quaedam transmigratio eis indicitur, dicente Domino. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euāgelium omni creaturæ. Viri Galilaei, quid statis aspicientes in cœlum?* Nimirum licet de omnib⁹, quae praediximus, exultarent, inerat tamen eis non modicus dolor dè recenti eius abcessu. Corporalis namque praesentia eius erat eis valde grata, & in ea multum delectabātur: & ideo quod cum tanta dilectione habuerant, non poterant vtique sine dolore amittere; & ideò quod potuerunt, hoc fecerunt. Aspiciebant in cœlum, quò ille ascenderat; saltem oculis suis sequentes quem diligebant. Et Angeli ad eos. *Viri Galilaei quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cœlum*. Grandis consolatio. *Sic veniet*. Quomodo? In eadem carne, in eadem forma, cum eis cicatricibus & vulneribus, quae pervexit in cœlum. Videbūt enim, inquam compunxerunt. Videbunt Iudaei faciem, quam velaverunt. Videbunt, in cuius contemptum caput agitauerunt. Videbimus & nos, dilectissimi, Dominum nostrum, quem pauperes sequimur; sed non pauperem, nòn velatum, non absconditum, non mutum; quia Deus noster manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Occultus fuit velantibus faciem eius Iudaeis, siluit blasphemantibus Pharisęis; sed Deus noster manifestè veniet; Deus noster & non silebit. Et nos, fratres mei, securè audiamus blasphemantes, patienter toleremus persequentes, taceamus ad opprobria. Deus noster manifestè veniet. Hoc vnum sollicita mente pensemus, vt illi inhaereamus toto corde, tota mente, tota virtute; cogitantes quia est caput nostrum. Verè caput nostrum. Viuamus, sicut debent membra illius capitis; habentes animum, non hic, vbi est inferior pars nostri; sed illic, vbi caput nostrum hodierna die ascendit: obsecrantes Dominum Patrem omnipotentem; vt gratiā suam nobis donare dignetur, vt illuc tendat omnis nostrę deuotionis affectus, vbi cum eo est nostra substantia IESVS CHRISTVS Dominus noster; qui cum eo viuit & regnat per omnia sæcula seculorum, AMEN.

Exultatio discipulorū Christi in eius Ascensione.

Matth. 10.

Matth. 10.

Marc. 16.

Acto. 1.

Acto. 1.

Redibit Christus, sed manifestè.



SERMO DE SANCTO IOANNE BAPTISTA.

QVI verbum Dei alijs loquitur, non debet intēdere, vt suam scientiam possit jactare: sed quomodo audientes possit aedificare. Ideo debet propter audientium qualitatem suum temperare sermonem, & infirmis intellectibus compatiendo materno quodam affectu, vt ita dicam, balbutiendo ad infantilia verba descendere. Sed tenuitas ingenij mei requirit, vt auditores mei ad parvitatem mei sermonis suum potius inclinēt auditum. Vnde fratres mei, fateor, non parum erubesco: sed iterum quandā resumo audaciam, cum considero, beatum Zachariam Patrem sancti hujus viri, cuius hodie festa celebramus. Qui cum vellet nomen Ioannis exprimere, cum ipsa nominis expressione, qui priùs fuerat mutus, factus est facundissimus. Et fortasse si cœperimus loqui de Ioanne, non omnino muti erimus. Sed quid de eo loquemur, aut quid in eius laudibus dicemus, qui ante quam natus, Angelica est auctoritate laudatus, & ineffabili gratia in vtero, in quem venit per peccati cōtagium, dignissimum factus est Spiritussancti habitaculum? Sed & hoc non est praetereundum, quod Sacerdos eligitur, de quo nasceretur: templum, in quo eius natiuitas prędiceretur: nomen, quod ei imponeretur Nec hora quidem praetermittenda. Erat quippe hora incensi. Vtinam fratres mei, & nos simus de illis Sacerdotibus, quibus ait Apostolus Petrus. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Vtinam efficiatur cor nostrum templum Dei, sicut dicit Apostolus. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Fortasse hora incensi, hora salutiferae compunctionis, cùm dirigitur oratio nostra sicut incensum in conspectu Domini, & nobis Angelus, diuinae videlicet gratiae nuncius, apparebit. Ioannes namque Dei gratia interpretatur, & apertè hoc nomen ei Angelo praecipiente imponitur, qui illam inenarrabilem gratiam, qua Verbum caro factum est, adhuc intra materna viscera positus recognouit: & ipsum verbum carnē factum postea digito demonstrauit: & mirabilis Dei gratiae praedicator, etiam publicanis & meretricibus Regni cœlestis aditū suo sermone patefecit; vim quandam ex eorum conuersione cœlesti inferens puritati. Vnde Dominus in Evangelio, id quod modo audistis. *A diebus*, inquit, *Ioannis regnum cœlorum vim patitur: & violenti diripiunt illud*. A diebus quidem Ioannis regno cœlorum vis inferebatur, quam vtique vim Regnum cœlorum ante dies Ioannis non patiebatur. Adhuc enim Cherubin cū gladio illo versatili miserum Adam vt pote sub folijs fici latitantem à Paradisi introitu abigebat, & quodammodo vim inferentis conatum euacuabat. Adhuc septem illae mulieres patiebantur opprobrium, qui proprio quidem

Luc. 1.

1. Petri 2.

Ioannes gratiam Dei significat.

Matth. 11.

Genes. 3.

pane vescebātur proprijs vestimentis vtebantur. Patiebantur tamē opprobrium, circumeuntes, & vnum aliquem, quem sibi omnes comprehenderent, quærentes. Apprehendebant quippe alia vnum, alia alterū, simul omnes neminem, qui ominum auferret opprobriū; donec ille vir vnus, quia vnicus, quia singularis, (singulariter enim fuit donec transiret,) ille inquam vir vnus, quem mulier circumdedit; cuius vxor caro scilicet humana, cui in vtero virginali, quasi in thalamo suo, mirabili dispensatione nupsit diuinitas, quæ diu in cæteris filiis Adæ sterilis manserat; in *dominico homine peperit septem, omnes scilicet Spiritus sancti operationes expleuit. In ipso Dño habitauit plenitudo diuinitatis mirabiliter, quia corporaliter. Hunc virum vnum omnes simul illæ septem mulieres apprehenderunt; septem scilicet gratiæ Spiritus sancti: non quidem indigentes pane, non vestimentis. Quis est cibus Spiritus sancti? Ait Dominus in Euangelio. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Cibus ergo filij est, voluntatem Patris facere. Idem ergo & cibus Spiritussancti. Hoc cibo delectatur, inspirare scilicet hominibus, facere voluntatem Patris. Vestimenta quoque eius Sancti sunt. In quorum cordibus diuinus ille ignis nutriri solet, & quasi foueri. Vnde dicitur. *Et his omnibus quasi vestimento vestieris.* His vestimentis etiam ante dies Ioannis vestiebātur septiformis Spiritus; hoc pane delectabiliter pascebātur. Alij spiritu sapientiæ, alij intellectus, alij consilij, alij fortitudinis, alij pietatis, alij scientiæ, alij timoris, Spiritus sancti gratia cooperāte, refulgebant. Quod ergo in his septem muneribus, Spiritus sanctus patiebatur opprobrium? Homini iustitiam conferebat, iustitiæ mercedem nō reddebat. Quæ enim merces iustitiæ? Regnum cœlorum. Vis ergo iustitiæ regnum cœlorum sibi exigebat; sed hanc vim regnum cœlorum non admittebat; donec veniret ille, qui hoc abstulit opprobrium; & his qui vi quadam, carnem videlicet suam crucifigendo cum vitijs & cōcupiscentijs, sibi iustitiam acquirunt, amoto Cherubin, & gladio illo versatili, paradisi aditum patefecit. Sed quid est, *Innocetur nomen tuum super nos?* Sit vir iste sapientia, sit intellectus, sit consilium, sit fortitudo, scientia, pietas, timor. Nam & hoc scriptum, *Timor noster.* Sit ergo Iesus talis, & mirabili sapientia amoueat Cherubin, & gladium versatilem. Cherubin videtur mihi diuina esse iustitia, quę hominem superbum & inobedientem à Paradiso prohibebat, donec solueretur pro eius superbia, par humilitas; pro eius inobedientia, par obediētia. Quæ quia per IESVM CHRISTVM Dñm nostrum soluta est, amota est iustitia excludens, & successit iustitia admittens. Sed quis erat gladius ille versatilis? Audio Dñm in Evangelio gladiū nominare. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Voluit ergo per gladium aliquid significare, quod sit contrarium paci. Et quid tam contrarium paci, quàm discordia? Et ibi quidem bonam, si tamen bona dici potest, expressit. Hic vero gladius, vt mihi videtur, discordiam illam significat, quæ per peccatum primi hominis facta est inter Deum & hominem, inter Angelicam & humanam naturam, inter cœlestem & terrestrem creaturam. Ideo gladius iste dicitur versatilis, quia aliquādo per Dei gratiam erat amouendus. Venit namque verus Salomon, verus pacificus, sanguine crucis suæ pacificans quæ in cœlis sunt, & quæ in terris Et quia admirabilis hæc gratia, à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Regnum quoque cœlorum puritas cordis intelligitur, ad quam non nisi quandam nobis inferendo violentiam peruenire poterimus. De hoc regno Dñs. *Regnum,* inquit, *Dei intra vos est*, & Apostolus, *Regnum Dei non est esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Hoc regnum idem Apostolus vi quadam rapere gestiebat: qui ait. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Hanc violentiam primus in Evangelio Ioannes docuit per exēplum suæ conuersationis, deinde per verbum prædicationis, dicens. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Dignos quidem fructus pœnitentiæ facimus, si eodem modo, quo exhibuimus membra nostra seruire iniustitiæ & iniquitati, sic exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ & sanctificationi, & vt non regnęt peccatum in nostro mortali corpore, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto, regnum scilicet Dei. Dignos fructus pœnitentiæ facimus; si opera carnis, quibus regnat in homine diabolus, abijcientes, & terram cordis nostri vomere cōpunctionis scindamus; vt pullulent ex ea fructus spiritus, charitas, gaudium, pax, & cætera, quæ enumerat Apostolus. Quā autem ad hos fructus veniant, in sequenti mox versu idem Apostolus ostendit, dicens. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* An non hoc ipsum exemplo idem ostēdit Ioannes, qui ab ipsa, vt ita dicam, infantia turbarum circūstrepentium metuens sordibus inquinari, quasi castissimus turtur mutuatis sibi puritatis & innocentiæ alis, ad deserti secretum peruolauit; primum gradum ad hoc cœleste regnum ostendens mundi esse contemptum? Qui enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Vbi autem charitas non est, regnum vtiq; Dei esse non potest. Dignè ergo de Ioanne dicitur: *& fuit in deserto vsque in diem manifestationis suæ.* Et nos fratres, si regnum Dei intra nos habere cupimus, ad spirituale quoddam desertum transuolemus, & sit cor nostrum terra deserta, & inuia, & inaquosa; vt in ea appareat Dominus, & regnum suum ibi constituat. Sit terra deserta à mundi hujus occupationibus; vt nobis mundus crucifigatur, & nos mundo. Sit inuia, spiritualibus bestijs, spiritibus scilicet immundis, ne dicant animæ nostræ, *Incurvare, vt transeamus.* Sit inaquosa carens fluxu noxiæ voluptatis, vt pertranseat anima nostra aquam, in qua non est substātia. Iam de propriæ carnis contemptu quid dicam? Ait Evangelium. *Habebat vestimentum de pilis camelorum.* Ecce qualibus vestibus incedit ornatus Christi miles. Videtur mihi vir iste ex habitaculo clamare. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est,* &c. Et illud *Aduena ego sum apud te, & peregrinus: sicut omnes patres mei.* Ex pilis camelorū fit cilicium: quod est habitus pœnitentium. Quod ergo postea verbo, hoc priùs ostendit exemplo *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Iam etiam mirabilem eius audiamus abstinentiā. Erat quippe ei cibus locusta & mel siluestre. Per habitum quippe corporis mollitiem, per hunc cibū calcauerat ventris ingluuiem. Hęc est illa violentia, qua regnum cœlorum rapitur; hanc vim à diebus Ioannis patitur. Ab hinc enim non est nobis pugna aduersus carnales Chananæos, & Pherezæos, vt eorum terrenum regnum vi quadam

Marginalia: * Vox hoc loco impropria, quam August. retractavit. — Ioan. 4. — Isai. 49. — Genes. 3. — Isai. 4. — Diuina iustitia per Cherubin Gen. 3 designata. — Matth. 10. — Discordia ob peccatum inter Deum & homines, &c. — Luc. 17. — Rom. 14. — 1. Cor. 9. — Matth. 3. — Quomodo fructus digni pœnitentiæ fiant. — Galat. 5. — Luc. 1. — Spirituale desertum, quod adire debemus. — Isai. 51. — Matth. 3. — Psalm. 119. & 38. — Matth. 3. — Quæ violentia cœlo inferenda.

quadam possideamus; sed adversus carnalium passionum atrocissimos hostes; vt eos à cordium nostrorũ receptaculis extrudentes, in terra cordis nostri vero Salomoni templum preparemus, & regnum; crucifigentes carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs. Hæc in regnũ cœlorũ possidere neglexerant, de quibus Paulus dicebat. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.* Quid sit autem esse inimicos crucis Christi, manifestat, cum subiungit. *Quorum deus venter est, & gloria in pudendis eorum.* Hoc est ergo inimicũ esse crucis Christi, ventris ingluuiem, & carnis sectari mollitiem. Et his quidem verbis illa vniuersa vitia expressit, quibus penè totus mundus manus dedit, gulam scilicet & libidinem; quibus si addatur superbia, & auaritia; erunt quatuor rotæ, quibus diabolus totum penè penetrat orbem. Iam locustarum cœlestem volatum, & spiritualis mellis dulcedinem, quia in longum protraximus sermonem, vestris meditationibus relinquamus. Prætermiseram penè zonam illam pelliceam, quæ virtutem significat castitatis: in cuius virtutis excellentia puritas cordis maximè cõsistit. Quæ quamuis, sicut aliæ virtutes sine illa, ita illa sine alijs, aut parum aut nihil prodest: tolerabilius tamen est, ad tempus alia qualibet, quam illa carere. Inter cæteras denique speciali priuilegio fulget, quæ non solùm, vt cæteræ virtutes, circa animæ se habet qualitatem, verùm ipsam carnem corruptibilem ad quandam transfert incorruptionem; faciens iam futuræ illius resurrectionis quandam prægustare dulcedinẽ: in qua non nubent, neque vxores ducent, sed erunt sicut Angeli dei. Hęc est illa, quę inter cęteras virtutes, Angelicum consortium, Spiritus sancti accessũ, & familiariùs ipsius speciosi forma præ filijs hominum mereatur amplexum. *Habebat*, ait, *Ioannes zonam pelliceam circa lumbos suos.* Factus ergo Euangelicæ perfectionis strenuissimus executor, & antequã esset auditor. Pręstet nobis omnipotens, vt per viam, quam ipse ostendit, incedamus; vt tanti præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, securi veniamus, Dominum nostrum Iesum Christum; qui viuit & regnat per infinita sæcula sæculorũ AMEN.

Philip. 3.
Ibidem.
Quid sit esse crucis inimicum.
Castitatis excellentia.
Marc. 1.



SERMO IN DIE SS. PETRI ET PAVLI.

QVANDO divites huius mundi habent aliquam guerram, solent milites suos ad bene pugnandum non solùm animare verbis, sed etiã promissis. Quando enim vident eos minùs sapienter & prudenter agere: solent eis virtutem hostium suorum ostendere; quando vident eos pro nimio labore cedere, solent eos promissis prouocare. Sic Dominus noster, quia scit, quàm callidus & fortis sit hostis noster, hortatur nos, vt fortes simus, & dicit. *Estote fortes in bello.* Maximus labor sit, prômittit nobis magnum præmium, & dicit. *Et habebitis magnum præmium.* Magnum est istud bellum, fortis est iste hostis, sed magnũ est præmiũ. Estote ergo fortes in bello. Magnum duellũ est, magnum bellum. Nullus securus sit. Quandiu viuit, si tamen bene viuit, bellum est. Inde ait sanctus Iob. *Militia est vita hominis super terram.* Nam ille qui hic non est in spiritali militia, non debet appellari homo, sed pecus. Si enim non pugnat contra carnis voluptates & desideria, sed consentit eis: vtique non viuit sicut homo, sed sicut pecus. Sciatis vtique fratres, quia ex quo die huc venistis, & cœpistis seruire Christo, ingressi estis locum pugnæ. Inde ait Salomon. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta fortiter, & prepara animam tuam ad tentationem.* Hæc est pugna. Estote ergo fortes in bello. Sancti quorum hodie festa celebramus, habuerunt pugnam duplicem: id est interiorem, & exteriorem. Nos tantum vnam, id est interiorem. Nam sanctus Petrus, sicut scitis, pugnam habuit, non solùm spiritualẽ contra illum leonem, qui circuit, quęrens quem deuoret; sed etiam exteriorem, contra Simonem magum, cõtra pessimum Neronem, contra tormenta, & persecutiones malorum hominum. Sic & Paulus de exteriori pugna ait. *Foris pugna, & intus timores.* Et iterum. *Si ad bestias pugnavi Ephesi.* De interiori pugna ipse ait. *Video aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati.* Sed bene audierant vocẽ ducis sui: qui dixerat. *Estote fortes in bello.* Ideo bene pugnauerunt, bene vicerunt, & pręmium victoriæ hodie exceperunt. Et vos fratres, estote fortes in bello. Nolite dimittere locum pugnæ. Hic est enim locus pugnæ. Tenete vos in isto castello vestro, in ista domo vestra; & vnusquisq; locum suum bene teneat & defendat. Sunt enim in isto castello diuersa loca, & constitutũ est, quis debeat vnum locum seruare, & quis alium. Nullus ergo patiatur, vt ex illa parte, qua ipse fuerit, hostis intret. Alium locum habent monachi claustrales, alium obedientiales, alium Prælati: vnusquisque suum locũ bene custodiat. Vigilet, quantum potest, nè hostis ingrediatur. Locus claustralium, quem ipsi defendere debent, & contra hostes tueri, regularis est obseruantia. Ipsi debent prouidere, ne in ipsa regulari observantia possit hostis aliquod foramẽ inuenire, per quod possit intrare. Debent obseruare, ne in labore sit aliqua desidia; ne per eam hostis intret & dissipet illum magnum murum, quo solent pessimos prohibere à nobis, acediam videlicet, & tristitiam. Debent diligenter intẽdere, ne abstinentiam nostram aliqua superfluitas dirumpat; ne vigilias nimius sopor minuat. Hæ sunt duæ optimæ turres, quib⁹ defendimur cõtra ignita iacula libidinis; & ideo bene custodiendæ sunt: ne in illis aliquod foramen hostis inueniat. Debent etiam diligenter custodire silẽtium; quod si perforatum fuerit & attritum, statim ingreditur hostis per lites & contentiones, & discordias. Locus obedientialiũ est charitas, misericordia, cura hospitũ & pauperum, & cętera huiusmodi. Necesse est ergo, vt locum suũ custodiant: & non patiantur hostem intrare, vel per crudelitatem, vel per auaritiam. Provideant etiam bona, non solùm coram deo, sed etiã

Verba ex officio Ecclesiastico sumpta.
Iob 7.
Qui hic nõ militat, pecus est.
Eccli. 2.
2. Cor. 7.
Rom. 7.
Quisque locum suũ tueri debet in spirituali castello.

coram omnibus hominibus; vt in omnibus glorificetur Deus. Porro locus prælatorum est iudicij & disciplina. Hunc locum ita debent custodire, vt nec iudicium crudele sit, nec disciplina dissoluta; sed ita omnia custodiant, vt non inueniat hostis aliquod foramen murmurationis in cōgregatione, propter eorum minus rectam ordinationem: nec iterum aliquod foramen malæ libertatis, propter eorum remissionem. Sed quia in his omnibus bellum est, ideo omnes monet Dñs, dicens. *Estote fortes in bello.* Nam claustrales solet impugnare curiositatis vitium & voluptatis. Quia enim quando vident se expeditos ab exterioribus negotijs, solent nimis curiosè considerare ea quæ illi faciunt, qui de forensibus se intromittunt, & ita omnia eorum facta & dicta iudicare, & ita eos, quos maxime deberēt honorare, incipiunt despicere, semetipsos appretiari; tunc machinantur quædam in corde, & imaginantur, & dicunt. O si ego essem Abbas, aut Prior, aut Cellerarius, aut Portarius; non me implicarem terrenis rebus, hoc facerem, & illud. Et in talibus totum penè suum tempus consumunt. Inde incipiunt inuidiæ contra Prælatos, inde detractiones. Et si quando vident vel putāt Prælatos in aliquo excedere, ibi publicant, vbi audent. Qui sine dubio illā maledictionem incurrunt, qua Noë maledixit filium suum, qui pudenda patris irrisit. Hoc vitium solet illos maximè impugnare, qui se putant aliquid valere. Sunt alij, qui ideo quod sunt remissi in se, non multùm curant de alijs; sed quia ipsi sunt ab exterioribus curis liberi, tradunt se otio & tepori; & quia corpore nōn possunt, animo per sæcularia desideria, & carnis voluptates peruagantur, & nihil aliud curant, nisi vt corpore tantum in monasterio perseuerent. De quibus dicit Propheta. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius* Sabbatum, sicut scitis, requies est; sed illorum requiem hostes deridēt, qui in exteriori homine videntur requiescere, & intus non cessant sæcularia & turpia tractare. Plane hic considerandus est modus cogitationum. Qui enim omnes istas cogitationes sentit in se, si fuerit fortis in bello, & pugnauerit cum antiquo serpente, qui tales cogitationes immittit, nihil inde perdit, imo coronam acquiret. Non enim in suggestione, sed in consensu peccatum est. Sed quia istiusmodi cogitationes magnę violentiæ sunt, & plurimum vexant patientes; necesse est, vt audiamus Dominum dicentem. *Estote fortes in bello.* Porro obedientiales, verbi gratia Cellerarios Portarios, Hospitales, solet impugnare auaritia, tristitia, cupiditas. Plerique enim obedientiales vel nimium timidi, vel naturaliter auari, quando vident ea quæ habent in manus paululum minui, vel nimis cupiunt quæ non habēt, vel auarè seruant, vel cum quadam tristitia largiuntur, quæ habent. Cōtra omnes istas tentationes necesse est vt fortes sint, firmiter pugnent, accipiant firmam fidem contra cupiditatem, liberalitatem contra auaritiam, hilaritatem contra tristitiam. Accipiāt præcepta Dei & promissa, quasi quædam jacula contra inimicum antiquum serpentem, qui ista suggerit. Opponāt contra illum timorem & cupiditatem, hoc quod Dominus dicit. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.* Vbi sanè notādum est, quid nobis permiserit Dominus. Sine dubio ea quibus indigemus, videlicet necessaria, victum scilicet & vestimentum. Videtis ergo, quia non superflua promisit Dominus nobis. Securi ergo simus; quandiu non quærimus superflua, sed necessaria, ministrabit Deus. Et si quando subtrahit necessaria corporis, vtique facit hoc propter vtilitatem majorem animæ. Contra illam quoq; tristitiam audiant Apostolum. *Non ex tristitia,* inquit, *aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Sint & ipsi fortes in bello, pugnent ipsi contra tentationes, quātum possunt; necessaria honestè prouideant, & sollicitudinem deponant. Prælati qui in superiori loco sunt, duas tētationes maximè debent cauere, superbiam & vanitatem. Superbia est, si putant se meliores, quoniam sunt superiores. Vanitas est, si in ipsa sua prælatione delectantur & gloriantur. Sint itaque & isti fortes in bello, & pugnent cum antiquo serpente; contra superbiam, opponant sententiam scripturæ, quæ dicit; *Quantò altior es, tātò humilia te in omnibus.* Et iterum. *Principem te constituerunt; esto sicut vnus ex illis.* Contra vanitatem autem, qua animus oblectatur in prælatione, cogitet hoc, quod scriptum est. *Iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet : potentes potenter tormenta patientur.* Quia ergo nemo est, qui Deo seruit, in quocūque loco, in quocumque ordine, in quacunque dignitate, contra quem antiquus serpens non pugnet, omnes audiamus *Estote fortes in bello, & pugnate contra antiquum serpentem.* Sicut in principio dixi, duces sæculi, quando vident milites suos minus prudenter agere, ostendunt eis fortitudinem & calliditatem hostium. Sic hic duo quædam nobis dicit de hoste nostro; antiquum eum dicit, & esse serpentem. Per antiquitatem ostendit nobis, quia ipse in vsu habet huiusmodi pugnā, & ideo valde astut⁹ est. Vnde oportet nos cautè & vigilanter attendere nobis. Nullam aliam curā habet neq; de victu, neq; de somno, nisi tantum decipere homines. In hoc exercitatus est ab initio sæculi, vsque ad hoc tempus, Fratres, multum didicit de hac arte, ideo necesse est, vt vigilemus. Serpens etiam, sicut scitis, valde labilis est, & vbi primò potest caput mittere, facile totus ingreditur. Talis est iste inimicus noster: vbi primò potest caput mittere, idest actum peccati. Ideo necesse est, vt semper omnes motus cordis consideremus, vt iste serpens non possit aliquid immundum, vel quod sit cōtra rationem, immittere. Quoniam, sicut dicit Dominus noster, in corde est radix, & quasi caput omnium factorum nostrorum. *De corde,* inquit, *exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, blasphemiæ.* Considerare debemus; ad quid vocati sumus. Videre debemus, quia homines mundi huius ideo nobis suas terras, & suas substantias dant, vt nostris orationibus ipsi tueantur, ac Deo reconcilientur. Ideo necesse est, vt & munditiā vitæ, & exercitio bonorum operum simus supra illos, qui tantam fiduciam habent, ne dicatur de nobis. *Erubesce Sidon, ait mare.* Quod sine dubio euenit, quando illi, qui religiosi nominantur, deteriores fiunt secularibus. Tunc enim in compaparatione maris, id est sæculi, Sydon, id est religio, erubescit. Sed quia hoc laboriosum est valde, quotidie imò sine intermissione pugnare contra carnem, & cogitationes, & ceteras spirituales nequitias; necesse est, vt semper ad illud præmiū, quod nobis promittitur, aspiciam⁹. Idcirco postquam nos hortatus est ad bellum, postquam hostis nostri astutiam & malitiam insinuauit: statim

Prælati quo se debeāt habere.

Genes. 9.

Thren. 1.

Tentatio coronam parit resistenti.

Mat. 6.

Deus non superflua, sed necessaria ministrat.

2. Cor. 9.

Eccli. 3.

Sap. 6.

Hostis noster antiquus & serpens, cur.

Mat. 15.

Isai. 23.

nos de primo consolatur dicens. *Et accipite regnum ejus.* Regnum Dei duobus modis debemus intelligere, id est in ista vita, & in futura. In ista enim vita sine dubio possumus & debemus habere in nobis regnum Dei: dicit enim Apostolus. *Regnum Dei non est esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Si in hoc bello perseveremus, & vitijs non consentiamus, & in ista vita habebimus in nobis regnum Dei: sed & iustitiam, & pacem, & gaudium. Iustitiam ex virtutibus, pacem ex consensu carnis ac spiritus, quando in bono pariter cōsentiunt; gaudium ex testimonio bonæ conscientiæ. Hoc regnum etiam sequitur illud ineffabile quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit. Vnde Dominus dicet in die iudicij. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Quò nos perducere dignetur ipse, qui promisit, IESVS CHRISTVS, Dñs noster; qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Regnū Dei & hic, & in futuro.

Rom. 14.

Mat. 25.



SERMO SECVNDVS DE EODEM FESTO.

SCITIS fratres, quia inter omnes Apostolos & martyres Domini nostri, isti duo, quorum festiuitatem hodie celebramus: videntur habere quādam specialem dignitatem. Nec mirum. Isti sunt enim, quibus Dominus specialius cōmendauit sanctam Ecclesiam. Nam quando Sanctus Petrus confessus est, quòd ipse Dominus esset filius Dei, respondit ei Dominus. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni cælorum.* Iterum Dominus quodammodo fecit sanctum Paulum eius parem; sicut ipse Paulus ait. *Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est & mihi inter Gentes.* Hi sunt illi, quos Dñs per Prophetam promisit sanctæ Ecclesiæ, dicens. *Pro patribus tuis, nati sunt tibi filij.* Patres sanctæ Ecclesiæ sunt sancti Patriarchæ & Prophetæ; qui primò docuerunt legem Dei, & prophetauerunt aduentum Domini nostri. Si ante aduentum Domini cessauerunt esse Prophetæ, propter peccata populi. Venit autem Dominus noster; & in loco Prophetarum elegit sanctos Apostolos, & impletum est, quod ait Propheta. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et videte, quomodo ostendit, quod major est dignitas Apostolorum, quàm fuit Prophetarum. Ipsi enim Prophetæ fuerunt principes vnius populi, & fuerunt in vna gente, in vna parte terræ; & de Apostolis dicit. *Costitues eos super omnem terram.* Quæ est terra, fratres, in qua non est potestas & dignitas istorum Apostolorum? Reges, comites, diuites, pauperes, omnes hodie laudant & glorificant hos sanctos amicos Dei. Quare, nisi quia Dñs constituit eos principes super omnem terram? Et nos fratres, quantum possumus, laudemus hos sanctos Apostolos, & amicos Dei, & nostros patres & principes. Laudemus eos, & tales nos præparemus, vt possimus eos dignè laudare. Tunc poterimus dignè laudare eos, si studeamus imitari vitam eorum. Imitemur fortitudinem eorum, sanctissimam vitam eorum, & bonam perseuerantiam illorum. Ipsi sine dubio, fratres, magnam habebant fortitudinem. Ipsi enim illæ sunt columnæ, quas confirmauit Dominus, sicut scriptum est. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas ejus.* Quando liquefacta est terra? Videte, fratres, antequam Dominus noster veniret in terram, omnis terra congelata est; quia non habebat aliquem calorem charitatis, sed erat in frigore iniquitatis. Indurata erat; quia nō habebat aliquam mollitiem pietatis & benignitatis. Venit autem Dñs noster, & misit ignem in terram contra illud frigus, sicut ille ipse dicit. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt ardeat?* Iste ignis dissoluit hoc frigus, & incepit terra liquefieri, & currere per lacrymas. Sed quid est quod dicit, *Omnes qui habitant in ea?* Omnes fratres, liquefacti sunt: sed alij, sicut illa, quæ dicit in Canticis. *Anima mea liquefacta est.* Alij autem, sicut dicit Propheta. *Sicut cera, quæ fluit à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Alij liquefacti sunt per pœnitentiā, alij per inuidiam. Possumus hic intelligere terram sanctam Ecclesiam, quæ dicit hoc quod paulò antè diximus. *Anima mea liquefacta est*, in præsentia Domini nostri, & omnes qui habitant in ea. Alio modo oportet habitare in Ecclesia, id est, in vera fide & charitate. Ipsi vtique omnes liquefacti sunt igne diuini amoris. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea; ego confirmaui columnas ejus.* Columnæ huius terræ sunt sancti Apostoli, maximè isti duo, quorum festiuitatem hodie celebramus. Ipsi sunt columnæ, quæ sustentant sanctam Ecclesiam per doctrinam suam, per orationes suas, per exemplum patientiæ suæ. Has columnas confirmauit Dominus noster. Primò enim valde debiles erant, & non poterant sustinere se, nec alios. Et hoc erat magna dispensatio Domini nostri. Si enim semper fuissent fortes, aliquis posset putare, quod à seipsis haberent istam fortitudinem. Ideo voluit Dominus noster primò ostendere, quales erant ex seipsis, & postea firmare illos; vt omnes scirent, quia omnis fortitudo eorum ex Deo erat. Iterum, quia ipsi debebant esse patres Ecclesiæ, & medici ad curādum infirmos; non scirent aliorum infirmitatibus compati, nisi priùs in se infirmitatem sensissent. Ipse ergo cōfirmauit columnas terræ, id est sanctæ Ecclesiæ. Valde enim infirma erat ista columna, videlicet sanctus Petrus, quando vox vnius ancillæ dejecit illum. Postea confirmauit columnā illam: primò quando ter illum interrogauit, *Petre, amas me;* & ille ter respondit, *Amo te.* Sicut enim cùm ter negauit, minuerat quodammodo in se amorem Domini nostri, & ideo defecerat & fracta erat ista columna; ita per hoc, quod ter confessus est amorem eius, firmata est ista columna. Et notādum est, quod Dominus, quando Petrus respondit, *Amo te*, statim dixit ei, *Pasce oues meas*: acsi diceret. In hoc ostende amorem, quem habes ad me, vt pascas oues meas. Ideo fratres, falsò dicit se amare Deum, qui non vult pascere oues ejus. Sed dicit aliquis. Quid hoc ad nos? Hoc

Mat. 16.

Paulus Petro par.

Galat. 1.

Psalm. 44.

Imitatio sanctorum requiritur.

Psalm. 74.

Luc. 12.

Psalm. 74.

Cant. 5.

Psalm. 67.

Psalm. 74.

Apostoli columnæ à Christo firmatæ.

Ioan. 21.

pertinet ad Episcopos, ad Abbates, ad Præsbyteros, qui habent curam animarum. Verum est, fratres, ad ipsos, sed etiam ad vos pertinet. Oues enim Christi duobus modis pascuntur; id est verbo, & exemplo. Certè fratres, multi prælati sunt in Ecclesia, qui possunt satis pascere oues Christi verbo; sed quia malè vivunt, meliùs pascerẽt eas, si tacerent, vel corpore discederent; & sic darent illis exemplum humilitatis, paupertatis, abstinẽtiæ, castitatis, cetera rumque virtutum. Melius tamen facit, qui vtrumque facit; qui vtrumque non potest, melius est pascere exẽplo, quàm verbo. Quia si solo verbo potest illis prodesse, sed sibi nocet. Si vtrumque non potest: exemplo illis prodest, non sibi. Ideo fratres, si diligitis Dominum nostrum, ita viuite, vt exemplo vestro pascãtur oues Christi; sicut Dñs dicit. *Sic luceant opera vestra coram hominibus, vt glorificẽt patrem vestrum qui in cœlis est.* Habet etiam in vnaquaque anima sancta Dñs noster quasdam oues, id est virtutes, quas oportet vt pascãt, quicunque amat CHRISTVM. Istæ oues sunt charitas, humilitas, gaudium spirituale, & cætera huiusmodi. Tunc pascimus istas oues, quando talia opera facimus, quibus istæ virtutes crescant in nobis. Debet etiam vnusquisque nostrum in altero virtutes istas pascere. Quod tunc facimus, si ita nos habeamus coram fratribus nostris, vt nostro exemplo crescat charitas eorum, gaudium illorum, humilitas & patientia illorum. Quomodo enim pasco in fratre meo humilitatem, si fuero superbus coram eo; si loquor superbè, si respondeo superbè, & incedo superbè? Quomodo pasco in fratre meo obedientiam, si ipse videt me contrarium & inobedientem? Quomodo pasco impatientiam illius, si ego murmuro, vel irascor, vel durè loquor, vel significo coram illo? Qui hæc facit coram fratre suo, non pascit in illo oues Christi; sed quantum in illo est, destruit & occidit; quia scandalizat eum. Qui autem scandalizat fratrem suum, peccat in fratrem suum. Qui vero peccat in fratrem suum, sicut dicit Apostolus, peccat in CHRISTVM. Qui autem peccat in Christum, non amat Christum. Ideo si amatis Christum, pascite oues Christi, & pertinebitis ad istã columnã, quæ firmata est amore Christi. Post hanc confirmationem iterum cõfirmata est, quãdo Spiritussanct⁹ missus est. Tunc fuit ita fortis ista colũna, vt verbera, & lapides, & minæ, ad extremum ipsa mors, non posset eã mouere de loco suo. Iterum illa alia colũna, sine dubio primo infirma fuit. Infirmitas enim animæ, peccata sunt. Et audite, quàm infirm⁹ fuit. *Qui primò fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus.* Item quando prostratus est, & cæcatus, & ita ductus in ciuitatem; quando Ananias venit ad eum, & eum instituebat, tunc infirmus erat. Sed audi, quàm fortis postea fuit. *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque alia creatura poterit me separare à charitate Dei.* Ergo fratres omnis fortitudo est in charitate, sicut scriptum est, *Fortis est, vt mors, dilectio.* Quid agit mors in homine? omnia vitia, omnes passiones malas extinguit; claudit oculos, & omne corpus facit esse sine sensu; ita vt solus spiritus viuat. Hoc facit & charitas, ipsa extinguit libidinem, tollit iram, dejicit superbiam, & omnia vitia expellit. Claudit oculos, vt nõ sint curiosi, & omnes carnales sensus ita extinguit, vt homo possit dicere cum Paulo. *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ipse non viuit, quia quidquid suũ erat, in illo charitas mortificat. Christus verè viuit in eo, quia tãtum amor Christi in eo virtutẽ habet. Ergo fratres imitemur hanc fortitudinem harum columnarũ. Iam verò de sanctitate istorum Patrum quid possumus dicere? Omnis sanctitas est in puritate cordis, & testimonio bonæ conscientiæ. Contemptus mundi facit puritatem cordis. Omnis enim impuritas cordis venit de amore mundi. Amor mũdi inquinat cor: & ideo quando homo perfectè contemnit mundum, non habet in corde suo aliquam coinquinationem. Bonum testimoniũ conscientię nascitur de duobus; de bono opere, & recta intentione. Si enim non operetur bene, non potest habere bonam conscientiam. Iterum si facit laudabilia opera, & non facit ea recta intentione, sed vel amore laudis, vel vt aliquid tẽporale acquirat, non potest habere conscientiam bonam. Quis perfectiùs contempsit mundum, quàm ille, qui ita securè locutus est ad Dominum, dicens, *Ecce nos reliquimus omnia?* Quale testimonium habuit propriæ conscientiæ; qui dixit, *Tu scis, Domine, quia amo te!* Item Paulus quàm perfectè contempsit mundũ, quia omnia carnalia arbitratus est vt stercora, vt Christum lucrifaceret! Item de operibus suis ipse dixit. *Plus omnib⁹ illis laboraui.* Et iterum. *Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui.* De testimonio suæ conscientiæ iterum ipse dixit. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Ergo fratres, imitemur istos sanctos Patres nostros; studeamus bene operari, mundum contemnere, bonam conscientiam habere: vt possimus ad eorum consortium pervenire. Sed quia nihil prodest ista omnia incipere, si non studeam⁹ in eis perseuerare: necesse est, vt imitemur perseuerãtiam istorum sanctorum Patrum. Perseuerantia tantũ cognoscitur in morte. Quamuis enim citò incipiat quis seruire Deo, nihil ei prodest, si vel paruo tempore ante mortem deserat bonum, quod incepit. Et licet homo diu malè viuat, si in sanitate sua conuertitur ad Deum, quamuis modico tempore viuat, tamen perseuerauit. Ideo, sicut mihi videtur, nihil est aliud perseuerare, quam laudabiliter vitam finire. Ergo fratres, quandiu viuimus, nullus potest esse securus, nullus de se præsumere. Si enim, vt dicitur, omnis laus in fine cernitur, in sola perseuerantia salus nostra consistit. De hac verò perseuerantia, nullus potest ante mortem securus esse. Ideo nihil melius, quam audire Apostolum dicentem. *Cum tremore & timore vestram ipsorum salutem operamini.* Debemus autem scire, quia quantò magis homo patitur tribulationes & dolores in seruitio Domini, tantò laudabilior est eius perseuerantia. Propterea valde laudandi sunt isti sancti Patres nostri, qui tanta pro Christo pertulerunt, & tam perfectè perseuerauerunt. Non est magnum, perseuerare cum Christo in gaudio, in prosperitate, in patientia: sed hoc est magnũ omnino, lapidari, verberari, colaphizari pro Christo: in his omnibus perseuerare cum Christo. Magnum est cum Paulo maledici & benedicere; persecutionem pati, & sustinere; blasphemari, & obsecrare: esse quasi purgamentũ huius mundi, & in hoc gloriari. Quomodo laudanda est perseuerantia Pauli, quæ in talibus perseuerauit! Sẽper penè erat aut in carceribus, aut in vinculis, aut in fame, aut in frigore, vel nuditate; & in his omnibus perseuerauit cum Christo, nõ murmu-

Oues Christi pascuntur verbo & exemplo.

Matth. 5.

Virtutes sunt quasi quædam oues.

1. Cor. 8.

Petrus columna à Christo confirmata.

Paulus alia columna.

1. Timot. 1.

Rom. 8.

Cant. 8.

Galat. 2.

In quo sita sit sanctitas.

Matth. 19.

Ioan. 21.

1. Cor. 15.

2. Tim. 4.

2. Cor. 1.

Quid sit perseuerare.


Ephes. 6.

Perseuerare quando in re magnum sit.

rauit, non contristatus est, imò tunc placebat sibi, quando talia sustinebat, sicut ipse dicit. *Cōplaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in plagis, in tribulationibus, in angustijs pro Christo.* Ad vltimum hodierna die perseuerantiam suam perfectè commendauit, quando mortem non dubitauit pro Christo tolerare. Quid dicam de perseuerantia Petri? Qui si nihil aliud sustinuisset pro Christo; sufficeret hoc, quod hodie est crucifixus pro Christo. Et hoc quàm laudandū est, quod noluit ita crucifigi, sicut Dominus noster; sed voluit, vt pedes eius essent superiùs, & caput inferiùs. Sciuit bene, vbi erat ille, quem amabat, quem desiderabat, ad quem suspirabat. Vbi, nisi in cœlo? Quare ergo sic voluit, vt pedes eius essent sursum versi, nisi vt apertè ostenderet, se per illā passionem iturum ad Deum? Crux illa quasi via erat. Et verè fratres, ponamus ante oculos nostros vitam & mortē istorum Sanctorum; & præmium illorum: & cogitemus, quia si hic imitamur passiones illorum, quantum possumus; sine dubio veniemus ad consortiū illorum. Quod illorum meritis nobis concedat Dñs noster IESVS CHRISTVS, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

2 Cor. 12.

Cur Petrus crucifixus pedibus sursum versis.



SERMO IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ

Luc. 11.



NTRAVIT IESVS in quoddam castellum: & mulier quedā Martha nomine, excepit illum in domum sui. Et huic erat soror nomine Maria. Audiuistis de Euāgelio magnam felicitatē duarum mulierum. Verè fratres, magna felicitas Marthę; quæ talem suscepit hospitem, quæ illi ministrauit, quæ circa obsequium suum occupata fuit. Magna felicitas Mariæ, quæ recognouit excellentiam huius hospitis; quæ audiuit sapientiam eius; quæ gustauit dulcedinē eius. Sic enim narrat Euangelista, quòd Dominus noster IESVS CHRISTVS intrauit in vnum castellum, & quòd quædam mulier quæ vocabatur Martha, eum susceperit in domum suam: & ministrauerit illi. Illa habebat quandam sororem, quæ vocabatur Maria, quæ statim vt IESVS intrauit, cucurrit ad pedes eius, & ibi sedit, & audiebat dulcia verba eius; & intantum attendebat in verbis Domini, vt nihil curaret, quid ageretur in domo, quid aliquis loqueretur, quantum etiam soror sua laborabat. Quis enim vnus ex vobis, si Dominus noster esset in terra, & vellet intrare ad se, qui non miro & ineffabili modo gauderet? Quid ergo dicemus, fratres, quia non est modo corporaliter in terra, quia non possumus eum corporaliter suscipere, ideo debemus desperare de eius aduentu? Imò præparemus domos nostras, & sine dubio ad opus nostrum melius veniet ad nos: quam si corporaliter venisset. Istæ sine dubio mulieres beatæ fuerunt, quæ eum corporaliter susceperunt: sed omnino ideo beatiores, quia eū mente susceperant. Nam tunc temporis multi eum corporaliter susceperūt, & cum eo manducauerunt & biberūt; sed quia eum in mente non susceperunt, miseri remanserunt. Quis enim infelicior Iuda? & ille corporaliter ministrauit Domino. Dicam adhuc amplius. Ipsa beata Virgo Maria, cuius hodie gloriosam celebramus Assumptionem, sine dubio beata fuit, quia filium Dei corpore suscepit: sed ideo tamen magis beata, quia eum mente susceperat. Mentior, si non ipse Dominus hoc dixit. Heri lectum fuit, quomodo quædā mulier ait ad Dominum nostrum, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Et Dominus dixit illi. *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ideo fratres, præparemus spirituale quoddam castellum, vt veniat ad nos Domin⁹ noster. Audacter enim dico, quia nisi beata Maria hoc castellum præparasset in se, non intrasset in vterum eius, nec in mentē eius Dominus IESVS: nec istud Euangelium in eius festiuitate hodie legeretur. Ergo præparemus hoc castellum. In castello fiunt tria quædam, vt forte sit; scilicet fossatum, murus, & turris. Primo fossatum, & postea murus super fossatum, & sic turris quæ est fortior & excellentior cæteris. Murus & fossatum se inuicem custodiunt; quia nisi fossatum præesset, possent per aliquod ingenium homines accedere ad murum suffodiendum; & nisi murus esset super fossatum, possent ad fossatum accedere, & illud implere. Turris omnia custodit, quia altior est omnibus. Intremus modò animam nostram, & videamus quomodo ista omnia debent in nobis spiritualiter fieri. Quid est fossatum, nisi profunda terra? Ergo fodiam⁹ cor nostrum, vbi sit infima terra. Auferamus terram, quæ intus est: & proijciamus sursum, sic enim fit fossatum. Terra quam debeam⁹ accipere, & sursum proijcere, est nostra terrena fragilitas. Hoc non lateat intus, sed sit semper ante oculos nostros, vt sit in corde nostro fossatum, id est humilis & profunda terra. Ergo fratres, fossatum istud humilitas est. Recordamini quid ait ille vinitor in Euangelio de illa arbore, quam voluit Dominus vineæ succidere: quia non inuenit in ea fructum. *Domine, dimitte illam & hoc anno: vsquequo fodiam circa illam, & mittam stercora.* Voluit ibi facere fossatum, id est docere humilitatem. Sic ergo fratres, incipiamus ædificare hoc castellum. Nisi enim hoc fossatum primò fuerit in corde nostro, id est vera humilitas, non poterimus ædificare, nisi ruinam, super proprium caput. O quàm bene fecerat sibi hoc fossatum beata Maria! Profectò magis considerauit propriam fragilitatem suam, quàm totam dignitatem & sanctitatem suam. Sciuit nimirum, quia quod fragilis fuit, hoc erat ex se; quod erat sancta, quod erat Dei mater, quod Domina Angelorum, quod Spiritus sancti templum, non vtique nisi ex Dei gratia erat. Ideo quod ex se erat, humiliter confitebatur dicens. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et iterum. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Post fossatum debemus facere murum. Murus iste spiritualis est castitas; murus omnino fortis, qui seruat carnem integram & incontaminatam. Ille est murus, qui seruat istud fossatum, de quo locuti sumus, vt non possit impleri ab hostibus. Nam si quis perdit castitatem, statim cor totum impletur sordibus & immunditijs; vt humilitas, id est spirituale fossatum omnino pereat in corde. Sed sicut fossa-

Felicitas Marthæ & Mariæ.

Virgo magis beata, quia mente Christum suscepit

Luc. 11.

In castello tria sunt, vallum, murus, turris.

Luc. 13.

Vallum humilitas.

Luc. 1.

Murus castitas est.

tum istud custoditur à muro, ita necesse habet murus custodiri à fossato. Nam qui humilitatem amittit, carnis vtique castitatem seruare non poterit. Hinc euenit, quod virginitas, quæ ab ipsa infantia vsque ad senectutem seruatur, aliquando amittitur: quia quando anima polluta est per superbiam, etiam caro polluitur per luxuriam. Istum murũ habuit in se sancta Maria plus perfectè quàm aliquis alius. Ipsa enim est virgo sancta, & intacta: cuius virginitas quasi firmissimus murus numquam potuit per aliquod partum, uel per aliud instrumentum, idest tentatione diaboli penetrari. Virgo erat ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Sed si jam imitamini beatissimam Mariam, & habetis fossatum istud humilitatis, & murum castitatis: necesse est, vt ædificemus turrim charitatis. Magna turris est charitas, fratres mei. Sicut turris solet esse altior omni alia ædificatione castelli; ita charitas est super omnes alias virtutes, quæ sunt in spirituali ædificatione animæ. Ideo dicit Apostolus. *Adhuc superexcellentiorem viam vobis demõstro.* Hoc dicebat de charitate, quòd ipsa est excellentior via quæ ducit ad vitam. In ista turri quicumque fuerit, non timet hostes suos, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Sine ista turri infirmum est istud spirituale castellum, de quo loquimur. Qui enim habet murum castitatis firmum, & forte etiam, aut contemnit aut iudicat fratrem suum, & non exhibet illi talem charitatem, qualem debet; quia non habet turrim, inimicus eius transit murum, & occidit animam eius. Similiter si videtur humilis in habitu suo, in victu suo, in inclinationibus suis: si tamen intus habet amarũ animum erga Prælatos, & fratres suos, illud fossatum humilitatis non potest defendere eum ab hostibus suis. Quis potest dicere, quàm perfectè habuerit istam turrim beatissima Maria? Si Petrus dilexit Dñm suum; quantùm beata Maria dilexit & Dominum, & Filium suum! Quantùm autem ipsa diligat proximos suos, idest homines, mõstrant multa miracula, & multæ visiones, quibus ipse Dominus dignatus est ostendere, quòd ipsa specialiter oret Filium suum pro toto humano genere. Fratres, superfluum est, si volo saltẽ niti ad ostendendam eius charitatem: quæ adeò magna est, vt nulla mens sufficiat illam cogitare. Hoc est sine dubio castellum, in quod dignatur intrare Iesus. Et sine dubio feliciores sunt, qui eum in tali castello spiritualiter recipiunt, quàm multi, qui eum tunc corporaliter in suas domos susceperunt. Sed quid est, quòd Euangelista tacet nomen castelli: & non dicit, nisi tantùm, quod *intrauit Iesus in quoddam castellum?* Quoddam significat quãdam singularitatem: ideo hoc propriè pertinet ad beatissimam Dñam nostram. Ipsa namq; est singulare quoddam castellum: quia in nullo homine talis humilitas, in nullo tã perfecta castitas, in nullo tam excellens charitas. Sine dubio castellum singulare, quod pater cõstituit, quod Spiritus sanctus sanctificauit, quod filius intrauit, quod tota Trinitas quasi singulare sibi hospitium elegit. Hoc est castellũ, quod intrauit Iesus. Clausa porta intrauit: clausa porta exiuit: sicut prophetauit sanctus Ezechiel. *Et eduxit me*, inquit, *ad portã, quæ respiciebat ad oriẽtem, & erat clausa* Porta orientalis est sanctissima Maria. Nam porta quæ solet esse aduersus orientem, primo recipit claritem solis. Sic beatissima Maria, quæ semper respiciebat aduersum orientem, ad claritatem scilicet Dei, primo suscepit in se radium, imò totam plenitudinẽ claritatis illius veri solis, scilicet filij Dei, de quo ait Zacharias Propheta. *Visitauit nos oriẽs ex alto.* Porta hæc clausa erat, & bene munita. Nullum accessum inuenit inimicus, nullũ omnio foramen. Clausa erat, & signata signaculo castitatis; quæ per ingressum Domini non fracta, sed potius magis solidata & firmata est. Quia ille cuius muneris est virginitas, per præsentiam suam non abstulit virginitatem, sed magis confirmauit. Ergo in hoc castellum intrauit IESVS. Et nos fratres, si habuerimus in nobis hoc spirituale castellum, de quo loquimur; sine dubio ad nos intrabit spiritualiter IESVS. Sed ad beatam Mariam, non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter intravit; quia in ea & ex ea corpus assumpsit. *Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria.* Si ergo fratres, anima nostra, secundùm quod diximus, castellum facta est; oportet, vt duæ mulieres in ea habitent; vna, quæ sedeat ad pedes IESV, vt audiat verbum eius; altera, quæ ministret IESV, vt pascat. Videte fratres. Si sola Maria esset in domo illa; non esset, qui pasceret Dominum. Si sola Martha; non esset, qui delectaretur in sermonibus & præsentia Dñi. Ergo fratres, Martha significat actionem illam, qua homo laborat pro Christo: Maria autem requiem illam, qua homo vacat ab operibus corporalibus, & delectatur in dulcedine Dei; siue per lectionem, siue per orationem, siue per contemplationem. Ideo fratres, quandiu Christus pauper est, & pedibus ambulat in terra, & esurit, & sitit, & tẽtatur; necesse est, vt vtræque hæ mulieres sint in domo vna; id est vt hæ vtræque actiones sint in eadem anima. Quandiu tu es in terra, & ego, & ille alius, si tamen membra eius sumus, ipse in terra est. Quandiu illi, qui sunt membra eius, esuriunt, & sitiunt, tentantur, tandiu Christus esurit, sitit, tentatur. Ideo ipse dicet in die iudicij. *Quandiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* Ideo fratres, in ista misera & laboriosa vita, necesse est, vt Martha sit in domo nostra; id est vt anima nostra studeat corporalibus actionibus. Quandiu enim necesse habemus mãducare & bibere, tandiu necesse habemus vigilijs, & ieiunijs, & labore corporis carnem domare. Hæc est pars Marthæ. Debet etiam esse in anima nostra Maria, idest actio spiritualis. Non enim debemus semper corporalibus exercitijs intendere; sed aliquando vacare & videre, quàm suauis, quàm dulcis est Dominus: sedere ad pedes Iesu, & audire verbum eius. Nullo modo enim debetis negligere Mariã propter Martham; nec iterum Martham propter Mariam. Si enim negligitis Martham, quis pascet Iesum? Si negligitis Mariam, quid vobis prodest, quod Iesus intrauit domum vestram: quandoquidem nihil de eius dulcedine gustatis? Scitote fratres, quia numquam in ista vita debent istæ mulieres separari. Quando illud tempus venerit, quo Iesus neque pauper erit, nec esuriens, nec sitiens, nec jam poterit tentari, tunc sola Maria, id est actio spiritualis, occupabit totam domum istam, id est animã nostram. Hoc vidit S. Benedictus, imò Spiritus sanctus in sancto Benedicto. Ideo non tãtum dixit & statuit, vt essemus intenti circa lectionem, quasi Mariam, & prætermisit laborem, quasi Martham: sed vtrumq; cõmendavit nobis; & deputauit certa tempora ad opus Marthæ, &

Virginitas ob superbiã sæpe perit.

Magna turris charitas.

1. Cor. 12.

Virgo quantùm homines diligat.

Luc. 11.

Ezec. 40.

Luc. 1.

Luc. 11.

Nec Maria nec Martha sola esse debet.

Mat. 25.

Sola Maria actio erit in cælo.

Martha & Mariæ actio in Virgine

certa tempora ad opus Mariæ. Istæ duę actiones perfectè fuerunt in B. Maria Dña nostra. Quod Dominum nostrum vestiuit, quòd pauit eum, quòd portauit, quòd fugit cum eo in Ægyptum, hoc totum pertinet ad actionem corporalem. Quod autẽ considerabat omnia verba hæc, conferens in corde suo: quòd considerabat eius diuinitatem, & contemplabatur eius potentiam, & degustabat eius dulcedinẽ, hoc totum pertinet ad Mariam. Vnde ait pulchrè Euangelista. *Maria sedens ad pedes Iesu, audiebat verbum illius.* Secundùm partem Marthæ non sedebat B Maria ad pedes Iesu. Imò, vt ego existimo, ipse Dominus Iesus sedebat ad pedes dulcissimæ matris suæ. Nam sicut dicit Euangelista, & ipse *Erat subditus illis*, idest Mariæ & Ioseph. Sed secundũ hoc quod videbat & cognoscebat diuinitatem eius, sine dubio sedebat ad pedes illius; quia se humiliabat ante illum, & tenebat se pro ancilla sua. Secundùm partem Marthæ ministrabat illi, quasi infirmo, & paruo, esurienti, & sitienti: dolebat in passionibus illius, in contumelijs, quas faciebant illi Iudæi. Ideo illi dicitur. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Secundùm partem Mariæ quasi Domino supplicabat, quasi Dominum suum colebat, & spirituali dulcedini eius quantum potuit inhiabat. Ergo fratres mei, quandiu sumus in hoc corpore, in hoc exilio, in hoc loco pænitentiæ, sciamus hoc esse magis nobis proprium, & magis naturale, quod Dominus dixit ad Adam. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Hoc enim pertinet ad Marthã. Quicquid enim de spirituali dulcedine gustamus, non est nisi, vt ita dicam, quædam pitantia, qua Deus sustentat infirmitatem nostram, Ideo fratres carissimi sollicitè agamus ea quæ sunt Marthæ, & cum omni timore & cura exerceamus ea quæ sunt Mariæ, nec partem dimittamus vnius, propter partem alterius. Eueniet aliquando, vt Martha velit in labore suo habere Mariam, sed non est ei consentiendum *Domine*, inquit, *non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuvet.* Tentatio est. Videte ergo fratres, quia quãdo in illo tempore, quo debemus vacare lectionibus & orationibus, suggerit nobis cogitatio nostra, vt eamus ad illum vel ad illum laborem, quasi hoc sit necessarium, tunc quodammodo Martha vocat Mariam, vt illam adiuuet: sed Dominus bene iudicat & iustè. Non iubet, vt Martha sedeat cum Maria, nec iubet vt Maria surgat, & ministret cum Martha. Melior vtique est, & dulcior & suauior pars Mariæ; non tamen vult, vt Marthæ opus propter illam dimittatur. Laboriosior pars Marthæ, non tamen vult, vt quies Mariæ perturbetur. Vult ergo, vt vtræque agant suas partes. Quicunque autem sic intelligunt, quod aliqui homines sint, qui tantùm debeant in ista vita sequi partẽ Marthæ, & iterum alij debeãt tantum

Luc. 10.

Genes. 3.

Non est dimittẽda actio Mariæ aut Marthæ

Luc. 10.

studere parti Mariæ, sine dubio errant, & non intelligunt. Istæ mulieres ambæ in vno castello, ambæ in vna domo sunt, ambæ gratæ & acceptæ Domino, ambæ dilectæ à Domino, sicut dicit Euangelium. *Diligebant autem Iesus Mariam, & Martham, & Lazarum.* Aut dicant, quis vnquã sanctorum patrum sine vtraque hac actione ad perfectionem venerit. Quia autem ab vnoquoque nostrum ambæ hæ partes exercendæ sunt, sine dubio certis temporibus debemus ea agere quæ sunt Marthæ, sed certis temporibus ea quæ sunt Mariæ: nisi necessitas intercurrerit, quæ legem non habet. Ideo sollicitè debemus ista tempora custodire, quæ nobis pręfixit Spiritus sanctus; vt videlicet tempore lectionis simus stabiles & quieti, nec indulgeamus otio aut torpori, neque separemus nos à pedibus Iesu, sed ibi sedeamus & audiamus verbum illius. Tempore autem laboris simus impigri & prompti, nec vllo modo per obtentum quietis omittamus ministerium veritatis. Nec vnquam ista duo commisceamus, nisi sola obediẽtia, cui nec quietem, nec laborẽ, neç actionem, nec contemplationẽ, nec aliquid omnino debemus pręponere: nisi coegerit etiam ipsos, vt ita dixerim, pedes Iesu, relinquere propter obedientiam. Nam profectò, licet dulcius haberet Maria sedere ad pedes Iesu; tamen si ei iussisset Dominus, sine omni dubitatione surgeret, & ministraret cum sorore sua. Sed non iussit Dominus, vt in hoc facto vtramque hanc actionem commendaret; & vt solliciti simus, si non aliud nobis pręcipiatur, semper hæc duo sollicitè custodiamus: nec aliud propter aliud dimittamus. Considerandum est autem quod ait Dñs, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Magnam consolationem dedit nobis Dñs in his verbis. Auferetur à nobis pars Marthæ, sed non auferetur pars Mariæ. Quis non fastidiret istos labores & miserias, si semper deberent esse nobiscum? Ideo consolatur nos Dominus. Viriliter ergo agamus, viriliter istos labores & miserias perferamus: scientes quia finem habebunt. Iterumque quis multum curaret istas consolationes spirituales, si non amplius durarent quam durat ista vita? Sed non auferetur à nobis pars Mariæ, imo augebitur. Et quod hic per quasdam minutissimas guttas incipimus gustare, post istam vitam vsque ad quandam spiritualẽ ebrietatem bibemus; sicut dicit propheta. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nõ ergo vincamur istis laboribus, quia auferentur à nobis Auidè desiderẽmus gustum diuinæ dulcedinis, quia hic quidem incipit, sed post istam vitam perficietur in nobis, & in æternum manebit in nobis. Ad quam nobis beatitudinẽ obtinendam auxilietur nobis beata Maria apud filium suum Dominum nostrum; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sęcula sęculorum, AMEN.

Ioan. 11.

Nullus perfectus sine vtraque actione.

Luc. 10.

Auferetur pars Mart. non Mariæ.

Psalm. 35.

SERMO 2. IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ.



NON vult Dominus noster pati, vt habeamus aliquod fastidium. Ideo nos visitat, aliquãdo per se, aliquãdo per sacram Scripturam, aliquando per nostros sermones, quibus recitamus aliquid de ipso: aliquando etiam per dulcedinem bonorum, quæ nobis fecit per seipsum; aliquando per ea quę fecit per suos. Hæç sunt nostra fercula, quibus ipse pascit animam nostram: vt nec famem patiamur; nec in edendo

aliquod fastidiũ toleremus. Sed sicut inter omnes sanctos illa est excellentior, beatior, dulcior, quæ familiariùs & suauiùs gustat eius dulcedinem; ita non est ei tantũ creatura, ancilla, amica, filia, sed etiam mater; sic iustum est, vt eius festũ cum maiori dulcedine & iucunditate suscipiamus; & in eius festiuitate abundantiùs nosmetipsos epulis spiritualibus pascamus. Et vtique fratres, si semper debemus illam laudare & honorare, & cum omni deuotione eius dulcedinem reuoluere; sed hodie amplius debemus illi cõgaudere; quia hodie eius gaudium perfectè fuit impletum. Illa habuit magnum gaudium, quando Angelus illam salutauit. Illa habuit magnum gaudium, quando sensit aduentum Spirit⁹ sancti, quando fuit facta illa mirabilis adunatio in utero eius de filio Dei, & carne eius: vt ipse idem qui erat filius Dei, esset filius eius. Illa habuit magnum gaudium, quando tenuit talem filium inter brachia sua, quando osculata est eum, quãdo ministrauit ei, quando audiuit sermones eius, quando vidit miracula eius. Et quia multùm fuerat contristata in passione eius, iterum mirabile gaudium habuit in resurrectione eius; & adhuc maius in ascẽsione eius. Sed omnia ista gaudia superauit illud gaudiũ, quod hodie recepit. Scitis bene, fratres mei, quia in Domino nostro Iesu sunt duæ naturæ, diuina & humana. Istæ duę naturæ sunt ita perfectè in illo, vt diuina natura non fuerit immutata propter humanã, nec humana annihilata ꝓpter diuinam. Vnde & ipse est ęqualis Patri, & minor Patre. Æqualis propter diuinitatem, & minor propter humanitatem. Et certè fratres, magnum bonum est, & magnum gaudium, cognoscere Dñm nostrum Iesum Christum secundùm humanitatem eius: amare illum, & cogitare de illo: quasi videre in corde suo natiuitatem eius, passionem eius, vulnera ejus, mortem eius, & resurrectionẽ eius. Sed multò maius gaudiũ ille habet, qui potest dicere cũ Apostolo. *Etsi nouimus Christum secundùm carnem: sed nũc iam non nouimus.* Magnum est videre, quomodo Dñs noster iacuit in præsepio: sed multò maius est gaudium uidere, quomodo regnat in cælo. Magnum gaudium, videre, quõ sugit vbera: sed multò maius, videre, quomodo pascit omnia. Magnum gaudium, videre eum inter brachia vnius puellæ: sed maius gaudium, videre quomodo continet omnia cæli & terræ. Vsque ad hanc diem, fratres, cognouit beata Dei genitrix Maria dulcissimum filium suũ secundùm carnem: quia licet postquam ille carissim⁹ filius & Dominus eius ascendit in cælum, haberet ipsa omne desiderium suum & amorem suum ibi, vbi ipse erat: tamen quãdiu manebat in hac carne corruptibili, non poterant recedere de eius memoria ea, quæ secundùm carnem viderat de ipso. Semper enim occurrebant animo eius facta eius, verba eius, & super omnia versabatur in corde eius imago decoris vultus eius. Hodie autem transiuit de hoc mundo, & ad cęlestia regna conscendit: vbi cœpit contemplari ei⁹ claritatem, Patris diuinitatẽ: & impletum est gaudium eius, & desideriũ eius, ita vt meritò posset dicere. *Inueni, quem diligit anima mea.* Tenet illum, nec dimittit. Inuenerat priùs, quem dilexerat caro eius: quia adhuc caro sapiebat carnem, homo hominem: tenuit illum, sed dimisit. Tenuit illum, sed secundùm carnẽ: & ideo per mortem amisit illum aliquantulùm, sed secundùm carnem. Hodie inuenit, quẽ diligit anima eius; quia quamvis sit, sicut quidam credunt, etiam cum corpore assumpta in cęlum, tamen ipsum corp⁹ vtique est factum spirituale, vt omnis ille amor, quo illa diligit Dñm suum, filium suum, non sit secũdùm carnem, sed secundum spiritum. Hodie inuenit, quem diligit anima eius: invenit secundùm spiritum, diligit secundùm spiritum, tenet secundùm spiritũ: & ideo numquam ampliùs amittet. Hodie inuenit, quia hodie discesserat vmbra mortis, & orta est ei lux lucis. In nocte quæsiuit eum, sed non inuenerat: ideo ait. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni.* Quandiu vixit in hac vita, nox fuit, & tamen in hac nocte quærere non cessauit, & ideo quando nox pertrãsijt, inuenit. *In lectulo,* inquit, *meo quæsiui, quẽ diligit anima mea.* Quis est iste lectulus? Quis potest dicere qualis est, & fuit iste lectulus? Si esset corporalis, non esset op⁹ quęrere [illegible]. Puta, quia iste est ille lectulus, de quo alibi ait, *Lectulus noster floridus.* Et quis erat ille lectulus? Vbi erat cor eius, vbi erant flores omnium virtutum. Et bene lectulus, propter illam miram requiem & tranquillitatem, quam habuit. Non enim erat ibi tumultus vanarum cogitationum; non erant ibi cupiditates huius mundi, non erãt ibi carnales passiones, nec desideria. Vbi ista sunt, non est lectulus; quia nemo potest requiẽ & tranquillitatẽ habere, qui istos tumult⁹ habuerit in corde. Faciũt sibi multi lectum, non in corde, sed in carne; quia in corde non habent aliquam requiem, propter malam cõscientiam: sed jacent in carne, id est in desiderijs carnis, & ibi requiescunt quasi in lecto. Qualibus dicit Apostolus, *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Sed beata Maria non habebat requiem suam in carne, sed in mente, & in bona conscientia. Ibi requiescebat, & non requiescebat. Requiescebat ab omni cura mundi, ab omni tumultu vitiorum, ab omni strepitu vanarum cogitationum; & tamen non requiescebat: quia desiderabat & suspirabat, & gemitu & lacrymis quærebat, quem diligebat. *In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea.* Sed videamus, quando illa cœpit quærere. Primò ante aduentum Domini quærebat eum & desiderabat. Quærebat, vt veniret in terram, sicut promiserat, vt mundum redimeret, vt illam cum cæteris ab illa miserabili captiuitate liberaret. Quæsiuit eum, non in foro, aut in nundinis, sed in lectulo suo, in secreto thalamo cordis sui. Hic est iste lectulus in quo Abisag Sunamitis calefaciebat Regem David. Legimus in libris Regum, quòd Dauid Rex propter magnam senectutem ita friguerat, vt non posset aliquomodo calefieri. Cooperiebatur enim vestibus, sicut dicit scriptura, & non calefiebat. Tunc dixerunt serui regis ad eum. Quæramus Dño nostro regi puellã, virginem speciosam, & ministret ei, & dormiat in sinu eius, & calefaciat dominum nostrum Regẽ. Et inuenerunt quandam virginem, quæ vocabatur Abisag sunamitis: & fuit cum rege, & ministrabat ei, & calefaciebat eum. Rex autem non cognouit eam. Vos scitis bene, quia Rex Dauid significat Dñm nostrum IESVM CHRISTVM, qui natus est de semine eius. Ipse habebat quandam spiritualiter infantiam, & pueritiã, & quandam iuuentutem, & quandam senectutem. Quasi quædam infantia eius erat, quãdo cœpit primò nasci in cordibus sanctorum Patrum, qui fuerunt ante

Virgo quantum colida.

In Christo duæ naturæ.

2. Cor. 5.

Virgo Christum olim secundùm carnem nouit.

Cant. 3.

Assumpta B. Virgo in corpore.

Cant. 3.

Cant. 1.

Lectulus in corde, vel in carne, quid.

Ephes. 5.

3. Reg. 1.

ante aduentum eius. Ipse nascebatur in cordibus eorum duobus modis: per notitiam videlicet & amorem. Tunc cœpit nasci in corde Abraham, quando ei dictum est, quòd talis nasceretur de semine eius, in quo benedicerentur omnes gẽtes. Quod nos videmus modò impletũ: quia in Dño IESV Christo, qui natus est de semine Abraham, nunc benedicuntur omnes gentes. Similiter in corde Isaac tunc cœpit quasi nasci, quando advent⁹ eius cępit ei notificari: similiter in Iacob, & cæteris Patriarchis. Sed adhuc erat quasi infantia eius. Infantia est illa ętas, in qua puer non potest adhuc loqui. Iam erat quasi nata ipsa notitia Domini nostri, sed adhuc non loquebatur: quia ipsi SS. Patres Abraham Isaac & Iacob non prędicabant apertè aduentũ eius omnibus. Sed licet non apertè loquerentur de eo, tamen calefaciebãt eum, idest ardenti amore amplectebantur. Postea fuit quasi pueritia eius, quando data est lex, quando iam ipsa notitia eius cœpit loqui omnibus, per diuersa instituta & sacrificia, quæ erant in veteri lege; in quibus omnibus Christus sine dubio loquebatur, & se eis notificabat; sed quodammodo per puerilia verba, idest per carnales obseruantias & cęremonias. Postea cœpit ostendere iuuentutem suam, quando multò apertiùs cœpit ostendere fortitudinẽ suam, (quæ solet amplius esse in homine in iuuentute;) illam fortitudinem, quæ debebat vincere diabolum, spoliare infernum, mundũ redimere, à mortuis resurgere, in die iudicij damnare impios, coronare sanctos: quæ omnia ipse Dominus noster per prophetas suos locutus est. Ipsa omnia possemus vobis apertè in scripturis prophetarum ostendere; sed faceremus nimis magnam digressionem. Istæ spirituales fortitudines, quas fecit Dominus noster IESVS CHRISTVS, sunt significatæ per illas corporales fortitudines, & pugnas, & victorias David in iuuentute sua. Nã sine dubio qui posset ipsas pugnas & victorias David perscrutari, & spiritualiter discutere, inveniret non fabulas vanas, aut simplices narrationes esse in sancta Scriptura, sed omnia videret esse plena magnis sacramentis. In ista quasi sua juuentute noster David tantò magis calefiebat, quantò plures essent, qui eum agnoscebant, & amabant, & desiderabant. Postea cœpit quasi frigescere sanctus David; superabundavit enim iniquitas, & refriguit chatitas multorum, ita vt iam appropinquante aduentu Domini, propter multitudinem malorum dicat Propheta, *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Tunc operiebatur noster David vestibus, sed non calefiebat. Quasi vestes eius debebant esse Pontifices, Sacerdotes, & communiter omnes Iudæi, quos Dominus noster sibi spiritualiter quasi vestes conjunxerat. His vestibus quodammodo iam ante adventum eius operiebatur; frequentabant enim templum, faciebant Pontifices & Sacerdotes sacrificia, celebrabant festiuitates suas, sabbata, neomenias, & cætera huiusmodi. Sed ista omnia non calefaciebant Dominum nostrum; quia in illorũ cordibus veri amoris calor non erat. Omnia enim ista non per amorem faciebant, sed per hypocrisim, sicut Dominus noster satis apertè monstrauit. Necesse ergo erat, vt prouideretur puella virgo, in cuius amplexu verus ille David requiesceret, in cuius sinu dormiret, quæ eum jã frigescentem & senescentem in lectulo suo calefaceret. Hanc virginem omnibus virginibus puriorem, omnibus feminis sanctiorem, omnibus viris fortiorem, sole formosiorem, igne fervẽtiorem, David noster sibi ipse prouidit, cognovit, imo ipse eã sibi talem parauit; sed tamen per servos suos eam quærere voluit. Quæsiuit eam Salomon, qui ait. *Mulierem fortem quis inueniet?* Quæsiuit eam Isaias, & inuenit, & ideo ait. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quæsiuit eam Ieremias, & inuenit, & miratus est dicens. *Creavit Dominus novum super terram; mulier circundabit virum.* Denique quæsiuit eam sanctus Gabriel; quæsivit, inuenit, cognouit, salutauit, & ad veri David amplexum inuitauit. Ipsa sola inuenta est, in cujus sinu ver⁹ David familiariùs requiesceret, cujus amplexu suaviùs calefieret, cum quain lectulo quietiùs dormiret; Domina scilicet nostra sancta Maria, in cuius sacratissimo pectore flamma charitatis non tepuerat; quæ sicut plus omnibus amabat, ita plus omnibus desiderabat; ideo soliciùs quærebat. Sed quem adhuc diligebat caro eius, jam nunc diligit anima eius. Ideo ait. *In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea.* Non ait, quem diligebat anima mea; sed quem diligit anima mea. Tunc enim quodammodo diligebat caro eius. Licet enim sanctissimam eius animam ex toto vis diuini amoris possederit, vt meritò posset Sunamitis vocari, (Sunamitis enim interpretatur coccinus, cocc⁹ autem ignei coloris est,) flammam præferens charitatis, ignem rutilans diuinæ dilectionis. Licet ergo ex tota anima Deum dilexerit, tamen quia adhuc erat sollicita de sua & totius mundi salute, quam ipse debebat adhuc operari, vtriq; per carnem eius, idest ipsam humanitatem eius desiderans, adhuc eum secundùm carnem cogitabat, secundùm carnem quærebat, ipsaque anima eius eum secũdùm carnem amabat. Quæsiuit quidem, quem diligebat anima eius; sed quodammodo secundùm carnem, non ex toto secundùm spiritum. *In lectulo,* inquit, *meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* In ista prima eius inquisitione sine dubio nox erat, quia nox infidelitatis tunc totum mundum occupaverat. *Quæsiui,* inquit, *& non inueni.* Quid dicemus? Nunquid non inuenit? Nunquid non nostra hæc Sunamitis verum David amplexata est, non solum in lectulo cordis eius, sed in lectulo carnis eius? Quid est ergo, *Quæsivi eum, & non inueni?* Cogitate ergo, quia ista verba non conueniunt illi, secundum illud tempus, quo secundùm carnem filium Dei sapiebat, sed secundum hodiernum tempus, quo in cælum ascendit. Ideo quasi de præterito narrat dicens. *In lectulo quæsiui, quem diligit anima mea.* Et videte, quàm subtiliter ipsam inquisitionem ponit præteriti temporis, *In lectulo,* inquiens, *meo quæsiui:* ipsam autem dilectionem ponit præsentis temporis; ac si diceret; tunc quæsiui, quem modo diligit anima mea. Et addidit, *Quæsiui eum, & non inueni.* Sed quomodo non inuenit, quæ illũ in vtero concepit, quæ castis visceribus peperit, quæ illum suis pauit vberibus, sacris amplexibus fouit; quem virgo concepit, virgo peperit, quem post partum virgo nutriuit? Vnde pulchrè de Abisag sunamite scriptura ait, *Rex vero non cognouit eam.* Nusquam legimus Abisag, nisi virginem. Nam & Adonias frater Salomonis, qui eã incestare temerario ausu voluit, mortis sententiã excepit. Virgo itaq; Abisag ante regis amplexum,

Ee

Marginal notes: *Ætates Christi spirituales.* — *Psalm. 13.* — *Proverb. 31.* — *Isai. 7.* — *Ierem.* — *Cant. 3.* — *Virgo Sunamitis dici potest.* — *Cant. 3.* — *3. Reg. 1.*

per Absag designata. virgo in regis amplexu, virgo post regis amplexum. Videtisne, quàm lucidè in hac sanctissimæ virginis beatissimæ Mariæ virginitas commédatur: quæ & ante regis conceptum, in quo Dei filius carnem de carne virginis mirabilis vnitatis vniuit amplexu, virgo existens, ipsius virginitatis signaculum nec in conceptu perdidit, nec in partu resignauit, post partum quoque integerrimum custodiuit? Vultis adhuc audire, quid de excellentia Abisag Sunamitis sapientissimus Salomon senserit? Petenti siquidem Bethsabee, vt daretur Abisag Adoniæ, respondit Salomon. *Cur postulas* 3. Reg. 2. *Abisag Sunamitem Adoniæ? postula ei & regnum.* O miræ excellentiæ virginem, cujus qui meretur amplexũ, meretur simul & regnum. Quare? Quia huic nostræ Sunamiti non nisi Regis congruebat amplexus: cui eius castissimus vterus seruabatur; cuius mens Spiritu sancto operante parabatur. Quomodo ergo eum Abisag non inuenit, quem in lectulo cordis quæsiuit, & in lectulo carnis suscepit? Videte fratres, & si potestis cogitate & conijcite, quantum hodie de dulcissimo filio suo senserit, ad quantam gloriam peruenerit, quàm perfecte eam diuinitatis eius amor & notitia absorbuerit, vt ante hoc tempus dicat se non inuenisse, quem tamen eam constat de suo Multis modis quæsiuit filium suum B. Virgo. vtero genuisse. Ista diximus de prima eius inquisitione: iterum quæsiuit eum post passioné ejus, post mortem eius. Ista planè inquisitio fuit plena doloris & anxietudinis. Tunc enim impletum fuit de illa, quod prophetauerat sanctus Simeon. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladius doloris, gladius tristitiæ, gladius compassionis. Quanta tunc flumina lacrymarum de illius castissimis oculis eruperunt: cum videret filium suum, & talem in cruce pendere, potari felle, ab impijs irrideri! cum quãto dolore audiuit, *Mulier, ecce filius tuus*, vt scilicet susciperet discipulum pro filio! Vtique tunc gladius doloris pertransiuit animam eius, pertingens penè vsque ad diuisionem animæ & corporis eius. Tunc sine dubio quæsiuit, quem diligit nunc anima eius; quæsiuit affectu, quæsiuit desiderio; ita quod ipsa non effugerit hoc quod gemebat Apostolus. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Ex carnali namque affectu non dubito eam tũc voluisse filium suum ab illa morte liberare, Iudæorum irrisiones confutare, vel etiam si posset, ipsam mortem subire. Tunc quoque nox erat, quia nimia aduersitas omne eius gaudium obscurabat: nimia tristitia penè in eius morte vim rationis absconderat. Quæsiuit ergo tunc, sed non inuenit: quia non est impleta carnalis illa voluntas eius; qua volebat, vt non pateretur filius eius: sed spiritualis, qua volebat, vt per mortem filij eius impleretur ęterna salus eius. Tertio cœpit eum quærere post ascensionem eius. Quæsiuit, vt credo, duobus modis. Viuebat enim adhuc in memoria eius illa quæ corporaliter de illo viderat; cogitabat delectabilem ej⁹ conuersationem, suauem sermonem, gratum aspectum, dulcissimum compassionis affectum: & quia adhuc in corpore viuebat, sæpe etiam quærebat corporalem præséntiam eius. Aliquando autem ad sublimiora se conferens, & cœlestem illam cóuersationem mente pertractans, solebat animo terrena omnia fastidire, toto affectu celestia suspirare & solo corpore in terra existens, ibi conuersari corde, vbi cogitabat filium suum super omnia regnare. Et tunc quidem nox illi erat absentia filij sui; illud quoque claustrum corporis sui, cuius tunc vinculo detinebatur, vt ex toto non posset filij sui amplexibus inhærere. His ergo noctibus primò ante aduentum eius, deinde in passione eius, postmodum peracta ascensione eius, quæsiuit quem diligit anima eius. *Quæsiui*, inquit, *& non inueni*, & adjecit. *Surgã, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Ciuitatem hic intelligo Ierusalem cœlestem, cuius plateæ secundũ Prophetam sternuntur auro mundo; per cuius vicos cantatur, *Alleluia.* Sed quid est, quod dicit. *Surgam & circuibo ciuitatem?* Si auderem, dicerem, beatissimam Dei genitricem Mariam carnem primò reliquisse, deinde in ipsa carne in æternam vitam resurrexisse. B. Virgo resurrexit. Sed licet hæc non audeam affirmare; quia non habeo, vnde possim, si quis resistat, conuincere; audeo tamen opinari: affirmare autem indubitáter audeo, quia hodierna die beata Virgo siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, cœlum conscenderit, omnem illam cælestem ciuitatem mentis vivacitate circuierit. Hodierna planè die illam cœlestem curiam intrauit, candidas stolas virginum, roseas coronas Martyrum, thronos Apostolorum; & in ijs omnibus filium suum regnare inuenit. Quare ergo dicit adhuc, *Quæsiui illum, & non inueni?* Recogitate fratres hoc, quod paulò ante dixi. Nam & in prima illa eius inquisitione, qua quæsivit eum, sed hodierna die eum tam perfectè, tam beatè invenit, vt priùs non inuenisse meritò fateatur. Sic & hic. Vltra enim omnem sanctorum celsitudinem cõscendens, ad tantam divinitatis notitiam peruenit, vt tunc primùm se eum inuenisse glorietur. Vnde ait. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Vigiles sunt Angeli, qui custodiunt ciuitatem Dei, scilicet sanctam Ecclesiam, & protegunt ab incursionibus & insidijs diaboli. Et vtique fratres, certum est, omnem Angelorum exercitum venisse hodie obviam beatissimæ Mariæ. Angeli obuiam venerunt B. Virgini. Inuenerunt eam in mundo, & tulerunt eam de mundo. Sed illa licet vidisset claritatem Angelorum, & eorum gloriam & beatitudinem, tamen non ei sufficiebat hoc; sed magis ipsum solum desiderabat videre, quem super omnia amabat. Ideo dicit. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Et addidit. *Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea* O beata anima, quæ non solùm Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, atque Virgines, sed etiam Angelos, Thronos, & Dominationes, Cherubim & Seraphim, & omnem militiam cœli pertransijt, & sic ad dulcissimum suum peruenit. Tunc perfectè inuenit, quem modo diligit perfectè anima eius. Inuenit & tenuit. *Tenui*, inquit, *illum, nec dimittam.* Tenuit & tenet, & numquam dimittet. Tenet illum amplexibus perfectæ charitatis, nec vnquã poterit eum amittere; quia numquam poterit minùs amare. Erigamus ergo fratres, corda nostra ad hanc Dominam nostram, advocatã nostram. Consideremus, quantam spem possumus in illam habere. Sicut enim illa est excellétior omni creatura: sic misericordior, & benignior. Securè ergo illam oremus, quæ nobis succurrere potest per excellétiam, & vult per misericordiam; quatenus ipsa filium suum interpellet pro nobis: vt sicut de illa pro nobis dignatus est nasci, per illã dignetur nostri misereri; qui cũ Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia sęcula sęculorum, AMEN.



SERMO IN NATIVITATE B. MARIÆ

Eccli. 24. TRANSITE *ad me, omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel, & favum: memoria mea in generationes seculorũ.* Ista verba, quæ modo diximus, sunt scripta in quodam libro, ex persona sapientiæ. Vocat enim nos sapientia, & dicit. *Transite ad me.* Scitis autem fratres, quia Dñs noster IESVS CHRISTVS est Dei virtus, & Dei sapientia. Ergo ista verba sunt Christi, qui vocat nos ad se, & dicit. *Transite ad me.* Videte fratres. Ipse stat quasi in quodam excelso monte, & videt nos in valle positos, & dicit. *Transite.* Aut murus est inter nos & ipsum, aut mare, aut aliquid tale, quod debemus transire, vt ad eum veniamus. Et ego puto, quia vtrumque est inter nos & ipsum, scilicet & mare, & murus; adhuc etiam nubes. Sic enim ait quidam sanctus ad Dominum. *Opposuisti nubem, ne transiret oratio.* Ista omnia oportet nos transire, si volumus venire ad Iesum; id est murum, mare, & nubem. Debemus autem scire differentias rerum, & postea modum transeundi. Nam mare non possumus transire, nisi per lignum: murum, nisi per ferrum: nubem nisi per lumen. Nouerimus ergo fratres, quod mare hoc, quod est inter nos & Deum, præsens sæculum est, de quo dicit Psalmista. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus.* Nisi istud mare transierimus, nullo modo poterim⁹ venire ad illum, qui ait. *Transite ad me omnes.* Alij merguntur in hoc mari, alij transeunt. Illi demerguntur, qui sine naui sunt in hoc mari; vel qui de naui exeunt, vel qui aliqua tempestate expelluntur. Nauis ista, sine qua nullus potest transire hoc sæculum, est professio crucis Christi. Sine hoc ligno nullus potest transire mare. Sed alij meliorem & fortiorẽ habẽt nauim, quam alij. Quasi nauis est coniugium, quod fit in fide IESV CHRISTI. Sed debilis est ista nauis, & ruinosa, & recipit multum de aqua maris in sentina sua: & nisi iugiter exhauriatur, citò mergitur. Sunt enim multæ occupationes sęculi in ista professione; & incurrunt sæpissime, etsi non damnabilia, certè multa alia peccata: quæ nisi per eleemosynas & magna opera misericordiæ hauriantur, mergunt istam nauim, vt non possit venire ad portum. Quæ tamen in ista vita est professio crucis Christi, nauis est; & potest homo per istam nauim transire ad Christum. Quicunque autem post professionem coniugij cadit in adulterium, vel cętera damnabilia, exiuit homo ille de naui, & ideo mergitur: & nõ poterit transire hoc mare, nisi fortè iterum redeat ad nauem suam per pœnitentiam. Est alia nauis, scilicet abrenuntiatio huius mundi. Qui enim reliquit sęculum, & tradidit se alicui sanctæ congregationi, vt sit sub regula & potestate alterius, iste intrauit nauim, vt transeat sęculum. Quicunque autem postea quàm intrauerit aliquam cõgregationem, iterũ exiuit & redijt ad sæculum; iste exiuit de naui & demergetur in mare, nisi iterum ad nauim redeat. Tempestas, quæ excutit hominem de ista naui, tentatio est. Ideo vos moneo, fratres carissimi, qui elegistis vobis hunc Ordinem, quasi fortissimam & optimam nauim, quatinus vos in ea teneatis; neque per aliquam adulationem vel vim patiamini vos ab hac naui educi. Aduersarius enim vester diabolus circuit nauim istam, & aliquando adulatur, vt vos educat; aliquãdo deterret. Adulatur, quando proponit vobis delicias sæculi, gloriam mundi: quando promittit vobis longam vitam, & ostendit vobis magnitudinẽ misericordiæ Dei, & cętera talia. Terret, quando proponit vobis asperitatem huius Ordinis, quodammodo loquens in animo vestro, dicens. Quomodo poteris semper ista pati? & tu habes diu viuere, & semper in ista miseria esse, semper luctari contra carnem tuam, contra cogitationes tuas, nunquam esse sine timore. Et post triginta annos per vnum peccatũ potes omnes istos labores perdere. Hæc sunt eius figmenta & mendacia. Non illa audiamus. Teneamus nos in ista naui, adhæreamus cruci IESV, vt veniamus ad illum, qui vocat nos & dicit, *Transite ad me.* Est adhuc murus inter nos & Deum. Iste est murus, quem construximus de diuersis vitijs & peccatis, & multis lapidibus, de quibus ait Propheta. *Peccata vestra separant inter vos & Deum.* Istum murum non possumus dissipare & destruere, nisi per ferrum, & hoc acutum. Ferrum istud pœnitentia est. Ergo qui vult vt dissipẽtur peccata sua, quæ sine dubio sunt quasi murus inter nos & Deum, necesse habet, vt se operibus pœnitentię tradat. Per ferrum abstinentiæ destruat libidinem, per ferrum paupertatis destruat auaritiam, per ferrum silentij destruat contentiones, per cõtemptum honoris & dignitatis, quasi per acutissimum ferrum, destruat inuidiam, per mortificationem propriæ voluntatis destruat lasciuiam mentis; & per singula exercitia, quę sunt quasi acutissima instrumenta, singula vitia quasi durissimos lapides cõterat & comminuat, & ad illum constãter transeat, qui dicit. *Transite ad me.* Sed adhuc impedit nubes. Nubes est ignorantia, qua sæpe cęcamur, vt in multis nesciamus, quid agere debeamus. Ad illam lucernam habeamus oculos nostros, de qua dicit Propheta. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Verbum Dei sancta Scriptura, ipsa est lumen, & lucerna, ad quam debem⁹ sine intermissione aspicere, ne nos impediat nubes ignorãtiæ: vt videlicet ista exercitia, quæ agenda sunt, non nisi secundùm regulam S. Scripturæ, & eorum doctrinam, qui nobis verbum Dei ministrant, agamus. Ergo fratres, quia in naui estis, per quam potestis transire hoc mare magnum & spatiosum; sæculum scilicet, quia instrumenta optima habetis & acutissima, quib⁹ potestis murum illũ dissipare, qui separat inter vos & Deum; quia lucernam habetis, per quã potestis nubem ignorantiæ penetrare; nolite stare, sed transite ad illum, qui vocat vos, & dicit; *Transite ad me.* Sed quis hoc dicit, qui sunt quos vocat? Audite. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Planè illi soli possunt transire ad illum, qui concupiscunt

Margin notes: Thren. 3. — Inter nos & Deũ est murus, mare, nubes. — Psal. 103. — Diabolus adulatur & terret. — Isa. 59. — Psal. 118.

illum. Non ergo illi qui concupiscunt aurum, vel argentum, vel divitias mundi huius, vel honores, possunt transire ad CHRISTVM. Ideo fratres, concupiscite Christum, & sic transite ad Christum. Sed quid est, transire ad Christum? Tres sunt transitus ad Christum; vnus in ista vita, alius post mortem, tertius in die judicij post resurrectionem. In ista vita debemus transire ad Christum, idest ad illum imitandum. Post istam vitam ad requiescendum cum illo. In die judicij ad regnandum cum illo. Istam vocem audiuit beatissima Maria, audiuit, & secuta est. Illa transiuit perfectè hoc mare, de quo locuti sumus; hunc murum, hanc nubem. Ideo perfectè venit ad ipsam sapientiam, quæ clamat, & dicit. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Ideo specialiter ista verba in eius solemnitate leguntur. Illa cócupiuit Christum, ideo transiuit ad Christum. Perfectè concupivit, quæ ab ipsa infantia ob ejus amorem mundum contempsit, desideria carnis amputauit, omnem gloriam mundi pro nihilo duxit. Nec miremini, quod dixi, quia ab infantia concupiuit Christum, cùm Christus nondum fuerit natus, quando de Moyse dicit Apostolus. *Majores diuitias arbitrans thesauris Ægyptiorum, improperium Christi.* Multùm ante Natiuitatem Christi fuit Moyses, & tamen intuitu passionum Christi elegit passiones sustinere, quàm in Ægypto regnare. Ita beatissima Maria, quia sciebat, quod nasciturus erat Christus, cœpit imitari conuersationem eius; quamvis non adhuc videretur in terra conuersatio eius; sicut Moyses jam imitabatur passionem eius, quāvis non esset facta passio sua, sicut fecit beata Maria, quæ ita perfectè transiuit ad Christum corde, vt etiam ad illam transiret, & maneret in illa etiam corpore. Hoc significabat, quod Maria quæ soror Aaron vocabatur, præcedebat filios Israël, quando transierunt mare rubrū, & præcedebat cum tympano. Quia sine dubio beatissima Maria, vera scilicet Maria, cuius typum illa Maria tenebat, præcedit omnes, qui transierunt hoc mare; id est præsens sæculum. Præcedit dignitate, præcedit sanctitate, præcedit puritate, præcedit etiam carnis mortificatione, id est cum tympano. Sed etiā in hoc præcessit, quia prima omnium transiuit: illa enim prima fuit de omni humano genere, quæ maledictionem primorum parentum euasit. Ideo audire meruit ab Angelo, *Benedicta tu in mulieribus*, idest cum omnes mulieres sub maledictione sint, tu sola inter eas mirabilem hanc benedictionem meteris. Ergo fratres carissimi, imitemur, quantum possumus, beatissimam Dominam nostram; concupiscamus sapientiam, transeam⁹ ad sapientiam, quæ clamat & dicit. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Quæ sunt generationes sapientiæ? Potest dupliciter intelligi, videlicet generationes, quibus ipsa generatur in nobis, vel generationes, quas ipsa generat in nobis. Hodie lectum est in Evangelio, *Liber generationis Iesu Christi.* Et sicut postea dicit Evangelista, *Ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim*, & cetera, vsque ad Christū. Hæ sunt ergo generationes Christi, & si Christi, vtique sapiētiæ. Sed hæ sunt generationes, quibus ipsa sapientia generatur in nobis, sed secūdùm corpus. Fortè autem secundùm has generationes spiritualiter nobis nascitur adhuc sapientia. Ergo si possumus intelligere, *& à generationibus meis implemini*, idest vt habeamus in nobis spiritualiter Abraham, Isaac, & Iacob, Iudam, & cæteros sanctos Patres, secundum quos narrantur generationes sapientiæ, idest Christi: quia sine dubio de istis nascitur sapientia. Si ergo volueris, vt Christus nascatur in te, habe & imple te generationibus sapientiæ, id est Christi. Quomodo? Habe in te Abraham, Isaac, & Iacob, & ceteros tales, in quibus describuntur generationes Christi, Abraham fuit in fide perfectus, Isaac fuit filius promissionis, Iacob facie ad faciē Dominum vidit. Habete ergo in vobis perfectā fidem, & habebitis spiritualiter Abraham. Sperate promissiones futurorum, contemnite delectationes præsentium, & habebitis Isaac. Festinate, quantum potestis, ad Dei visionem, & habebitis Iacob. Item si fueritis Spiritu ferventes, habebitis Abraham; si spe gaudentes, Isaac; si fueritis in tribulatione patientes, Iacob. Nam Abraham ita spiritu fervebat, vt vnicum filiū suum Deo voluerit immolare. Isaac interpretatur risus, ideo significat gaudium, quod debemus habere in spe. Iacob laboris patiens fuit, sicut ipse dixit ad Laban, *Die noctuque æstu vrebar & gelu, & sic per viginti annos seru ui tibi.* Sic si omnes Patres istos, de quibus hodie loquitur Evāgeliū, spiritualiter habuerimus in nobis, tunc erit hoc, quod dicit sapientia, *& à generationibus meis implemini.* Quod si velis hic intelligere illas generationes, quas ipsa sapientia generat in nobis, cogita, quia sapientia est mater & doctrix omnium virtutum. Nam sicut de illa scriptum est, *Sobrietatem docet, & prudentiam, & iustitiā, & virtutem.* Hæ sunt primæ generationes sapientiæ: quatuor scilicet principales virtutes, quas etiam gentiles Philosophi potuerunt ratione docente cognoscere: scilicet temperantia, quæ hic appellatur sobrietas, prudentia, iustitia, & fortitudo, quæ hic virtus nominatur. Ex his generationes aliæ nascuntur, & ex his aliæ; quibus omnibus sapientia nos vult impleri, quæ dicit; *Et à generationibus meis implemini.* Per temperantiā casti sumus: per prudentiam bona eligimus, & mala respuimus: per iustitiam Deum & proximum diligimus: per fortitudinem in omnibus his perseveramus. Transite ergo ad sapiētiam, & à generationibus eius implemini. *Spiritus enim meus*, inquit, *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Palato carnis nihil dulciùs sapit quàm mel, palato cordis nihil dulciùs, quàm spiritus Dei. Sed duo quædam hic posuit; spiritum suum, & hereditatem suam; videtur maj⁹ aliquid tribuere hereditati suæ, quàm spiritui suo. *Spiritus enim meus super mel dulcis.* Sed quid dulcius spiritu Dei, cum ipse Dei spiritus sit Deus? Quid excellentius, quid dulcius, quid delectabilius Deo? Sed debemus hic intelligere Spiritum sanctum, secundum hoc, quod eum nunc in nobis accipimus; sicut dicit Apostolus. *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.* Hæ sunt spirituales visitationes & consolationes, quibus interim quasi quodam pignore delectamur, donec ad perfectam hereditatem perueniamus. Quæ hereditas in regno cœlorum est; & conuenienter ista spiritualis dulcedo, qua in præsenti reficimur, comparatur melli. Apis cujus opus est mel, castissimum animal est; non enim apes per cōmixtionem carnalem generantur. Ideo apis significat castam & sobriam mentem; qualem sapientia libenter inhabitat. Hæc

Marginalia: Tres transitus ad Christum. — Eccli. 24. — Hebr. 11. — Exod. 15. — B. Virgo ōnes præcedit ōnib⁹ modis. — Luc. 1. — Eccli. 24. — Generationes sapiētiæ. — Mat. 1. — Vt habeantur spiritualiter Abraham & alij Patres. — Gen. 31. — Actiua generationes sapientiæ. — Sap. 8. — Virtutes cardinales. — Eccli. 24. — 2. Cor. 5.

igitur casta anima quasi apis volat per agrum Scripturarum sedula meditatione. Ibi ex dictis & exemplis Sanctorum quosdam spirituales flores colligit: ex quibus fit in corde eius mira delectatio, & magna supernæ suauitatis dulcedo; & ita experitur, quia spiritus Domini super mel dulcis sit. *Et hereditas mea*, inquit, *super mel & favum*. Apta comparatio. Nonne casulæ illæ, quas soletis videre in fauo, ostendũt vobis quandam similitudinem hereditatis illius, de qua Dominus dicit, *Multæ mansiones in domo Patris mei sunt?* Ideo addidit mel cum fauo, quia in illis æternis mãsionibus sempiterna & ineffabilis dulcedo est. Videte, etsi laboriosus videatur transitus vsque ad sapientiam, magnus est tamen fructus: non debet vos magis labor terrere, quàm fruct' mulcere. Labor omnino est magnus, transire fluctus & tempestates huius sæculi; calcare omnes delicias & voluptates, contemnere requiem & quietem carnis. Sed hic est transitus, quo peruenitur ad sapientiam huius spiritus super mel dulcis, & hereditas super mel & favum. Videtur esse leue & dulce, amare honores mundi, sequi propriam voluntatem, in voluptatibus & delicijs vitam ducere; sed fructus amarus est. Inter hos fructus discernit Apostolus, ita dicens. *Stipendium enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna*. Amarus fructus mors æterna, dulcis fructus vita æterna. Illuc ducit peccatum, huc non nostra merita, sed Dei gratia. Quare? Quia totum quod transimus ad sapientiam, Dei gratiæ ascribere debemus; quæ præstat nobis virtutem, vt transire possimus. *Memoria mea in generationes sæculorum*. Si haberes memoriam de auro & argento, & diuitijs, vsquequo potest extendi ista memoria? Si multum, centum annis. Quis enim amplius viuit his temporibus? Si cogitas de Christo, si cogitas de sapientia, ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum. Semper enim erit sapientia, & semper poteris esse cum sapiẽtia; quia sicut scriptum est, immortalis est sapientia. Quandiu aliquis viuit, potest forte diues esse, ideo tandiu potest durare memoria diuitiarũ; si quis autem ponit memoriã suam in libidine & voluptatibus carnis, quàm citò finiunt, quàm paruo tempore durant! In vno momento trãsit tota illa delectatio. Quid in delicijs ventris, nonne quando saturatus est dives decem ferculis aut duodecim, omnis delectatio pretiosorum ciborum abscedit? Tamen, vt breviter dicamus, nulla memoria temporalium potest extẽdi, nisi quandiu homo viuit; quia nullus potest cogitare se amplius habiturum ista temporalia, nisi quandiu viuit in ista vita. Sed si cogitat de regno cœlorum, de gloria Angelorum, de beatitudine, quæ est in visione Dei, in incorruptione & immortalitate; ista memoria potest extẽdi in generationes sæculorum; id est in æternum; quia ista manebunt in æternum. Ideo ait. *Memoria mea in generationes sæculorum*. Ergo fratres, vt aliquando sermonem nostrum finiamus, transeamus ista terrena & caduca, vt perueniamus ad sapientiam & adimpleamur generationibus illius, id est illis virtutibus, quibus ipsa generetur in nobis. Experiamur, quantum possumus, quia spiritus eius dulcis est, & hereditas eius super mel & favum. Auferamus, quantum possumus, memoriam nostram de ipso mundo, & cor nostrum ad æterna transferamus; vt intercedente pro nobis beatissima Dña nostra sancta MARIA, cujus hodie festa celebramus, quandoque ad ea quæ æterna sunt, pervenire valeamus; præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. AMEN.

Eccli. 24. *Ioan. 14.* *Peccati fructus amarus* *Rom. 6.* *Sap. 4.* *Brevis omnis voluptas* *Eccli. 24.*



SERMO SECVNDVS, IN EADEM SOLEMNITATE.

MIRABILIS est misericordia Domini nostri Iesu Christi. Ipse est Iudex noster: & scit, quia miseri sumus, & nõ possumus in iudicio eius per nos bona causam habere. Misericors est, & vult nostri misereri: sed non potest nisi iustè iudicare. Quomodo ergo prouidit nobis? Docet nos bene viuere, & nos contrà malè viuimus. Per baptismum nobis primùm omnia peccata donauit, & nos postea lapsi sumus. Sæpe promisim' emẽdationem: & tamen semper peccamus. Dat nobis locũ pœnitentiæ, & nos negligimus. Et tamẽ super hæc omnia parcit nobis: & quia nos indigni sumus, nec tales, quos debeat exaudire; proponit nobis amicos suos; vt eos rogemus, & per eos ad eum accedamus, & ei recõciliemur. Vos scitis, quia hoc solent facere homines huius sæculi. Quando dominus iratus est illis, quærunt familiares eius aliquando, sæpe etiam sponsam eius: vt si fortè non sunt culpabiles, libentiùs audiat domin' causam illorum, quando ab illo vel illa dicitur, quã dominus valdè diligit: & si culpabiles sunt, per illorum precẽ ignoscat eis. Invenimus de quodam sancto Rege, qui lætabatur, quando aliquis rogabat pro illo, quẽ necesse habebat secundùm Leges punire; vt posset habere justam causam igoscendi. Ille sine dubio imitabatur Dñm nostrum, qui vt possit etiam iustè ignoscere nobis, vult, vt sui familiares orent pro nobis. Consideret modò vnusquisque seipsum: videat, qualis est causa sua ante Dñm. Quomodo viximus ante conspectũ eius? Certè nos homines sumus, ille Deus: nos servi, ille dominus: nos creaturæ, ille Creator. Non Deum nostrũ coluimus, sicut debuimus: non obediuimus Domino nostro, sicut debuimus: non dileximus Creatorem nostrũ, sicut debuimus. Ideo fratres, si bene cõsideremus nosmetipsos, non poterimus ei respondere vnum pro mille, sicut dicit Scriptura. Quid ergo faciemus? Nihil possumus celare ei. Nam, sicut dicit Apostolus, omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Offeramus illi preces nostras. Dicamus illi. Non intres in iudicium cum seruis tuis. Parum est tamen, nostras preces tantùm offerre. Quæramus illius auxiliũ, cuius preces nullo modo velit contemnere. Accedamus proinde ad sponsam eius, accedamus ad matrem eius, accedamus ad optimam ancillam eius. Totum hoc est beata Maria. Ideo cum iucunditate Natiuitatem beatæ Mariæ celebremus: vt ipsa pro nobis

Sanctorum patrocinium quærendum *Iob 9.* *Hebr. 4.* *Maria sponsa, mater, & ancilla Dei.*

nobis intercedat ad Dñm nostrũ. Si aliquid boni fecimus per gratiam Dei; si ipsa illud filio suo præsentauerit, non spernet. De malo, quod fecimus, sine dubio veniã impetrabit. Hoc est ergo nobis necessarium, vt ita nos habeamus coram illa, vt ipsa velit suscipere causam nostram. Sed quid ei faciemus? Qualia ei munera offeremus? Vtinam saltem possemus reddere ei, quod debemus illi ex debito. Nos illi debemus honorem, nos illi debemus seruitium, nos illi debemus amorem, nos illi debemus laudem. Nos illi debemus honorem: quia est mater Dñi nostri. Qui enim non honorat matrem, sine dubio inhonorat filium. Iterum Scriptura dicit. *Honora patrẽ tuum, & matrem.* Quid ergo dicemus, fratres? Nonne ipsa est mater nostra? Certè fratres, ipsa est verè mater nostra. Per illam enim nati sumus, per illam nutrimur, crescimus per illam. Per illam nati sumus, non mundo, sed Deo: per illam nutrimur, non lacte carnis; sed illo, de quo dicit Apostolus. *Lac vobis potum dedi, non escam.* Per illam crescimus; non magnitudine corporis, sed in virtute animæ. Modò videamus, qualis sit ista natiuitas; quale sit illud lac, quale sit istud crescere. Fuimus omnes, sicut creditis & scitis, in morte, in vetustate, in tenebris, in miseria. In morte, quia Dominum perdideramus; in vetustate, quia in corruptione eramus; in tenebris, quia lumen sapientiæ amiseramus, & ita omnino perieramus. Sed per beatam Mariam, multo meliùs quàm per Evam, nati sumus, per hoc quod Christus de ea natus fuit. Pro vetustate recuperauimus nouitatem, pro corruptione incorruptionem, pro tenebris lumen. Ipsa est mater nostra, mater vitæ nostræ, mater incorruptionis nostræ, mater lucis nostræ. Dicit Apostolus de Domino nostro *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Ipsa igitur, quæ est Mater Christi, Mater est sapientiæ nostræ, Mater iustitiæ nostræ, Mater sanctificationis nostræ, Mater redemptionis nostræ. Ideo nobis magis Mater, quàm Mater carnis nostræ. Ex ipsa ergo est melior nostra natiuitas; quia ex ipsa est nostra natiuitas; nostra sanctitas, nostra sapiẽtia, nostra iustitia, nostra sanctificatio, nostra redẽptio. Ideo cum iucunditate eius celebremus Natiuitatem, de qua habemus tam bonam natiuitatem. Nunc quale lac de illa sumpsimus, videamus. Verbum Dei, filius Dei, sapientia Dei, panis est, & solidus cibus est. Et ideo de illo soli illi qui fortes erant, idest Angeli, manducabant. Nos, qui parui eramus, non potuimus cibum istũ gustare, quia solidus erat; nos, qui in terra eram⁹, non potuimus ad istum panem ascendere, quia in cælo erat. Quid ergo factum est? Venit iste panis in vterum B. Virginis, & ibi factus est lac, & tale lac, quale nos sugere possumus. Considera modò dei filium in gremio Virginis, inter brachia Virginis, ad vbera Virginis, hoc totum lac est, hoc suge. Istud est lac, quod nobis bona mater nostra ministrauit. Iam nunc considera ei⁹ castitatem, eius charitatem, eius humilitatem: & exẽplo eius cresce in puritate, cresce in charitate, cresce in humilitate; & ita sequere matrem tuam. Ecce quemadmodum mater nostra est. Ideo debemus illi honorem, Hoc enim præcepit Dominus, sicut diximus. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Debemus etiam illi seruitium, quia Domina nostra est. Sponsa enim Domini nostri, Domina nostra est; Sponsa regis nostri, Regina nostra: ideo seruiamus illi. Apostolus enim præcipit. *Serui, subditi estote omni timore dominis.* Et si ille contra præceptum Domini facit, qui non seruit istis dominis carnalibus; sine dubio reprehensibiles sunt, qui spirituali huic Dominæ non seruiunt. Sed quomodo debemus seruire illi? Fratres, nullum seruitium placet illi tantùm, quantum hoc, vt nos omni amore & affectu humiliemus filio suo: quia omnis laus, omne seruitium, quod exhibemus filio suo, hoc totum tenet pro suo. Nemo dicat; quamuis faciam hoc aut illud contra Dominum, non curo multum; seruiam sanctæ Mariæ, & securus ero. Non ita est. Statim vbi homo offendit filium, ibi sine dubio offendit & matrem. Sed quando volumus concordare Domino nostro post peccata nostra, tunc necessarium est, vt eam requiramus, & ei nostram causam cõmittamus. Item debemus ei amorẽ. Caro enim & soror nostra est. Non videatur vobis præsumptuosum, quod dico. Ipse filius Dei, quia filius hominis est, frater noster est; attamen ipse de sola matre homo; ista & de patre, & de matre. Videte modo, quantum possumus præsumere de illa, quia soror nostra est. Amemus illam, quia ipsa vtique amat nos. Istam vtique sororem debemus amare; cuius sanctitas, cuius benignitas, cuius puritas, non solùm sibi, sed nobis omnibus profuit. Iterum debemus illi laudem. Dicit enim Scriptura. *Laudate Dominum in sanctis eius.* Si Dominus noster laudandus est in illis Sanctis. per quos ille facit virtutes, & miracula: quantùm laudandus est in ista, in qua fecit seipsum, qui super omnia mirabilia est mirabilis! Si illi sunt laudandi, qui proponunt seruare castitatem: quomodo est illa laudanda, quæ sine exemplo elegit seruare virginitatem, & tamen cum virginitate obtinuit fœcunditatem! Si illi laudandi, per quos Deus suscitat mortuos: quomodo est illa laudanda, per cuius sanctitatem totum mũdum de morte perpetua suscitauit! Ideo fratres, laudemus illam, & cum iucunditate Natiuitatem eius celebremus, vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Deum nostrum. Sed si voce laudamus, moribus non vituperemus. Idcirco non fictè, sed verè laudem⁹. Falsò ille laudat, qui quod laudat, quantum potest, non vult imitari. Ille verè laudat humilitatem sanctæ Mariæ, qui quãtum potest, studet esse humilis. Ille verè laudat eius castitatem, qui execratur & despicit omnem immunditiam & libidinem. Ille verè laudat eius charitatem, qui tota intẽtione & studio tendit ad hoc, vt possit Deum & proximum perfectè diligere. Ideo fratres, si volumus illã dignè laudare, maximè hæc tria studia debemus habere, bonas cogitationes, sanctos sermones, & recta opera. Qui enim ista habet, quantum potest; & ad hoc tendit, vt possit ista perfectè habere, ille imitatur sanctam Mariam. Ista enim tria commẽdat in illa Spiritus sanctus, qui ait per Salomonem *Fauus distillans labia tua. Mel & lac sub lingua tua Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Per labia debemus accipere verba, quia per labia loquimur. Fauus est cera, quæ habet in se mel. Fauus distillans, quæ habet tantam abundantiam mellis intrinsecus, vt etiam incipiat foris fluere. Ideo bene verba beatæ Mariæ possunt comparari fauo currenti, quia omnia verba eius dulcia erant: plena, non carnali dulcedine, sed spirituali. Sed multi sunt, qui habent mel in ore, non tamen fauum distil-

Quæ debeamus Virgini

Exod. 20.

1. Cor. 3.

Per B Virginem nati sumus.

1. Cor. 1.

Exod. 20.

1. Petri 2.

Qui offendit Christũ, matrẽ offendit.

Psal. 150.

Cant. 4.

lantem: quia multi habent dulcia verba, sed non veniunt ex abundantia interioris dulcedinis. Isti secundùm aliquid similes sunt api, quæ habet dulcedinem & punctionem. Ex vna parte mel habent, quia dulce loquuntur, omnibus adulantur, voluntatē omnium sequuntur, sed hoc tantum foris. Nam in secretis suis, vel fortè in cordibus suis, quos foris melle liniuerint, intus detractionibus & iudicijs pungunt. Non habent isti fauum distillantem; quia ista dulcedo verborum non venit, vt diximus, de abundantia interioris dulcedinis. Non sic B. Maria. *Fauus*, inquit, *distillans labia tua*, idest verba tua dulcia ex abūdantia interioris dulcedinis. Et vt sciamus, vnde est ista dulcedo verborū, statim adiunxit. *Mel & lac sub lingua tua*. Qui voluerit sanctam dulcedinē habere in verbis suis, talem quæ Deo placeat, necesse est, vt duo habeat in cogitationibus suis, & in corde suo; idest sanctitatē ad se; & compassionē ad proximos. Qui ista duo habet in corde suo, qui in istis duobus seruat cogitationes suas, erunt eius sermones pleni spirituali dulcedine. Sicut mel de diuersis floribus fit; ita omnis sanctitas in multis virtutibus constat. Ideo per mel, possumus intelligere sanctitatem. Lac, quoniam, est signū maternæ charitatis, & nutrit paruulos, & facit matrem inclinare se ad paruulum suum: per lac intelligimus conpassionem. Nihil autem magis facit hominem piè & benignè & dulciter loqui cum alio, quàm compassio. Sed compassio sine sanctitate remissio est. Videte ergo quod dicitur. *Fauus distillans labia tua, sponsa; mel & lac sub lingua tua*. Ac si diceret. Ideo sermones tui pleni sunt spirituali dulcedine, quia veniunt de interiori sanctitate & compassione. Sub lingua sunt illa, quæ non adhuc veniunt ad linguam.

Apis habet dulcedinem & punctionem.

Cant. 4.

Quæsit sancta dulcedo in verbis.

Ibidem.

Ideo dicit, *sub lingua tua*, quasi diceret, in cogitationibus tuis. Sequitur. *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. In vestimentis debemus accipere bona opera nostra; quia per bona opera nostra teguntur peccata nostra, quasi turpitudo nostra. Ipsa etiam sunt ornamenta nostra ante Deum. In thure possumus duo considerare: bonum odorem, & diuinum sacrificium. Vestimēta igitur sanctæ Mariæ comparantur thuri: quia & deo placebant, & hominibus odorem bonæ famæ exhibebant. Multi sunt, quorum vestimēta habent bonum odorem, sed non habent odorem thuris. Quia multi sunt, dequibus forma religionis exit, quorum opera videntur hominibus esse sancta: sed non habent odorem thuris, quoniam in Dei sacrificio eorum opera non ponuntur. Ideo fratres carissimi, imitemur beatissimam mariam, quantum possum[us]. Sint in nobis sancta meditatio, & pia erga inuicē compassio, quasi mel & lac. Sint labia nostra quasi fauus distillans; vt omnia verba nostra ex dulcedine charitatis procedant. Si corripimus, fiat cū charitate: si ab illo corripimur, audiamus hoc cum charitate: vt secundum Apostolum, omnia nostra in charitate fiant. Ex operibus nostris Deo sacrificemus per bonam conscientiam, spargamus inde bonum odorem, vt alij sumant exemplum: & sic non habeamus iucunditatem carnalem: non de epulis, non in jocis, non in hui[us] mundi pompis; sed cum omni iucunditate spirituali hodie Natiuitatem B. Mariæ celebremus: vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum IESVM CHRISTVM; qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Cant. 4.

Bona opera sunt vestimēta nostra.

1. Cor. 16.



SERMO 3. IN NATIVITATE B. MARIÆ.



VOs scitis, fratres carissimi, quia nos celebramus hodie Natiuitatem Dnæ nostræ sanctæ Mariæ: & ideo iustū est, vt gaudeamus in Domino, & ad memoriam nostram revocemus, quantum gaudium nobis advenit per ei[us] natiuitatem: quia in eius natiuitate cœpit apparere omne gaudiū nostrum. Et ideo iustum est, vt excitemus nosmetipsos in hac festiuitate ad laudandum Dominum nostrum, Sed quia in hac nocte excitati estis per cantus, per lectiones, per psalmos, & per cætera talia, quæ conueniunt festiuitati: vt nihil vobis desit, volumus etiam, quantùm possumus, vos excitare per sermonē nostrum. Spero autem, quod & si illum ardentissimū vestræ deuotionis affectum sermo noster non augeat, non minuet tamē. Et sicut mihi videtur, nihil aliud debet nos magis excitare ad amorem & laudem Dñi nostri, & ad gaudium spiritnale, quàm si cōmemoremus vobis hoc, quod Dñs noster hodie incepit ostendere nobis. Hodie enim nobis cœpit illā miram misericordiā suam, miram pietatē suam exhibere, quam ante tot annos promiserat Abrahæ, scilicet quòd in semine eius benedicerentur omnes gentes. Hodie enim fuit natum illud semen, de quo ortus est sol iustitiæ Christ[us] Deus noster: in quo sine dubio nō vna gens, sed omnes gentes benedictæ sunt: quia per omnes gētes est fides Christi, & eius benedictio. Istud semen, fratres, est beata Maria, quæ hodie nata est de semine Abrahæ: quæ tam miram benedictionē recepit à Domino, quòd abstulit maledictionem mundi. Nā sicut Evangeliū, quod hodie legitur, narrat, certissimum est, quòd ipsa est de semine Abrahæ. Ibi enim legimus. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*. Vnde scimus, quòd Dominus noster, qui non habuit patrem in terra, non posset dici rectè filius Abrahæ, & filius Dauid, nisi mater eius esset de eodem semine, Iterum vt essem[us] certi, quia ipse est ille, de quo Deus locutus est ad Abraham, voluit Evangelista Matthæ[us] narrare nobis totam progeniem Domini nostri, ab Abraham vsque ad beatam Mariam, de qua ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster. Debemus adhuc etiam considerare, quia non solùm ad hoc tendebat Evangelista, vt nobis simpliciter ostenderet illos Patres, de quibus natus est Christus, & carnalem eius progeniem sciremus: sed etiam vt de carnali eius progenie spiritualem fructum capiamus. Quia si ad nihil aliud ostenderet Evangelista; quare faceret illas tres distinctiones, idest in vnaquaque distinctione poneret quatuordecim generationes, id est quatuordecim nomina? Sic enim dicit. *Ab Abraham vsque ad Dauid, quatuordecim generationes: à Dauid vsque ad transmigrationem Babilonis, generationes*

Genes. 22. & 26.

Virgo semē est in quo benedicimur.

Mat. 1.

Ibidem.

Mat. 1. *quatuordecim. A transmigratione Babilonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim.* Et quia noluit hunc numerũ excedere, sed istas distinctiones seruare, ideo omisit numerare quosdam patres & filios, qui pertinent ad istam progeniem, & transiuit de patre ad tertium nepotem. Et ideo per illos patres & filios, per quos Christus descendit ad nos, debemus aliquid spirituale intelligere; & notare quosdam gradus, quibus debemus ascendere ad ipsum. Ideo videamus, quomodo narrat istam progeniem. Ille incipit ab Abraham, & descendendo peruenit ad Dominũ nostrum. Sicut videtur, per istam descensionẽ, qua Dominus noster descendit ad nos, voluit ostendere nobis quandam ascensionem, qua debemus ascendere ad ipsum. Ideo enim ille descẽdit, vt nos ascenderemus. Ideo pro nobis pauper factus est, vt diuites faceret. Euangelista autem incipit istam descensionem ab Abraham. Abraham autem interpretatur pater excelsus; per quẽ potest significari ille, qui verè excelsus pater est, id est Dominus Pater Dñi nostri IESV CHRISTI. Inde, id est de sinu Patris excelsi descendit Dominus noster, vt veniret ad nos. Per hoc autem venit ad nos, quod homo factus est inter nos. Et per hoc quòd homo est, vtique filius Mariæ est. Ideo in fine huius descensus ita ait Euangelista, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est esus, qui vocatur Christus.* Ergo fratres carissimi, si volum⁹ illuc ascendere, vnde ille descendit ad nos, id est ad patrem excelsum; hic incipiamus nostrum ascendere, ad filium Mariæ, id est ad humanitatem Christi, & sic ascendamus ad eius diuinitatem. Ipse est enim via; sicut ipse ait. *Ego sum via.* Sine ista via, nullus potest peruenire ad Patrem excelsum. Ideo ait. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Nemo enim potest aliquod bonum incipere, nisi incipiat à Christo. Ipse est enim fundamentum omnium bonorum, sicut dicit Apostolus. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS.* Sed quia nos in profundo sumus, ille autem ad quem ascendere debemus, valde altus est; non possumus nisi per quosdam gradus illuc peruenire. Istos gradus spirituales, per quos debemus ascendere, possumus vt diximus, notare in istis Patribus, per quos Dominus noster descendit ad nos, vt ad illum ascenderemus. Ideo sicut ille ab Abraham, id est Deo Patre descendit ad nos per istos Patres secundùm carnem; ita & nos per istos Patres spiritualiter intellectos ad ipsum Deum Patrem ascẽdamus. Et primùm videamus, quid significent istæ tres distinctiones, quas Euãgelista fecit. Puto, quòd per has tres distinctiones debeamus accipere tres status, in quibus sunt omnes qui volunt per istos grad⁹ ascẽdere illuc, vnde Christus descẽdit ad nos. Primus status est nostra conuersio; secundus nostra purgatio; tertius nostra expectatio. Sic debet vnusquisque proficere. Primo enim homo conuertitur ad Dominum, à sæculi huius vanitate; postea purgatur à vitijs, quæ contraxit ex mala consuetudine. Et postquam fuerit purgatus à vitijs, quantum humana fragilitas permiserit, tunc debet cum magno desiderio solutionem suam expectare; quando debeat de hoc corpore exire, & ad Christum venire & securè suum præmiũ recipere. Sed si homo vult ad istum summum gradum ascendere, primò debet esse perfectus in primo, & postea in secundo, & sic ascendere ad tertium. Ideo oportet, vt quicumque conuertitur ad Dominum, non timidè aut tepidè cõuertatur. Ille timidè & tepidè conuertitur ad Dominum, qui quando relinquit sæculum non vult perfectè omnia sua deserere; sed contra Domini præceptum sollicitus est de crastino, & aliquid sibi reseruat, & de sua substantia: incipit aliquam nouellam habitationem ædificare, & timet, ne possit pati illam districtionem, quæ est esse sub alterius imperio; & incipit per se viuere, & suimet curam habere, & priùs esse magister, quàm discipulus. Ille etiam tepidè se conuertit ad Deum, qui quãuis relinquat omnia quæ habet, & se ponat sub alterius potestate: aliquem locum eligit, & ibi se ponit, vbi habeat tantas delicias, vel etiam plures, quàm habebat in sæculo. Sed & ille tepidè conuertitur ad Deum, qui in quacũque domo fuerit, quantùm potest, semper trahit ad quietem & delicias carnis: & nihil curat, nisi vt quocumque modo possit remanere in domo, ad quam venit. Iterum in purgatione nostra debet esse perfectio: vt non sufficiat nobis, si illas abominationes, quas fecimus in sæculo, relinquamus, & tamen ira, inuidia, detractione, murmuratione, occultis etiam sordibus, oculus cordis nostri maculetur. Iterum in expectatione nostra debet esse quædam perfectio; id est perseuerantia vsque in finem, & semper feruens desiderium. Istas perfectiones possumus intelligere per tres tessaredecades. Sed quare posuit istũ numerum, id est quatuordecim in vnaquaq; distinctione? iste numerus significat perfectionem. Decem enim & quatuor significant Legem & Euangelium, in quibus est omnis perfectio. Decẽ significat perfectionem Legis, propter decem præcepta, quæ erant in lege. Quatuor significat perfectionem Euangelij, propter quatuor libros Euangelistarum. Ideo autem posuit Euangelista istum numerum, qui significat perfectionem: quia in vnoquoque statu debet homo esse perfectus. Quia vtique perfecta debet esse conuersio nostra. Nam si in isto statu non fuerim⁹ perfecti, nullomodo possumus ad illum aliũ statum peruenire. Nisi enim voluerimus perfectè ad Dñm ab hoc sæculo conuerti, nequaquam poterimus à vitijs nostris purgari. Et nisi perfectè à vitijs nostris purgati fuerimus, nullo modo possumus securè prẹmium cẹleste expectare. Sed quoniam nec ad primam perfectionem, quẹ est in conuersione, nec inde ad alias potest homo statim peruenire: ideo debet quasi per quosdam grad⁹ ascendere, donec perueniat illuc, vnde Dominus noster descendit ad nos. Iam nunc ergo fratres ascendamus & à Christo incipiamus; vt ad Christum perueniamus. A Christo incipiamus, secundum quod homo est: & ad Christũ perueniam⁹, vbi cum Patre excelso vnum est. Et si volumus per istos patres, quos commemorat Euãgelium, accipere illos gradus spirituales, per quos debemus ascẽdere: debemus primò incipere à Ioseph; & ita sursum versus peruenire vsque ad transmigrationem Babilonis. Nam isti sunt gradus, qui pertinent ad primum statum: Ioseph interpretatur augmentum. Scire debemus, quòd Dominus creauit rationalem creaturam, vt esset particeps beatitudinis illius: ita vt nihil aliud illi posset sufficere ad beatitudinem, nisi solus Deus. Et hẹc est tota perfectio rationalis creaturæ, & omne bonum, adhærere illi. Et ideo recedens ab eo, tẽdit ad nihilum. Et hoc modo omne detrimentũ hominis

Marginal notes: *Mathæus quasdam generationes omisit.* — *Ibidem.* — *Ioan. 14.* — *1. Cor. 3.* — *Qui tepidè cõuertantur* — *Quid designet numer⁹, quatuordecim.* — *Perfectio hominis quæ, & quod detrimentum eius.*

hominis fuit, recedere à Deo. Idcirco, quando homo conuertit se ad Deum, tunc incipit augmentum eius Et ideo si volumus ad ipsum ascẽdere, primum est, vt conuertamur ad eum, & sic incipit augmentum nostrum: quod possumus intelligere per Ioseph, qui interpretatur augmẽtum.

Philip. 2. Dominus noster IESVS CHRISTVS, cũ in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed semetipsum exinaniuit, & descẽdit vsque ad infirmitatem nostram. Sed quia quod infirmũ est Dei fortius est hominibus, ideo vbi ille deuenit ad defectum nostrum, ibi incipit augmentum nostrum. Sed quia ab illa magna claritate cecidimus in istas tenebras: ab illa magna quiete, quam primus homo habuit in paradiso, cecidimus in hoc mare magnum & spatiosum, vbi abundant ventus tentationũ, fluctus persecutionum: & in hanc noctem, in qua transeunt omnes bestiæ silvæ. In hoc etiam mari sunt reptilia, quorũ non est numerus: id est maligni spiritus, qui semper intendunt ad nos decipiendos: & inter ista omnia mala & pericula oportet nos illuc ascendere, vnde cecidimus; & in ista nocte debemus ascendere, & à mari ascendere: necesse habemus, vt habeamus aliquam lucẽ; quæ nos illuminet; per quam ipsos gradus possimus ascendere.

Reptilia quorum non est numerus dæmones sunt.

Ideo orta est nobis hodie stella quædã, domina scilicet nostra sancta Maria, quę interpretatur stella maris: sine dubio stella istius maris, videlicet istius sæculi. Et ideo debemus erigere oculos nostros ad istã stellam, quæ hodie apparuit in terra, vt ipsa nos ducat, vt ipsa nos illuminet, vt ipsa nobis ostendat istos gradus, vt eos cognoscamus: vt ipsa nos cõsoletur, ne ascẽdendo deficiamus: vt ipsa nos adiuuet, vt ascendere valeamus. Et ideo pulchrè in ista scala, de qua loquimur, vbi nos debemus incipere ascendere, ibi posita est Maria, sicut dicit Euangelista,

Mat. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virũ Mariæ:* vt statim in ipsa primã cõuersione nostra ipsa nobis appareat, & recipiat in sua custodia, & illuminet luce sua, & comitetur nobis in ista via laboriosa.

B. Virgo in quo gradu scala sit.

Igitur illa illuminante, & docẽte per omnia, qui incepimus conuerti ad Deũ, ipsam conuersionẽ ducamus ad perfectionem: & incipiamus à Ioseph, vbi incipit augmentum nostrum; & proficiamus & ascendamus, donęc pertranseamus transmigrationem Babilonis; vt qui fuimus per vitia & peccata captiui sub potestate Nabuchodonosor in Babilone, id est in confusione, liberemur per gratiam Christi, ad quem conuersi sumus: & ita cùm perfectè conuertendo ad Deum redierimus à Babilone, transeamus ad secundũm statum: & incipientes nosmetipsos purgare, ascendamus de gradu in gradum: donec veniamus ad Salomonem, qui interpretatur pacificus; vt scilicet purgati à malis passionibus, habeamus in nobis quandam pacem & tranquillitatem; & sic ingrediamur tertium statũ, qui incipit à David, qui interpretatur desiderabilis; vt & nos desideremus, & ardeamus videre illum desiderabilem vultũ creatoris nostri, & in ipso desiderio nostro perueniamus ad Patrem Abraham, ad Deũ scilicet excelsum, & videamus eum in Sion, Sed quia longũ est, si velimus ista omnia nomina percurrere, & in singulis istos gradus quærere; hoc videamus, ad quam perfectionem debemus in singulis istis tribus statibus peruenire. Et hoc primũ videamus, vt fundamentum positum sit, id est fides Christi.

Tres status ad perfectionẽ nitẽtibus.

Hebr. 11. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Postea verò diligenter consideremus, vt semper habeamus ante oculos nostros istam stellam, quæ hodie apparuit in terra: ne deficiam⁹ propter tenebras huius noctis, in qua sumus: & sic incipiamus ascendere in primo statu, vt cõuersio nostra perfecta sit. Iste status incipit à Ioseph. Ioseph, vt diximus, interpretatur augmentum. Quid significat hoc augmentum, dicit Dominus in Euangelio. *Quis volens turrim ædificare, non priùs sedens cogitat, si habeat sumptus ad perficiẽdũ?* *Luc. 14.* Turris ista est perfectio, ad quam debemus ascendere. Oportet ergo, vt qui voluerit istam turrim spiritualiter ædificare, augeat sibi expensas, vnde possit perficere: vt sit in isto primo gradu, id est augmentò. Sed quæ est ista expensa? Dubitaremus dicere, nisi ipse Dominus priùs dixisset, oportere sumptus computare ad istam spiritualem ędificationem; statim in fine huius Euãgelij, de quali sũptu loqueretur, ostendit dicens. *Sic qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* *Ibidem.* Mira res. Homines huius sęculi, si volunt aliquid ædificare magnum, non solùm seruant ea quæ habent, sed etiã multa congregant & acquirunt. Sed ille qui vult spiritualem ædificationem facere, non solùm non debet id quærere quod non habet; sed etiam id quod habet relinquere. Quod ergo illis videtur detrimentum, hoc est nostrum augmentum. Quantò enim magis minuũtur pro Christo istæ corporales diuitiæ, tantò magis augentur spirituales.

Turris est perfectio.

Spiritalis ædificatio non fit acquirendo, sed deserendo.

Ideo nobis, qui desideramus ascendere & spiritualem turrim ædificare, primùm est positus ante nos, Ioseph, id est augmentum; vt scilicet terrenas diuitias abijciamus, & sic spirituales diuitiæ nodis augeantur. Scire autem debemus, quia temporales diuitiæ & occupationes mundi sunt quasi quædam vincula, quibus diabolus tenet homines ligatos, vt non possint liberè ascẽdere scalam Dei. Ideo quidam diues, quia audiuit à Domino, *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me:* abijt tristis. *Matth. 19.* Quare autem abierit tristis, Euangelista nobis ostendit, qui ait. *Erat autem habens multas possessiones,* Tenebat eum ligatum diabolus occupationibus mundi, quasi quibusdam vinculis. Ideo tristis fuit. Videbat enim, quid illũ oporteret facere: sed quia erat his vinculis ligatus, non poterat se sine magna tristitia expedire. Qui ergo proiecerit propter timorem Dei & amorem diuitias huius mũdi, facilè potest scalam Dei ascẽdere, & diabolum supplãtare. Quia nullomodo potest homo leuiùs supplantare diabolũ, quàm per timorẽ Dei, quasi acuta nouacula, abscindere vincula, quib⁹ diabolus tenet eum ligatum. Sed quia quando homo incipit conuertit ad Deum à peccatis suis, timor nimius vult aliquando ducere eum ad desperationem: ideo ascendat superiùs, & respiciat ad illum, qui verè misericors est: & totam spem suam in eum ponat, & eum super omnia diligat; quia omnibus qui conuertuntur ad eum sine vlla dubitatione donat omnia peccata. Dicit Salomon in Prouerbijs. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* *Eccli. 2.* Non enim curat diabolus tentare hominem, quem in potestate sua habet. Qui enim propriæ concupiscentiæ in omnibus obedit, & satisfacit desiderijs carnis suæ, non curat diabolus ad illum accedere: sed si cœperit ipsas concupiscentias abijcere, & niti cõtra desiderabilia carnis suæ: tunc dolet

diabolus, & aggreditur eum acriori certamine. Is quem diabolus impugnat, non deficiat; sed superius ascendat, & diabolum, & omnia eius argumenta despiciat, & dicat. *Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.* Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Ponit diabolus ante oculos diuitias mundi, quas abiecit homo, & vult eum facere redire ad vomitum suum. Sed ille cum omni fiducia dicat. *Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum.* Et sic consideret, quia si delectabilia sunt terrena & transitoria, sine vlla dubitatione delectabilior est ille, qui fecit non solum ista terrena, sed & omnia dona pulchra, & cælestia & terrena; & pro eius amore omnia contemnat & dicat. Deus meus diuitiæ meæ, honor meus, thesaurus meus, & omnia bona mea. In isto gradu jam perfectè cõtemnuntur omnes diuitiæ: quia quando homo considerat pulchritudinem creatoris sui, parum ei videtur quicquid reliquit in sæculo. Sed iam calcatis diuitijs, quia illæ non possunt impedire, quin conuertatur ad Deum, incipiunt impugnare carnales affectiones, scilicet patris & matris, fratrũ & amicorum. Iste locus est valde periculosus. Quando enim homo vult relinquere sæculum, & conuerti ad Deum, obstant omnes, retinent, clamant. Relinquis nos? Quis in senectute sua sustinebit patrem tuum? Quis consolabitur matrem tuam viduam desolatam? Quis adiuvabit fratres, sorores, paruulos, qui omnes attendunt ad te? Hæc si non dicãtur foris, ipsa tamen carnalis affectio vel diabolus dicit in corde. Ex alia parte occurrunt familiares, amici, & socij, cum quibus valde dulciter vixit, & dicunt. Ita relinquis nos? Ita diuidemur? Sed qui ascendit scalam istam spiritualem, & vult cantare Canticum graduum, dicat. *Domine, libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Et iterum. *Narrant mihi iniqui delectationes: sed non vt lex tua Domine.* Istæ certè affectiones, quasi quædam nubes obscurant animam, & abscondere nituntur omnem spiritualem delectationem. Sed debemus hic maxime cogitare hanc stellam nostram, quæ nobis luceat in hac nocte, in hac obscuritate. Debemus considerare radium, qui de ista stella ortus est; qui quodammodo obscuratus est propter nos, vt nos liberaret ab his obscuritatibus. Ipsum ponamus contra omnes carnales affectiones, & ipsum consideremus patrem, fratrem, matrem, amicum. Patrem, quia erudit nos; matrem, quia consolatur nos, & lacte dulcedinis suæ nutrit nos; fratrem, quia carnem de carne nostra assumpsit; amicum, quia sanguinem suum fudit pro nobis. Hæc est recta via. Sed hic cauendi sunt latrones, qui se abscondunt, & plerumque incautos feriunt. Hic solet latere leo in insidijs, ille qui circuit, quærẽs quem deuoret: & quem non potest per suum gladium vulnerare, solet per ipsius arma, quem tentat, appetere. Tela illius sunt vitia, quibus nos apertè impugnat. Arma nostra sunt virtutes, quibus ei resistimus. Ideo quando non potest per aperta vitia, quæ sunt eius tela, destruere; vult de nostris armis nos occidere. Nititur enim animo nostro persuadere, vt in nobis ipsis gloriemur; quasi nostra virtute diuitias reliquerimus, & nostra virtute affectiones omnes contempserimus. Contra hanc pestem debem⁹ ascendere; vt vnusquisque quando profecerit, meminerit se à Domino adiutum, & non per propriam virtutem ad aliquod bonum peruenisse, vel peruenire posse; & non in se, sed in Domino glorietur. Ipse est enim qui operatur in nobis & velle, & posse, pro bona voluntate. Vnde dicit Apostolus. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo qui vult perfectè conuerti ad Dominum, sic ascendat de gradu in gradum, donec perueniat ad transmigrationem Babylonis. Sicut autem in descensione intelligitur illa transmigratio, quæ facta est de Ierusalem in Babylonem; ita in ascensione debemus intelligere illam transmigrationem, quam facere debemus de Babylonia versus Ierusalem. Hæc est conuersio perfectionis nostræ, vt Babyloniam relinquamus. Babylon interpretatur confusio. Quandiu homo habet cor suum vel in diuitijs huius mundi, vel in delicijs, vel in amore carnali parẽtum & amicorum suorum, & in propria voluntate; vtique in Babylone est, id est in confusione. Quia in corde, vbi ista sunt, sine dubio magna confusio est, & parua pax. Ideo vt perfecta sit nostra conuersio, omnia ista abijciamus, & de Babylone perfectè transmigremus. Et non solùm transmigremus, sed & magistri Babylonis efficiamur. Magnum est enim, fratres mei, magistrum esse Babylonis. Videte quæso, magnũ mysterium. Omnes filij Israël, qui erant in Ierusalem, ducti sunt captiui in Babylonem: facta est tamen in ipsis captiuis quædam diuisio. Alij seruiebant ipsis Babylonijs, & alij facti sunt magistri in ipsa Babylone & Babylonijs imperabãt. Constituti sunt enim Daniel, Ananias, Azarias, & Misaël, principes super omnes satrapas Regis Babylonis, omnes tamen captiui. Hoc, vt ait Apóstolus, in figura facta sunt nostri. Omnes enim, fratres mei, omnes omnino tenemur captiui in Babilone, id est in confusione. Quis enim se liberum ab hac captiuitate pronuntiet, cum Paulus dicat, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati?* Ecce illa miserabilis captiuitas. Omnes gemũt, qui non more phræneticorũ gaudent. Babylonici, à quibus captiui tenemur, ipsæ sunt concupiscentiæ. Sed bonum est fratres mei, ipsis Babylonicis imperare. Miserum quidẽ est inter ipsos viuere, sed miserrimum est ipsis seruire. Sed plures seruiunt, pauci imperant. Illi quippe in Babylone Babylonicis seruiunt, qui in ista misera captiuitate de qua locuti sumus, ipsis concupiscentijs, ipsis desiderijs carnis obedientes; præbent membra sua arma iniquitatis peccato. Illi imperant, qui ipsas concupiscentias comprimunt, qui membra sua bene regunt, vt non regnet peccatum in eorum mortali corpore; & sint magistri confusionis suæ, & non serui. Quod quia suis viribus nemo sufficit implere, clamem⁹ cum Apostolo. *Quis nos liberabit de corpore mortis huius?* Sic clamor meus semper sit ad Deum. Oculi nostri semper ad Deum, & sic intremus in alium statum. Nam licet hæc perfectè fecerimus, & diuitias & delicias, & omnes affectus carnales, & nostram propriam volũtatem abiecerimus; tamen adhuc nos impugnant vitia nostra, ira, impatientia, superbia, luxuria, & cætera huiusmodi. Ideo ingrediamur in alterum statum, & incipiamus nosmetipsos purgare à vitijs nostris per labores, per vigilias, per ieiunia, per orationes, per compunctionem, per lectionem, per meditationem. Sed quia nihil tantùm valet ad nostram purgationem, quantùm assidua oratio ad Deum, ideo in principio huius distinctionis ponitur

Tentatio à terrenis bonis.
Psalm. 17.
Tentatio à parentibus.
Psal. 119.
Et 118.
Christus nobis pater, & mater, &c.
1. Cor. 4.
Perfectio nostra est, Babyloniã deserere
Rom. 7.
Babyloniis possumus, seruire, & imperare.
Ibidem.

Iechonias, qui interpretatur præparatio Domini; vt sciamus & memoriæ commendemus, quia nos non sufficim⁹ nosmetipsos præparare, neque purgare; sed hoc quòd conuertimur ad Deum, huic sæculo abrenũtiando, quòd purgamur proficiendo, oportet, vt omnis ista præparatio Domini sit, præparantis nos, vt digni efficiamur Dei ipsius visione, omni finita tentatione Sciendum sanè, quia quandiu aliquid terrenæ cupiditatis cordi nostro insederit, nequaquam poterimus illud verum & delectabile bonum esurire. Qui autem hic iustitiam non esurierit, nescio si aliquando illa satiari poterit. Verùm licet sæculum deseruerimus, licet nos alienæ voluntati subdiderimus, licet vitijs nostris pristinis resistamus; nihil quoque de nobis præsumẽtes orationi insistamus; adhuc tamen quædam cupiditates ex ipsa infirmitate, quæ non est adhuc perfectè sanata, irruentes oculum cordis obscurant: verique luminis puritatem, cui inhiare oportet, intueri non sinunt. Agendum est ergo, & omni nisu insistendũ, vt minuatur ista cupiditas, sanetur ista infirmitas, charitas augeatur, qua vnum verum solum dulce, & verè delectabile bonum ametur fervẽtiùs, desideretur attentiùs, suauiùs degustetur. Hic quidem labor immanis oboritur, sed non est desperandum; non enim in nobis, sed in Domino speramus. A Domino speremus salutem, vt non obruat infirmitas, vt non vincat cupiditas, vt charitas nutriatur; & ideo illum iugiter oremus, vt ipse nos præparet, & purget, & faciat nos vasa in honorem, & non in contumeliam. Ab isto autem opere non cessemus, sed ascẽdam⁹ magis de gradu in gradũ, donec inveniamus, imo donec ipsi efficiamur Salomon, qui est vltimus gradus in secunda distinctione. Salomon interpretatur pacificus. Tamdiu ergo debemus nosmetipsos à vitijs purgare, donec habeamus pacem in nobis, & vitia conquiescant, nec possint leuare caput contra nos, nec aliquando nobis bellum inferre. Ista est enim perfectio secundi status, vt à Deo purgemur à vitijs nostris, vt incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Si verò in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi vt desiderem⁹ præsentiam Christi; suspiremus ad illã visionem beatam; vt sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte; & cum omni cordis affectione dicamus, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Incipit autem iste status à Dauid, id est à sancto desiderio. Dauid desiderabilis interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait Propheta, *Veniet desideratus cunctis gentibus?* Desideratus planè & desiderandus. Vt autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum; vt videamus Deum deorum in Sion. Hæc est perfectio, ad quam ascẽdere debemus; hoc est præmium, quod expectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quãtum præmium! quàm magnum! quam bonum! videbunt eum iusti, videbunt impij; sed aliter impij, aliter iusti. *Videbunt*, impij *in quem transfixerunt*. Et iterum. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Videbunt eum iusti, sed sicuti est, dicẽte Ioanne. *Nunc filij Dei sumus: sed nondum apparuit, quid erimus. Scim⁹ autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur; quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat; dicente ei Domino. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit homo faciem meam, & viuet.* Cui tamen pro merito magnę sanctitatis ait. *Ostendam tibi omne bonum.* Videbimus tunc illum speciosum forma præ filijs hominum, in quem desiderant Angeli prospicere. Nam sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suauitatis, vt Angeli qui septuplò solem sua vincũt pulchritudine, desiderent in eum iugiter & insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cuius spiritus super mel dulcis, & hereditas super mel & favum; & spiritualibus brachijs amplexabimur, & mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, & sentiemus, quàm bonum, & quàm dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Cõditoris nostri, interesse Angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; vt nos incipientes, vt diximus, ab eius humanitate, quam assumpsit de matre, perueniam⁹ ad eius diuinitatem, quam semper habet cũ Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festiuitate incepit; in qua orta est eius beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio huius ascensionis ponitur ipse IESVS, ponitur, MARIA; vt sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet; sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxilijs poterit adiuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum; deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, vt ipse efficiat volẽtes, vt ipse adiuuet ascendentes, vt ipse recipiat venientes; qui vivit & regnat cum PATRE & SPIRITV sancto, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Marginalia: *Cupiditatibus resistẽdũ.* — *Perfectio secundi status.* — *1. Cor. 15.* — *Isai. 41.* — *Aggai 2.* — *Ioan. 19.* — *Isai. 26.* — *1. Ioan. 3.* — *Nullus Deũ in hac vita vidit.* — *Exo. 33.* — *Felicitas nostra à natiuitate B. Virginis cœpit.*



SERMO IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

FRATRES mei, si non sufficimus loqui de vno Sanctorum Dei, & eius gloriam exprimere; quomodo sufficiemus de omnibus Sanctis eius sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, vt ita nos habeamus, quatinus ad eorum gloriam peruenire valeamus. Quid ergo agẽdum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterim⁹ pervenire? Ideo fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim meliùs credere debemus, quàm

illi, qui jam ad illam excellentiam peruenit? Ipse certè nouit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo vnum de magnis amicis IESV dicentem.

1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet.* Scitis, quomodo hodie per vniuersum mundum omnes laudant Sanctos Dei, Angelos, Archangelos, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria, & cætera, quæ conueniunt festiuitati. Cantus significat illam perpetuam iubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium, quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem, qua ipsi semper Deum laudant. Vnde dicit Psalmista. *Beati, qui habitant in domo tuo, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Vnde in hac nocte cantastis. *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet.* Modò fratres, cogitate, si potestis, quantùm exaltati sunt in cœlo, qui ita possunt exaltari & honorari in terris! Certè fratres, si omnem gloriam mundi, & omnem laudem mundi, & omne gaudium mundi possem⁹ simul aspicere; in comparatione illius gaudij nihil est aliud, quam summa miseria. Ideo fratres, scire debetis, quia istas festiuitates in luminaribus, in canticis, & cæteris huiusmodi non facimus, nisi propter duas causas. (Ista enim non prosunt Sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non in istis terrenis, luminaribus & vilibus gloriantur, quorum laus CHRISTVS est; quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum.) Primò vt per has renouationes excitemus nosmetipsos ad maiorem deuotionem. Deinde propter illam significationem, quam superiùs diximus: & ideo tantùm debemus agere, quantùm sufficit ad ista duo. Nam illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festiuitates; qui cum quadā nimietate & superfluitate quærunt istas glorias exteriores & pulchritudines: ita vt exteriori homine tot cantibus, tot ornamētis, tot luminaribus, & cæteris huiusmodi pulchritudinib⁹ intento, nihil aliud penè poterit cogitare, quàm ista, quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit. Nos fratres, qui ista non videmus, & scimus tamen, quia à multis aguntur; cogitem⁹ & delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est: in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in iustitia & sanctitate: in illis hymnis & laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio: in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; & ita agamus nostras festiuitates, vt mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes & caducas; sed potiùs ad illa spiritualia & æterna excitetur, & sic illorum gloriam & exaltationem consideremus. Et vt ad illorum exaltationem peruenire possimus; audiamus consilium Apostoli qui ait.

1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Nouit optimè Apostolus causam, quare dejecti sumus; quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidim⁹: quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa fratres, nisi superbia? Ideo contrà illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia sciuit, quòd non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *Sub potenti manu Dei.* Alij humiliantur sub gloriosa manu Dei. Alij humiliantur sub forti manu Dei, alij humiliantur sub larga manu Dei, alij humiliātur sub potenti manu Dei. Sunt Angeli boni, sunt & Angeli mali; sunt & homines boni, sunt & homines mali. Sicut dicit Apostolus, *In nomine Domini nostri IESV CHRISTI omne genu flectatur; cælestium, terrestrium, & infernorum.* Philip. 2. Videte modò, quia omnes humiliantur Domino nostro, & omnes ei subijciuntur. Omnes certè & boni & mali; quia eius volūtati nullus resistere potest; & omnes seruiunt voluntati eius, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus, vt nos illi humiliemur; idest voluntate nostra subijciamur ei: quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjci illi, subijciemur inuiti, pœnam incurrem⁹ æternam. Iam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud expectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati; vnusquisque secundum ordinem, in quo creatus est. Mali autem Angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, & facit eos, velint nolint, suæ seruire voluntati. Vnde dicitur in Psalmo. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Psal. 103. Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum, qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum: & quicquid ipse facit, vt minuat gloriā Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quòd ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam Apostolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum Dei; & videt, quia per malitiam eius aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria; nisi quia, sicut dicit Apostolus, *Ludibria sunt & verbera experti, insuper vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt pro Christo?* Hebr. 11. Et hæc omnia illis illatā sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium & impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam & coronam. Sic fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quę illi passi sunt; tamen & per nos illuditur diabolo. Tentat enim & cruciat: sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, & ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei: quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantùm viderit eis expedire. Alij sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videtes, quòd ipse est qui dat escam omni carni, qui firmiter credentes, quòd in eius manu sunt omnes diuitiæ & honores, & cui voluerit, dat illa: incipiunt seruire illi, vel vt ista terrena acquirāt, vel ne ista terrena amittant. Alij meliores istis largam manum eius considerantes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & injustos, qui etiam ista temporalia mixtim bonis & malis abunde tribuit, conijciunt, quàm mira sunt, quàm ineffabilia, quæ seruat suis tantùm bonis; & cupiditate illius beatitudinis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, seruiunt illi & humiliantur. Item sunt alij, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes eius potentiam, qua superbos humiliat & humiles exaltat, qua dam-

Quid cant⁹ significent, hymni, &c.

Psalm. 83.

Verba Ecclesiæ.

Duæ causæ, ob quas festa SS celebramus.

Superbia ruinæ nostræ causa.


Omnes Deo subdimur, siue volentes, siue nolentes

Vt deceptus & illusus est dæmon.

Diuersis rationibus seruiunt Deo homines.

nat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus inuitat dicens. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & non habent vltra quid faciant: sed eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illā, qua in ista vita suos potenter defendit; & in die iudicij ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos inuitat Apostolus, dicens. *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *vt vos exaltet in tempore visitationis* Tempus visitationis est dies iudicij. Primò visitauit mundum per misericordiam, postea visitabit per iudicium. Visitauit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis: visitabit per iudicium, quando vnicuique reddet secundum opera sua. Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, quibus hic Dominus visitat, non solùm electos, sed etiam reprobos. Visitat nos per prospera, visitat nos per aduersa. Visitat nos quando tentamur; visitat nos quando consolamur. Visitat nos per occultā inspirationem, visitat nos per exteriorem sermonem. Visitat nos per scripturas, visitat nos per sacramenta. Et hæc omnia bonis proueniunt in salutem, malis in perditionem. Si autem voluerimus in his omnibus visitationibus exaltari, humiliemur sub potenti manu Domini. Et quid sunt istæ festiuitates, quas celebramus, nisi quædam eius visitationes? Sed in istis visitationibus alij exaltantur, alij deijciuntur. Ecce hodie celebramus festiuitatem omnium Sanctorum; nec soli nos celebramus. Quis est enim Christianus, qui non hodie celebrat istam festiuitatem? Sed multi in luxurijs, in comessationibus, in ebrietatibus, in impudicitijs, & huiusmodi contaminationibus. Isti non exaltantur in ista visitatione; sed potius deijciuntur. Qui verò in præsenti festiuitate apud seipsum considerat sanctos Dñi nostri, gloriam Angelorum, doctrinam Apostolorum, patientiam Martyrum, cōstantiam Confessorum, pudicitiam Virginum; & in his omnibus nunc desiderat gloriam, ad quam peruenerunt; nunc feruet sequi per viam, per quam præcesserunt; & sic compungitur, dolet, plangit præteritas negligentias & peccata sua; proponit ferventiùs Deo seruire, vt consequatur gloriam Angelorum; patientiùs omnia aduersa tolerare, vt perueniat ad coronam Martyrum; puriùs cor suum & carnem suam amodo custodire, vt fruatur consortio Virginum: iste est, qui exaltatur in hoc tempore visitationis. Sed qui sunt, qui ista faciūt? Non superbi, non elati, non cōtradictores, non murmurosi. Sed qui? Vtiq; qui se humiliant sub potenti manu Dei. Qui timorem Dei semper sibi ante oculos ponūt; qui diuinam potentiam semper considerant, qui semper mortem suspectam ante oculos habent. Ergo fratres, humiliemur sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis. In istis visitationibus nos exaltet per bona opera, per sancta desideria; vt quando venerit in illa magna visitatione, quādo requiret ab omnibus, quid in ista vita gesserunt, vt reddat vnicuique secundum opera sua, tunc nos perfectè exaltet, audientes illam delectabilem vocem. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hæc erit vera exaltatio nostra, quando eorum consortijs fruemur in cœlis, quorum hodie festiuitatem celebramus in terris. Quod per eorum merita nobis præstare dignetur Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Matth. 10. — *Gradus 1. humilitatis timor est.* — *1. Petri 5.* — *Quot modis visitet nos Deus.* — *Qui exaltētur tempore visitationis.* — *Mat. 25.*



SERMO SECVNDVS, DE OMNIBVS SANCTIS.

BENEDICTVS sit Imperator noster, qui pauperem familiam suam visitare non desistit. Aliquando fratres carissimi, visitat nos per aliquem seruorum suorum, aliquando per plures, aliquādo per carissimam matrem suam, aliquando, quod plus est, per seipsum. Quæ sunt enim istæ festiuitates sanctorum, quas tam sæpe celebramus, nisi quædam visitationes, per quas visitat nos Dominus noster, & confortat? Quia ergo expediebat nobis, semper memores existere beneficiorū eius, quæ nobis per præsentiam suam corporalē exhibuit: & quia sciuit memoriam nostram esse corruptam per obliuionem, intellectum per errorem, studium per cupiditatem: piè prouidit nobis, vt ipsa sua beneficia non solum recitarentur nobis per Scripturas, sed etiam nobis repræsentarentur per quasdam spirituales actiones. Ideo quando tradidit discipulis suis sacramentū corporis & sanguinis sui, ait illis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ob hanc causam fratres, institutæ sūt istæ festiuitates in Eclesia Dei: vt per hoc quod modò eius natiuitatem repræsētamus, modò eius passionem, modò eius resurrectionem, modò eius ascensionem: semper sit recens in memoria nostra illa mira pietas, illa mira suauitas, illa mira charitas, quam in nobis per hæc omnia ostendit. Ex his etiam plurimū proficere debet fides nostra; quando & auribus nostris videmus, quid Christus pertulit pro nobis, quid etiam in ista vita dat nobis, quid post istam vitam promittit nobis. Pertulit pro nobis mortem, in præsenti dat nobis peccatorum remissionem, post istam vitam promittit æternam fœlicitatem. Istam nostram liberationem, fratres carissimi, istam spem nostram, istam beatitudinem nostram debemus ad memoriam nostram reducere, quando celebramus ipsius festiuitatem. Sed quare celebramus istas festiuitates suorum fidelium; nisi vt consideremus attentiùs illorum gloriam, quam illis misericordia Dei contulit: vt per istam considerationem illam ardentiùs desideremus & amemus? Per hoc etiam, quod audimus vitam illorum, & passiones, & labores, per quos illi venerunt ad tantam gloriam, debemus concipere magnam consolationem, & magnam spem: & quantò magis viderimus nos in laboribus & angustijs huius vitæ, tantò possumus securiùs illam gloriam & felicitatē, ad quam ipsi nos præcesserunt, sperare. Carissimi, nemo vos fallat, nulla vos cogitatio decipiat, nec vllum blandimentū inimici. Vera est certè, illa Scrip-

Visitat nos Deus sanctorum festis. — *Mat. 26.* — *Cur Sanctorum festa celebrentur.*

Act. 14. tura quæ dicit. *Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei.* Fratres mei, licet Angelus sit, qui vobis aliud dicat, anathema sit. Celebramus sæpe festiuitates Apostolorum, sæpe & Martyrum, aliquando & Confessorum, aliquando & Virginum. Quis est de illis omnibus, qui non transiuit per dolores & tribulationes huius vitæ? Ecce hodie ipse Rex, ipse Imperator noster, cum omni suo nos visitat exercitu. Consideremus, quantum possumus, omnes acies eius, quàm sunt pulchræ, quàm sunt ordinatæ; desideremus eorum societatem, sed primò non refugiamus eorum laborem. Grauis quidem est pugna, sed debet nos delectare corona. Non deest nobis auxilium in hac pugna. Sunt circa nos Angeli, Archăgeli, de quibus dicit Apostolus. *Nõne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?*

Omnes sancti tribulationes passi sũt

Hebr. 1.

Videamus ergo in prima fronte ipsum Imperatorem nostrum; audiamus, quomodo hortatur milites suos. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis.* Fratres, veritas non potest mentiri. Ideo audite, quid promisit. Duo sæcula sunt, præsens & futurũ. Dominus noster prædixit nobis, quomodo debeamus esse in vtroque. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis.* Iterum quales sui futuri sunt in alio, ipse dixit. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris mei.* Et iterum. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ideo fratres, quamuis fortassis fecisset diues ille multa mala, de quo dicit Evangelium, quia cruciabatur in inferno, & vidit lazarũ in sinu Abrahæ: & quamuis fortè habuisset in se ille pauper Lazarus multa bona, tamen non commemorauit Abraham aliam causam dãnationis diuitis, nisi, quòd recepisset bona in vita sua: nec aliam causam salutis Lazari, nisi quòd recepisset similiter mala in vita sua. Sic enim ait. *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua: & Lazarus similiter mala.* Idcirco fratres, quantùm vnusquisque se videt in pressuris huius vitæ pro Christo, sciat pro certo, quia tãtum crescit gloria eius in alia vita; & quantùm se videt in bonis & delicijs in hac vita, tantùm timeat, ne minuatur gloria eius in alia vita. Quapropter fratres, hæc duo debemus habere in memoriã nostra: quales debemus esse in cœlo cum Domino; & de istis duabus viris debemus semper aliquid sentire. Ad istam vitam pertinet labor, ad illã vitam requies. Ad istam vitam pertinet tentatio, ad illam securitas. Ad istam vitam paupertas, ad illã diuitiæ. Ad istam vitam luctus, ad illam vitam cõsolatio. Ad istam vitam fames & sitis, ad illam vitam satietas. Hoc est, fratres mei, quod Dominus dicit in Evangelio. *Beati pauperes, quoniã vestrum est regnum Dei. Beati qui fletis; quia ridebitis. Beati, qui nunc esuritis; quia saturabimini.* Et iterum. *Væ vobis diuites, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* Sed iam videte, quod dixi, quia oportet vt hæc duo habeamus in memoria nostra; id est quales debemus hic esse, & quales futuri sumus ibi: quia si tantùm illa attẽdamus, quæ pertinẽt ad istam, non poterimus sustinere. Quis enim sine periculo murmurationis & desperationis potest sine aliqua consolatione semper esse in pressuris, & miserijs, & tentationibus? Quis est, fratres, in ista vita, qui non sentiat istas miserias, nisi ex toto sit sine sensu? Et propter istas miserias omnes quærunt habere aliquam cõsolationem. Seculares enim & qui amant istum mundum, ipsi quærunt consolationem in diuitijs, in honoribus, in multis curiositatib⁹, in desiderijs carnis, & voluptatibus. Isti sunt miseri, quando tristantur, sed multò miseriores quando sic consolantur. Vos autem gen⁹ electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis: non debetis habere tristitiam, quam isti habent; nec consolationem, quam isti habent. Considerate totam familiam istam nostri Imperatoris, quam hodie nobis ostẽdit: & videte in ipsa ista duo; tristitiã quam habuerunt, & gaudium quod receperunt. Hæc est illa familia Christi, sponsa Christi, quæ dicit in Canticis. *Nigra sum, sed formosa.* Ecce fratres, illa duo, de quibus locuti sumus. Nigredo pertinet ad istam vitam; formositas ad illam, in qua erimus Deo prestante post istã. Quicquid habuerunt sancti de ista vita, nigrum fuit; sed cũ ista nigredine habuerũt magnam pulchritudinẽ. Quasi quædam nigredo erat illa tribulatio, illa angustia, illæ tentationes, quas pertulerunt in mundo, de quibus dicit Apostolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus.* Habuerũt etiam quandam pulchritudinem in fide, in castitate, in puritate, in charitate. Consideremus primò ipsos duces exercitus nostri; audiamus, quid de illis dicat vnus eorum. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi nobiles: sed quæ sunt stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt.* Et iterum dicit. *Tanquam purgamẽtum hui⁹ mundi facti sumus; omnium peripsema.* Hæc est nigredo illa, de qua locuti sum⁹. Sed vbi erat pulchritudo eorum? Audite. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Intus erat pulchritudo eorum, non foris. Quid Martyres sancti? Nonne apparebant in illis, quando tradebantur ad carceres, quando ducebant vinctos catenis coram hominibus, quando lapidabãt eos, quãdo verberabant eos, & omnibus contumelijs & tormentis cruciabant? Vox ipsorum est in Psalmo. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri; quia multum repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Sed omnis ista nigredo, quæ erat foris, non minuebat, sed augebat pulchritudinem, quæ erat intus. Quid cæteri sancti, qui non fuerunt in istis persecutionibus, sicut Confessores, sicut multæ Virgines sanctæ, sicut Monachi sancti, & Eremitæ? Nonne habuerunt illi istam nigredinem? Sed Apostolus communiter de omnibus dicit. *Omnes, qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur.* Ille piè viuit, qui potest veraciter dicere. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Magna persecutio est, fratres, sicut nos sæpe experimur, qui scimus infirmitates, & dolores, & grauamina multorum. Magna est persecutio, habere curam de omnibus, dolorem pro omnibus; tristari, quando aliquis tristatur; timere, quando aliquis tentatur. Quoniam est iterum intolerabilis persecutio, quæ aliquando nobis accidit, quando aliquis eorum, quos nutrimus, & custodimus, & amamus quasi viscera nostra, vincitur à diabolo; intantum, vt etiam discedat à nobis: vel ita peruersè & perditè viuit, vt necesse habeamus expellere eũ à nobis. Fratres, si vos habetis dolorem & magnam tristitiam, quãdo talia accidunt, qui fratres estis,

Marginalia: *Ioan. 16.* — *Mat. 13. & 22.* — *Causa damnationis diuitis.* — *Luc. 16.* — *Luc. 6.* — *Duo in mente hoc loco habenda.* — *Consolatio in delicijs miseria est.* — *Hebr. 11.* — *1. Cor. 1.* — *1. Cor. 4.* — *2. Cor. 1.* — *Pulchritudo sanctorum intus erat.* — *Psalm. 122.* — *2. Tim. 3.* — *1. Cor. 11.* — *Persecutionum diversa genera.*

quantam nos tristitiam putatis habere, qui sum⁹ & fratres,& patres, & custodes: qui suscepimus reddere ratione pro talibus? Certè,fratres, magnam compassionem debetis habere de nobis,& lætificare nos de vestra bona conversatione, qui in tantis aliis rebus tristitiã habemus. Beatus tamen, qui istam nigredinem patitur pro Christo. Ista nigredo non facit eum turpem, sed formosum. Non enim venit de flamma cupiditatis, sed de igne caritatis. Talis anima potest dicere, quia *decolorauit me sol*; sol videlicet charitatis, qui lucet & ardet in corde eius; & facit eum, quantò magis amat, tanto magis sepius dolere & tristari pro illis, quos amat. Est adhuc alia quædam nigredo, quã vos sæpe experimini. Illa est vtique, quam nemo Sanctorum vnquam potuit vitare. Nigredo ista fratres, tẽtatio est: siue de inimico, siue de carne, siue de hoc mundo. Hanc enim nigredinẽ habuit ipse Paulus, sicut ipse dicit. *Dat⁹ est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Et de tentatione carnis ipse dicit. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legẽ peccati.* Hanc nigredinem tota societas Sanctorum Dei experta est: vt dicere possit. *Nigra sum, sed formosa.* Hoc etiã omnis sancta anima quandiu viuit in ista carne, potest dicere. Quis enim sanctus liber est à tentatione, cum Iob dicat, *Tentatio est vita hominis super terram?* Nigra sũ sed formosa. Nonne anima vniuscuiusq; nostrũ, hoc potest dicere, nigra sum, sed formosa? Formosa est sine dubio illa anima, quæ contemnit mundum; sed adhuc nigra, quia sæpe versat in corde suo, & cogitat mundum. Formosa est illa anima, quæ quantum potest, Deum diligit: sed adhuc nigra, quia amorem carnalium rerum sæpe in se sentit. Formosa est illa anima, quæ quãtũ potest, facit quod scit prodesse cæteris, propter charitatem: sed adhuc nigra est, quia sæpe sentit in se iram, impatientiam, & cætera alia quæ impugnant charitatem. Formosa est denique illa anima, quæ nulli vitio consentit; sed adhuc nigra, quia ipsa vitia sentit. Et quid mirũ, fratres, si sancti transeunt per illam nigredinem: quando ipse Dominus cum quadam nigredine voluit viuere in hoc mundo? Et ipse fratres, ipse potuit dicere. *Nigra sum, sed formosa.* Ideo non aliquam verecundiam habet sponsa sua, omnis scilicet societas sanctorum, siue vnaquæque anima sancta, fateri de se. *Nigra sum, sed formosa.* Sed audi, quomodo. *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Hoc est quod dixi, quia ipse Dñs noster voluit ostendere in se quandã nigredinẽ; sed habuit sub illa nigredine magnam pulchritudinem. Vultis vtrumq; audire, & nigredinem, & pulchritudinem? De nigredine eius dicit Isaias. *Vidimus eum, & non erat ei aspectus, neque decor, despectum & nouissimum virorum.* De pulchritudine eius dicit Dauid. *Speciosus forma pre filijs hominum.* Sed vtique passus est tentationes, sicut dicit Apostolus. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ideo omnes sancti eius secuti sunt vestigia eius, & exemplum: vt vnaquæque sancta anima possit dicere. *Nigra sũ, sed formosa, filiæ Ierusalem; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quis est iste Cedar; quis est iste Salomon? Ego puto, quod Dominus noster Iesus, ipse propter aliquam significationem est Cedar; & propter aliam significationem est Salomon. Nam Cedar interpretatur tenebræ, Salomon pacificus. Et vt videamus, quomodo ista duo nomina conueniant Domino nostro IESV CHRISTO, attendamus, quod ipse dicit in Evangelio. *Ego in iudicium veni in hunc mundum; vt non videntes videant, & qui vident, cæci fiant.* Multi per eius præsentiam cæcati sunt, & multi illuminati. Positus enim fuit, vt ait Simeon, in ruinam, & in resurrectionem multorũ in Israël. Illis, qui nolebant credere in eum, sed excæcati sunt per malitiam suã in præsentia eius, erat Cedar. Nonne tenebant eum pro Cedar, qui dicebant, *Nonne hic est filius fabri?* Videbant eũ pauperem, non quærentem, sed potiùs fugientem gloriam mundi; esurientem, sitientem, & ideo contemnebant eum; & putabant, quòd esset Cedar, id est tenebrosus, & sine lumine deitatis, sicut cæteri homines. Sed vnde hoc illis; vnde offenderunt in eum? Vtique propter tabernaculũ eius, id est carnem eius; in qua quasi in tabernaculo habitat diuinitas. In hoc tabernaculo magis niger erat Dominus noster; patiebatur famem, sitim, opprobria, ad vltimum conspuerũt in eum, colaphizauerunt, flagellauerunt, & sic crucifixerunt eum. Sed tota ista nigredo erat in tabernaculo, idest in carne; foris erat, non intus; quia intus speciosus forma præ filijs hominum; intus talis, in quem desiderant Angeli prospicere. Et ideo fratres, tota illa nigredo magis erat nostra, quã sua. Nos portamus carnem peccati; ille non portauit carnem peccati; sed similitudinẽ carnis peccati. Veniat in memoriã ille Iacob, qui vt acquireret benedictionem, abscondit propriam similitudinẽ intus; & alterius similitudinẽ assumpsit foris. Audistis sæpe fratres, istã historiam. Rebecca induit filium suum caprinis pellibus, in similitudinem illius pilosi Esau. Quid enim significauit Esau pilosus; nisi filios eorum, qui cum pelliceis tunicis ejecti fuerunt de paradiso? Omnes filij Adam pilosi & nigri, propter peccata & iniquitates. Non habebat istos pilos filius Dei. Quomodo enim haberet ille peccatũ: qui erat vnus cũ Patre perfectus & omnipotens De⁹? Sed nec habebat in sua illa deitate similitudinẽ alicuius peccati, aut corruptionis. Fratres, nisi iste assumeret similitudinem pellis nostræ, similitudinem pilorum nostrorum: nunquam nos possemus liberari à pilis nostris. Ideo dignatus est induere similitudinẽ carnis peccati, vt foris ostenderet infirmitatem, & quãdam nigredinem; intus autem seruabat illam mirã & ineffabilem pulchritudinem. Ponite modò in corde vestro, quasi videatis Iacob coopertum pellibus caprinis; nonne posset veraciter dicere, niger sũ, sed formos⁹? Niger propter tabernacula Cedar, propter nigram pellem caprorum: sed intus formosus, propter propriam similitudinem. Sic attendite illum verum Iacob Dominum nostrum IESVM CHRISTVM; nigrum propter similitudinem carnis peccati: pulchrum, quia nullum habebat peccatum: sed per istam nigredinẽ acquisiuit nobis benedictionem. Non sibi, quia ille non indigebat; sed nobis, qui benedictione opus habebamus, quia maledicti eramus. Nam sine dubio in illa benedictione, qua Isaac benedixit filium suum, fuimus nos significati, & per significationem benedicti. Audite enim, quid dixit. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Iste est ager fratres, quem hodie debemus maximè considerare. Ager iste plenus est omni suauitate, omni dulcedine, omni

Marginalia (left column): *Nigredo sãctorum cum formositate.* — *Cant. 1.* — *2. Cor. 12.* — *Rom. 7.* — *Can. 1.* — *Iob 7.* — *Quæ formosa anima, & nigra.* — *Can. 1.* — *Isa. 53.* — *Psal. 44.* — *Hebr. 4.* — *Cant. 1.*

Marginalia (right column): *Ioa. 9.* — *Luc. 2.* — *Mat. 13.* — *Christus Cedar habitus.* — *Genes. 27.* — *Quos signet Esau pilosus.* — *Genes. 27.*

decore. Nam sicut paulò antè cantastis, *Floribus eius nec rosa, nec lilia desunt.* Hic suauissimi fructus Apostolorum, hic rosæ Martyrum, hic lilia Virginum: hic singuli sancti, quasi arbores fructuosæ in agro Domini. Vtinam fratres, & nos simus de illo pleno agro, cui benedixit Dominus. Huic agro Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumẽti, vini, & olei tribuit. Ros cœli est gratia spiritualis, quem iste ager solet recipere, in compunctionibus, in meditationibus, in psalmis, in lectionibus. Pinguedo terræ, quæ est? Terra nostra caro nostra est. Felix, qui potest de ista terra accipere pinguedinẽ. Ista pinguedo, fratres, bona opera sunt: quæ vtique non facimus, nisi per corpus nostrum. Qui bene & sapienter & discretè sciunt exercere istam terram, ipsi experiuntur, quia vigiliæ, & labores, & ieiunia, mirabilis quædam pinguedo est. Ex his ergo duobus, de rore cœli & de pinguedine terræ, id est vt manifestiùs dicam, de corporali & spirituali exercitio, habet iste ager, omnis videlicet societas Sanctorum, abundantiam vini, frumenti, & olei. Frumentum sapientiæ, vinum cõtẽplationis, oleum charitatis. Sic Paulus optima arbor de isto agro, qui laborabat manibus nocte & die, quod pertinet ad pinguedinẽ terræ: qui sine intermissione orabat, quod pertinebat ad rorem cœli; per hæc acquisiuit istud frumentum, vinum, & oleum. Nã ipse loquebatur sapientiam inter perfectos: diuidens illis frumẽtum suum. Ipse in contemplatione raptus est vsque ad tertium cœlum, & inebriatus est illo vino, quod solet lętificare cor hominis. Ideo ait *Siue mente excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis.* Qui dicit se sobrium, quando se contemperabat secundum modum infirmorum, sine dubio illũ excessum mentis, quem dixit esse soli Deo, appellare voluit quãdam spiritualem ebrietatem. Charitatẽ non est necesse commendare in Paulo. Videtis, fratres, qualem benedictionem acquisiuit Dominus huic agro pleno. Pleno sine dubio omnibus virtutibus, pleno omni perfectione. Nec mirum, quando in isto agro sunt omnes sancti à constitutione mundi: & vnusquisque habet locum suum, suam pulchritudinem, suam virtutem. In isto agro hanc, fratres, benedictionem vobis acquisiuit, per hoc, quòd factus est niger: quòd se induit noster Iacob pellibus caprinis. Ipsæ pelles, ipsa sunt tabernacula Cedar, id est caro eius, id est humanitas eius: ad cuius exemplum omnes sancti voluerunt esse nigri in hac vita, vt possent postea esse formosi, sicut pelles Salomonis. Quæ sunt istæ pelles Salomonis? Quædam pelles erant, in quibus erat sanctuarium, quod habebat ille antiquus populus Iudæorũ, scilicet arca illa, de qua audistis sæpe, & altare incensi, & cætera huiusmodi. B. Paulus Apostolus apertè ostẽdit quid significãt ista. *Non in manufacta sancta introiuit Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum.* Ergo pelles Salomonis cœli sunt. In his enim pellibus non est ipse Cedar, sed Salomon. In his enim pellibus ostendit ipse pulchritudinem suam, suauitatẽ suã, & lucem suam: & apparet omnibus, non tenebrosus, sed pacificus: quia ipse est pax & tranquillitas Angelorum, qui sunt cœli, in quibus habitat Deus. Videtis modò, quæ sit ista pulchritudo, & qualis sit, de qua gloriatur sancta Ecclesia, id est societas Sanctorum. Pulchritudo pelliũ Salomonis est pulchritudo cœlorum, pulchritudo Angelorum. Ipsa est pulchritudo, quam Dominus præmittit dicens. *Erunt sicut Angeli Dei.* Felix, qui hoc potest dicere, *Nigra sum, sed formosa; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Hæc duo, fratres carissimi, debent se comitari in ista vita: scilicet tabernaculi nigredo & pellium pulchritudo. Sed ista pulchritudo tantùm in anima potest esse in hac vita: post diem verò Iudicij, & in anima & in corpore. Vbi fratres, inueniemus in ista vita imitationem Angelorum, pulchritudinem illorũ, qui sunt in ęterna felicitate cum Domino? Vbi inueniemus illos, qui illum ardorem imitentur amoris Dei, quem habet ille ordo Angelorum: qui propter nimiũ amorẽ, quo diligunt Deum, dicũtur Seraphim? Vbi inueniemus, qui imitentur scientiam illorũ, qui propter miram scientiam quam habent, dicuntur Cherubim, id est plenitudo scientiæ? Et quia longum est, omnes illos nouẽ ordines Angelorum commemorare, vbi inueniemus illos, qui imitentur illam castitatem, illam puritatem, illam vnitatem, & charitatem, quam Angeli habent? Beata est illa anima, quæ potest veraciter dicere, & gloriari: formosa sum, sicut pelles Salomonis. Sed videte, fratres, vnde debetis vos plurimùm consolari, & vnde debetis multùm gaudere. Ego puto, quòd intelligo hic vnã animam, quæ potest vtrumque veraciter dicere Nigra sum, sed formosa; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Et primùm videte, quæ sit ista anima. Vnusquisque vestrum, antequam huc veniret, vnam animam habuit, quæ tantum sua erat. Conuersi estis ad Deum; & ecce Spiritus sanctus, ille cælestis ignis, quem Dominus noster misit in terram, & quem vult vt ardeat, accendit corda vestra, accendit animas vestras: & de omnibus cordibus vestris fecit cor vnum, & animam vnam. Hæc est illa anima, quæ potest veraciter dicere, nigra sum, sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. Habet quandam nigredinem, sicut tabernacula Cedar: quia imitatur passiones Christi, in laboribus, in vigilijs, in iejunijs, in mortificatione carnis. Habet etiam quandam nigredinem de proprio tabernaculo suo, propter tẽtationes quas patitur, & propter concupiscẽtias carnis, quæ non sunt adhuc perfectè consumptæ: sed tamen formosa sicut pelles Salomonis. Quam enim virtutem habent Angeli, quam non habet ista anima: quamuis non habeat eas ita perfectè, sicut habent Angeli? Habent Angeli castitatem; & ipsa est, quæ regnat in ista sancta cõgregatione. Habent Angeli charitatem, quæ sine dubio potest reperiri valde perfectè in ista sancta societate. Habent perfectam humilitatẽ, qua se humiliãt sub manu Dei: habent obedientiam, qua implent præcepta eius, & portant ad nos legationes eius. Habent inter se talem vnitatem & concordiam, vt quamuis alij sint inferiores, & alij superiores; tamen per vnitatem & concordiam, quicquid est singulorum, hoc est omnium, & quicquid est omnium, hoc est singulorũ. Hoc totum est in ista societate; quãuis propter tabernacula Cedar, non tã perfectè. Ideo fratres qui fortè infirmi & debiliores sunt, & non possunt tanta facere, quanta possunt alij, nõ contristentur neque desperẽt; tantùm hoc caueat vnusquisque, ne per pigritiam suam aut negligẽtiam, scienter subtrahat aliquid de his, quæ potest facere. Timeat enim illud, quod dicit Propheta. *Maledictus homo, qui*

Ros cœli gratia est.

Pinguedo terræ bona opera.

2. Cor. 5.

Hebr. 9.

Mat. 22.

Cant. 1.

In hac vita nõ adæquamus sanctitate Angelorum

Luc. 12.

In sanctis virtutes sũt, quæ in Angelis.

Ierem. 11.

Ierem. 48. *qui opus Domini facit negligenter.* Quia qui scienter sine discretione se subtrahit de his, quę potest facere, ipse fraudē facit: quia virtus eius & fortitudo, non est tantùm sua, sed totius congregationis. Iterum qui plus possunt, non se extollāt super alios: quia gratiam quam acceperunt, non acceperunt tantùm propter se, sed etiam propter illos, qui minus possunt. Si ergo vera vnitas & charitas est inter vos, sine dubio quidquid vnus facit, erit omnium: & quidquid omnes faciunt, erit singulorum: ita vt anima vniuscuiusque vestrum possit dicere. Cant. 1. *Formosa sum, sicut pelles Salomonis.* Ille solus nō potest hoc dicere, qui discedit ab ista societate: vel qui se dividit per discordiam, vel invidiam, vel aliquod criminale peccatum. *Qui nō sint formosi.* Possemus adhuc loqui de hac nigredine, & de hac pulchritudine; sed hora diei præterit, & oportet nos nō solùm isto modo, sed adhuc alio laudare Dominum, & mirabilem eum prædicare in Sanctis suis: ad quorū nos societatem perducere dignetur ipse Dominus noster IESVS Christus; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.



SERMO 3. IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

DOMINVS noster IESVS Christus non solùm corporales, sed etiam spirituales epulas in mōte exhibere curauit: ostendens nimirū, debere nos omni affectu, omniq; desiderio corda nostra ad illum erigere montem, de quo Isaias dicit. *Corporales & spirituales epulæ in monte exhibitæ.* *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Hic est mons ille pinguis, de quo nobis cęlestis pinguedo profluere nō desistit. Hic mons coagulat⁹, de quo nobis lac spirituale distillare consueuit. Hic est excelsa illa terra, de qua Moyses cecinit. Deute 32. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorū: vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.* Pulchrè ergo ait Evangelista, *Videns turbas Iesus, ascendit in montem*: vt scilicet seipsum montem ostenderet; vt præceptorum suorum excellentiā commendaret. Venite ergo, ascendamus in mōtem Dñi, & ad domū Dei Iacob: & docebit nos vias suas. Aperiens enim os suum, docebat eos, Matth. 5. dicens. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæ sunt regales epulæ, quæ nō erant turbis apponendæ; & ideo videns turbas IESVS, ascendit in montē. Hę sunt turbæ, quæ cęcum illum Ierichontinum clamantem post Iesum, vt taceret, increpabant. Hæ turbæ fuerunt Luc. 19. impedimento pusillo Zachæo, volenti Iesum videre. Sed quia illi deerat facultas ascendendi in montem, inuenit arborem sycomorum, suæ scilicet parvitati satis congruam. Montes quippe excelsi cervis; petra refugium herinaciis. Qui ergo Iesum videre desiderat, si magnus est, ascendat in montem, vt videat glorificatum: si parvulus, ascendat sycomornm, vt videat crucifixum. *Qui sycomorum, qui mōtem ascendant, ad videndum Iesum.* Sycomorus quidem fatua ficus dicitur: per quā crux Christi manifestissimè figuratur. Vnde Apostolus. 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis scādalum, Gentibus autem stultitiam.* Qui vult igitur videre Iesum, si incipit, ascendat sycomorum, vt amplexetur pro se morientem: si perfectus est, montem ascendat, vt audiat secreta Patris proferentem. Ascendat inquā à turba: vt audiat pacem, quam non nouit turba. Hæc namque turba comprimit Iesum, dicentibus discipulis, *Turbæ te comprimunt.* Sanaverat nāq; tactu suo Dñs mulierem à profluuio sanguinis, & ait. *Quis me* Luc. 8. *tetigit?* Et Discipuli. *Turba te comprimunt, & tu dicis, quis me tetigit?* Sed non ait Dominus, quis me comprimit; sed quis me tetigit. Aliud est, Iesum tangere, aliud comprimere. Amor tangit, turba comprimit. Et nos, fratres, si aliquādo Iesum manu sancti desiderij tangimus: si ei vel ad momentum spirituali glutino inhęremus: insurgunt sæcularium cogitationum importunissimæ turbæ, & eum ne cordi nostro dulcescat, comprimunt: vel, quod nimis dolendum est, omnino excludunt. *Cogitationes sæculares quàm noxiæ.* Videns enim turbas carnaliū cogitationum Iesus, ascendit in montem: cor scilicet turbatum deserens, & mentem cælestibus inhærentem ascendens: in qua quasi in sede sua residens, secretorum suorum reuelat arcana. *Videns turbas Iesus, ascendit in montem. Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Matth. 5. Quibusdam ambulat IESVS, quibusdam stat, quibusdam sedet. Cùm enim Adam peccasset, & a recto itinere diuertisset: ambulabat Dñs ad auram post meridiem. Moysi stabat, cùm ait. *Tu verò hic sta mecum.* Deuter. 5. Isaiæ verò sedit. Vidit enim Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatū. Sedebat quippe, cùm ex occulto iudicio suo Iudæorum excęcationem, & Gentium illuminationem ei reuelaret. Sedebat & cum discipulis in mōte, cùm eos easdem Gentes illuminare instrueret. Cùm enim sedisset, *accesserunt ad eum discipuli eius.* Non hi, qui in turba sunt, ascendunt ad Iesum, quia sæpius turbantur: sed discipuli, qui pacem sectantur; & discipulis suis idem Dominus satis lucidè insinuat, *In hoc,* inquiens, *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan. 13. Eia, fratres, hoc iudicio videat vnusquisq;, vtrum sit discipulus IESV: non interroget sapientiam suam, non sensum, non facultatū distributionē, non corporis consumptionem. *Si enim linguis hominum loquar, & Angelorum,* ait Apostolus, *charitatem autem non habeam: nihil sum.* 1. Cor. 13. Non, inquam, exteriora hæc interroget, sed cordis sui amorem exploret. Qui enim diligit Deū, diligit & fratrem suum. Si tamen ita diligat, vt idem IESVS præcipit. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioan. 15. Ascendat igitur discipuli in montem, nec solùm ascendant, sed etiam ascendant contemplantes, ascendant amantes. Cùm enim, *sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum docebat eos.* Matth. 5. O mira dignatio. Multipharie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, qui *aperiens os suum, docebat. Os suum,* inquit. Vt enim antiquis patribus loqueretur, aliquando Prophetarum ora aperuit, aliquando Angelorum


linguas adhibuit, aliquando elementorum obsequia adiunxit. Vt autem nobis loqueretur, *Aperiens os suum docebat dicens. Beati pauperes spiritu.* Ecce quale antidotum, fratres mei, contra antiqui serpentis venenum, quo totum genus humanum infecit; *Eritis*, inquit, *sicut dij.* Iste est calix aureus inebrians omnem terram, præferens quidem decorem beatitudinis, sed latenter propinans amarum poculum infœlicitatis, *Eritis sicut dij.* Vas pulchrum, sed intus latet venenum. Eia miser Adam, miser factus, audiendo, *Eritis sicut dij*, esto beatus, audiendo, *Beati pauperes spiritu.* Est paupertas carnis, & est paupertas spiritus. Paupertas carnis nulla facultatum possessio; paupertas spiritus pro Deo voluntaria mentis & corporis abiectio. Hinc quidam pauper spiritu gloriatur dicens. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Beati ergo pauperes spiritu, quos replet spiritu timoris Domini, & ex timore nutriens amorem. Hic est primus creationis, & recreationis nostræ dies, in quo ex præcepto Dñi oritur nobis lux, id est ex nostri cognitione humilitas. Ipsa namque est, quæ diuidit inter diem & noctem, inter tenebras & lucem, inter iustitiam & iniquitatem, inter electos & reprobos, inter damnandos & salvandos. Hic quidem dies incipit à vespera, id est consideratione nostræ infirmitatis, & tendit in mane nostræ reparationis. Et sicut initium omnis peccati superbia; ita ab humilitate incipit omnis iustitia, & est primus ad regnum cœlorum ascensus. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sed jam anima cognoscens se ipsam per humilitaté, incipit Deum nosse per pietatem. Fiat igitur ei ex præcepto Domini firmamentum, quod vocetur cælum; illud scilicet, de quo ait Propheta: *Extendens cœlum sicut pellem*, sacram videlicet Scripturam significans. Ad hoc ego firmamẽtum oculos erigat, hic Deum discat. Exprobrat quidem Iudæis IESVS dicens. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* CHRISTVS vero, Dei virtus est, & Dei sapientia. Qui ergo non vult CHRISTVM Dei virtutem ignorare, studeat Scripturas intelligere. Mitis existat, vt sit tardus ad loquẽdum, promptus ad audiendum. Mitis, vt humiliter discat; mitis, vt importune non resistat. In hac nãque virtute quasi in secũda reparationis nostrę die, maximè nobis firmamẽtum Scripturarum apparet, dividens inter aquas superiores, & inferiores, Angelicam videlicet & humanam scientiam. Inferiùs ista, superiùs illa. Et hic quoque dies nobis incipit à vespera, id est intuitu nostræ ignorãtiæ: & tendit ad mane, id est illuminationem diuinæ gratiæ. Et est quidem gradus ad terram viuentiũ repromissionis, terram perpetuæ mansionis *Beati* enim *mites, quoniam ipsi possidebunt terrã.* Iam homo & seipsum cognoscens, & in Dei cognitione aliquantisper euigilans, opus habet scientia; non ea quæ superbiã inflet, sed ex charitate ædificet. Necessarium namque ei est, scire, quantæ sint huius vitæ miseriæ, quantus timor, ne cadat in tentationem; quãtus, ne superbiat in prosperitate, vt fiant ei lacrymæ suæ panes die ac nocte; & magis amet lugere, quam ridere. Vt in hac tertia beatitudine, quasi in tertio die, ex præcepto Dñi congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, scilicet fluxæ & terrenæ cogitationes; & appareat terra arida, quæ lacrymarum imbrem excipiens, proferat herbam virentem, & afferentem semen; lignumque pomiferum faciẽs fructum. Terra namq; cordis nostri lacrymis irrigata profert fructum bonarum cogitationum, quæ veterem vitam in quemdam virorem transmutat; vt ex nouo homine novus videatur fructus exurgere; & hic nihilominus dies à vespera, id est à luctu incipit, & in mane diuinę cõtẽplationis tendit. *Beati*, namque, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sic homo proficiens, & ad servitutem Dei accedens, necessarium habet spiritum fortitudinis; vt fortiter stet, & præparet animum suum, non ad requiem, sed ad tẽtationem: fortiter prospera superet, fortiter aduersa toleret; solam iustitiam esuriens & sitiens, & omnia eius cõtemplatione cõtemnens. Quod vt exequi valeat, jam in hac quarta beatitudine, quasi in quarta die ostẽdit nobis Dominus luminare majus, vt præsit diei; exemplum scilicet Saluatoris nostri, vt diem, id est prosperitatis tempus illuminet; ne in tenebris superbiæ inuoluatur; luminare minus, & stellas, vt præsint nocti, exemplum videlicet ecclesiasticæ patientiæ, & Sanctorum tolerantiæ; ne nox, id est aduersitatis vespera, omnimoda luce careat. Et hic quoque dies habet vesperam, tentationem videlicet, beatitudinis & justitiæ esuriem; sed proficit in mane, id est prosperitatem, & æternã satietatem. *Beati*, enim, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniã ipsi saturabũtur.* Iam iste didicit misereri animæ suæ, placẽs Deo. Discat misereri & proximo. Nemo enim tã iustus, qui non indigeat misericordiæ: & hoc est vnum & solum cõsilium, vt qui sibi vult misereri, misereatur & ipse alteri. Producant ergo ex præcepto Domini aquæ reptilia animarum viuentiũ; ex bonis scilicet cogitationibus bona opera, non mortua, sed viuentia; frangat esurienti panem suum, & egenos vagosque inducat in domum suam; cum viderit nudum operiat eum, & carnem suam ne despiciat; & sic quinta luce quasi beatitudine perfundatur. Qui habet quidem vesperam, considerationem scilicet propriæ necessitatis, in qua discit alijs, sicut sibi vellet, misereri, sed tendit ad mane, scilicet ad remunerationem ex misericordia Dei. *Beati* enim, *misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequẽtur.* Sed qui jam declinauit à malo, & didicit facere bonum; dignus est planè, vt surgat ad intellectum. Nam qui student benefacere, profectò merentur Deum intelligere. Iste intellectus purgat oculum cordis; vt qui Deum intelligit, per speculum & in ænigmate, tũc eum videat in manifestatione. In hac sexta beatitudine, quasi in sexta die, homo creatur ad imaginem Dei; vt qui comparatus fuerat jumentis per ignorantiam, conformetur Deo per intelligentiam. Et hic dies habet vesperã, speculum scilicet & ænigma; quia non valet videre manifestè; sed per munditiam cordis ad illud mane tẽdit, de quo ait Psalmista. *Mane astabo tibi, & videbo.* Beati enim *mundo corde: quoniam ipsi Deum videbũt.* Igitur perfect⁹ est iste intelligibilis mundus, & omnis ornatus ejus. Quid igitur restat nisi sabbatum? Post hæc enim opera sex dierum, quæ non sine labore exercentur, peruenitur ad requiem & pacem mentis; & excluditur timor seruilis, & succedit amor filiorum. Fit enim filius Dei de seruo; vt ipse requiescat in Deo, & Deus in illo. *Beati* enim *pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.* Hæc est via, carissimi, qua oportet nos ad patriã redire, & ad eorum societatem, quorum hodie festa celebram⁹,

Marginalia (left): Matth. 5. — Genes. 3. — Alia carnis alia spiritus paupertas. — Psalm. 83. — Dies prim⁹ reparationis — Psalm. 103. — Matth. 22. — Secundus dies. — Matth. 5. — Tertius dies.

Marginalia (right): Matth. 5. — Dies quartus. — Ibidem — Quintus dies. — Ibidem — Sextus dies. — Psalm. 5. — Sabbatum spirituale.

peruenire. Per hanc viam laboriosam ipsi ante nos ascenderunt: ab hac via eos auellere nullæ persecutiones, nullæ aduersitates potuerunt. Audierant namque cõsolationem à Domino, quam hoc suo sermone consequenter adiunxit, *Beati*, inquiens, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Et illud. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & exprobrauerint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter me* Sit ergo, fratres carissimi, vera laus omnium Sanctorum in ore: ne laudemus ore, & vituperemus actione. Veraciter enim eos laudamus, si imitari satagimus. Quicquid enim libenter agimus, hoc nos amare probamus; & quamuis ore taceamus, opere laudamus. Festinemus, carissimi, eorum dulcissima societate perfrui; cum eis illum speciosum forma præ filijs hominum contemplari. Nihil cursum nostrum impediat, nec desidia, nec pusillanimitas, nec indiscreta laboris immanitas. Cõtra desidiam exempla Sanctorum nobis proponamus: cõtra indiscretam laboris immanitatem sola nos Dei gratia saluandos confidamus. Contra pusillanimitatem auxilium Domini, & omnium Sanctorum pro nobis jugem orationem respiciamus. Quare enim pusillanimes esse debemus, qui cum tot auxiliãtium manibus pugnamus? Plures enim nobiscum sunt, quàm contra nos. Tantùm hoc nostrum est, vt Dominum nostrum postulemus; quatinus per omnium Sanctorum suorum merita, & hic pugnantes adjuuet, & cum eis æterna fœlicitate coronet, IESVS Christus Dominus noster; qui viuit & regnat cum DEO PATRE in vnitate SPIRITVS sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Mat. 5. — *Vera Sãcto rũ laus qua.* — *Exẽpla Sanctoꝝ nobis proponẽda sunt.*



SERMO DE BEATA MARIA.

Hic Sermo in codice Clara-vallensi est secundus de Omnibus Sanctis: sed evidens est, maximè ex fine, illum de Virgine esse, & in Assumptione eius habitum esse.

DESCRIPSIT nobis Rex Salomon, imò per Salomonem Spiritus sanctus, mulierem quamdam fortem, sapientem, optimam operariam, quantùm existimo, in comparatione illius in paradiso insipientis & infirmæ, quæ seducta est à diabolo, propter insipientiam suam: & ideo pulsa est in hoc exilium ad pœnam suam. *Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc est illa, de cuius fortitudine serpenti Dominus minabatur. *Inimicitias*, inquit *ponam inter te & mulierem: & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum.* Hæc est illa vxor noui Adæ, quæ ei de proprio latere ędificata est, cùm dormiret in cruce. Vxor eius, sponsa eius, sancta videlicet Ecclesia eius, tam fortis, vt vincat mundum: tam sapiens, vt vincat diabolũ: tam bona operaria, vt acquirat cælum. Mulierẽ fortem quis inueniet: nisi ille, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, abiit vnam, quæ errauerat, quærere? Verùm, quia hęc prophetia quemadmodum sanctæ Ecclesiæ conveniat, sæpe & à multis tractatum est; maximè quia moralis expositio solet magis & prodesse, & placere: simplicibus nos, qui vtrisque, sapiẽtibus scilicet & simplicibus debitores sumus, qualiter hęc prophetia animæ perfectæ conueniat, prout possumus, differamus. Et satis congruum est, vt perfectio, quæ spiritualiter matri convenit, etiam filiæ assignetur: quatenus matris perfectione conspecta, filia velit imitari. Igitur, quantùm mihi videtur, formam quamdam optimæ vitæ sub mulieris nobis specie propheticus sermo depingit: & ad quid vnaquæque proficiẽs anima debet inniti, mystico sermone describit. Considerans nãque Salomon, post primum illud generale peccatum quàm sit prona ad malum anima humana, quàm labilis ad peccandum, quàm debilis cõtra diabolum; erigens ad Evangelicam gratiã mentis intuitũ, & quantum in humana anima operatur, admirans, ait. *Mulierem fortem quis inueniet?* Cum illa ita debilis extiterit in paradiso, in hoc loco miseriæ quis poterit fortem inuenire. Fratres, fortis est illa anima, quæ reliquit sæculum: quæ carnis desideria calcat, quæ mundi gloriam spernit. Talem, inquit, quis inueniet? Non Moyses, non Iesu Naue, non Dauid, non ipse Salomon: sed ille, qui ait. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Ille talem animam inuenit tam fortem: quia ipse primò hanc fortitudinem docuit. Hæc fortitudo præcipuè relucebat in beatissima Dei genitrice Maria, quæ sine exemplo alterius, mũdi illecebras contempsit, carnis illuviem horruit; & quod nulla altera ante eam fecit, virginitatis pudorem & puritatem elegit. Hanc mulierem fortem ipse inuenit, qui eam sibi matrem ante mundi constitutionem prouidit. Hanc fortitudinẽ fratres, imitamini, hanc puritatem æmulamini. Sed jã factum est, Deo gratias. Quanta est enim fortitudo vestra, qui sæculum contempsistis; qui hanc pauperem & arduam cõversationem subistis; qui vobis patrum, matrum, fratrum, amicorum, affectum plenissimè abscidistis Hanc fortitudinem Salomon in spiritu videns, mirabatur. Et quia nullius hominis virtute, sed sola Dei gratia fieri potuit, exclamat. *Mulierem fortem quis inueniet.* Non quia nullus; sed quia nullus, nisi solus Deus. Apparet in vobis ista fortitudo: sed adhuc aliquid quærendum videtur. Magna fecistis, fortiter egistis: sed quo pretio, qua intentione, quo fine? Quod pretium sperastis dari vobis pro hac fortitudine? Stulti quidam homines, qui sapientes mundi appellati sunt, (sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum) stulti ergo quidam, Socrates, Diogenes, diuitias contempserunt, delicias mundi magna sibi ex parte amputauerunt. Quid ergo inter vos & illos distat? Video fortem mulierem, fortem videlicet animam, in Paulo, qui lapidatur, qui virgis cæditur, fame, siti, frigore afficitur. Quàm multi latrones fortiter talia patiuntur! In quo ergo differentia? Certè in causa, id est in intentione, in pretio quod expectant. Audiamus itaque huius fortis mulieris pretium. *Procul*, inquit, *& de vltimis finibus pretium eius.* Magna fortitudo Philosophorum, magna fortitudo latronum, sed paruum pretium eorum. Quare parvum? Quia isti mundi gloriam, populi fauorem, vulgi admirationem expectant. Isti aut nummũ, aut vestem, aut equum, aut aliquid huius mundi sperant. Vile pretium, quia de prope est. *Procul autem, & de vltimis finibus pretium* huius mulie-

Prou. 31. — *Gen. 3.* — *Forma actiuæ vitæ sub specie mulieris descripta* — *Prou. 31.* — *Mat. 19.* — *Mulier fortis præcipuè B. Virgo.* — *Prou. 31.* — *Sapientes mũdi opum cõtemptores*

sis. Si aurum cogitas, non est procul: si argentũ, ne id quidem procul est: si mundi honores, si téporales dignitates, nec ista procul sunt, quia téporalia sunt. Pretium huius mulieris procul. Procul omnino, quia nec oculis cernitur, nec aure percipitur, nec faucibus sapit, nec naribus, nec manibus attrectatur. Quale hoc pretium? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc procul est. Procul, quantùm cœlum à terra, quantùm mors à vita, quantùm miseria à felicitate, quantùm lux à cæcitate. In tenebris est mulier ista, sed pretiũ eius lux est: in morte est, sed pretium eius vita est. In miseria est, sed pretium eius felicitas est. In terra est, sed pretium eius cœlum est. Postremo homo est, sed pretium eius Deus est. Procul ergo, & de vltimis finibus pretium eius. Sed quare de vltimis finibus? Sunt duo quidã fines, alius bonorum, alius malorum. Sed sunt fines vtrorũque, alij primi, alij vltimi. Finis est vniuscuiusque, quando moritur. Sed aliter moritur iniquus, aliter iustus; quia mors peccatorum pessima, & pretiosa in conspectu Dñi mors sanctorum eius. Hi primi fines. Quamvis anima sancta de corpore egressa, non modicam sortiatur beatitudinis portionem, tamen procul & de vltimis finibus pretium eius. Qui sunt vltimi fines? Quando omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur; quando finitis omnibus molestijs, iam in carnis quoque incorruptione posita mulier fortis audiet à Domino. *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*; impijs econtra audientibus, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ex his finibus expectat mulier ista pretiũ suum. Pro hoc pretio, se modo vendit ancillam, & istud pretium spectans, sudat, operatur, quocumque ei præcipitur, graditur: quodcunque imponitur, libenter patitur. Hoc pretium, fratres, ante oculos ponite; huius pretij intuitu labores, vigilias, cæterasque molestias tolerate. Si homines tam acerbos labores sustinét, vt acquirant nummum; quid vobis agendum est, quibus proponitur cœlum? Ergo, vt breuiter dicam, animam mundum perfectè contemnentem, & nihil aliud nisi futura sperantem, intuens Salomon, ait. *Mulierem fortem quis inueniet. Procul & de vltimis finibus pretium eius.* Et addidit. *Confidit in ea cor viri sui, & spolijs nõ indigebit.* Quis sit vir huius fortis mulieris, non est opus commendare charitati vestræ. Ipse enim est, de quo dicit Apostolus. *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Ergo cõfidit in ea cor viri sui Similitudo trahitur ab humanis. Vir quippe sciens vxorem suã castã, sobriã, pudicam, bene morigeratã: siue ille absens fuerit, siue præsens, scit quod nõ admittet adulteros, non audiet corruptores, non aspiciet deceptores. Timet enim castè, amat perfectè; amat virum suum, non propter sua, sed propter se; timet non quidem flagellari, sed vel modicè derelinqui. Talis hic anima describitur. Si enim anima talis fuerit; videlicet si casta, si sobria, si amans perfectè, si timens castè; confidit in ea cor viri sui. Securè abest, securè adest, securè cõmittit ei bona sua, non profliganda cum adulteris, non cum fornicatoribus partienda. Sed iste vir spiritualis quomodo accedit, vel quomodo recedit, qui vbique, est, & nusquam deest; quoniam semper, & totus, & vbique præsens est? Sed cùm aliquibus aduersitatibus fatigamur, quasi recedit: cùm prosperitatibus consolamur, quasi redit. Cùm gratia sua mẽtem nostram visitat, quasi præsens est: cùm ipsa gratia subtrahitur, quasi procul est. Felix mens, cum qua quasi securè Deus hæc omnia agit. Verè confidit in ea cor viri sui. Felix mens, quæ nec aduersis frangitur, nec prosperis dissoluitur: quæ nec murmurat in aduersis, nec superbit in prosperis. Vtique confidit in ea cor viri sui. Felix mens, quæ subtracta gratia non desperat; quæ præsente gratia non se super cæteros exaltat. Verè confidit in ea cor viri sui. Fratres, hinc nolo incautos esse vos. Multi enim quando nec tentationes patiuntur, nec aduersitatibus atteruntur, nec aliquibus molestijs afficiuntur; exultant, tripudiant; & quasi id meritis suis acquisierint, super cæteros se extollunt. Si autem in contrarium ista omnia cedant; contristantur, deijciuntur, murmurant, desperant. Non est de tali anima. dicere, *Confidit in ea cor viri sui.* Eia, frater, quicunque talis es, qui heri fleuisti, orasti, magnam dulcedinem de Deo sensisti; scito, quia præsens fuit vir tuus. Quid tunc promisisti viro tuo? *Non mouebor in æternum.* Hodie in contrarium res versa est. Sordet meditatio, horret oratio, lectio vilescit; insuper impugnat libido, succenditur caro, mens quasi quibusdã furijs agitatur. Absens est vir tuus. Iam nunc videamus, si de te dici debeat, *Confidit in ea cor viri sui.* Absens est, tu fidelis esto Quid, quasi desperãs viri tui reditum, respicis adulteros, spiritus scilicet immundos, suggerentes immoderatam tristitiam; vel in vanis & superfluis ineptam lætitiam? Quia jam illam viri tui dulcedinẽ non sentis, ad carnis pessimam dulcedinem deuolveris. Non est enim dicere, *Confidit in ea cor viri sui.* Volo vos, fratres, cõtra istam pessimam tentationem aliquantulum instruere. Si contigerit vos gratia Dei visitari, & cœlesti quadam suauitate perfundi, lacrymarum flumine irrigari; diligenter vobis attendite, ne irrepat superbia, ne cæteris actionibus vestris aliqua misceatur negligẽtia, ne sitis remissiores in abstinentia, tepidiores in obediẽtia; & super omnia, ne eum quem simili gratia præditum non perspicitis, vobis inferiorem iudicetis. His enim negligẽtijs solet gratia subtrahi, & ignobilitas quædam ac tepor innasci Subtracta autem gratia, si quid horum vos elegisse memineritis, nequaquã aduersum Deum murmuretis; sed vosmetipsos potius humiliter accusantes, ad dirupta resarcienda viriliter accingatis. Verum, si vos nullius remissionis conscij estis, nequaquam de subtracta gratia irrationabiliter contristemini: sed quasi iterum eandem gratiam recepturi, in spe certa consolamini. Erudit enim vos Dominus, quatinus & in prosperis humilitatem, & in aduersis patientiam habeatis. Item vir habens mulierem in quam confidit, securè ei bona sua commendat, siue eroganda, siue seruanda. Nihil bona mulier sibi subripit, nihil inde adulteris & corruptoribus dispertit. Iam videat vnaquæque anima, quàm fideliter viri sui bona conseruet. Si habet scientiam, si habet sapientiam, si intelligentiam in Scripturis, hæc omnia à viro suo accepit, non solum seruanda, sed etiam eroganda. Si habet gratiam in laboribus, in vigilijs, in psalmodijs, & hæc eroganda accepit; si habet gratiam in cumpunctione, in oratione, in spirituali affectione, in cõtemplatione: hæc accepit, non eroganda, sed seruanda. Videat modò vnaquæque anima, si fidelis est viro suo, & si

Pretium sanctorum cur procul.
Fines bonorum & malorum.
Matth. 25.
Prouer. 31.
2. Cor 11.
Amor casti quis.
Mens fidelis qua.
Prouer. 31.
Psalm. 29.
Cauenda superbia, negligentia, &c.
Anima dona omnia à viro suo accepit.

Proue. 31.

Vt collata gratia seruanda.

debeat dici, *Cōfidit in ea cor viri sui.* Primùm necesse est, quatinus in his omnibus non superbiat, nec ea quæ viri sui sunt, sibi deputet. Deinde caveat, ne ea quæ accepit eroganda, abscondat invidenter, nec eroget arroganter: postremò ne ea quæ tantùm seruāda accepit, profliget impudenter. Vt verò apertiùs dicam, anima quæ de collata sibi gratia non superbit, de substantia viri sui nihil sibi vsurpat; si vero vnde potest prodesse alijs, per inuidiam non abscondit; sed ad laudem viri sui humiliter dicit; res viri sui fideliter dispēsat. Si de occulta gratia, quam accepit, verbi gratia compunctione, deuotione, oratione, contemplatione, non se inaniter jactat, bona viri sui prudenter conseruat. Ergo de tali anima potest dici, confidit in ea cor viri sui. Hæc autem perfectio, quàm in beatissima Maria splenduerit, paucis aduertite. De collata sibi gratia quàm nihil superbierit, testis est illa respōsio humilis ad Angelum. *Ecce ancilla Domini.* Quàm nihil se ob id alijs prætulerit, docet illa humilis visitatio, quæ Deum in vtero portans, etiam ad ancillam salutandam profecta est. Quantâ reuerentiâ bona viri sui seruauerit, prouidit Evangelicus sermo, qui ait. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Quàm fideliter loquendo non tacuerit, hymnus ille mellifluus clamat. *Magnificat anima mea Dominum.* Meritò confidit in ea cor viri sui. *Et spolijs,* inquit, *non indigebit.* Quæ est illa anima, tantis decorata ornamentis, vt spolijs alienis non indigeat? Non est ista de fatuis virginibus; quæ nihil sibi olei reseruantes ab alijs oportuit mendicare. Spolia dicuntur ea ornamenta, vel indumenta, quæ solent alijs detrahi. Et sunt plerique; qui nihil sanctitatis in se habentes, & tamen infeliciter alijs invidentes, vitia sua quasi nudam turpitudinem aliis detrahendo cooperiunt: ęstimantes se bene cōtegi, si aliis possint indumēta bonæ existimationis auferre. Sunt & alij, qui in propria conscientia nihil boni habentes, vt religiosi appareant apud homines, aliquid boni exteriùs operādo suam famam cōmendant. Vnde in die Iudicii, quia in se vacui sunt & nudi, aliorum commendatione, quasi alienis spoliis indigebunt. Hinc vox illa fatuarum virginum. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur* Tunc mulier hæc sapiens spolijs non indigebit; quia gloria propriæ conscientiæ adornata, sponso suo securè obuiabit. Potest quoque simpliciter intelligi, *spolijs non indigebit;* quia virtutum ornamentis abūdauit. Sequitur. *Reddet ei,* videlicet viro suo, *bonum, & non malum, omnib⁹ diebus vitæ suæ* Nam quod sic debeat accipi, manifestat alia translatio, quæ sic habet. *Operabitur viro suo bonum, & nō malum.* Si rectè vir huius mulieris CHRISTVS intelligitur, profectò quidquid boni à qualibet anima in eius obsequijs exhibetur, redditur potiùs, quàm datur. Si pura humilitas, si dulcis charitas, si vera obedientia, si perfecta patientia ei offertur; vnde habetur, nisi ab illo? Si feruor in laboribus, si puritas in vigilijs, si cibi parcitas, si humilis taciturnitas: vnde ista, nisi ab illo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est? Ergo sancta anima, quia ista à Deo bona prius accepit, meritò reddit. *Reddet ei bonum, & non malum.* Magna commendatio fratres. Multi enim aliter. Bona enim accipiunt: & mala reddunt. Accipiunt diuitias, & hinc magis libidine dissoluuntur; si honores, inde miseri intumescunt; si scientiam, inde super cæteros se extollunt: accipiunt pulchritudinem corporis, & quantò sunt pulchriores, tātò fiunt, quia ea abutuntur, turpiores. Quid dicam, quòd cōmunem hanc lucem, aërem, panem, à Deo accipiunt: & his omnibus in eius iniuriā abutuntur? Non est de huiusmodi dicere, *Reddet ei bonum, & non malum.* Fratres, magna omnino, magna perfectio est, nullo Dei munere abuti. Nam de spiritalibus quid dicam? Si Dei cognitione proficimus, si Scripturarum venas aliquātò subtiliùs penetramus, si lacrymis abundamus, si graues in sermonibus, maturi in moribus fuerimus, & ex his omnib⁹ superbimus: non erit de nobis dicere, *Reddet ei bonum, & non malum,* Plerumque cùm nos visitat Dñs, vt aliquid de eius dulcedine sentiamus: si mox dulcedine illa subtracta contingit nos aliqua tentatione pulsari: si tunc quasi obliti illius dulcedinis deijcimur: vtique non reddimus bonum pro bono, sed malum pro bono. Ergo fratres, anima quæ nullo Dei munere abutitur, hac laude non immeritò digna habetur, *Reddet bonum, & non malum.* Et quia non inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerātibus datur: adiecit sermo propheticus. *Omnibus diebus vitæ suæ.* Dixerat superiùs, quia spolijs non indigebit: quia videlicet proprijs ornamentis abundabit. Ideo vnde hæc illi ornamenta prouenerint, manifestat, cùm subdit. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Meritò spolijs non indigebit. Non enim otio torpuit, non meriti somno dissoluta est. Quæsiuit lanam & linum, & operata est cōsilio manuum suarum. Nouit, quia qui vacat otio, replebitur egestate. Ergo ad labores prompta, ad operandum impigra, quæsiuit lanam & linum. Quare, nisi vt vestes texeret, frigus repelleret, tegeret nuditatem? Vestimenta nostra sunt ipsa iustitię opera, quibus nuditas nostra tegitur, & frigus æternæ damnationis vitatur. Omnis enim anima sine bonis operibus, ante Dei oculos nuda subsistit, & à Dei charitate omnino frigescit. Sed sunt vestimenta cilicina, sunt & lanea, & linea, sunt & purpurea. Vestis cilicina pungit, sed lanea frigus depellit. Linea est non modicæ lenitatis, purpurea magni honoris. Vt ergo hæc ad spiritualia referamus, quātùm mihi videtur, vestis cilicina pertinet ad pœnitētes, lanea ad se erigentes ad bona opera: linea est proficientium, purpurea perfectorum. Anima, quæ adhuc vitiis sordet, necesse est, magna amaritudine pœnitentiæ compungatur: vt iniquitatum contagio hac asperitate tegatur. De hac veste mulier hæc non satagit: quia iam gradum illum pœnitentium transcendit De hac veste purpurea in sequentibus Scriptura mentionē facit: sed primò lanam & linum ponit. Nō enim sufficit, si quem de malis præteritis pœnitet: nisi se viriliter ad bona opera accingat. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est.* Videamus, si placet, differentiam inter laneam & lineam vestem: exinde aliquid spirituale, si possumus, exsculpam⁹ Vestis quippe lanea asperior, linea mollior est: sed lanea vestis frigus expellit: linea cōtra hiemis iniuriā non satis sufficit. Ergo qui lanea tantum vestitur, aliquid patitur asperitatis: qui linea tātùm, parū caloris. Meliùs ergo vtraq; vestitur: vt lanea excludat algorē, & linea tēperet aspitatē. Vestimenta huius mulieris, id est Ecclesiasticæ cuiusque animæ, bona opera diximus. Nec immeritò. His enim vestitur, his adornatur; his, si quid

Luc. 1. — *Luc. 2.* — *Proue. 31.* — *Inuidi alijs detrahentes.* — *Matth. 25.* — *Proue. 31.* — *Anima sancta vir Christus.*

Abusus donorum Dei — *Proue. 31.* — *Ibidem* — *Ibidem* — *Anima sine bonis operibus nuda est.* — *Vestis lanea & linea quid spiritualiter denotet.*

fortè ob carnis consortium turpe patitur, à Dei conspectu celatur. His indumētis carens anima, nuda apparebit in die iudicij, nec erit vnde eius turpitudo celetur. Ideo nimirum in ignem æternum proijcietur. Sed bona opera nostra, omnia in duobus consistunt, in actiua scilicet vita, & contēplatiua. Actiua vita quasi vestis lanea, contemplatiua quasi linea. Illa asperior, ista suauior; illa exteriùs, ista interiùs. Et actiua quidem vita potest contra frigus damnationis sufficere, omnem turpitudinem peccatorum abstergere: sine qua, nec contemplatiua vita, in hac dumtaxat mortalitate, potest quemlibet ad perfectionem adducere, Nemo se decipiat, fratres mei. Falluntur omnino, fratres, falluntur: imò, vt ego existimo, non falluntur, sed alios fallere nituntur, qui errantes, & in errorem mittentes, dū nesciunt, neque quæ loquuntur, neque de quib⁹ affirmant: quia ipsi sunt otiosi & desidiosi, nihil operantes, sed curiosè agentes; ipsam otiositatē suam & curiositatem velamine contemplationis oppalliant, & dicunt. Quid opus est operari? Quid habet emolumenti, vel securi truncum, vel saxum malleo tundere? Maria optimam partem elegit. Quos Paulus redarguit, apertè scribens ad Thessalonicenses. *Audiuimus quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Denunciamus eis in nomine Domini Iesu Christi, vt cum silentio, suum panem manducent.* Contendāt ergo cum Paulo, & dicant. Quid nobis præcipis operari? Maria optimam partem elegit. Et verum est fratres, Maria optimam partem elegit. Veritas dixit, lectum est in hac festiuitate S. Mariæ de illis duabus sororibus, Maria & Martha. Nec sine causa in hac eius festiuitate legitur, nisi quia in ipsa B. Virgine, vtraque hæc vita; actiua & contemplatiua, perfectè operabatur. Maria quidem optimam partem elegit. Sed considerādum est, quia in eadem domo & Martha laborabat, & Maria vacabat; quia in anima, in qua Christus suscipitur, vtraque vita operatur, vnaquæque suo tempore, suo loco, suo ordine. Ideo mulier ista fortis, non solum lanifica, sed linifica est. Quæsiuit enim lanam & linum, & operata est. Quid, nisi duplicem hanc vestem, laneam videlicet, & lineam? Sed quia de istis vestibus diximus: iam de lana & lino, vnde hæc vestimēta texuntur, videamus. Vt mihi videtur, imò beatissimo videtur Augustino, per lanam opera intelliguntur corporalia, ex quib⁹ vita actiua perficitur; per linum spiritualia, ex quibus vita contemplatiua contexitur. Corporalia dico, vigilias, laborem, ieiunia; spiritualia, orationes, lectiones, meditationes, compunctiones. Sunt plerique, qui sese exercitiis corporalibus atterūt, sed ad spiritualia minimè assurgunt, Alij de solis sibi spiritualibus, quasi de veste linea blādiuntur, & ab omni spirituali feruore frigescūt. Non quidem frigescerent, si spiritualibus feruenter & iugiter inhærerēt. Sed cùm illa spiritualia sine corporum quadam interpolatione nequeant exerceri; dum illa fastidiunt, in istis ex toto tepescūt. Vtrique ergo huius mulieris sapientiam imitari detrectant, quæ vtrumque quęsiuit, lanam & linum, & operata est. Sed vbi quæsiuit? Quomodo quæsiuit; Certè anima cupida salutis, studiosa perfectionis, vitam, mores, doctrinamque sanctorum circuit Patrum. In vno quærit industriā operandi, in altero studium vigilandi; illius inuestigat abstinentiam, alterius scrutatur obediētiam; ab isto discit quasdam, vt ita dicam, venas orationum, ab illo sibi assumit formam meditationum. Et in sinu congerens, operatur consilio manuum suarum. Quod consilium manuum? Manifestum est, quia manibus suis homo pascitur, manibus defenditur; manus cætera membra disponunt; manus sese contra ictus obijciunt. Cōsideremus ergo corpus illud, de quo dicit Apostolus. *Quoniam vnum corpus multi sumus* Omnes qui in ista congregatione sumus; vnum corpus sumus. Alij pedum funguntur officio; alij manuum, alij oculorum. Ergo fratres, videtur mihi manuum nomine Prælatos posse intelligi, qui cæteros & doctrina pascunt, & orationibus defendunt. Qui etiam cæteros quasi membra disponunt, & contra ictus exteriorum curarum sese obijciūt. Proinde fratres, si quæsistis vobis lanam & linum, id est exercitia corporalia, & spiritualia, operamini. Non tamen proprio consilio, sed consilio manuum vestrarum: vt omnia opera vestra, ex prælatorum vestrorum pendeāt arbitrio. Putauerā, fratres, vno sermone omnia quæ hic de hac muliere dicuntur, concludere; sed video me prolixum sermonem habuisse, & vix quatuor versus exclusisse. Et hoc fortè pertinet ad linum huius mulieris. Nam linum, quādo in colo cernitur, quam longum filum inde fieri possit, ignoratur. Ergo quæ sequuntur, alio sermone, vel si hoc non possumus, alijs sermonibus reseruemus.

Quæ anima nuda in Iudicio erit.

Aduersus otiosos.

2. Thess. 3.


In eadē domo Martha & Maria.

Exercitia corporalia & spiritualia quæ sint.

1. Cor. 10.

Prælati per manus designantur.

Ex his vltimis verbis constat, Authorem statuisse, alios quoque Sermones de B. Virgine in caput 31. Prouerb. habere: quos an habuerit, ignoratur.





EIVSDEM B. AELREDI RIEVALLIS ABBATIS,

SERMONES DE ONERIBVS,

IN CAPVT XIII ET SEQVENTIA,

ISAIÆ PROPHETE.

Epistola D. Aëlredi Abbatis Rie-vallis ad G. Lundoniensem Episcopum.

DILECTO, ET DILIGENDO, ET cum omnis deuotionis dulcedine amplectendo Sancto Patri, G. Lundoniensi Episcopo, frater Aëlredus, pauperum Christi, qui sunt in Rieualle, debitum cum omni affectu obsequium. Audiens te, Pater beatissime, inter innumeras occupationes, quas tibi vel Regiæ Maiestatis auctoritas, vel curæ Pastoralis imponit necessitas, vt cultorem sapiẽtiæ, quietis amicum, spiritualis scientiæ studiosum, lectioni operam dare, & inter suaues orationum delicias, irruentiũ curarum molestiam sanctarum Scripturaum crebra meditatione solari; ita tui auidus effectus sum, vt non solùm ad tuæ Serenitatis notitiam, sed etiam, quod in insipiẽtia dicam, ad ipsam audeo aspirare amicitiã. Tã enim tuæ Sublimitatis, quàm meæ humilitatis oblitus, legibus amoris innitor; cui nihil humile, nihil sublime est: qui cœlum terræ adæquans, Dominum cœli terrenis membris inseruit, vt Verbũ caro fieret, & habitaret in nobis; qui Dominum deposuit, & hominem sustulit; vt, quasi in quodam medio, miseria & misericordia obuiarent sibi; vt ita se infirmitati virtus vniret, vt essent in carne vna Verbum & anima, & in his tribus Deus & homo vna persona. Quæ non igitur alta amor deponat, aut quæ ima non sustollat, vt in se vnum faciat; qui salua nec confusa naturarum proprietate, tam mirificè, mediante anima, cœlum terræ, Dominum carni, spiritum commiscuit pulueri? Video præterea in omni creatura, vel irrationali, vel insensibili, quoddam amoris vestigiũ; per quod & diuersa iunguntur, & diffidentia concordantur, & vniuntur cõtraria. Amoris quippe in cæteris similitudo creaturis apparet: in mente vero rationali eius veritas operatur. Diligere enim Deo, Angelis, hominibusque commune est. Amor igitur, quidquid extra naturam est non attendens, copulat naturam naturæ: vt sit illis cor vnum & anima vna, quib⁹ est Fides vna, Spes vna, Charitas vna. Animus proinde meus amoris impetum sequens, omnia, quæ tua sunt, non tu; omnia, quæ circa te sunt, quæ nec tua sunt, nec tu, spirituali quodã motu pertransiens, ipsam etiam corporis molem sui subtilitate traijciens, in ipsum tuæ mentis sinum se totum infundit; affectum affectui, sensum sensui, & spiritum miscet spiritui: vt ex spiritus tui participatione meus spiritus renouetur; ex tui sensus lumine lumen sibi scientiæ meus sensus mutuetur; meus insuper affectus, tui affectus dulcedine foueatur. Ibi intueor, quàm bonus es; ibi amplector & sentio, quam sapiens es; ibi delector & gusto, quàm amabilis es. Hinc est, pater amantissime, quòd studium meum, si quod est in literis sacris, ad tuæ discretionis examen credidi referendum: vt vbi sanum sapio, tua me confirmet auctoritas; vbi hæsito, te docente mihi luceat veritas; vbi erro, corrigat me tua sancta seueritas. Itaque de oneribus Propheticis Isaiæ, cum summatim singula quæque tangendo, in conuentu fratrum aliquando breuiter disputassem, rogatus à pluribus vt prolixiùs ea ipsa prosequerer, eorum voluntati parui, quorum me oportebat seruire profectui. Ab oneribus igitur Babylonis exordiens, & inde per onus Philistiim ad Moabitici oneris secreta pertransiens, cum triginta homilias stilo tradidissem, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem, suspendi calamum, donec de vultu tuo eorum, quæ scripsi, prodiret iudicium, viderentque oculi tui eorum omnium rationem, tuæque discretionis arbitrio omnia, quæ scripta sunt, vel delerentur, vel corrigerentur, vel probarentur. Licet igitur tantæ sapientiæ horum lectio videatur indigna: audet eam tamen amoris exigere vehementia: qui ita amplectitur charitatem, vt ferè irreuerenter irruat in maiestatem. Animat præterea me tuæ humilitatis simul & benignitatis memoria, qui quõdam Lundonijs positũ præuenisti in benedictionibus dulcedinis: & à quo mihi magnum esset vel respici; ab ipso, stupens ac tremens ad tantã dignationem, in quodam amplexu charitatis merui salutari. Hinc, beatissime pater, orta est ista præsumptio, vt inchoatam tunc mihi tuæ Serenitatis notitiam consummari desiderem; & animum meum amicitiæ tuæ tunc fores pulsantem, in eius induci posse cubiculum non desperem. Licet igitur magnum sit sapienti, vel modicum tempus otio dare: non pigeat, rogo, Dominum meum, tantillum tempus perdere: quo ex his, quæ scripsimus, vel resecare superflua, vel supplere hiantia, vel vniuersa delere possitis. Eo igitur sermone præmisso, qui nobis occasionem præbuit cætera conscribendi, de onere Babylonis decem & nouem, de onere Philistijm tres, de onere Moab nouem homilias subscripsimus: pro vestro arbitrio vel hic subsistere, vel vltrà procedere parati.

Ioan. 1. — *Act. 4.* — *Hic Sermo occasio fuit sequentibus scribendis. Isai. 13. & seq.*

SERMO IN ADVENTV DOMINI.

De vndecim Oneribus.

TEMPVS est, fratres carissimi, vt misericordiam & iudicium cantemus Domino. Adventus quippe Dñi est: illius, qui venit, & qui venturus est Omnipotens. Sed quomodo, aut quò venturus est, vel venit? Nempe vox eius est. *Cælum & terram ego impleo.* Quomodo ergo ad cælum venit, vel ad terram, qui cęlum implet & terram? Audi Euangelium. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eũ non cognouit* Ergo & pręsens erat, & absens. Pręsens, quia in mundo erat; absens, quia mundus eum nõ cognouit. *Non est longè*, ait Apostolus, *ab vnoquoq; nostrum. In ipso enim viuimus, movemur, & sumus*: & tamen *lōgè à peccatoribus salus.* Prope erat per essentiā, longè per gratiā Quomodo non longè; qui nec agnoscebatur, nec credebatur, nec timebatur, nec amabatur? Longè à peccatoribus, quos nec reuocabat errantes, nec erigebat iacentes, nec redimebat captiuos, nec mortuos suscitabat Longè inquam; quando nec iustis cælestem mercedem, nec impiis manifesto iudicio æternam inferebat damnationem. Venit proinde, vt agnosceretur, qui non agnoscebatur; crederetur, qui nõ credebatur; timeretur, qui non timebatur; amaretur, qui non amabatur. Sic qui pręsens erat essentialiter, venit misericorditer, vt agnosceretur humanitas eius, crederetur diuinitas eius, timeretur potestas ei9, amaretur benignitas eius. Apparuit autem humanitas eius in nostræ infirmitatis susceptione, diuinitas in miraculorũ exhibitione, in dæmonum oppressione potestas, in peccatorum susceptione benignitas. Humanitatis namque fuit, quòd esuriit; diuinitatis, quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiauit. Humanitatis fuit, quòd in naui dormiuit; diuinitatis, quòd mari & fluctibus imperauit. Humanitatis fuit, quòd mortem sustinuit; diuinitatis, quòd mortuos suscitauit. Itē potestatis, quòd Pharisæos de templo eiecit; benignitatis, quòd in conuiuio publicanos & peccatores suscepit. Potestatis etiam fuit, quòd dęmones terruit; benignitatis, quòd adulterā absolvit. Postremo potestatis fuit, quòd volentes eum tenere ꝓstrauit; benignitatis, ꝙ abscissam sui persecutoris auriculam loco simul ac sanitati restituit. Et hæc omnia, cùm ad primum eius aduentũ pertineant; misericordiæ dicimus ascribenda. Considerate, rogo, quid sit Deus: & videte quid sit, ꝙ deposuerit tantam maiestatem; quòd exinanierit tantam potestatem; quòd infirmauerit tantā virtutem; quòd tantam altitudinem humiliauerit; quòd tantam sapientiam infatuauerit. Numquid hominis iustitia? Absit. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non erat, qui faceret bonum. Quid ergo? Numquid aliqua eius egestas? Minimè. Ei9 est enim orbis terræ, & plenitudo eius. An fortè nostri in aliquo eguit? Nequaquam. Deus quippe meus est: & bonorum meorum non eget. Quid ergo? Verè, Domine, non mea iustitia, sed tua misericordia: nec tua egestas, sed mea necessitas. Dixisti enim. *Misericordia ædificabitur in cælis.* Ita planè: quia miseria abundabat in terris. Ideo in primo aduentu tuo misericordiam cantabo tibi, Dñe. Misericordiæ namq; fuit, quòd factus homo infirmitates nostras in se suscepit. Misericordiæ, quod fidem diuinitatis suæ miraculis confirmauit. Misericordiæ nihilominus, quod dæmonum nobis calliditates detexit, & euacuauit virtutem. Misericordiæ, quod meretricis attactum non respuit, sed approbauit deuotionem. Itaque quod se exhibuit in humanitate humilem, in miraculis potētem, in dæmonum oppressione fortem, in susceptione peccatorum mitem; totum hoc ex misericordiæ fonte processit, totum ex pietatis visceribus emanauit. Et ideo in hoc primo adventu tuo misericordiam cantabo tibi, Domine. Meritò sanè: quia misericordia tua plena est terra. Ecce oleum, ad cuius pręsentiam iugum nostræ captiuitatis computruit: sicut ait Isaias. *In die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum de collo tuo: & cōputrescet iugum à facie olei.* Quę ista dies, quod onus, quod iugum? Audi, quid Propheta præmisit *Suscitabit Dominus super eum*, Regem scilicet Assyriorum, *flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam eius super mare: & leuabit eam in via Ægypti.* Flagellato quippe & percusso diabolo, qui est rex super omnes filios superbiæ, leuauit Dominus virgam suam super mare; & leuauit eam in via Ægypti. Mare sęculũ, virga crux, via Ægypti via illa lata & spatiosa, quæ ducit ad mortē Gratias tibi, Dñe Iesu, quia exaltasti virgā tuam super mare: prosternens cruci tuæ superbiam sęculi, & subiiciens ei principatus & potestates. Verè, Dñe, crux tua premit fluctus sæculi, sedat tempestates persecutionum, & tentationum procellas mitigat. Elevasti etiam eam in via Ægypti; obstructa via illa lata, quæ ducit ad mortem; illam arctam & angustam ostēdens, quæ ducit ad vitam. An nescitis, an non sētitis, an non experimini? Feruet in carne aliquādo æstus concupiscentiæ; in mente ira deseuit; indignationis & amaritudinis verba jamiamq; prorumpunt; & instar maris, quod vehemens agit ventus, omnia interiora hominis conturbātur. Sed leuāte supra hoc mare crucem suam Iesu, sedātur omnia, omnia cõquiescunt. Præterea fratres mei, quis vos in hanc arctam & angustam semitam salutis induxit, nisi dominicæ crucis & passionis exemplum; quam leuavit Dominus in viam Ægypti? Meritò die ista, idest tempore gratiæ, tempore misericordiæ; tempore quo crux eleuatur, quo Christo subditur mundus, quo princeps mundi huius eijcitur foras; hoc inquam die, hoc tempore, auferetur onus eius de humero tuo. Quod onus? Legimus in scripturis multa onerum genera Nam sanctus Isaias vndecim nobis onera prophetico sermone describit. Onus Babylonis, onus Philistijm, on9 Moab, onus Damasci, on9 Ægypti, onus Desertimaris, onus Duma, onus in Arabia, onus Vallis visionis, onus Tyri, onus iumentorum austri. Et quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans; faciens eam ad inferiora respicere, & negligere superiora. Tale nobis onus aliquando

Ierem. 23. *Ioa. 1.* *Act. 17.* *Psalm. 118.* *Quomodo Deus longè sit.* *Matth. 4.* *Ioann. 6.* *Matth. 8.* *Quæ Deitatis sint, quæ humanitatis.* *Ioan. 18.* *Psalm. 88.*

Primus Adventus misericordia fuit. *Isai. 10.* *Ibidem* *Iob 41.* *Crux Christi est virga exaltata.* *Ioann. 12.* *Isai. 13. & sequentibus*

aliquando ex mundi prouenit dilectione, & hoc onus Babylonis: aliquando ex immundorũ spirituum immissione, & hoc onus Philistiim: aliquando ex naturali quadam & ineuitabili necessitate, & hoc onus Moab: aliquando ex tenebris ignorantiæ, & hoc onus Ægypti: aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc onus Damasci: aliquando ex malorũ persecutione, & hoc onus Deserti maris: aliquando ex occulta animi vexatione, & hoc onus Duma: aliquando ex consideratione mortis, & horrore sortis extremæ, & hoc onus in Arabia: aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc onus Vallis visionis: aliquãdo ex angustia, pro his quæ toleramus, & hoc onus Tyri: aliquando ex charitate, quando aliis prodesse desideramus, & hoc onus Iumentorum Austri. Primũ itaq; onus Babylonis est, quod necesse est vt auferatur ab humeris nostris. Babylõ significat mundum, cuius amor cupiditas est: onus vtique grave multos premens, & ad inferiora incurvans. Tripliciter autem miseros onerat: labore, timore, dolore. Cum labore peruenit homo ad id quod cupit, possidet cum timore, cum dolore amittit. Eia, fratres, quis Regum non cũ labore acquirit quod cupit? Quis Regum ita securus est, vt nullũ timeat? Quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusne, quæso, nostrum sub huius oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ dilectionis reliquiæ resederunt? Quid est, quòd quidã, qui sua reliquerunt, aliena quærere non formidant; pro quibus laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur? Numquid & ille ab hoc onere liber est, qui cùm nihil vel parum in monasteriũ attulerit; tamen vt aliis det, quidquid poterit, de monasterio auferre non desinit: qui importunè petit, qui irascitur, si non accipit, dolet si corripitur; sæuit si proclamatur? Quid illi, qui tãto parentũ stringuntur affectu, vt religionis dispendium, maximosque labores pro eis subire non dubitent: & ob hoc & dies vacuos, & noctes ducũt insomnes? Quid de illis dicam, qui honores ambiunt? quid oneris sustinent? Nunc adulantur, nunc detrahunt, nunc pro aliorum promotione insaniunt, nunc frustrati spe sua, in ipsos etiam patres suos maledictis insurgũt. Itaq; fratres, omnes hi, qui cõformantur huic sęculo, vnde & nomine Babylonis cẽsentur, illo pœnę onere, ꝙ Propheta sup Babylone describit, miserabiliter sunt opprimẽdi. Sequitur onus Philistijm, qui interpretantur cadentes potione, illosque significant, qui superbia inebriati, ceciderunt ab habitatione cœlesti. Isti miseros onerant, nunc tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant plagis multis, & magnis, sicut habes in Psalmo. *Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Hi cor Iudæ onerauerunt auaritia, cor Pharisæorum inuidia, & cor Pilati stultitia. Hi cor fidelium multis tentationibus onerant, insultantes animæ cõsentienti, & dicentes. *Incuruare, vt transeamus.* Additur onus Moab, qui interpretatur de patre, naturalem illam exprimens necessitatem, quam semper pater generatione trãsfundit in filium; sicut est ineuitabilis manducandi, bibendi, dormiendique necessitas, & cætera, quæ ad necessariam corporis pertinent curam. Quale hoc onus, fratres charissimi, quo cogimur post solis splendorem ad carnis huius curam, quasi ad fœtidum

Babylon mũdum signat.

In quosdam Religiosos.

Philistiim qui sint.

Psal. 77.

Isai. 51.

Quod sit onus Moab.

cadauer redire, & post spirituales cibos mentis, procurare onera ventris! Quale hoc onus, quod quotidianum, à nobis miseræ seruitutis tributum exigit, & quem hodie impleuimus, euacuatum crastino ventrem reimplere compellit! Quid dicam, quãtarum solicitudinum onus miseris mortalibus necessitas ista imponit, adeo vt quorundam hominum etiam venter Deus sit, pro eius non dicam dilectione, sed onere, ipsam iustitiam, ac diuinam doctrinam venalem habentium? Huiusmodi enim, vt ait Paulus, Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri. Quid præterea oneris in ipsa ciborum distinctione sustinemus, hos desiderantes, illos reijcientes; cum alij ventrem torqueant, alij caput grauent; alij pectus oppilent, alij cor corruptis humoribus premant? Verum de illis quid dicam, quos ista necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insuper litigare compellit? Contristantur si cibus vilior, si potus minus sapidus apponatur, si negligentiꝰ accuretur. Fratres, qui huiusmodi sunt, secũdum carnalem generationẽ carnaliter viuentes, Moab dici possunt, & pondere pœnæ, quod in onere Moab Propheta commemorat, infeliciter onerandi. Iam de onere Damasci Prophetia subjũgitur. Damascus interpretatur fundens sanguinem; illam innatam nobis exprimens corruptionem, quæ quodammodo nolentes & inuitos trahit, & illicit ad peccatum. Ipsa est lex in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, & captiuos nos ducens in legem peccati, quę est in membris nostris. Omnis vitalis sensus in corpore, ex sanguine est; vitalis autem sensus in anima, ex ratione. Et scitis, quia naturalis motꝰ peccati, nonnunquam in quadam delectationis voragine, penè ipsam vim rationis absorbeat, & totam, vt ita dicam, reddat exanguem. Sed quidam sentiunt ista, & non consentiunt; impugnãtur, onerantur, sed non prosternuntur. Hi quidem onus sustinent à Damasco, sed Damascus non sunt. At ille qui cõsentit, & præbet membra sua arma iniquitatis peccato, profectò Damascus est, proprium suum sanguinem fundens, & suis se manibus interficiẽs. Hic proculdubio pondere pœnæ, quod in onere Damasci describitur, se nouerit deprimendum. Additur onus Ægypti. Ægyptus tenebræ interpretatur. Sunt autem tenebræ ignorantiæ, sunt & iniquitatis. Eia, fratres, non est leve onus istud, quod de ignorantiæ nostræ cæcitate portamus, nescientes in multis, quid expediat, quid non expediat; quid laudemus, quid improbemus: ita vt sæpe dicamus quod bonum est, malum; & quod malum est, bonum. Sed & quid oremus, sicut oportet, nescimus; & in luce scripturarum, quasi in nocte palpãdo incedimus. Qui ergo huiusmodi sunt, ab Ægypto onerantur, sed cum Ægypto non onerantur, cum illis scilicet qui Ægyptus sunt, id est tenebræ, filij tenebrarum, de quibus Dominus in Euangelio. *Omnis qui male agit, odit lucem.* Et Apostolus. *Qui dormiunt*, inquit, *nocte dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Hi nimirum eo pondere pœnæ premũtur, quo Ægyptum sanctus Propheta docet esse puniendam. Subjungitur onus Deserti maris. Mare desertum est multitudo reproborum; qui relicti à Deo, & à Sanctorum numero separati, pondere persecutionum sanctam premunt Ecclesiam; ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc onere à Propheta notantur, postmodum puniendi. Præterea mare sunt illi, qui diuersis vitijs

Philip. 3.

Damascus quos notet.

Rom. 7.

Ægypti onus quodnã.

Ioan. 3.

1. Thessal. 5.

Mare desertu multitudo reprobor.

orum tumultibus quatiuntur, qui semper in motu sunt, vagi, & nunquam stabiles, nec in eodem statu permanentes. Nunc superbia intumescunt, nunc ira feruescũt, nunc tristes, nunc leues, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti, transgrediuntur præcepta seniorum, fratrum pacem conturbant. Quamdiu tamen timent, quamdiu dolent, quamdiu admittũt correptionem, nec refugiunt satisfactionem, Desertum mare non sunt. At, si venientes in profundum malorum, contempserint, si correpti clamauerint: nihil honestum, nihilque quietum, nihil insuper ordinatum respõderint, sed tumidi, & inflati, in ipsum etiam, à quo corripiuntur, verbis indignationis insurrexerint, ita vt necesse sit eos relinquere sibi, desertum mare non dubites eos nominandos. Væ illis, qui derelicti à Deo & hominibus, dimittuntur secundum desideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus suis, quibus etiam Dominus per Prophetam dicit. *Auferam zelum meum à vobis, & vltra non irascar.* Scitis fratres, quam graue onus imponãt humeris sanctorum, qui tales sunt. Sub hoc onere Propheta gemebat, qui ait. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Vere supra dorsum nostrũ fabricant, qui tales sunt, quotidianis nos suis exordinationibus onerantes: qui addunt peccatis peccata, & contemptum iũgunt contemptui; contumeliosi, elati, detrahentes, senioribus non obedientes, socijs non contemperantes. Tales pœnarum pondus, quod in onere cõtinetur, se nouerint incursuros. Ex hinc onus Duma propheticus sermo describit, Duma autem interpretatur silentium. Scitis fratres, quã multos silentium onerat, & grauat quies, ita vt tacentibus, & quiescentibus omnia sint oneri, caput doleat, venter rugiat, caligent oculi, renes penè soluantur: exeuntibus autem, & huc illucque vagantibus, & loquentibus, iucunda sunt omnia, traduntur obliuioni dolores, singulis membris sua redduntur officia. O quãta est virt⁹ linguæ, quæ oculos serenat, caput alleuiat, consolidat renes, genua dissoluta corroborat! Hæc infirmum in laboribus infatigabilem reddit, patientem in ieiuniis, ad iter paratum, ad obediendum promptum. Itaque si videris monachum in claustro residentem, huc illucque circumspicere, oscitare crebriùs, manus ac pedes extẽdere, nunc librum ponere, nunc resumere, postremò quasi quibusdam stimulis agitatum, de loco ad locum, de auditorio ad auditoriũ cursitare, Duma eum suspirare non dubites. Est præterea aliud quoddam silentium, quod pœnæ põdus multis importat. Ipsum est silẽtium, quod ex pudore & cõfusione procedens, cõfessionem obstruit peccatorum, & excludit remissionem. Quod onus pœnæ tale silentium mereatur, propheticus sermo non tacet. Iam onus in Arabia Propheta subiungit. Arabia vespera interpretatur, quæ diei finis est, noctisque principium: horam mortis non incongruè, vt puto, significans; quæ cunctis fere mortalibus timoris non leue põdus imponit. Quis enim hominum hoc onus euitet, cui se Saluator ipse exẽpli causa, spontanea voluntate submisit? Imminente enim morte, vt ait Euangelista, *Cœpit pauere, & tædere.* Sub hoc timoris onere totum viuit genus humanum, nisi fortè aliquis talis sit, cui certa beata vita post mortem; cuius desiderio vel contuitu, etiam amaritudinem mortis non sentiat. Præterea vespera, quæ vt diximus, diei finis est, noctisque principium, eius exprimit casum, qui post opera lucis, opera inchoat tenebrarum; cuius sunt nouissima peiora prioribus; qui profectò eo pondere opprimetur, quod in hoc Arabiæ onere continetur. Subditur onus Vallis Visionis. Visio refertur ad Contemplationem, Vallis ad humilitatem, vel deiectionem. Est enim quorundam cõtemplatio humilis, quorundam abiecta: humilis Sanctorum, abiecta Philosophorum. Si enim virtus proficit, seruatur humilitas; si onerat, vanitas. Scitis, qualem necesse est vt sustineat pugnam mens proficiens, ne fauor humanę laudis subrepat, ne dissoluat adulatio, ne cor ab intus intumescat. Sancti autem, quo magis proficiunt, eo maiori vanitatis onere fatigantur: sicque ad altiora se erigunt, vt quandoque inuiti etiam ad inferiora trahantur. At hi, quod notum est Dei, manifestum est in illis, qui inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, cõspexerunt; euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum, ex monte contemplationis, ceciderunt in vallem erroris. Ideo mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & quadrupedum, atque serpentium. Et si scire volueris, quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur, *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominia, & in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum.* Sed & illi, qui scientiam scripturarum, vel doctrinam cœlestem, intentione non recta ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquent, ad Vallem Visionis pertinere noscuntur; vt scientia visionem, vallem intentio terrena significet. Quos omnes quale pondus pœnæ expectat, propheticus sermo declarat. Sequenti loco onus ponitur Tyri, quod angustia interpretatur: cuius onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, & disciplinæ regularis obseruatione? Quid in labore continentiæ? Quid laboriosius, quid periculosius, quid difficilius seruatur? quid facilius amittitur? Est alia quædã cordis angustia, quam facit amor sui; cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei & proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit. Qui igitur amat propriam voluntatẽ, oneri illi est voluntas alia, & ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum: ad omnia, quæ propria voluntas suggerit, promptus; ad ea, quæ sibi iniunguntur, piger & tardus. De talibus dicit Apostol⁹, *Erunt homines seipsos amantes*: qui profectò pondus pœnæ, quæ in onere Tyri scribitur, non euadent. Vltimum onus est iumentorum Austri. Auster, qui ventus est calidus, Sanctum significat spiritum, sicut habes in Canticis, *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum.* Felix anima, quæ huius austri iumentũ est; quæ freno moderationis eius regitur, quæ in omnibus eius subditur voluntati. Felix plane anima, cui Spiritus Sanctus præsidet, & omnia eius opera dirigit, cogitationes disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est, *Vbicumque erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, cùm ambularent.* De quibus & Propheta, *Viam fecisti in mari equis tuis.* Huius iumentum austri erat Paulus, qui ait, *Non spiritum huius mũdi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Et videte, quomodo, vt iumentum austri, freno vbique regitur præsidentis. Prohibetur à Spiritu, ne in Asiam

Marginalia: *Qui mare desertum appellandi.* — *Psalm. 80.* — *Ezech. 16.* — *Psalm. 128.* — *Silentium multis grave.* — *Silentium malum.* — *Marc. 14.* — *Quis sub onere Arabia sit.* — *Vanitatis onus.* — *Rom. 1.* — *Qui ad vallem visionis pertineant.* — *Onus patientia.* — *Amor sui unde.* — *1. Timo. 3.* — *Cant. 4.* — *Quid sit iumentum Austri.* — *Ephes. 1.* — *Habac. 3.* — *1. Cor. 2.*

Act. 16. prædicet; monetur à Spiritu, vt Macedoniam visitet. Incitatur à Spiritu, vt Atheniensibus euangelizet; alligatus Spiritu Ierosolymam properat.
20. & 17. Videtis, quomodo insidens ei Spiritus Sanctus, quasi iumento suo, nunc stringit habenas, ne eat quò vult, nūc vrget calcaribus, vt properet quò ipse vult. Quid putatis, fratres mei? nihilne oneris portant huiusmodi iumenta? Sed iumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro. Quali onere inquis? Audi Apostolum. *Charitas Dei diffusa est in cordib⁹ nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* In hac itaque charitate, quale on⁹ sustinuit Paulus, ipse dicat; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Et iterum, *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo,* pro fratibus meis secundū carnem. Ille igitur qui iumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena necessitate; oneratur aliena peruersitate. Onus eius esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, casus deficientis. Onerat plebis tribulatio, orphanorū desolatio, viduarum gemitus, afflictio captiuorum. Nōne beatissimus Paulus quasi hoc onere pressus cœlorum, descendit ad cubile infirmorum? Sed & vos fratres, qui fugistis ab aquilone demedio maris, & iam habitatis in terra austri, alter alterius onera portate: & sicut iumenta austri adimplebitis legem Christi. Certè non est iumentum austri, qui portare negligit onus fratris sui. Quod onus? Infirmitates certè & morum & corporum. Præterea fratres per iumenta austri eos significatos possumus dicere, qui dona Spiritus sancti, non propter meritum, sed propter officiū sortiūtur: sicut prophetiā, curationes, & cætera huiusmodi. Quos ordinant, ordinantur; maledicuntur, quos maledicūt: quos benedicūt, benedicuntur. Ita tamen si hæc omnia secūdum leges Ecclesiæ: non secundum impetum animi faciat. Hinc est, quod Balaam Dei populo benedixit: quòd Caiphas pessimus prophetauit, Iudas sicut cæteri Apostoli miracula fecit. Hinc est enim, quòd multi in illa die dicent. *Nonne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo signa multa fecimus? Et tunc confitebor illis*, ait Dominus; *quia non noui vos.* Hi tales non dicendi sunt homines, sed iumenta; qui Domino nō seruiūt, sed suo ventri: qui terrena sapiunt, & cœlestia contemnunt. Fregimus, vt potuimus, panem istum hordeaceum: sed plurima ceciderunt inter frangendum fragmenta: quia festinam⁹ ad alia. Vos igitur qui otiosi estis, quos Christus ab his occupationib⁹ seruauit immunes: colligite quæ superauerunt fragmenta: ne pereant. Inspiciat vnusquisque diligenter seipsum, & videat, quod onus in præsenti sustineat: & si quod in futurū sustinere formidet. Si sub onere est Babylonis, detestetur illud & abijciat: ne si fuerit cōformis operibus eius, à pœnis eius non sit immunis. Si sub onere Philistiim: videat, ne potionibus eorum inebrietur, eisque similis fiat in culpa, futurus eis similis in pœna. Qui sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, vt Nabuzardan muros non destruat Ierusalem: nec sic eis satisfaciat, vt cum illis in æternum ardeat. At si onus Damasci humerū presserit: caueat, ne ipse sibi manus inijciat, & ita seminans in carne, de carne metat corruptionē. Sanè si onus Ægypti incubuerit, abijciat opera tenebrarum, & armis lucis muniatur: ne si his interioribus tenebris mentem libens tradiderit, quandoque nolens in exterioribus crucietur. Porrò si onus Deserti maris malis eum persequētibus infestauerit; non deficiat, non frangatur: ne, quod ipsi inferunt per malitiam, ille propter impatientiam patiatur. Si autem Duma silētij fecerit impatientem, vel pudor & confusio obstruxerit confessionē: caueat pondus pœnæ, quod taliter silentibus Propheta intētat. Verùm si onere Arabiæ pressus mortem timuerit secundum naturam; sic se habeat, vt eam non timeat propter conscientiam: ne, non solum ab Arabia prematur, sed insuper cum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea si sub onere Vallis visionis suspirans contra vanitatem pugnauerit: caueat, ne de monte cōtemplationis cadat in vallē erroris: eo vtique pondere obruendus, quod in onere Vallis visionis Propheta describit. At si onere Tyri ob præsentes labores & dolores mentem pusillanimitas desperatione deiecerit: caueat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam: vt corde dilatato per omnes vitæ huius angustias gratanter incedat; & sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, euadat. Postremò si sub onere iumētorum Austri affectus tædio defecerit: cogitet, sciatque, quia si onus charitatis abiecerit, damnationis onus non immeritò sustinebit. Credo enim, quòd nō vacat à mysterio ipse onerū ordo: nec sine causa primo loco onus ponitur Babylonis, secundo Philistium, & sic de cæteris. Si enim priùs à cordibus nostris non fuerit expulsa cupiditas, quæ onus Babylonis, & radix omnium scitur esse malorum: nec cætera onera declinare vel vincere, nec ad virtutum progredi summam vlla ratione poterimus. Fiat autem ista cupiditatis expulsio, vel in his qui sæculo plenè renuntiant: vel qui sic vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Cupiditate autem deuictâ vel exclusâ, iam *nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus mundi rectores tenebrarum harū cōtra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Sed cùm, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere, onus istud vel alleuiauerit, vel abiecerit; onerabit nos hui⁹ carnis necessitas: cuius metas sicut scire difficile est, ita seruare impossibile. Necesse proinde est, vt concepto igne naturalia nos incentiua fatigent: & nisi eis viriliter resistatur, ad illicita quæque impellāt. Si verò compressis Philistæjs, necessitas corporalis quasi Moab sub modo fuerit temperantiâque redacta; & sic quasi onus Damasci carnis quieuerint incentiua: statim errores & blasphemiæ, quasi tenebræ Ægypti oculos cordis obducent: donec coruscanti luci sapientiæ tenebræ cedant; & statim deserta maris, id est peruersorum inuidia malitiaque succedat. Qua cessante, cùm ei iam omnia videantur esse quieta: ipsa quies eius à spiritu acediæ, quasi sub onere Duma, non potest esse quieta. Quo operis, orationis, & lectionis assiduitate propulso, onus Arabiæ, id est metus mortis, incumbet. Sed & ipso bonæ conscientiæ ac fidei virtute superato, quasi vicinū perfectioni vanitas onerabit. Quæ si fuerit profunda humilitate deuicta: nihil restāt, nisi vt alienis necessitatibus quasi iumentum Austri oneretur. Hæc in præsenti de oneribus istis dicta sufficiāt; quorum quædam ab humeris nostris hoc tem-

Marginalia (left): Rom. 5. — 2. Cor. 11. — Rom. 9. — *Gratia sæpe ob officium dantur, non ob meritum.* — Marc 3. — Luc. 9. — 4. Reg. 15.

Marginalia (right): *Ordo onerū non vacat à mysterio.* — Ephes. 6.

pore gratiæ Christus deponit; quædam tẽperat; quædam minuit, quædam disponit. Hæc autem omnia operatur secundùm abundantiam misericordiæ suæ: à cuius præsentia, quasi à facie olei, iugum diabolicæ dominationis cõputruit. Sed qui tempus misericordiæ negligit, iudicij temp⁹ formidet: quia is qui per misericordiam nos redemit, per iustitiam iudicabit. Itaque fratres mei, misericordiam & iudicium cantemus Domino: misericordiam, quam experimur; iudiciũ, quod expectamus. Amplectamur illam, istud timeamus: vt hic deuoti illic securi inueniamur: præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, AMEN.



SERMO PRIMVS DE ONERE BABYLONIS.

DE EO QVOD SCRIPTVM EST,

Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.

OMNIVM, quæ fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, primordialis & efficiẽs causa Deus est: ipse omnium finis. Nam cùm ipse, vt ita dicam, propriè sit esse; omnia vtique quæ sunt, ab ipso habent, quòd sunt: quia nonnisi ab esse habent, ꝙ sunt. Certum est, hominem & Angelum esse: sed aliud est, esse; aliud, hominem, vel Angelum esse: cùm possit aliquid esse, nec homo, nec Angelus esse. Cogitet ergo, qui potest, non hominis vel Angeli esse: sed sine Angelo & homine ipsũ esse, quod non solùm hominis & Angeli est, sed etiam omniũ, quæ sunt. Ipsum igitur esse, quod nõ specialiter huius vel illius rei, sed cõmuniter omnium existentium; vel, vt expressiùs dicam, essentium est; sine dubio Deus est. Sicut autem ipse est omnium existentiũ esse, ita & omniũ viuentium vita, omnium sapientium sapientia. Ad hanc formã creata est rationalis creatura: ab ipso habens, non solùm esse & vivere: sed etiam sapienṭẽ esse, & sapienter viuere. Ab hac itaque forma se disiungens & separans miser homo, comparatus est iumentis insipientibus, & cœpit insipiens esse, & insipiẽter viuere: nec tamen desiit esse & viuere: qui posset ad pristinam formã, eo qui formauerat reformante, redire. Ipsa autem forma, sapientia est: via vero, per quam ad ipsam formam redeatur, eruditio. Omnis vero eruditio, qua de hac deformitate reducamur in formam, in tribus est, fide scilicet, spe, & charitate: vt sciamus quid credendum, quid sperandum, quid sit amandum: & sic credamus, speremus, amemus. Sapientia igitur in animas sanctas se transferẽs, amicos Dei & Prophetas constituit: per quos nobis sacram scripturam, quasi totius eruditionis fontem, ministrauit. Quam nimirum ipse, qui condidit, tanta prudentia Spiritus ordinauit, vt innumerabilium sensuum, innumerabiliũ capax esset sentẽtiarum: quarum cum istas vni, illas alteri reuelaret, ad exercitandum ingeniũ, depellendumque fastidium semper recens esset, semper quadam renouatione delectaret. Vt autem error humanus, vel demonum suggestio, certo examine ac Sancti Spiritus possit reuelatione discerni, præfixa est fidei regula, præscripta spei promissa, promulgata charitatis præcepta: vt quæcunque sententia occurens animo, his nõ conuenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonũ, aut humano errori incunctanter ascribas; quæcunque vero à sacris paginis conuenienter elicitur, vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit: ipsam & à Sancto Spiritu sacris litteris insertam, & ab eo tibi reuelatam non dubites. Sed his, qui sæcularium negotiorũ impediuntur obscuro, vel necessariarum occupationum retibus occupantur: quibus vagos, & turpes refrenent excursus, satis sunt, imo plus quam satis ea, quæ de Scripturis semel sunt dicta, vel scripta: quæ illis tam ignota sunt, vt semper possint eis videri quasi noua. At vobis, carissimi, qui mundi huius renunciastis operibus, qui ab omni cura sollitudineque mundana soluti, cũ immundis spiritibus, ac proprijs cogitationibus inistis certamen: alia in Scripturarum meditatione ratio, alia necessitas est. Quod enim multis parit idem sermo, lectioque eadem sæpius repetita fastidium: necesse est, vt quæ antiqua videntur & nota, vel quarundam sententiarum adiectione, vel saltem verborum mutatione innouentur: & sic ad quærendum studium excitetur; inutiles & inanes cordis excursus, in id quod vtile est reuocentur: & mens, quæ à notis fastidiosa resilierat, renouata lectionis vel sermonis suauitate, ad id salubriter redeat, à quo fuerat quasi sensibiliter auocata. Hinc est, quod librum Isaiæ assumo in manibus, cum charitate vestra quandam eius portiunculam inspecturus: qui licet expositione Sanctorum possit esse notissimus, perutile tamen arbitror, vt si non alia, saltem aliter ea, quæ ab ipsis dicta sunt, repetamus: vel certe, quæ ab ipsis velut minima, vel manifesta prætermissa videntur, sumptis ex eorum verbis rationum seminibus, sicut Deus dederit, in medium proferamus: vt qui ad eorum perfectas sententias, quasi ad solidum panem aspirare non audet, ad micas, quas sub mensa eorum poterimus, vestris orationibus adiuti, colligere, etiam si fuerit catellus accedat. Sic, fratres carissimi, sic redimamus tempus, vt illudamus tempori, quoniam dies mali sunt: & salutarib⁹ verbis sanctisque meditationibus, os à sermonibus otiosis, cor à vanis cogitationibus vindicemus. Est autem iste sanctus Proheta tam profũdus in sententijs, in futuris prædicendis tã perspicuus, in disciplinis moralibus tam iocundus: vt nunc quasi in ipsum cœlum subuectus, videatur diuinorum cõsiliorum secreta rimari: nunc ad inferiora firmamenti celeri penna demissus, mysteria propalare cælestia: nunc leui volatu ad nos vsque descendens, in campis moralibus spatiari: nunc quasi recipi in paradisum, & iterum redire ad nos, & referre ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc omnia Christi, & Ecclesiæ sacramenta, tam manifesto reuelat pra-

Deus esse omnium.

Sapien. 7.

Isaias quàm sublimis.

culo, : vt non tam prænuntiasse futura, quam præterita narrasse putetur. Quæ omnia, licet ex sui qualitate grata sint satis, & sapida : eloquentiæ tamen eius mira suauitate gratiora & dulciora redduntur. Sed placuit nobis, vt, ceteris interim intermissis, de vndecim oneribus, de quibus Propheta, Sancto Spiritu dictante, disseruit : quicquid ipse suggesserit Spiritus, ad vestrã ædificationem propalemus. Fateor, me vestris profectibus per omnia debitorem : & propter officium quidem, sed maxime propter affectum. Sed & necessitas mihi incunbit. Væ enim mihi si non evangelizauero: præcipuè, cùm quicquid in doctrina spiritali, quicquid in scripturarum intellectu proficio, non tam datum mihi, quàm vobis per me transmissum non ambigã. Neque enim meritis id ascribendum meis, cùm peccator sim : nec scholasticis quidem disciplinis, cùm penè, vt scitis, illiteratus sim: sed nec studio, aut industriæ meæ, cùm raro in otio, crebro in negotio sim. Totum igitur Dei est, mihi commissum, vobis transmissum, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Adesto proinde tu bone IESV, & panibus quos protulimus gratiam tuæ benedictionis infunde, edant pauperes, & saturentur, dicantque cum Propheta.

Psalm. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Ecce ego apono manum, tu præsta auxilium, quia sine te possum facere nihil. Qui sancto Isaiæ inspirasti, vt scriberet, inspira quæso mihi, vt quod scripsit intelligam; quia iam inspirasti, vt credam;

Sapien. 7. nisi enim crediderimus, non intelligemus. Quid ergo putamus onus istud significat? Est quidem onus premens: & onus opprimens. Premit infirmitas : iniquitas opprimit. Premit tentatio; dãnatio opprimit. Proponitur ergo primum onus Babylonis, deinde onus Philistijm, tũc onus Moab, & pòst onus Damasci: quod sequitur onus Ægypti, cui succedit onus deserti Maris, ac deine onus Duma, & onus in Arabia, & tunc Vallis Visionis, & onus Tyri, ad vltimum autem onus Iumentorum Austri. Ostenditur ergo à sancto Isaia quarumdam vrbium vel gentium, imò magis eorum, qui in his vrbibus vel gentibus figurantur, depressio: qui & ipsius depressionis modum, causas, materiasque non tacet : quibus etiam inserit de eorum felicitate sermonem, qui hac depressione ad salutem, non ad perniciem onerantur : patetque vbique,

Onus aliud, opprimens.

Psalm. 61. quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua, diuidens inter diem & noctem, inter lucem & tenebras; vt comparatione lucis ipsæ tenebræ densiores appareant : vt collatione tenebrarum copiosiùs lux ipsa resplendeat. Et quis inter hæc iudicat atque discernit, nisi is qui ait,

Ioan. 5. & 9. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio?* Et iterum. *Ego in iudicio veni in mundum : vt non videntes videant, & videntes cæci fiant.* Quoniam igitur per aduentum Domini Salvatoris facta est hæc bonorum ac malorum discretio, quorũdamque depressio, quorundam & liberatio : principalem Prophetæ, per totum libri corpus, ipsius Domini aduentum, constat esse materiam. De

Luc. 2. quo Sanctus Simeon. *Ecce hic positus est in ruinã & in resurrectionẽ multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Quod Isaias onus, ipse ruinam appellat. Sic autem hæc onera describit: vt appareat, Deum quosdam premere, sed non opprimere: quosdam opprimere, sed non premere: quosdam simul premere & opprimere. Premit quos affligit : opprimit, quos deserit. Quosdam igitur affligit, sed non deserit : sicut scriptum est.

Hebr. 12. *Flagellat Deus omnem hominem, quem recipit.* Vnde est istud Psalmistæ.

Psalm. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Deserit, nec affligit : de quibus dicit Propheta.

Psalm. 72. & 80. *In labore hominum non sunt : & cum hominibus non flagellabuntur.* Et iterum. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et per alium Prophetam.

Osea 4. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ: neque super vxores vestras, cùm adulterauerint.* Quosdam præterea affligit & deserit: de quibus ipse per Prophetam ait.

Ierem. 5. *Attriui eos, & noluerunt recipere disciplinam.* Sanè quomodo, quibusue modis fiat afflictio vel desertio: cùm de ipsis oneribus tractare cœperimus, Deo volente apparebit. Potest autem dici onus Babylonis vel Philistiim, vel Moab, secundùm onus quo premuntur vel secundùm onus quo premuntur; & sic de cæteris. Sed jam, si placet, sequentis narrationis titulum inspiciamus.

Isai. 13. *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.* Babilonis nomine, fratres, quæ confusio interpretatur, mundum significari satis notum est charitati vestræ: vbi nimirum cõfusa sunt omnia; vbi boni cum malis, cum electis reprobi vivunt: vbi frumẽtum cum palea, oleum cum amurca, vbi cum acinis vinum; vbi quantum ad temporalia sicut iustus ita & impius : vbi nihil habet homo iumentis amplius. Pleromque etiam Babylonem, illam tantùm reproborum cũ suo rege ciuitatem intelligimus, ad quam nullus pertinet electorum; à qua nullus excluditur reproborum. Reprobos sanè in tres partes diuidimus, quarum vna & societati communicat & operibus adhuc electorum : alia ab illis operibus vel communione separatur; alia jam exutis corporibus æternis supplicijs mãcipatur. Et omnes igitur simul, & ista singula istarum partium, & singularum partium singuli homines, Babylonis nomine iure censentur. Electos etiam in tres diuidi ordines, manifestum est. Nam alij necdum vocati sunt, vt Iudæi, siue Pagani : alij vocati, sed non iustificati, vt peccatores Christiani : alij iustificati, sed nondum glorificati : vt sancti huius adhuc vitæ miserijs subditi. Electi itaque qui necdum vocati sunt, licet eos à Babylone prædestinatio separauerit; quandiu tamen Babylonicis erroribus excæcantur, à Babylonis nomine non recedunt. Sed & hi, quos licet electis vocatio simul ac prædestinatio iunxerit, detestanda tamen opera separant, Babylonici nominis opprobrio percelluntur. Dicitur itaque Babylon illa hominum vniuersitas, in qua eisdem erroribus vt vitijs electi & reprobi implicantur. Dicitur & Babylon cor prauum & inscrutabile : quod vitijs passionibusque confunditur. Babylon etiam nũcupatur illa reproborum societas : cui æterna confusio præparatur. Est autem onus Babylonis, quo ipsa confusa vniuersitas multorum ab eâ separatione destruitur : quo etiam malis temporalibus indesinenter affligitur : quo in cordibus singulorum vitiorum ac pessimarum passionum structura, quasi ciuitas confusionis diruitur; quo insuper æternis pœnis post hanc vitam in solis reprobis onerabitur. Et hoc est onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Quomodo vidit? Eia fratres, qui nunc Prophetæ appellãtur, olim videntes dici solebant; propter excellentiorem

Babylon mũdum significat.

Reproborum tres partes.

Onus Babylonis quid sit.

quandam, diuinioremque, vt ita dixerim, visionem: de qua nunc disserere, & temporis angustia, & ea quæ nunc interuenerunt, negotia non permittunt. Igitur hæc consideratio alteri sermoni reseruetur. Vos interim orate, vt sensum Spiritus sequentes, sic ista onera describamus; vt ea, quæ prementia sunt, fortiter sustineamus; quæ opprimentia, caueamus; damnantia autem, ipsi⁹ auxilio euadamus, qui pro nobis nostris voluit oneribus onerari, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

De multiplici visione, & illa qua Prophetam facit.

SCITIS, Fratres charissimi, de oneribus locuturus, quòd graue onus ipse susceperim. Vnde inuocādus est à nobis ipse Spiritus; vt qui nobis primum onus imposuit charitatis, omne onus leue faciat, quod nostris possit seruire profectibus: quatenus qui dedit affectum sui luminis infusione, præstet effectum. Et onus quidem Babylonis, quantum spectabat ad titulum, hesterna die, sicut potuim⁹, explicauimus. Sed cùm scriptum sit, *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos*, quærendum putamus, quomodo visum sit ab Isaia onus istud: maximè cùm plures sint visiones, & ob quamdam visionis excellentiam Prophetæ appellati sint videntes. Est quippe visio sensualis, visio imaginaria, visio phantastica, visio spiritualis, visio rationalis, visio intellectualis. Visio sensualis est, qua corporeis sensibus corporalia sentiuntur. Visio imaginaria, qua earum rerum, quæ per corpus sentiuntur, intus imagines cernuntur: vel ex eis quæ percepta sunt, alia quæ non sunt sensa finguntur. Visio verò phantastica est, qua corporalium rerum phantasmata vel oculis vel animo objiciūtur. Porro spiritualis visio est, qua visibilium rerum imagines aliquid significantes in ipso spiritu hominis formantur. At visio rationalis est, qua vera à falsis, vel virtutes à vitijs discernuntur. Intellectualis autem visio est, qua non dico vera à falsis discernuntur; sed qua in ipsis veris veritas ipsa conspicitur. Itaque visio sensualis in corpore est: corporeos omnes sensus, eorumque vim naturamq; complectens. Dicimus enim, inspice, vide quàm album sit; gusta & vide, quàm dulce sit; audi & vide, quàm sonorum sit; olfac & vide, quàm odoriferum sit: tange, vide, quàm lene sit. Omnis itaque per carnales sensus experientia, visio dicitur sensualis. Quæquidem visio prophetica esse potest, Prophetam verò facere non potest. Visio quippe serpentis ænei, quem Moyses exaltauit in eremo, qua filij Israël à serpentum morsibus curabantur, prophetica fuit: videntes tamen Prophetas non fecit. Sensualis etiam illa visio fuit, qua sanctus Abraham tres viros vidit descendētes per viam: quam & propheticam esse ipse non dubitauit, qui tres vidit & vnum adorauit. Ex illa autem sensuali visione, quamvis prophetica fuerit, ipse Abraham Propheta non fuit: sed ex alia, qua illam sensualem propheticam esse conspexit. Magis igitur Propheta fuit, qui exaratas in pariete aulæ Regię Babylonis literas exposuit, quàm qui manum articulosque conspexit scribētis. Porrò visionem illam, qua in animo, corporalium rerum quas sensu percepimus, videmus imagines, idcirco imaginariam dicimus: quia nō aliunde nobis ingeruntur harum rerum similitudines, sed à nobismetipsis per sensus inductæ, sicut eas foris vidimus, ita eas intus imaginamur; vel ex eis ipsis alias fingimus. Nam similitudinem cerui quadrupedis, quem oculis vidi, interius imaginor, & ex ea cerui sex pedum, quem nunquam vidi, imaginem fingo. Hæc autem visio nec prophetica aliquando est, nec Prophetam aliquando facit: nisi fortè ideo prophetica dici possit, quod res sensibiles, quando propheticæ sunt, imaginari in animo possunt. Phantastica sane visio aliquando à corpore fit, aliquando ab anima, aliquando autem ab aliquo alterius naturæ spiritu; à corpore, vel somno, vel morbo. Somno, quando dormientibus nobis corpore, anima, quæ dormire non potest, vacantibus sensibus, quibus in veris corporibus intuendis occupabatur, interim in corporum phantasiis naturaliter versatur. Morbo, quando mala aliqua valetudine sensibus perturbatis, visa similia corporibus cernuntur, quod phreneticis sæpe accidere manifestum est. Sane ab ipsa anima phantastica visio est, quando ea ipsa, quæ anima in se frequenti versat cogitatione, dum vigilat, per phantasias quasdam contuetur, dum dormit. Porro ab alterius naturæ spiritu formatur hæc visio, quando vel oculis carnis per phantasmata vana deluditur, vel dormientibus, vel ægrotantibus; rerum phantasiæ à malis spiritibus animæ præsentantur, vel cum vigilante & sano corpore, anima ab ipsius sensibus abripitur. Nam pro certo scimus, multorum oculis ita delusum esse, vt homo eis bestia videretur; vt aqua fluere, vbi nulla erat aqua, æstimaretur; vt ignis sæuire, vbi ignis non erat, putaretur: & multa huiusmodi. Quod autem à dæmonibus somnia multa formētur, nulli incredibile est. Phreneticis verò, vel quolibet morbo alio affectis, licet ipsa valetudine multa visa formentur, potest tamen fieri, vt à nequam spiritibus multa eorum animis obiectētur. Verum quoties animam à sensibus, quasi in quemdam excessum malus abripit spiritus, delusum phātasmatibus hominem, aut dæmoniacum facit, aut arreptitium, aut falsum Prophetam. Hanc itaque visionem, quam phantasticam diximus, à Prophetarum officio omnino separamus. Porro visio, quam ideo spiritualem dicim⁹, quia in spiritu hominis alterius spiritus operatione formatur; aut per somnium fit, aut per excessum. Per somnium, cùm à bonis spiritibus corporaliū rerum imagines in animo dormientis formantur. Quæ profecto visio, licet prophetica sit, Prophetam tamen non facit. Prophetica quippe visio illa fuit, qua Ioseph Patriarcha vidit Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare se. Propheta tamen hac visione non fuit, si ipsius mysterium visionis non intellexit. Neque Pharaonem dicimus Prophetam fuisse, quia futurę vbertatis, famisque sequentis in somnis dicitur præsagium conspexisse, sed Ioseph; cui Deus, somnij illius occasione, propositi sui reserauit arcanum. Nec Nabuchodonozor Prophetæ nomine dignum æstimo, cui statua illa in somnis apparuit, sed potius Danielem; cui somnium ipsum, somnijq; datum est nosse virtutem. Præterea cum sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa, quæ similia sunt corporalibus, anima rapitur, extasis dicitur,

Marginal notes: *Isai. 13.* — *Plura sunt genera visionum.* — *Nume. 21.* — *Genes. 18.* — *Daniel. 5.* — *Visio imaginaria quid sit.* — *A dæmonibus multa somnia formantur.* — *Genes. 37.* — *Genes. 41.* — *Daniel. 2.*

vel excessus: qua visione occulta revelantur, & præmonstrantur futura. Cui cùm accesserit visio intellectualis, de qua postea tractabimus, fit talia videns Propheta, vel mysteria loquens, vel occulta patefaciens, vel ventura prænuntians. In excessu mentis Petrus descendétem de cœlo discum aspexit, in quo erant omnia genera reptilium, & animantium: dictumque est ei, *Macta, & manduca*. Quam certè visionem, vel præceptum, non tunc quidem, sed accedente postmodum intellectuali visione, cognouit, quando ait. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* In spiritu præterea, non in carne, sanctum Ezechielem Prophetam, multa Christi & Ecclesiæ sacramenta, sub specie ciuitatis in monte positę, legimus aspexisse; raptumque per excessum in Ierusalem, abominationes pessimas Iudæorum prophetico oculo deprehendisse. Vtrum autem per bonos aliquando spiritus in sensibus hominum aliquid fiat, quo sensus ipsi fallantur, sicut eorum profectò fallebatur sensus, quorum oculi tenebantur ne Christum agnoscerent, nolo præcipitare sententiam. Nam vtrum per bonos aut malos spiritus, Syri percussi sint cæcitate, ne Eliseum, vel Samariam agnoscerent, incertum habeo. Rationalis sane visio ea est, qua sine omni corporalium sensuum adminiculo verum, vel falsum certa ratione apprehendimus; qua inter vitia virtutesque discernimus; qua numerorum, & ponderum, & mensurarum rationes veras esse probamus; ita vt nihil certius carne videamus, quam ternarium numerum, in duas æquales partes diuidi non posse, mente conspicimus. Igitur visione sensuali corporalia cernimus; ex imaginaria corporalia imaginamur; phantasticâ per imagines corporales illudimur: spirituali per corporeas similitudines spiritus eruditur: rationali in inuisibilibus mens exercetur: intellectuali in ipsam veritatem mens inducitur. Nam intellectualem illam dicimus visionem, qua mens omne corpus, omnesque corporeas imagines ac similitudines transcendens, in ipsa luce veritatis requiescit: in qua vera & verè sunt omnia præterita, præsétia, & futura: nec aliter futura, quàm præterita. Vnde Dominus in Evangelio. *Multa habeo vobis dicere.* Habuit eis dicere multa, nô in multis, neque per multa: sed in vno, & per vnum; vbi multa non sunt multa, sed vnum. *Sed non potestis portare modo.* Sensuali enim visione ob dulcedinem præsentiæ eius occupati, & corporalibus eius verbis corporaliter intenti, ad intellectualē illā visionem, quæ omnium corporalium excludit memoriam, vbi ipsa veritas loquitur, assurgere nô valebant. Ideo ait. *Expedit vobis, vt ego vadā:* vt scilicet corporalis hæc visio, corporaleque colloquium subtrahatur: Scio in monasterio Virginum, quæ sub venerabili & cum summa reuerentia nominando Sancto Patre Gilberto vberes pudicitiæ fructus quotidie trāsmittunt ad cœlos, quandam fuisse, vel adhuc fortè superesse virginem sanctam; quæ cùm omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamque corporis omnem, & exteriorum sollicitudinem à suo pectore exclusisset: cœpit quodam mentis æstu & fastidire terrena, & desiderare cœlestia. Accidit autem aliquando, vt cùm amore solito orationi incumberet, mira quædam suauitas superueniens omnes animi motus, omnes cogitationū excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, extinxerit affectus; moxque anima eius quasi oneribus quæ in mūdo sūt valedicens, rapitur supra se; & ab ineffabili quadam & incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat, nisi quod est, & quod omnium esse est. Neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo: nec distendebatur, nec diffundebatur; ita vt vbique videretur; nec ipsa tenebatur, & tenebat omnia; & hoc miro & ineffabili modo; sicut esse tenet, quidquid est; veritas, quidquid verum est. Hac igitur luce perfusa, ipsum Christum, quem priùs nouerat secundùm carnem, cœpit iam secundùm carnem non nosse; quia spiritus ante faciem eius Christus Iesus in ij sam eam induxerat veritatem. In hoc igitur excessu cùm ei hora non parua præterijsset; pulsata à sororibus, vix potuit ad corporales, quos reliquerat, sensus redire. Itaque cum hoc ei sæpius contigisset, & multùm rogata tandē ipsius modum excessus cæteris exposuisset: cœperunt plurimæ visionis huius excellentiam æmulari. Vnde se ab omnibus curis, sollicitudinibusque mūdanis abstrahentes, lacrymis, orationibusque continuis plures eandem gratiam sortitæ sunt: & ita vt inter sororum côuenticula sæpius hac luce perfunderentur, etiam inuitæ. Erat ibi virgo quædam magnæ discretionis fœmina: quæ omni spiritui sciens non esse credendum, totum hoc aut morbo, aut phantasticis illusionibus credidit assignandum: & sororibus, quantum potuit, talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa, quæ in his superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset: respondit illa. Quia fidem nobis non adhibes: nec in alijs diligis virtutem, quam ipsa non habes. Roga, inquit, Deum, vt si ex ipso est, mihi hoc ipsum eueniat. Cumque aliquot diebus orassent, & nihil profecissent; requisita iterum, quæ suprà, & vnde suprà, respôdit. Oportet te omnibus mundi huius, cunctorumque mortalium renuntiare affectibus: & circa solius Dei memoriam occupari. Quid, inquit illa, pro amicis meis, vel benefactoribus non orabo? Cui illa. Eo tempore, quo volueris ad superiora mentis contemplatione côscendere; necesse est, vt omnes quos diligis, Deo commendes atque committas: & quasi profectura de mūdo, omnique omnino creaturæ valedicens, ad eius, quem diligis, suspires aspectum. Adhuc illa non credēs rogat, vt orationibus eius, si ex Deo essent ista, voti sui mereretur effectum. Nolo tamen, inquit, vt anima mea ita sustollatur, rapiaturque à corpore: vt à mente mea omnium rerum, maximè amicorum deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire, vtrum ex Deo sint ista. Itaque die Parasceues, cùm anxijs cogitationib⁹ fluctuaret, subitò ipsa, quam diximus, luce perfusa, cœpit in eam modo ineffabili subvehi, & ad altiora sustolli. At illa radiantem in se lucem illam inaccessibilem oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ passionis intuitum reuocari se, vt potuit, postulauit. Cùm ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est: à superioribus ad inferiora delata, in illam spiritualem visionem transfertur, videtque in spiritu IESVM in cruce pendētem, confixum clauis, lancea perforatum, sanguinemque per quinque foramina profluentem, ipsumque mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lacrymas, & in se tandem reuersa, fidem sororibus adhibuit, & se huic luci min⁹ idoneam

Quæ visio Prophetam faciat.

Acto. 10.

Ibidem.

Ezech. 40.

Idem cap. 8.

An boni spiritus sensus fallant.

Luc 24.

4. Reg. 6.

Intellectualis visio quæ

Ioan. 16.

Ibidem.

Gilbert. Abbas in Angl.

Visio & raptus monialis

Aliarū similes raptus.

Incredulæ aliarum precibus raptus

æstimauit. His fortè non inutiliter insertis, intelligamus hanc solam visionem, quam intellectualem dicimus, prophetam facere: sicut de sapiẽtia scriptũ est. *Ipsa in animas sanctas se trãsferens: amicos Dei & prophetas constituit.* Quidquid enim alijs visionibus cernitur, aut ambiguum est, aut fide magis quàm scientia roboratur. Quod autem in ipsa cernitur veritate, in qua facta sunt, quæcumque futura sunt, & luminosum constat esse, & certũ. Igitur in visione sensuali vel phantastica, quando hæc, quæ intellectualis est, operatur, prophetiæ donum esse, non ambiguũ est. Qua igitur visione viderit Isaias fili⁹ Amos on⁹ Babylonis, sola videlicet intellectuali, aut sensuali etiam, vel spirituali, quis facile dixerit? Nam quod vtraque visione hac futura præuiderit multa, intellectuali eum illuminante; ex ipsius libri serie, scire possumus. Ex sensuali quippe visione oraculum texuit: quando Ezechiam Regẽ, pro eo quod nuntijs Babylonicis domus suæ thesauros ostendit, prophetica authoritate corripuit. *Quid*, inquiens, *viderunt isti in domo tua?* Et Rex. *Non est verbum*, ait, *quod non ostenderim eis.* Tunc Propheta. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & auferentur omnia, quæcumque congregauerunt Patres tui in Babylonẽ.* Ex spirituali verò, quando ait. *Vidi Dominum sedentem super soliũ excelsum & eleuatum*, & cætera quæ sequuntur. Quacumque autem harum visione viderit onus Babylonis, certum est, quod mẽte vidit, non carne: ipso reuelante, qui ait. *In manibus prophetarum assimilatus sum.* Sed quia iamdiu nos tenuit visionum istarum distinctio: propheticæ huius visionis exordium vsque in crastinũ differamus.

Sap. 7.
Isai. 39.
Isai. 6.
Ose. 12.

SERMO TERTIVS

De eo, quod scriptum est, Super montem caliginosum leuate signum, &c.

Gala. 4.
Ioan. 4.
Tempus vacuum & inane, quod.
Tempus plenum.
Mat. 13.

QVANDO *venit plenitudo tẽporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quæ est ista temporis plenitudo? Illa nimirum, de qua Dominus in Evangelio. *Leuate*, inquit, *oculos vestros, & videte regiones: quoniam albæ iam sunt ad messem.* Tempus quippe vacuũ dicitur, & inane, quando solis inclementia arefactis in terra seminibus, vel nimia pluuiarũ inundatione putrefactis, fames cuncta consumens vacuum reddit messoribus agrum, quando decem iugera vinearum faciunt laguncułam vnam: & triginta modij sementis faciunt modios tres. Tempus verò plenũ, quando abundant omnia, quando multiplici fruge suis respondet terra cultoribus, nudusq; per agrum cursitat messor: quando vbique in vineis celeuma cantatur: quando horrea replẽtur frumento, & torcularia vino redundant. Veniat nunc in mentem Salvatoris de frumẽto zizanijsque parabola: & quid triticum, quid zizania esse dixerit, aduertamus. *Semen*, inquit, *bonum, hi filij sunt regni: zizania, filij nequam.* Filios vtique regni eos vocans, quos misericordia prædestinauit ad vitam: filios nequã, quos iustitia prouidit ad pœnam. Igitur ante adventum Domini nostri filijs nequam omnem penè superficiem terræ occupantibus, & paucis inter eos regni Dei filijs latitantibus, fames verbi Dei cuncta pervaserat: tempusq; vacuum & inane spiritualibus operarijs nihil, in quo laborarẽt, reliquerat. Venit autem plenitudo temporis, quando vbique terrarum abundabant hi, qui à Babylonicis erroribus fuerant separandi, separati iustificandi, iustificati glorificandi. De quibus Saluator. *Messis quidem multa: operarij autem pauci.* Per aduentum proinde Domini nostri inuadenda fuit Babylon ciuitas confusionis; in qua vitijs & erroribus cum reprobis captiui tenebantur electi: & eorum separatione destruenda. Et hoc onus primum Babylonis: quod vidit Isaias filius Amos. Modum autem huius destructionis prophetico sermone describens, ita exorsus est. *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum: ingrediantur portas duces.* Quis loquitur? Quibus loquitur? Notandum arbitror, quòd sancti Prophetæ aliquãdo narrando, aliquando orando, nonnumquam etiam benedicendo, vel quasi maledicendo, aliquando aliquid agendo, plerumque verò quasi præcipiendo, futura prædicunt. Narrando, sicut est illud. *Erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice montium.* Orando, vt illud. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.* Vel certè illud. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Sanctus quoque Moyses. *Obsecro, Domine, mitte, quem missurus es.* Quasi maledicendo verò, sicut ait Propheta. *Disperge illos in virtute tua: protector meus Domine.* Et, *Sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei.* Et alibi Propheta. *Da eis*, inquit, *Domine. Quid dabis eis? Vuluam absque liberis: & vbera arentia.* Benedicendo; vt Isaac ad filium suum. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei.* Agendo etiam aliquid: sicut Iacob lapidem erexit, & vnxit: sicut Moyses serpentem æneum in eremo exaltavit: sicut etiam idem iste Isaias nudus & discalceatus incessit. Quasi præcipiendo; vt in sequentibus libri huius scriptum est. *Ite, angeli veloces ad gentem divulsam & dilaceratam.* Cernẽs igitur Propheta advenienente in carne Domino Salvatore, per ministerium Apostolorum, & doctrinam prædicatorum, confusionis ciuitatem euersum iri; ex sua vel ipsius persona iubet, vel monet eos facere; quod vidit eos esse facturos. *Super montem caliginosum leuate signum* Per mõtem caliginosum ipsam Babylonem, id est mundum, secũdùm statum, in quo Christus illum inuenit, non incõvenienter accipimus: qui & mõs dici potuit, pro superbia; & caliginosus, propter errorem. Quasi mons tunc Romanũ erat Imperium: quod vniuerso supereminens orbi, quantũ elatione tumebat, tantùm errore multiplici, maximè autẽ Dei ignorantiâ caligabat. Annon terra quadam caligine mundum obduxerat idolorum cultura, vanitas Philosophorum, templorum superstitio, licentiosa libido? *Super montem caliginosum leuate signum.* Quod signum? Evangeliũ audi. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum, cui contradicetur.* Hoc est signũ crucis, cui contradixit humana superbia, pugnantibus aduersus eam Iudæis & Gentibus, cum Regibus & Principibus, cum sapientibus sæculi, & prudentibus: levantibus eam super montẽ caliginosum paruulis. Abscondisti enim crucis tuæ sacramẽta, Dñe Iesu, à sapientibus & prudentibus: & reuelasti ea parvulis. Isti sunt parvuli, id est humiles; Apostoli, & Apostolici viri: qui iubentur leuare signum super montem caliginosum; vt vniuersum mundum Dominicæ cruci doceant esse subiectum.

Mat. 9.
Luc. 10.
Isai. 13.
Propheta futura quot modis prædicant.
Isa. 2.
Psal. 84.
Isai. 64.
Exod. 4.
Psal. 58. & 67.
Ose. 9.
Genes. 27.
Gen. 28.
Num. 21.
Isai. 20.
Isai. 18.
Isai 13.
Luc. 2.
Crux signũ cui contradictum est.

Id, quod

Id, quod alicui rei superponitur, aut premit, aut claudit, aut supereminet. Superposita sunt duo Cherubim arcæ testamenti, vt altius eminerent; superpositus est lapis puteo, vt clauderet; superponitur torculari prælum vt premat. Super montem igitur caliginosum vexillum Crucis extollitur, vt sua virtute mundi huius potentiã premat; superbis redemptionis nostræ mysteria claudat; apud mites verò & humiles omni mũdanæ gloriæ supereminear. Nam quod premat, audi beatissimum Paulum. *Christus factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine* I E S V *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Ecce quomodo cœlũ, terra, infernus, crucis subjicitur sacramento: & Babylonici Regis vbique virtus premitur, euacuaturque potentia. *Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Sed si fortior illo superuenerit: tunc vasa eius diripit, & aufert arma, & spolia distribuit.* Fortis armatus diabolus, atrium mundus, vasa eius mũdi sapientes, arma Reges & Principes, spolia plebes. Ecce Babylon, & Rex eius, & diuitiæ illius. Ante fortioris aduentum Rex iste in pace, id est, nullo contradicente, regnabat. Sed fortiore superueniente, imponitur ei onus premens, onus vincens, onus exspolians. Onus istud Babylonis Crux est Christi, quæ diabolum vicit, & Babylonem inuasit: quæ spoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Isti sunt Hebræi, de quibus dicitur; *Super montem caliginosum leuate signum*: vt crucis virtute omnibus gentibus prædicata, diripiãtur spolia Babylonis vel Ægypti: ab eo videlicet, qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ. Elegit quippe paruulos, id est humiles; Hebræos id est transilientes; mundi huius contemptibiles, sed mundo superiores; infirmos mundi, sed mundi fortibus fortiores; stultos mundi, sed mundi sapientibus sapientiores. Quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus vt confundat sapientes, & quæ sunt infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia & contemtibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Isti sunt, qui humilitate semetipsos despiciunt sicut paruuli; qui omnia, quæ sunt mundi, transiliunt, sicut Hebræi. Hi Crucem leuant, diuitias & voluptates, quæ cruci sunt contraria, calcant, majores diuitias arbitrantes thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Audi etiam quomodo profunditatem diuinæ virtutis & sapientiæ leuata super mundum crucis prædicatio claudat. *Nos*, inquit Paulus, *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Igitur crucis Dei abscondebatur sapientia: virtus vero Dei crucis scandalo claudebatur. Sed quibus illud? Iudæis quippe & Gentibus. Non omnibus tamen, sed de quibus aliàs scripsit. *Verbum crucis pereuntib⁹ quidem stultitia est: his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est.* Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scãdalum, Gentibus autem stultitiam: his autẽ, qui vocati sunt, Iudæis & Gentibus, Dei virtutem, & Dei sapientiã. Quomodo sanè apud tales, omnibus mundi diuitijs & honoribus supereminear Crux, Paulus ipse docet qui ait *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini IESV CHRISTI.* Si quis vero montẽ caliginosum in bonam significationem accipiẽdum æstimet, veniat ei in mentem, quod ait idẽ Isaias. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion*: cogitetque, vt cuius doctrina sublimis est, sic & vita sublimis; nec manibus repat in terris, cuius lingua versatur in cœlis; nec in inferioribus jaceat infra se, qui sermone ascendit supra se. Nam ipsa doctrina Euangelica nomine montis caliginosi nõ inconuenienter accipitur, quæ instar excelsissimi montis, omni mundanæ supereminet sapientiæ, & sacramentorum velamine ea, quæ sublimiora sunt, ab infidelium vel etiam infimorum oculis, velut quadam abscondit caligine. Potest & scriptura veteris testamẽti mons caliginosus appellari, quæ alias mons vmbrosus dicitur, & condensus: quæ & sublimis est propter spiritum, caliginosa propter literam. Sub caligine quippe literæ, cœlestium mysteriorum secreta velantur, quæ ab ipso per Euangelium reuelantur, de quo scriptum est. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Vnde ait Propheta, *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Hinc Salomon, *Dominus dixit, quòd habitaret in nebula.* Vnde & Moyses non poterat accedere ad caliginem, in qua erat Deus. Iubentur prædicatores, à quibus onus nuntiatur Babylonis, vt nõ in infimis jaceant, sed disponant ascensiones in corde suo; & qui ea, quæ de sursum sunt, prædicant, quæ sursum sunt sapiant; & ita super mõtẽ positi, non ad vallium ima deiecti, faciant quod sequitur. *Leuate signum, exaltate vocẽ.* Vel quoniam primi veritatis præcones ex reliquijs filiorum Israël electi, legalibus fuerant instituti decretis, & literalibus sacramentis assueti, iubet Spiritus sanctus vt à lege ad Euangelium, de litera transeant ad Spiritum, & de valle carnaliũ obseruationum, ad montem ascendant spiritualium præceptorum. Aut certè præcipiuntur, vt quod prædicant in Euangelio impletum, antiquis litteris probẽt prænũtiatum, sicut ait Saluator. *Scrutamini scripturas, ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibẽt de me.* Et Apostolis. *Oportet impleri, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me.* Bifarie potest legi hic sermo propheticus, *Super mõtem caliginosum leuate signum*, vt vel signum super montem leuent caliginosum; vel ipsi super montem positi caliginosum, signum leuent. *Exaltate vocem, leuate manum.* Habes & aliàs, *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.* Hæc est illa Euangelicæ vocis exaltatio, quàm sanctus David legitur expressisse. *In omnem*, inquiens, *terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* Quod igitur sanctus David vidit futurum, & verbo præteriti temporis vtens iam factum prædicat, hoc ipsum Isaias, imo ipse in Isaia Dñs iubet, vt fiat. *Exaltate*, inquit, *vocem.* Quoniam enim per vniuersum mundum vasa iræ, quæ Babylonica libido polluerat, in vasa fuerant mutanda misericordię; vox Euangelizantium tanta virtute personuit, vt de non audito fidei verbo nullus causari potuerit. Vnde Apostolus. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Sicut igitur in signi eleuatione præsignatum dicimus Dñicæ Crucis mysterium: ita in vocis exaltatione Apostolicæ prædicationis excellentia & efficacia prophetatur, sicut ait discipulis suis I E S V S. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Occurrunt adhuc aliæ de vocis exaltatione sentẽtiæ: sed quia

Crucis mysteriũ quid operetur. — *Philip. 2.* — *Luc. 11.* — *Isa. 13.* — *1. Cor. 1.* — *Quinã crucis signum leuent.* — *1. Cor. 1.* — *Galat. 6.* — *Isai. 40.* — *Vetus testamentũ mons caliginosus.* — *Psal. 28.* — *Psal. 17.* — *Isai. 40.* — *Psal. 18.* — *Marc. 16.*

nos ob alia quædam negotia instans hora compellit, ab hac consideratione, Deo volente, crastini sermonis sumemus initium. Vos autem de sermone ad lectionem, de lectione trāseuntes ad orationem, pias ad aures IESV deuotis pulsate precibus: vt reuelet oculos nostros, & consideremus mirabilia de lege sua, qui cum PATRE & SPIRITV sancto viuit & gloriatur, Amen.

SERMO QVARTVS.

De eodem Capitulo.

NON excidit vobis, fratres carissimi, ex quo initio, secundùm hesternam promissionem nostrā, hodiernus debeat sermo procedere. Prędicatoribus veritatis, vt diximus, vocis indicitur exaltatio: vt vbique terrarum salus, quam operatus est Dñs in medio terræ, Apostolis prędicātibus audiatur, & sic reminiscantur, & conuertantur ad Dñm vniuersi fines terræ; & in insulis, quæ procul sunt, dicant, Salvator noster adveniet. Volens præterea sanct⁹ Propheta inter veteris nouiq; testamenti præcones subtili examinatione distinguere; istos, vt vocem exaltent, hortatur. Nostis, populo huic Iudaico, vt carnali, & nihil nisi terram sapienti, terrenam felicitatē fuisse promissam, panis vinique copiam, lactis ac mellis abundantiam: secundùm illud. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Et illud *Si ambulaueritis in mandatis Domini, adhærentes ei: disperdet Dominus omnes gentes has ante faciem vestram Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Et in Amos Propheta. *Comprehendet arator messorem: & calcator vuæ mittentem semen.* Et multa his similia. Non igitur exaltabāt vocem, qui terrena promittebant; qui iacenti in imis populo, quæ ima sunt, prædicabant; qui tēporalia, amantibus temporalia, præmia proponebant. Exaltatur autē vox eorum, quos Christus noui testamenti evangelistas constituit; qui cælestia desiderāda, terrena verò docent esse spernenda; qui nihil mercedis suis promittunt auditoribus in præsenti: imò hic labores & agones, in futuro coronas & præmia pollicentur. Exaltabat plane vocem Paulus, cum diceret. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et iterum. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Sanctissimus quoque Evāgelista Ioannes vocem exaltās, & quasi filius tonitrui super Babylonem terribiliter intonans, *Nolite* inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Et. *Mundus transit, & concupiscentia eius.* Primus etiam Evangelicæ gratiæ prædicator Ioannes Baptista, non à regno terreno, sed à cœlesti suæ prædicationis sumpsit exordium, exaltans vocem & dicens. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Exaltat itaque vocem, qui prædicat spiritualia, qui loquitur diuina, qui promittit cœlestia. *Exaltate vocem, leuate manum.* Leuantur manus in oratione, leuantur in bona operatione, leuantur in miraculorum exhibitione. Incumbit quippe prædicatoribus, vt pro ipsis, quibus prædicant, orent primùm vt audiant, deinde vt credant, postremò vt in ipsa fide ac bonis operibus perseuerent. Incumbit illis nihilominus, vt his, quæ docent, non contraria faciant: vt mens,

Iudæis temporalia promissa.

Isai. 1.

Deut. 11.

Amos 9.

Vocem exaltant qui cœlestia promittunt.

Colos. 3.

2. Cor. 4.

1. Ioa. 2.

Matth. 3.

vox, manusque concordent, intentione, sermone, actione. Possunt & in manuum leuatione ea, quæ per manus Apostolorum fiebant signa, & prodigia in plebe, non incōuenienter accipi: hisque prænuntiatum verbis, quod in Evangelio legimus, Dño præcipiente, completum. *Ite*, inquit ad discipulos, *prædicate, dicentes, Appropinquabit regnum cælorum.* Hoc est, quod dixit Isaias. *Exaltate vocem.* Et addidit. *Infirmos curate, leprosos mūdate, dæmones eiicite.* Et inde Propheta: *Leuate manum.* Sed nec inconueniens erit, vt credo, si elevatione manuum, vel vocis exaltatione, recta præfiguretur intētio: quæ si sola peruersa fuerit, & in inferiora declinans; & verba, & opera, quantūcumque videantur sublimia, à Deo iudicabuntur iacentia Nam hi qui non sincerè, neq; ex veritate Dei evāgelium prędicabāt, sed ex occasione; de quibus ait Paulus, *Omnes, quæ sua sunt, quærūt, non quæ Iesu Christi:* Et, *Huiusmodi Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri*: nec vocem exaltabant, nec manus leuabant: quia quidquid sublime sonabat in verbis, quidquid in miraculis eminebat altum, profectò totum vilis & perversa intentio in infima deiiciebat. Vnde Propheta. *Et victimas suas declinabant in profundum.* Salutaris quippe hostia est veritatis prædicatio, carnis afflictio, pauperum recreatio, assidua & intenta oratio. Sed has certè victimas declinant in profundum, qui relicta intentione cælestium præmiorum, eas ad hæc infima præsentium cōtorquent commodorum. Vnde Dominus in Evangelio. *Videte, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis,* &c. Itaque qui prædicationis officium, vel prophetiæ donum, vel gratiam miraculorū, vel opera iustitiæ, vel lumen scientiæ, in vanitatem humanæ laudis, vel in auaritiam turpis quæstus expendunt, nec vocem exaltant, nec man⁹ leuāt, nec præmia cęlestia, sed æterna supplicia expectant. Nam quòd etiam donis illis sublimiorib⁹, prophetia scilicet, & miraculis, plurimi abutantur, & prophetia Balaam, & miraculis Iudæ facilè comprobatur. Maximè tamen argumēto nobis est illa terribilis in Evangelio Salvatoris sententia, qua dicit. *Multi venient in die illa, dicentes. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo multa signa fecimus? Et tunc cōfitebor illis, quia non noui vos.* Eia, fratres carissimi, æmulamini charismata meliora, humilitatem, patientiā, charitatem. Hæc certè meliora, quia vtiliora. Non enim humilibus, non obedientibus, non inuicē in charitate diligentibus dicet Dominus in illa die, *Non noui vos*: quod scimus eū multis prophetantibus & miracula facientibus esse dictum. Nullus itaque vestrum, fratres, ideo se putet Deo minùs acceptum, quia se non videt miraculis gloriosum; sed secundùm tria illa, quæ diximus, quàm diuinis sit gratus aspectibus, nihil hæsitans metiatur; nam. *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*; & *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; Et, *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli*, estis Christi, *si dilectionem habueritis adinvicem.* Sancti igitur Apostoli, virique Apostolici, quos, ad debellandum atrium fortis, Christus misit in mundum, vocem suam quadrifarie dicimus exaltasse: regni Dei prædicatione; bonorum cœlestium promissione; contemptu præsentium; intentione futurorum. O quàm pulchri super montes virtutū pedes, id est affectiones, euangelizantium pacē,

Manuum eleuatio signa quæ Apostoli faciebant.

Matth. 10

Vocis exaltatio recta intentio est.

Philip. 2.

Rom. 16.

Ose. 5.

Mat. 7

Gratiis gratis datis quidā abutūtur

Mat. 7.

Iac. 4.

Luc. 21.

Ioan. 13.

bonæ voluntatis hominibus, propter bona cælestia, terrena spernentibus! Pulchri sanè pedes, quibus nec saltem puluis adhæret, sed velut posita in peluim aqua, ab ipso Christo abluitur, aut in ipsos, propter quos contrahitur, ipso Domino iubente excutitur. Quicquid enim prædicatores, vel prælati ex occasione officij sui, terrenarum affectionum pulueris contrahunt; vel ab ipsa charitate, pro qua contrahitur, Christo operante diluitur, secundum illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum*; vel certè in ipsos, pro quibus laborant, si fuerint ingrati, vel inobedientes, excutitur; vt totum non prædicatori, sed ipsis potiùs imputetur. His omnibus diligẽter consideratis, breui epilogo sensum litteræ explicemus. Vox Prophetæ, vel certè vox Domini per Prophetam ad Apostolos. *Super montẽ caliginosum leuate signum.* Ac si diceret. Contra Babylonem, id est mũdum, qui mons est propter elationem, caliginosus propter errorem, signum fidei, & Dominicæ passionis leuate; vt humilitate crucis mundi superbia debelletur; lumine fidei errorum tenebræ depellantur. Nec id vno in loco, aut in vna fiat regione; sed exaltate vocem, vt in omnem terram exeat sonus vester, & in fines orbis terræ verba vestra. Vt autem doctrina veritatis libentiùs audiatur, faciliùs credatur, deuotiùs recipiatur, leuate manum, vt quod verbis docetis, miraculis confirmetis. Quæ omnia impleta sunt, quando discipuli profecti prædicauerunt vbique, Deo cooperante, & sermonem confirmãte, sequentibus signis. Potest legi & ita. Vos prædicatores verbi Dei, ascendite de valle ad montem, de littera ad spiritum, de carnalibus cæremonijs legis, ad cœlestia sacramenta euangelij; & ita in monte illo caliginoso, in quo est Deus, id est, in scripturarum scientia positi, leuate signum, & vocem. Vel ita. Vos, quos sublimia prædicare præcipio, ad sublimia mente conscendite, vt in monte contẽplationis discatis, quod in mundi huius valle doceatis; & in sublimi, actione scilicet, & contemplatione locati, leuate signum, crucis mysteria prædicando; exaltate vocem, nõ terrena, sed cælestia promittendo; in omni loco leuantes puras manus, pro eis, quibus prædicatis, orando, vel bona opera recta intentione exercendo; & ita muri Babylonis crucis aculeo penetrentur, & spolia eius diripiantur, fiatque quod in hoc ipso Propheta scriptum est. *Letabuntur coram te, sicut qui letantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.* ET INGREDIANTVR *portas duces.* In his quippe omnibus, quæ dicta sunt, aperiuntur portæ ciuitatis, duces ingrediuntur: quorum vnus de ipsarum portarũ apertione gloriatur, & dicit. *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.* Ibi quippe portæ Babylonis clausæ reperiuntur à ducib⁹, vbi omnibus infidelitate & malitia obseratis, verbo Dei ad eorum corda nullus patet accessus; vbi vox prædicatoris auditur, quasi pulsantis ad ostium; sed doctrina veritatis non recipitur. Tales vtique erant Iudæi, quibus Paulus dicebat. *Vobis oportebat primum annunciare regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* Sed & illi ostium clauserant ducibus istis, qui audiẽtes à Stephano Domini IESV gloriam prædicari, continuerũt aures suas. Dicũtur sanè ipsi prædicatores duces verbi, quia Dei verbum auditorũ cordibus introducunt; qui tunc portas ciuitatis ingressi sunt, quando suscepti à Gentibus, constructæ de ipsis Ecclesiæ, rectoris ac ducis nomine præsidebant. Possunt etiam per portas ipsa fidei sacramenta intelligi. Necesse quippe est, vt fides præcedat, deinde introitus pateat intellectui. Tunc autẽ dici possunt duces ingressi, quãdo per fidem auditorum quasi in eorum cordib⁹ suscepti, altioris ac secretioris doctrinæ eis lumen infundunt. Sed & primitias credentiũ portarum nomine dignas existimo, per quas, ad cæteros conuertendos Apostoli faciliorem habuerunt accessum, & in ipsam armis muniti cælestibus ingressi sunt ciuitatem. Hinc credo dixisse Apostolum. *Ostium mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi.* Multitudo quippe credentium quasi ostium erant, per quos in ciuitatem confusionis Paulus intromissus, contra aduersarios, quorum non paruus erat numerus, copiam habuit cominus decertãdi. Et in his omnibus onus intelligitur Babylonis, secundum quod superiùs eam diximus, per Christi aduentum, separatione multorum esse subuersam. Sed iam sermoni huic finem facimus, ne in hac parte vestris profectibus seruire cupientes, alia exercitia æque vobis necessaria impedire videamur. Præcedat autẽ sermonem crastinũ oratio, quòd ea quæ allegoricè dicta sunt, expositione tropologica repetere possimus: vt iacto fundamento bonorum operum superponatur structura, ad laudem & gloriã Dñi nostri IESV CHRISTI, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Pulchri pedes qui dicẽcendi. — *1. Petri 4.* — *Isai. 13.* — *Mundus mons caliginosus.* — *Marc. 16.* — *Isai. 9.* — *4. Cor. 16.* — *Actor. 13.* — *Actor. 7.* — *Sacramenta fidei sunt portæ.* — *1. Cor. 16.*

SERMO QVINTVS
De eodem capitulo moraliter.

MEMINISSE debetis fratres carissimi, dixisse nos caritati vestræ, animam pessimis passionibus vitijsque confusam, Babylonis nomine conuenienter intelligi. Babylon enim, vt scitis, confusio interpretatur. Et quid tam confusum, quam anima illa, quam nunc superbia eleuat, nunc ira deuastat, nunc tristitia contrahit, nunc luxuria inquinat, nunc gula dehonestat? Talis quippe anima mõs caliginosus dici potest; quicunque enim tales sunt, oculi eorum cæca quadam caligine obducuntur, vt inter lumen, virtutum, & tenebras vitiorum discernere non valentes, illud fugiant, in istis delectabiliter volutentur. Huius Babylonis onus crux est, quæ iã leuata per orbem, pereuntibus quidem onus est, his autem qui salui fiunt vtile, gratumque leuamen. Quid enim, fratres mei, tam onerosum amantibus mundum, quam crux? In Cruce commendatur gloriæ contemptus, quam illi appetunt; commendatur carnis afflictio, quam vehementer refugiunt; commendatur propriæ carnis mortificatio, quam detestantur; commendatur nuditas, & rerum temporalium expoliatio, quã execrantur. Sed & nos, fratres, quantũ reliquię Babylonis occupant, onerat crux, sicut quotidianis experimentis edocemur! Inquantum enim carnis delectat suauitas, intantum eius torquet afflictio; & quantum honor gratus est, tantum vilitas est onerosa; & quantum eleuat adulatio, tantum deijcit detractio. Si verò diuitiæ affectantur, paupertas affligit; & si dulcis videtur libido, difficilis castitas æstimatur. Hinc est, quòd multi discipulorum Christi audientes crucis mysterium, abierũt retro, & iam cum illo non

Babylonis onus crux est.

ambulabant. Demus proinde operā fratres mei, vt quicquid de reliquijs mundi in nobis est, à nostris cordib⁹ extrudatur; & omnia, si fieri potest, Babylonis deleātur vestigia: vt experiamur quantum sit in cruce dulcedinis, quantum securitatis & gloriæ. Amorem enim parit, quo nihil dulcius; martyrium, quo nihil securius; cōtemptum mundi, quo nihil gloriosius. *Super montem caliginosum leuate signum.* (Isai. 13.) Ad Angelos, credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarū nostrarum iussit esse custodes, vt cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat, vel tētat, recordationē crucis imponant; & singulis vitijs, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponāt. Hi sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter nos: qui intersunt psallentibus, assistunt orantibus, legentibus & meditantibus assunt. (*Angeli orātibus adsunt*) Isti se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentib⁹, exemplum Dominicæ passionis objiciunt; mentem ira inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt; elationē illis vel superbiam immitentibus, humilitatem nobis humilis IESV suggerunt imitandam. Ideo fratres charissimi, state in Ecclesia cum reuerentia & timore, & date honorem Deo, & habete gratiam his beatis, & amicis vobis spiritibus; ne fortè aut leuitate vestra, aut aliqua contra inuicem indignatione offensi discedant, & sic ad corda vestra nequam Angelis liber prebeatur accessus. Felix anima, quæ inter psallendum, in ipsius, de quo psallit, accenditur desiderium; excitatoque affectu, obortisque lacrymis, ipsos, quos in spiritu sentit esse præsentes, alloquitur; *Filia Ierusalem nuntiate dilecto, quia amore langueo.* (Cant. 5.) Quàm læto putas vultu, quàm hilari voce beati illi spiritus respondere videntur. *Ecce ipse venit saliens in montibus, transiliens colles*; (Cant. 2.) conversique ad ipsū ja mjamque animæ propinquantem, *Ipsa est*, inquiunt, *speciosa inter filias Ierusalem.* Infelices & miseri, qui ad instar spinarum & veprium, talem animam indisciplinatis signis, vel vocibus pungunt: nec solùm ipsi tantæ dulcedinis expertes, traduntur dæmonibus illudēdi; sed etiam ministri Satanæ effecti, quantum in ipsis est, eius iaculis & persecutionibus alios exponunt. O quàm delectabile spectaculum immundis exhibent spiritibus, qui huiusmodi sunt! (*Qui delectabile spectaculum dæmonibus exhibeāt*) qui vocem suā, linguam suam, os suum, postremò ipsum cor suum, totiusque noctis laborem, à sanctissimis Angelorum manibus, qui omnia iam susceperant tēplo cęlesti inferenda, & in conspectu Dei diuinis imponenda altaribus, infeliciter avellūt: & sic omnia dæmonibus immolant, & non Deo, vt mereātur audire. *Neomenias vestras, sabbata vestra, sacrificia vestra odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta.* (Isai. 1.) O tu, sancta anima, amica Dei, sponsa Christi, habitaculum Spiritus sancti, patienter tales sustine: vt si impugnant, non expugnent; si trahunt, non pertrahant, nec sic auertant à te, vt convertant ad se, vt te faciant sui similē; & illis, qui tibi assistunt, dissimilem Sanctis: sed potiùs glorietur de te Sponsus tuus, & dicat. *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.* (Cant. 2.) Itaque fratres carissimi, quicumque spirituales estis, cùm talem aliquem videritis, nolite indignari illi, sed potiùs orate pro illo aliquādo familiares amicos vestros, beatos, qui vobiscum sunt, spiritus; vt super montem hunc caliginosum leuent signum: quatin⁹ Dominicæ passionis & crucis recordatione repressi confundātur & erubescant; & sic ad cordis & vocis redeant vnitatē. Et additur. *Exaltate vocem, leuate manum.* Itaque quia in sermonem de sacris vigilijs incidimus, congruit psalmodiæ vocis exaltatio: orationi manus eleuatio. Et ne literam in hac parte penitus contēnamus, potest in vocis exaltatione feruor ille exprimi, qui in turba fratrum valde necessarius est: vt per oris sonum interior ille ignis erumpat vndique, & sic se erigant inuicem & accendant, quatinus vna flāma effecta ex multis, holocausta illa medullata diuinis Angelorū ministerio illata altaribus in odorem suauitatis incendant. Commendatur etiam in manus eleuatione puritas orationis, sicut dicit Apostolus. *In omni loco leuātes puras manus sine ira & disceptatione.* (I. Timo. 2.) Ille puras manus leuat in oratione; (*Quis puras manus leuet in oratione.*) cuius conscientia tempore orationis exultans, bonorum operum recordatione in quādam confidentiā sese attollit, & diuinis præsentat obtutibus. Quæ quidē confidentia ex innocentia aut ex pœnitentiā necesse est oriatur: si videlicet aut non flenda commiserit, aut commissa dignè defleuerit. Sed quando me, inquis, dignè & sufficienter pœnituisse præsumam? Numquam omnino. Vnde igitur ista cōfidentia? Eia fratres charissimi, spiritualia spiritualibus comparamus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est.* (Iac. 1.) In cuius, quæso, potestate est, sic orare vt velit? Itane quādo volumus, aut in lacrymas resoluimur, aut deuotione ferue scimus, aut erigimur confidentia, aut flamma charitatis succendimur, aut contemplatione sustollimur? Experti estis, quā nihil horum in vestra sit potestate: sed mittit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. Iste igitur Spiritus has in oratione affectiones dispertit, diuidens singulis prout vult. Ipse adeo in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, vt ipse etiā gemitibus inenarrabilibus dicatur interpellare pro nobis. (Rom. 8.) Inenarrabilibus, inquā: quis enim sufficiat enarrare, quot modis mens in oratione afficiatur: (*Vis gratiæ Spiritus sancti.*) in qua nunc pudor gemitū excitat pro peccatis, nunc amor pro pœnis, nunc deuotio pro affectu, nunc amor pro desiderio? Sed ex consideratione præsentis infirmitatis, vel infelicitatis, plerūque compūgimur, & vitæ huius fastidio ingemiscimus: & pœnas quas timemus, & regnum quod speramus, ante oculos ponimus, & Dei circa nos immensa beneficia recordamur: nullo tamen doloris sensu afficimur, nullo timoris affectu compungimur, ad nullum cœlestis beatitudinis desiderium sublenamur. Plerumque nihil horum præ oculis habentes, subito in hæc omnia rapimur, & de affectu in affectum modo quodam ineffabili transeuntes, lacrymarum imbre perfundimur. Quid est hoc? Certè quia *Vbi Spiritus vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* (Ioan. 3.) Scis quando venit, quia non se sinit ignorari cum spirat; scis quando vadit, quia tepor feruori recedenti succedens, non te sinit ignorare, cùm spirare iā cessat. Sed nescis vnde veniat, aut quò vadat Vnde venit, aut quò vadit Spiritus, qui replet orbem terrarum? Neque enim ab ipso vox ista aliena est. *Cœlum & terram ego impleo.* (Ierem. 23.) Et tamen venit, & nescis vnde veniat; & vadit, & nescis quò vadat. Nescis certè vnde veniat, an à secreto misericordię, an à tribunali iustitiæ, an ex abysso iudiciorum, an ex thesauris scientiæ. Cùm enim venit vt excitet torpentem, vel compungat

peccantē, vel consoletur afflictum; quasi ex cubiculo misericordiæ dicitur processisse. Quãdo verò vt bene operantem spiritualis compunctionis suauitate remuneret; ex iustitiæ eum sede ad nos dicimus descendisse. At vbi illorum mentibus salutarem nunc inspirat affectum, quib⁹ omnia cooperantur in malū; qui ingrati beneficijs, seruantur supplicijs; quibus & bonum, & malū simul sunt ad tormentum; eum ex abysso iudiciorum aduenisse non dubites. Si verò ea causa venire dignatur, vt mens huiusmodi visitatione purgata, ad rimanda diuinæ secreta scientiæ, luminosior aptiorque habeatur; quasi ex scientiarū thesauris eum exisse confidas. Sed nescis vnde veniat, cum nescias vtrū amore, an odio dignus sis: & vtrum misericordiam prœroget, an mercedem restituat, an exerceat iudiciū, scire non possis. Nescis & quò vadat, vtrum videlicet è vicino subsistat, pòst modicum rediturus: an lõgiùs eat, post multum temporis reuersurus: an offensus recedat, numquam denuo reuersurus. Itaque quando vult spirat, & vbi vult spirat, & sicut vult spirat: diuidens singulis quod vult, & sicut vult. Quotiens tamen orantis mentem in quandam confidentiam erigit, & obliteratis omnibus, quæ conscientiam obscurabant, timorem pro delictis, & sollicitudinē à corde prorsus expellit, facitque eum miro, & ineffabili modo de salute sua eo puncto temporis certū; manus eius in excelsum elatas non dubites. Quod quia fit Sanctorum auxilio Angelorum, ad illos dictum intelligi potest, *Leuate manus.* Præterea contra tria peccatorum genera quibus peccamus, cogitatione scilicet, sermone, & opere, tria hæc à nobis ipsis auctoritate Prophetica exiguntur; *Super montē caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum.* Cor quippe nostrum cum per naturam sublime sit, & per profunditatem inscrutabile, mons caliginosus dici potest; quod necesse est Crucis semper memoria muniamus, ne peccemus cogitatione; iubemurque exaltare vocem, ne peccemus sermone. Necessarium sanè præceptum, præsertim hoc tempore, quo fere omnium lingua tota die circa infima, vel noxia quæque versatur, & rarus, fit qui vocem in sublime sustollat. Eia fatres charissimi, pudet dicere, quomodo conuenientibus multis in vnum, detractiones vndique sonent, & ferueant iudicia. Nam vt taceam mundi amatores, quorum totus sermo de lucro, aut turpitudine est; de illis, qui videntur sæcularibus abrenunciasse operibus, quid dicam? quorum omnes fere disputationes, & collationes de ventre sunt, pro eius non dicā delectatione, sed onere. Nunc enim ira turbidi, nunc deiecti tristitia, nunc odijs inflammati, nūc pressi murmure, nunc lite sunt effrenati, quorū mens intestinis semper conformatur & ventri, inde sibi aut gaudium mutuant, aut dolorem. Isti vtique non vocem exaltant, sed turpiter deijciunt. Quod similiter faciunt, qui tota die de alienis tractant negotijs, qui de suis se iactant operibus, aliorum detrahendo discutiunt, qui serijs vtilibusque prætermissis, vana & ludicra in medium proferunt. Contra hæc omnia jubet nos sermo Propheticus exaltare vocem, vt sermo noster de cœlestibus sit, qui vel Dei timorem incutiat, vel amorem infundat, vel augeat scientiā, vel mores componat. Iubemur & manus leuare, vt thesaurizemus in cœlum, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur; vt videlicet omnia opera nostra transmittamus ad cœlum, non facientes iustitiam nostram coram hominib⁹, vt videamur ab eis. *Et ingrediantur portas duces.* Hæc omnia, fratres, quæ de signi leuatione, vel vócis exaltatione, vel manus eleuatione diximus, quædam, vt ita dixerim, portæ sunt, per quas virtutes introducuntur ad animam, quasi quidam cælestis exercitus, quo vitia, quibus fuerat Babylon, id est ciuitas confusionis affecta, penitus expellantur: & sic vocetur Ciuitas sancta, vrbs fidelis. Huius exercit⁹ duces, principales virtutes intelligamus, Prudentiam, Temperātiam, Fortitudinem, Iustitiam. Hi duces, si cogitationes nostræ sanctæ fuerint, si sermones boni, si mūda opera, quasi portas quasdam intrantes, totam animam suæ subijciunt ditioni, replentes eam virtutibus, & sancto Spiritui domicilium præparantes. Diutius, quam putabamus, nos sermo iste detinuit; vtinam tam vtilis fuerit, quam prolixus. Ad illa itaque quæ sequuntur inspicienda, vel tractãda, temp⁹ aliud expectemus, obsecrantes eum, *Qui habet clauem David; qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, quatenus quod clausum est in scripturis suis, aperire dignetur, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Diuersis de causis Deus venit.

Isai. 13.

In detractores.

Qui vocem non exaltēt, sed deijciant

Apoca. 3.

SERMO SEXTVS.

De eo quod scriptum est, *Ego mandaui*, vsque, *Exultantes in gloria mea.*

DE Onere Babylonis, sicut meminit charitas vestra, quinque jam sermones absoluimus; in quibus de monte caliginoso, & de leuatione signi, & de exaltatione vocis, & manuum eleuatione, sicut potuimus, disputauimus. Iam nunc, ne cui videatur ambiguum, ad noui Testamenti præcones vocem istam, sicut diximus, propheticè fuisse directam: manifestè id ipsum loquentis in Propheta verbis Domini declaratur. Dicit enim. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea: exultantes in gloria mea.* Dederat quippe mandatum, vt omnia quæ præcepta sunt, fierent: sed à quibus fierent, non expresserat. Ideo quasi quærenti & dicenti, Domine, cui ista cōmittis tam magna sublimiaque negotia? respondet, *Ego mandaui sanctificatis meis*, & cætera. Quib⁹ verbis, vt mihi videtur, tres prædicatorum ordines exprimuntur: quorum primum sanctificatos appellat; secundum fortes in ira sua; tertium exultantes in gloria sua. Notatur & hic triplex Ecclesiæ status: primus electionis, secundus persecutionis, tertius pacis. Potest enim sanctificatio referri ad electionē: ira ad persecutionem: gloria ad pacem. Primùm itaque electi sunt Apostoli & discipuli Christi, quos profectò sanctificatos appellat: pro quibus specialiter illa eius effusa est oratio, quam post vltimum in cœna sermonem mirabili & ineffabili affectu ad Patrem profudit. *Pater*, inquit, *non rogo, vt tollas eos de mundo: sed vt serues eos à malo. Pater, sanctifica eos in veritate.* Et iterum. *Pro ipsis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Isti igitur verè sanctificati sunt in veritate; qui præsentia corporis eius, qui doctrina dulcissimi oris eius, qui commendatione efficacissimæ orationis eius, qui postremò recenti effusione sacrosancti sanguinis eius, tantò vberiùs, quantò vicinius sanctificari meruerunt. Optimè autem dicit, *Ego mandaui*, id est præcepi,

Isai. 13.

Tres prædicatorū ordines expressi.

Ioan. 17.

sanctificatis meis: vt eos hic intelligas designari, qui ab ipso eius ore mellifluo prædicandi ministerium, & officium Apostolat⁹ susceperunt. Sed quia fundata per Apostolos Ecclesia persecutionibus erat exercenda, & probāda tentationibus: vocaui, inquit, fortes meos in ira mea. Ira Dei multis modis intelligitur in Scripturis. Dicitur enim iratus Deus, aliquando cùm affligit; aliquādo cùm parcit; aliquando cùm hominum resistit desiderijs; aliquando cùm fauet. Nam commotus aduersus Iob dictus est, quem permisit affligi: sicut ipse loquitur ad Sathan. *Et tu commouisti me adversus eum frustra*. Illis autem pepercit iratus; de quibus dicit. *Recedet Zelus meus ab eis: & vltra non irascar eis*. Sed & iratus dimisit quosdā secundum desideria cordis eorum: & iterum quasi iratus sepit vias multorum spinis, vt non inveniant amatores suos, quos quærunt. Dicitur itaque afflictio ipsa, qua suos permittit affligi, ira eius. Licet proinde Ecclesiam non ad virtutis detrimentum, sed ad mercedis cumulum à persecutoribus permiserit fatigari: ipsa tamen ira Dei non incongruè appellatur: non secundum providentiam permittentis, sed secundum dolorem sentientis; & æstimationem, quid inde futurum fuerat, nescientis. Quamuis hæc ira verè ad ipsos possit referri, qui occasione persecutionis recesserunt à fide: nec ad eam per pœnitentiam redierunt. Istos verò iratus permisit affligi, quibus temporalis pœna æternæ damnationis fuit occasio: quia melius erat viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retrorsum redijsse. Potest & hæc ira Dei in persecutores sanctorum videri sæuisse; qui sicut dictum est de Pharaone, in hoc ipsum excitati sunt, vt ostenderet in eos Deus virtutem suam, & notam faceret potētiam suam: quos permisit indurari, ne crederent; excæcari, ne viderent; commoueri, vt credētes occiderent. Vnde scriptum est in hoc ipso Isaia. *Excæca cor populi hujus, & aures eius aggraua, & oculos claude: ne fortè videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant; & conuertantur, & sanem eos*. In hac ira Dei, siue qua electi puniti sunt, vt coronarentur; siue reprobi, vt agnoscerentur: siue qua permissi sunt sæuire tyranni, vt arctiùs vel infeliciùs damnarentur; in hac inquā ira Dei Martyres sancti fortes inuenti sunt; qui ignem, ferrum, bestiasque perpessi, fiducialiter proclamabāt. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius?* Horum itaque patientiā muri Babylonis arietati corruerunt: latum ducibus relinquentes ingressum. Sic mirum in modum principes, qui orbē sibi subiecerant pugnando, martyres Christo subijciunt patiendo. Tunc verè leuatum est signum, quando in corona regis crux locatur pro gloria, quæ fuerat terrori pro pœna, pro contumelia pudori. Tunc cœpit apparere etiam mundo gloria Christi; quando vbique per orbem templa subvertebantur, idola conculcabantur, martyres coronabantur: exultantibus in hac gloria sanctis prædicatoribus Christi, de quibus ait. *Vocaui fortes meos in ira mea: exultantes in gloria mea*. Itaque mandauit sanctificatis; fortes vel exultantes vocauit. Præcepit nimirum sanctificatis, quos sua lætificauit præsentia; quos proprij oris erudiuit doctrina, quibus ascendens in cœlum prædicationis officium & dispensationem iniunxit sacramentorum. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti*. Cæteros sanè, siue Martyres, siue Doctores, absens corpore, sed præsens diuinitate vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos ad alios vocandos erudiendosque transmisit. Quamvis quocumque tempore fuerint omnes præcones veritatis, sanctificatos potuerit appellare propter castitatē; fortes propter charitatem; exultantes propter spem. Nā castitate perfecta nihil sanctius, charitate nihil fortius; spe cœlestium nihil iucundius. Et hæc quidem fide quæsita sunt, persecutionibus probata; Christi gloria choruscante firmata. Fides itaque contulit sanctimoniam; ira probauit dilectionem: spem inspectio gloriæ confirmauit. Sed & nos fratres charissimi, sanctificemur in gratia eius: fortes simus in ore ipsius: exultantes in gloria eius. Quod nomine sanctificationis castitas appelletur, Scripturarum consuetudo commendat. Nam cùm aliquando filiis dicatur Israël, *Sanctificamini in crastinum*; aliquando, *in diem tertium*: à carnali commixtione certis tempotibus prohibentur. Hinc est, quòd panes quęrens à Sacerdote Dauid, cùm audisset, non esse ibi panes laicos, sed tantùm panes propositionis; Sacerdoti interroganti, vtrum mundi essent pueri, maximè à mulieribus, respondit. *Siquidem de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, & sunt vasa puerorum sancta*. Vnde Apostolus. *Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore: & non in passione desidery*. Sciendū autem est, quia est castitas carnalis, castitas sensualis, castitas spiritualis. Castitas carnalis est, si homo voluntatem suam ab omni illicita coinquinatione cohibeat. Castitas sensualis, si membrorum omnium sensus ab omni illicita delectatione contineat. Castitas spiritualis, si omnes affectiones immundas, cogitationesque impuras à cordis sui oculis abigens, eas priusquam carnē perstringant, eijciat. Eia carissimi, carnali illi populo, cui carnalia sola sapiebāt, temporalis quædam sanctificatio indicebatur; illam, quæ solius carnis est, à membris tantùm inferioribus libidinem arcens: nobis non modo illa præcipitur; sed omnium insuper sensuum castigatio sacratiori lege imponitur, vt mundemur ab omni inquinamento carnis & spiritus: & sic in nobis perficiatur sanctificatio, non vnū corporis nostri membrum castitatis legibus subdens, sed omnes interioris exteriorisque hominis sensus perpetuo sibi jure submittēs. Itaque fratres, non sinamus tempus sub negligentia præterire: sed inspiciamus diligenter, siquid impuritatis adhuc in oculis sit; si aures vanis noxijsve sermonibus polluantur; si manus mundæ, si defæcatæ nares, si sermo sanctus, si temperatior gustus, si vultus leuitate vacuus, incessus vanitate: & sic omnia quæ sunt sanctificationi contraria resecemus, vt odor quidam suauissimus de singulis membris nostris sensibusque procedat; & sic holocaustum nostrum pingue fiat. Inde ad spiritualem illam, quæ cæteris excellentior est, conscendentes; omnes affectus motusque cordis, non solùm ab omni immunditia; sed quantum fieri potest, ab omni pervagatione lasciuiæ vendicemus: & sic exteriori interiorem pudicitiam sociantes, vnum Deo sacrificium ex vtriusque cōjunctione libemus. Felix, felix, qui siue manducet, siue bibat, siue aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facit; sanctificans semetipsum Christo: vt sanctificatus in veritate cælestium mandatorum, secretis commu-

Marginalia: Ira Dei multis modis intelligitur. — Iob 2. — Ezech. 16. — Exod. 9. — Isai. 6. — Rom. 8. — Patientia Martyrum muri Babylonis cotruerunt. — Isai. 13. — Castitas sanctitas dicitur. — Iosue 7. — Exod. 19. — 1. Reg. 21. — 1. Thessa. 4. — Castitas triplex.

licet, vnus effectus ex illis, de quibus dicit. *Ego mandaui sanctificatis meis.* Sequitur fortitudo, quæ in tentationibus necessaria est: neque enim perfectio illa sanctificationis ita indiruptè in hac poterit vita retentari, vt nullis vnquam tentationib⁹ interpoletur eius serenitas. Verùm, sicut Dominus Deus noster tempore, quo pacata sunt omnia & tranquilla, dulcis & amabilis cernitur & iucundus: ita cùm nos vel tentationibus carnis, vel dęmonum exponit suggestionibus, vel mundi huius affligit molestijs, vel atterit persecutionibus, durus quodammodo videtur & iratus. Et felix, qui in hac ira eius fortis fuerit, nunc resistendo, nunc pugnando, nunc fugiendo: vt non infirmus inueniatur, aut debilis, vel consentiendo, vel desperando. Itaque fratres, qui non fortis inuentus fuerit in hac ira eius: non poterit exultare in gloria eius. Si igitur transierimus per ignem & aquam, ita vt nec ignis incenderit, nec aqua submerserit: cuius hæc gloria est? Numquid nostra, vt in ea nobis exultandum sit, quasi in nostra? Absit. Quàm multi exultant, fratres; exultant, cùm laudantur ab hominibus, de Dei donis gloriam propriam captantes, & in Dei gloria non exultãtes! Quidam quęrunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; & quæ sua sunt amittunt, & quæ sunt Iesu Christi non recipiunt. Exultat itaque in gloria Christi qui non quęrit gloriam suam, sed Christi: intelligens, in nullo esse nobis gloriandum, quando nostrũ nihil est. Sic ergo in singulis hominibus ciuitas confusionis obruitur: si castitas expellat luxuriam, fortitudo tentationes euincat, humilitas vanitatem excludat. Habemus præterea sanctificationem ex fide & sacramentis Christi: fortitudinem ex charitate Christi: exultationem in spe promissorũ Christi. Agamus itaque quantum possumus, vt nos fides sanctificet, charitas corroboret, spes lętificet, in Christo Iesu Domino nostro; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 13.
Fortitudo in tentationib⁹ necessaria.
Quis in gloria Christi exultet.

SERMO SEPTIMVS.

De eo quod scriptum est,
Vox multitudinis, *vsque,* Venientibus de terra procul.

IN verbis Propheticis, quæ hesterna die tractauimus, sequuntur ista, quæ hodie cum charitate vestra suscepimus explananda. *Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus Regum & Gentium congregatarum.* Primùm quærendum, cuius vox ista sit, Prophetæ, an Domini. Deinde, vtrum præcedentibus sententiæ continuatione cohæreat: an alterius Prophetiæ sit vox ista principium, quam à superiori diuersitas sententiarum disiungat. Mihi videntur verba ista Prophetæ exultantis, & in quemdam se mentis iubilum pro his, quæ in spiritu viderat, attollentis: quæ superioribus sic conuenire manifestum est. Cernens quippe post persecutionis diuturna, ac dura discrimina, ad Christum Regibus & Principibus mundi conuersis, vbique per orbem Christi Ecclesiam coruscantem, & in eius gloria exultantem, magnamque Sãctorum multitudinem, qui persecutionis tempore in antris, specubusque latuerant, cum mira alacritate vbique discurrere, & verbum Dei libera iam voce, & fronte prædicare: potentesque sæculi, reliquias Babylonis suæ auctoritatis terrore comprimere; ex abundantia cordis in vocem prorupit exultationis. *Vox multitudinis in montibus.* Quod cum quodam hiatu quasi admirando, & exultando legendum est. Videbatur itaque sibi Propheta ipsam vocem prædicantiũ, & exultantium; erudientium, & corripientium audire in spiritu, & ait. *Vox multitudinis in montibus.* Mons significat eminentiam, quia non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec vox eius non audiri, qui loquitur in monte. Itaque regnante per Imperatores Ecclesia, iam non erat latere in tenebris, iam nõ erat in angulis susurrare: data nimirum facultate Sanctis apertè prædicandi, & quoscunque vellent doctrina Euangelica erudiendi. Ait ergo. *Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium.* Tãtus quippe tunc erat prædicatorũm ordo, vt multitudini videretur comparandus. Quod si per multitudinem populorum frequentium velis intelligere multitudinem credentium, non erit absurdum: vt videlicet data pace Ecclesijs, & prædicandi licentia Sanctis, in voce exultationis & cõfessionis ad montes cõscenderint, Apostolorũ scilicet & Prophetarum doctrinam, de quibus Psalmista. *Suscipiant mõtes pacem populo.* Et alias, *Fundamenta eius in montibus sanctis,* eius scilicet Ecclesiæ. Hi sunt montes, ad quos leuamus oculos nostros, vt inde veniat auxilium nobis, vt eorũ videlicet illuminemur sapientia, & erudiamur exemplo. *Vox sonit⁹ Regum & Gentium congregatarum.* In sonitu terror ostenditur, quo credẽtes in Christũ Reges, imperiali edicto tẽpla subrui, confringi idola, sacrificia sacrilega aboleri iusserunt. Vocem itaque sonitus, id est, terroris eorum super Babylonem, Propheta spirituali auditu percipiens. *Vox* inquit, *sonitus Regum.* Quoniam autem exemplo superiorũ inferiores, exemplo diuitum pauperes, exemplo fortium debiles, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem sunt conuersæ, adiecit. *Et Gentium congregatarũ.* Non erat certè vnus locus, vbi congregarentur gentes, vt esset vox vna omnium: vna omnium in eadem sententia desiderioque voluntas. Et tamen congregatæ sunt: vocatæ nimirum ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone & Meridie: vt in vna Catholica & Apostolica Ecclesia conuenientes reges & Gentes, à finibus terræ clamarẽt ad Dominum: vnanimes vno ore laudãtes & honorificantes Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Quæ sententia videtur verbis sequentibus repetita, cùm ait. *Dominus præcepit militia belli: venientibus de terra procul.* Militiam belli Reges vocat & Gentes: illius vtique belli, quo ad bellandum aduersus confusionis ciuitatem, eiusque principes, aërias scilicet potestates, potentias regum, diuitum gloriam, industriam sapientium, tandem autem fidem gentium excitauit. Hæc est illa militia quæ venit à terra procul: ad eius differentiam, quæ quasi de proximo venerat. In proximo enim esse videbãtur, quorum erat testamentum & legislatio & obsequium, & promissa; quorum Patres, & ex quibus Christus secundùm carnem. An non gentes longè erant, sine lege, sine fide, sine Deo in hoc mundo? Longè erant, quibus dominabantur vitia, à quibus exulabant virtutes: quibus spes nulla cœlestium, nulla expectatio futurorum. Vnde conuenienter ait. *Venientibus de terra procul.* De terra sanè, terrenis scilicet, luteisque operibus: de terrenis affectibus & cupiditatibus: de mundi huius desi-

Isai. 13.
Isai. 13.
Mons quid designet.
Psal. 71. & 86.
Isai. 13.
Militia belli quid hoc loco sit.

Isai. 13. derijs & inquinationibus. Sanè quod ait, *præcepit Dominus militiæ belli*, vim diuinæ virtutis & gratiæ præcepti nomine commendat: quia ineffabili motu interiùs Gentes excitauit, vt audirent; illuminauit vt crederent; monuit vt venirent; recumberentque cum Abraham, Isaac & Iacob in regno Dei. Potest quippe per regnum Dei Ecclesia intelligi, in qua ad Patriarcharum gratiā Gentiles assumpti sunt: & abscissi ab infidelitatis oleastro, in bonam sunt inserti oliuam: & participes radicis & pinguedinis facti, promissam Abraham, Isaac & Iacob beatitudinem, vnius eiusdemque cum eis fidei meritis sortiuntur. Sed & hodie, fratres carissimi, ad spiritualem militiā quosdam de prope, quosdam de longè Christus adducit, & facit habitare vnius moris in domo: quos & induit armatura Dei, vt possint stare aduersus insidias diaboli. Vnde Psalmista ait. *Dicant nunc, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici: de regionibus congregauit eos.*

Vis diuina gratia præceptũ dicitur.

Psal. 106.

Sunt quippe regiones vicinæ, sunt & lōginquæ: de quib⁹ congregati sunt sancti & electi eius, qui ordinauerunt testamentum eius super sacrificia. Deinde in regionem longinquam profectus fuerat filius adolescentior: & ibi dissipauerat omnia sua, viuendo luxuriosè. Sed cùm pater Deus intelligatur: quomodo ab ipso recedere, vel ad ipsum redire potuit, qui vbique est? Quæ regio lōginqua illi est, extra quem nihil est? Sed regio lōginqua dissimilitudo est: sicut similitudo vicina. Itaque cui cum Patre omnimoda similitudo est, ita Pater uicinus est, vt licet non sit Pater, hoc ipsum tamen sit, quod Pater. De qua similitudine dicitur. *Qualis Pater, talis Filius.* Iste nec ad Patrem accedere, nec recedere potest à Patre. Non enim ad imaginem & similitudinem Patris est factus, sed ipse est imago & similitudo Patris: de eius substantia, non alterius substātiæ genitus. At ille filius, qui non est natus, sed factus; & factus ad imaginem & similitudinem eius; id est, non vt ipse esset imago & similitudo eius, sed vt impressam & expressam in se haberet imaginem & similitudinē Dei; & recedere potest, quia potest esse dissimilis: & redire, quia potest esse similis.

Quæ regio longinqua, vel propinq.

Symbolum Athanasij.

Considerāda ꝓinde sunt duo quædam, quæquidem in Creatore vnum sunt, duo in creatura, id est natura, & virtus. Ad naturā pertinet immortalitas & incorruptio: ad virtutē sapientia & dilectio. Hęc in Deo vnum sunt: quia non sunt aliud in Deo ista, quàm Deus. At homo immortalitatem habuit & incorruptionem, secundùm naturam, in qua creatus est. Habuit sapientiam & dilectionem, quæ ei superaddita est. Sed quia ipse nec immortalitas, nec incorruptio, nec sapiētia fuit, ab istis recedere potuit, & esse Deo dissimilis: & iterū redire per gratiā, & iterum esse similis. Virtus itaque, & virtutis præmium beatitudo, regio similitudinis est: vitium, & miseria dissimilitudinis. Quia verò primò factus est dissimilis per vitium, vt meritò factus sit dissimilis per miseriam, necesse est vt primùm similis efficiatur virtute, vt quandoque similis efficiatur beatitudine. Quantò autem quisque vitiosior est, tantò vtique est Deo dissimilior: ac per hoc tantò longinquior; quantò autem virtuosior tantò profectò similior, ac per hoc tantò vicinior est. Quotquot verò virtutes sunt, tot sūt & regiones, ad illam, quæ omnes continet, pertinentes regionem similitudinis: quotquot autem & vitia, tot & regiones, quæ ad eam, in qua omnia vitia sunt, pertinent regionē dissimilitudinis. Habent quippe singula vitia, vel virtutes, singulas, in quibus subsistant, regiones: extra quas aut vix, aut nūquam inueniri possunt, vel haberi. Itaque Castitas virtus est, cuius regio Abstinentia dici potest: labor quoque & vigiliæ, maximè autem interior solitudo. In hac sane regione habitat Castitas, extra quam vtrum possit inueniri, singulorum conscientia exploret. At fornicatio vitium est, cuius regio est edacitas, somnolentia, otium, maximè cohabitatio indisciplinatorum. Sic & Charitas, quæ virtus est, regionem habet voluntariam paupertatem; & Auaritia, quæ vitium est, regionem habet temporalium dilectionem. Hæc de cæteris vitijs vel virtutibus facile aduertere est. Sane vicinus est castitati, qui coniugij limites non excedit: longe autem remotus, qui fornicationibus, vel adulterijs, vel stupris polluitur. Sic vicinus est charitati, qui suis licēter vtitur, non diripiens aliena: sicut ille longè remotus, qui nec sua misericorditer distribuit, nec ab alienis abstinet capiendis. His quoque de cæteris vitijs diligenter inspectis, & virtutibus, cōsiderate, quàm multi de longè quam multi de prope ad militiā, quā iurastis, aduenerunt. Igitur de longinquo venerūt, qui de sterquilinio vitiorum, ad mōtes cōscendêre virtutū, in quibus vna omniū vox auditur psallētium in vnum, vnū insuper desiderantiū. Quam vocē audiens in spiritu Propheta. *Vox*, inquit, *multitudinis in mōtibus quasi populorum frequentium, vox sonitus Regum & Gentium congregatarum.* In hac quippe spirituali militia quidam Reges sunt, quidam plebes. Reges, qui præsunt; plebes, qui obediūt; vel Reges, perfecti; plebes, imperfecti. Et Reges populo terrori sunt, sicut imperfectis perfecti, subditis prælati, vnde ait. *Vox sonitus Regum.* Sonet itaque fratres, in ore vestro, & in cordibus vestris gratiarum actio, & vox laudis: qui non solùm à vitijs, sed quod paucis donatum est, ab ipsis vitiorum regionibus egressi, in montibus virtutum subijstis, & per hanc Dei similitudinem, quam in virtutibus habetis, ad illam, quæ adhuc deest, beatitudinem festinatis. Nos vero, his omissis, ad ea, quæ sequuntur indaganda itaque tractanda, nosmetipsos tam oratione, quam silentio reparemus. Ipse autem Christus reuelet oculos nostros, vt consideremus mirabilia de lege sua, qui cum PATRE, & SPIRITV Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

Vt creatura à Deo exeat & dissimilis fit illi.

Regio fornicationis &c.

Isai. 13.

SERMO OCTAVVS.

De eo quod scriptum est.

A summitate cœli, *vsq;* Tabescet & conteretur.

HACTENVS Propheta onus Babylonis secundum hoc, quod per aduentum Domini nostri, Sanctis prædicantibus, multorum est separatione destructa, paucis quidem verbis, sed profundis sententijs comprehendit. Nunc verò ad eos, qui vel Euangelij veritatem non susceperunt, vt salui fierent; vel qui susceptam fidei veritatem iniquis operibus corruperunt, Prophetantis sermo conuertitur. *A summitate cæli Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram.* Non hanc terram, quam calcamus, pręnuntiat disperdendā: sed terræ nomine eos vult intelligi, qui non nisi terram sapiunt: qui terrenis desideriis diuina promissa postponunt, qui

Isai. 13.

æternis

æternis temporalia præferunt: qui spreta Evangelij veritate, mūdi vanitatibus & erroribus implicantur. Hos nimirum disperdendos præmissa sententia Prophetæ declarat. Sciendum sanè, quòd duobus modis disperduntur peccatores: cùm videlicet conversi ad Dominum per pœnitentiam desinunt esse quod erant, & incipiunt esse quod non erant; secundum illud, *Verte impios, & non erunt:* vel certè cùm de malis in deteriora ruentes, postremò æternis supplicijs mancipantur. Et primum illud ab ipso Domino in suis fieri, qui miseretur cui voluerit, nullus ambigit Christianus: sequens illud eius quidem judicio, sed spirituum malignorum ministerio, Scripturarū authoritate probatur. Nam & diabolus misit in cor Iudæ, primùm vt traderet Dominum, deinde vt suspenderet semetipsum: & in Ægyptios misit Domin⁹ iram & indignationem & tribulationem; immissionem per angelos malos. Verùm cur vnus assumatur, alius relinquatur: cur iste convertatur sanandus, iste tradatur dæmonibus indurandus vel puniendus; ad occulta Dei judicia ac profunda consilia pertinere sciamus. Ideo ait. *A summitate cœli Dominus: & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram.* Summitas cœli, vt mihi videtur, ipsa summa ac beata Trinitas est, à qua profectò immobilis dictatur sententia: vt Dominus noster Iesus filius hominis, cui potestatem dedit Deus Pater judicium facere, istos disperdat per pœnitentiam, illos per pœnam. Sequitur. *Vlulate, quia prope est dies Domini.* Vlulatum itaque peccatoribus Propheta indicit: quos vel in pœna vel in pœnitentia vlulaturos præuidit. Vlulatus quippe vehementem luctum, qui cum clamore fit, convenienter significat: quem nimirum illata miseris extorquent supplicia; vel à cordibus peccatorum elicit pœnitentia. Quid enim putamus, fratres mei? *Vlulate, inquit; quia prope est dies Domini.* Diem Domini diem appellat judicij, in quo Dominus in potentia & majestate apparens reddet vnicuique juxta opera sua. Hic sanè dies vnicuique tunc incipit, quando egressus de corpore, vel futuræ beatitudinis primitias recipit in requie: vel initia damnationis in anima, quam est recepturus & in corpore. Hæc vtique dies tanquam *vastitas à Domino veniet.* A Domino sanè. Verè enim, Domine, numerus mensium nostrorum apud te est: & constituisti terminos nostros, qui præteriri non poterunt. *Tanquam vastitas à Domino veniet.* Quid enim non dies illa devastat? *Nudus egressus sum de vtero matris meæ: nudus revertar illuc,* ait quidam sanctus. Vbi ergo divitiæ, vbi deliciæ, vbi auri argētive aggeres; vbi auri promptuaria plena eructantia ex hoc in illud? Vbi sericæ vestes, & equi pugnantes? Omnia certè morienti vastantur. *Cùm enim interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.* Quidquid insuper virium in corpore, quidquid voluptuosum in carne; quidquid delectabile in sensibus, quidquid iucundum in moribus, totum profectò dies illa obruit, & cōsumit. Felix mens, à qua diei huius recordatio non recedit. Quàm enim vtilis sit mortis meditatio, testatur Salomon, qui ait. *Fili semper memorare novissima tua: & in æternum non peccabis.* Quem enim peccare delectet: ante cuius semper oculos hora illa versatur? Vlula ergo ô peccator, in pœnitentia, ne vlulare cogaris in pœna: contra voluptates sæculi amarescat tibi dies Domini in memoria, ne nimis amarescat in experientia: sentiasque quod sequitur. *Propter hoc omnes manus dissolventur: & omne cor hominis tabescet & conteretur.* In manibus intelligitur operatio. Eia fratres, vt ait Dominus, *oportet* nos operari, *donec dies est. Veniet nox, in qua nemo potest operari. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, vt requiescāt à laboribus suis.* Mors igitur nox est, in qua nemo potest operari. Aut enim in bonis operibus requiescet: aut malis punietur. Die itaque illa Domini omnes manus dissoluentur: quādo alij ligatis manibus & pedibus mittuntur in tenebras exteriores: alij post opera sex dierū excipiuntur à sabbato, id est requie, admissi ad delicias interiores. Amodo enim dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Itaque *quæcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio est apud inferos, quò tu properas.* Omnes enim *manus dissolventur* Quid dicis & tu, qui cōfidis in virtute tua, & in multitudine divitiarum tuarū gloriaris? Videat charitas vestra. Alij quasi nihil operātur; alij mala operantur; alij bona malè operantur; alij bona bene operātur. Quasi nihil operatur malus ille servus & piger, qui acceptam pecuniam fodit in terram: nec de accepto aliquid fraudans, nec acceptum lucro cumulans. Cui similes sunt pigri & tepidi, quibus magnum videtur à solis abstinere criminibus: cùm nihil laboris, nihil industriæ impēdant, in acquirēdis virtutibus. Isti ergo quasi sine manib⁹ sunt. Quid isti faciant, quando nemo potest operari? Certè opera eorum non sequūtur illos. Non requiescent ergo. Non sunt opera, in quibus requiescant: omnes man⁹ dissoluentur, vt operari nō valeant. Quid igitur restat; nisi, vt etiam servus inutilis proiiciatur in tenebras exteriores? Verū sicut bene operantes bona opera sua præmittunt ad Deum; vt morte interveniente, manibus dissolutis, in ipsis repausent & glorientur: sic nimirum malè operantes, mala sua opera præmittunt ad inferos, in quibus perpetuò crucientur. Qui enim hic fuerint in malo potentes, potenter tormenta patientur; & qui crudeles, crudeliter torquebuntur: & qui fœtentes libidine, sulphureis fœtoribus vexabūtur: & quos inflāmat avaritia, flammis tartareis exurentur: & quos gula & ebrietas polluit, perpetuis vermibus depascentur. Caue tibi, homo. Quoties enim peccas, materias pœnarū quib⁹ torquearis, præmittis ad inferos. Tu tibi ignē accendis, quo torquearis: tu fœtorē suscitas, quo crucieris: tu vermes vivificas qui te consumāt: tu tenebras paras, quæ te excæcēt. Tunc manus tuæ dissoluentur, vt nec aptæ sint ad operandum, nec validæ ad resistendum: sed dissolutæ ad patiendum. Omnes manus dissoluentur. Non est amodo temp⁹ operandi. Amodo quidem *iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Qui? Certè, de quibus subdit. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Itane tua te sequētur, quæ vel vendidisti, vel ventilasti in omnem vētum? Quidquid bonorum operum collegisti, aut in ipso tuo animo vanitatis & superbiæ flatibus exsufflasti: & tu secutura te tua opera arbitraris? Cùm igitur non habueris, vbi consoleris: quid restat, nisi vt & tu crucieris? Tu quoque carissime, qui etiam bona bene operaris, nolo confidas in virtute tua; neque in multitudine divitiarum tuarum, licet spiritualium, glorieris: quia tunc omnes manus dissoluentur. Quomodo inquis? Quia omnes iustitiæ nostræ quasi pannus men-

Duobus modis disperduntur peccatores.
Prove. 11.
Isai. 13.
Iudicij particularis dies.
Iob 1.
Psal. 48.
Eccli. 7.
Isai. 13.
Ioan. 9.
Apoca. 14.
Eccle. 9.
Operantiū diversa genera.
Mat. 25.
Apoca. 14.

struatæ in cõspectu eius. Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. *Omnes vlulare debent.* Necesse est proinde, vt omnes vlulent: malus, ne in malo perseuerans damnetur: piger & tepidus, nequando neque frigidus neque calidus, à Dei ore euomatur. Sic & qui bona malè operatur, ne duab⁹ vijs viam ingrediatur: qui autem bona bene, ne occulto Dei iudicio reprobetur. Dicit itaque *Isai. 13.* Propheta. *Vlulate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas à Domino veniet;* vt vicinæ mortis intuitu & boni timeant, & mali lugeant: discãtque vlulare in pœnitentia, qui noluerint vlulare in pœna. Hæc vox licet videatur spectare ad omnes; secundum ordinem tamen propheticæ prænuntiationis, ad eos qui vel in persecutionibus lapsi sunt, vel tempore pacis diuersis fædati sceleribus, speciali comminatione dirigitur. Quib⁹ nimirum & pœnitentiam suadet, & pœnam intentat: quibus & conuertendi, & bene operandi, dum vivunt, facultas tribuitur: quæ profectò omnibus morte superueniente subtrahitur. Tũc enim omnes manus dissoluentur: & omne cor hominis tabescet, & cõteretur. Eia fratres, tabes ex putrescentibus carnibus nascitur: & donec penitus fuerint putrefactæ, profluere non cessat. Habet autem in se tabes & horrorem & fœtorẽ. Videat nunc vnusquisque cor suum: videat qualibus cibis illud pauerit. Est certè cibus animæ verbum Dei: cibus vtique qui non corrumpitur, nec tabem generat, nec edenti corruptionẽ importat. *Quis cibus animæ sit.* Est cibus animæ opus bonum: sicut ait in Evangelio Dominus. *Ioan. 4.* *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Cibus quoque salutaris animæ, compunctio: sicut dicit Propheta. *Psal. 79. & 41.* *Cibabis nos pane lachrymarum.* Et item. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Est & cibus animæ dulcis in Deum deuotio, quasi adeps frumenti: qua satiatur Ierusalem, dicente ad eum *Psal. 149.* Psalmista. *Et adipe frumenti satiat te.* Hi cibi vitalem alimoniam animæ præstãt esurienti, transformantes eam in se, & æternitatis suæ donantes esse participẽ. Sunt alij cibi perniciosi, qui tabem nutriunt, & materiam putredini subministrant: porcorum scilicet siliquæ, quibus plerumque tam auidè inhiatur; quibus tam delectabiliter anima pascitur, vt cœlestis edulij fastidium ingerant: & super mãnâ cibo certè angelico nauseã prouocent. Hæ sunt carnes, quæ putruerunt in dentibus populi peccatoris: qui in sepulchris concupiscentiæ miserabiliter sepulti, in ipsa quã creauerant tabe consumpti sunt. Itaque fornicationes, adulteria, furta, & cætera huiusmodi, *Adulteria & similia siliqua porcorum.* porcorum siliquæ sunt, id est cibi dæmoniorum: qui profectò in cordib⁹ hominum licet delectabiliter sapiant, tabis tamen & putredinis materia sunt. Cuius profectò fœtorem aut homo salubriter sentiet in pœnitentia: aut imminente morte pœnaliter sentiet in conscientia. Tunc enim omne cor hominis tabescet, profluente vndique ex conscientiæ latebris sanie immunditiarum, & sordibus vitiorum: ex quibus & vermis ille procreatur, qui non moritur; & accenditur ignis, qui non extinguitur. Isti sunt vermes, à quibus cor illud conteritur in pœna: quod hic non fuerit contritũ in pœnitentia *Omne*, inquit, *cor hominis tabescet, & conteretur.* Omne planè cor hominis, id est secundùm hominem viuẽtis; *1. Cor. 3.* qualibus ait Apostolus. *Cùm sit inter vos zelus & contentio: nonne homines estis.* Et in priori quidẽ sententia, cùm diceret, *omnes manus dissoluentur;* non addidit, *hominis:* quoniam bonorum & malorum opera morte superueniente cessabunt: eorum autem tantum, qui secundum hominem viuunt, cor & conscientia conteretur. Hæc igitur hora, fratres, non recedat à memoria: vt si nobis nunc fuerit causa timoris, tunc fiat porta salutis, per IESVM CHRISTVM Dñm nostrũ Amen.

SERMO NONVS

De eo, quod scriptum est, Torsiones & dolores tenebunt, &c.

INFELICIA hæc tempora, in quæ nostra ætas devenit, in persona Ecclesiæ Ezechias deplorans, *Ecce*, inquit, *in pace amaritudo mea amarissima.* *Isai. 38.* Verè, fratres, ita est. Amara videbatur persecutio, sed in ipsa persecutione nõ parva bonis erat consolatio, quando non erat fictioni locus, nullum otio vel dissolutioni tempus; quando felix quędã necessitas cunctis in gradibus suis; tam subditis, quàm prælatis. Sublato autem timore, nata est dissolutio, creuit ambitio, honores & diuitiæ virtutibus præponuntur, vitia deliciis nutriuntur. *Cessante persecution crevere vitia.* Itaque Propheta Isaias, cùm Apostolicam prædicationem, & Martyrum fortitudinem descripsisset; cernens multos, persecutione cessante, pacis tempore deteriùs corruisse; saluberrimum eis futuræ calamitatis infudit timorem. *Vlulate*, inquiens, *quia prope est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet, & conteretur.* *Isai. 13.* De his, vt nouit charitas vestra, hesterna die tractauimus: & quomodo, vel ad pœnitentes, vel ad morientes pertineant, sicut Dominus dedit, explicauimus, Sequitur autem. *Torsiones & dolores tenebunt*: eos videlicet, quorũ manus fuerint dissolutæ, & quorũ cor fuerit tabidum & contritum. Eia fratres, omnia flagitia ex ventre sumunt originem: per cętera verò mẽbra facinora perpetrantur. Ex gula quippe, quæ vẽtris saturitate perficitur, libidinũ incentiua generantur: ex quibus fornicationes, & omnia immunditiæ genera procreãtur. Porrò per linguam blasphemiæ, per manus furta, vel homicidia, & cætera huiusmodi cõmittuntur; seruientibus in hoc ipsum oculis ad explorandũ, auribus ad audiendum, pedibus ad incedendum. Igitur anxietatem mentis, quæ imminente morte ex flagitiorũ recordatione procedit, per torsiones expressam intellige: *Torsiones & dolores animæ vnde.* illam verò, quam facinora rememorata parturient, per dolores. Quæ enim tunc fratres mei, flagitiosis erit tristitia; cùm viderint, se vilissimæ ac breuissimæ voluptatis putredine, æterna supplicia meruisse? Quæ etiam tunc facinorosis anxietas, quorum crudelitati crudelissima tormenta reddẽtur? Quid putatis, carissimi? Nihilne saporis tunc insipidis his, quibus vtimini, cibis hora illa profundet? Felices, quib⁹ vẽtris deliciæ has torsiones non parant: quorum membra hic circumciduntur, vt hos tunc dolores non sentiant. *Torsiones*, inquit, *& dolores tenebunt.* Quoties memoria voluptatis expertæ mẽtem tuam afficit, & excitat desiderium, fastidiũque vilis huius ingerit edulij, & importat horrorem; torsiones sustines spirituales, per quas torsiones illas, quas in morte multi sentiunt, euadẽs, sententiam inter diuitem purpuratum, & pauperem Lazarum à sancto Patriarcha prolatam, tibi dirigi exultabis. *Recepisti bona in vita tua, & La-*

Galat. 4. partus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Sequitur. *Quasi parturiens dolebût.* Eia fratres, non est dolor, sicut dolor parturientis. Est autem partus carnalis, partus spiritualis, partus pœnalis. Et certè *mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Dolor in mêbris, mors in oculis, timor versatur in côscientia: quis verò sit fructus, ignorat. Spiritualis partus est, quando Sancti doctrina ac solicitudine filios pariunt spirituales: quorum vnus ait. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Et hic part⁹ non sine dolore: oportet enim talem gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Est etiam partus spiritualis, quando anima sterilis & infœcunda à timore Domini concipit: & conversa ad Dominum, bonorum operum initia parit. Et in hoc partu quis dolor; quando caro resistit spiritui, consuetudo voluntati: quâdo ipsa mens modò vult, modò timet, modò impellitur delectatione boni, modò retrahitur desiderio mali! Est & partus perniciosus; quando homo concipit dolorem, & parit iniquitatem: quando concipit acquirêdi affectu, & parit effectu. Vnde Dominus in Evangelio. *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Væ profectò sic concipientibus, & sic parientibus: quia etsi modò exultent, cùm malè fecerint, & lætentur in rebus pessimis: imminente jam morte sicut parturiens dolebunt. Sicut enim mulier quæ cum delectatione concepit, magnis afficitur doloribus cùm parit: ita profectò anima voluptatibus vitijsque corrupta, cùm ipsius corruptionis cœperit morienti apparere stipendium, tristitia doloribusque conteritur: & sera pœnitentia reversa in se, incipit sentire, quod scriptum est. *Ambulate in lumine ignis vestri: & in flamma, quâ succendistis vobis.* Potest sanè part⁹ iste dici pœnalis, quando moriens in pœna quasi parturit: & mortuus pœnam, quâ peccans concepit, quasi infelicissimam sobolem pariens excipit. Quantò felicius à timore Domini concipit homo pro peccatis pœnitudinem, & morum parit conversionem! Quiquidem partus, quamuis non sit sine dolore, gaudium tamen creat in tranquillitate conscientiæ: quia cùm pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium: & qui seminant in lacrimis, in gaudio metent. Omnes igitur, qui vel fidem deseruerût * inviti supplicijs in persecutione; vel qui corrupti vitijs pacis abscissi sunt tempore; quasi parturiens dolebût, vel salubriter pœnitendo, vel infeliciter moriendo.

[Margin: *Partus carnalis, spiritualis, & pœnalis.* — *Ioan. 16.* — *Rom. 12.* — *Matth. 24.* — *Prouer. 2.* — *Isai. 50.* — *Isa. 30.* — *inviti]

Vnusquisque ad proximum suum stupebit. Videat charitas vestra, fratres carissimi. Proximus multis modis dicitur; idest loco, tempore, natura, cognatione, similitudine, dilectione, miseratione. Loco, sicut ille illius proximus dicitur; qui ei de proximo vicinatur. Tempore, sicut ille qui descendenti nullo alio interueniente succedit. Natura, sicut omnis homo omnis hominis proximus est. Vnde dicitur. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Quod de omni homine dictû, null⁹ ambigit Christianus. Cognatione, sicut patri filius, frater fratri, cognatus cognato. Similitudine, sicut bonus bono, malus malo: etiamsi loco temporeque disjuncti sunt, similitudine tamen proximus æstimatur. Porrò dilectione ita sibi possunt homines proximi esse vel coniuncti: vt multitudinis credentium fuerit cor vnum & anima vna in Domino. Miseratione, sicut Samaritanus proximus fuisse illi, qui incidit in latrones, quia fecit misericordiam cum illo, Evangelio teste probatur. Viro itaque iustè, sobriè, pièque viventi, proximus est quilibet similiter vivens: proxim⁹ & Angelus sic viuenti gratissimè fauês: proximus insuper & ipse Deus, sic viventi bene operandi gratiam subministrans. Sic & pessimo cuilibet pessimus quilibet proximus est: siue homo, siue spiritus. Nam fornicationis spiritus fornicariis, spirit⁹ superbiæ superbis proximus perhibetur: & cuius vnusquisque in vitijs & virtutibus induit similitudinem, eius & vicinitatem meretur. Credendum est igitur, morientibus & bonos & malos esse præsentes: vt boni à bonis suscipiantur; mali à malis torqueantur. Vnusquisque igitur ad proximum suum stupebit. Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere, qui viderit. Quod enim blandum cernitur & iucundum, cum suadetur, amarum sentitur, dum improperatur: stupetque miser durum inuenire & immitem, quem sæpe fuerat expertus suauê. Nostra ergo interest, fratres, tales nobis facere proximos; qui in illa hora tremenda consolationi nobis sint, non horrori. Felix, qui vitæ mûditia & morum honestate Angelicos spiritus ita sibi meruerit habere propinquos: vt quasi amici & proximi egredienti assistentes, velut bene cognito adgaudeant. In historijs fide dignis legimus, Angelos sæpe morientibus adstitisse: sanctosque, quos speciali deuotione colebant, dum viuerêt, in extrema necessitate habuisse præsentes. Econtrà nouimus, nequam spiritus illis terribili vultu, oculisque flammantibus infernalibus armatos instrumentis apparuisse: qui illorû suggestu viuentes, vitijsque sese, criminibusque polluerant. Et sancti ergo ad tantam claritatem admiratione & stupore egrediêtes corpore percelluntur: & reprobi ad tantum horrorem mentis alienatione stupidi efficiûtur. Vnusquisque itaque ad proximû suum stupebit. Et additur. *Facies combustæ vultus eorum.* Hoc ad reprobos tâtùm arbitror referendum. Per faciem maximè & vultum homo ab homine discernitur, & singulari expressione à singulis singuli cognoscuntur. Solent autem quorumdam criminum rei in facie cauterio denotari: vt, quia vultus latere non potest, crimen quoque, quod vultus deformatione publicatur, latere non possit. Vultus animæ, vt mihi videtur, conscientia est: quæ omnium actionum, sermonum, & cogitationû testis est. Qualiscumque enim homo sit, conscientiam suam latere non potest. Conscientia quippe quasi speculum animæ est: in qua profectò defectus noster, vel profectus deprehenditur, & omnis status hominis interioris agnoscitur. Eia fratres carissimi, nemo securus sit: facilè peccamus, facilè transgredimur, facilè ad otiosa quæque ac vana dilabimur, & quasi non sentientes ad illicita pertrahimur, sicut scriptum est. *Factus est Ephraim quasi panis subcinericius, qui non reuersatur. Comederunt alieni robur eius, & ipse ignorauit. Sed & cani effusi sunt in eo, & ipse nescivit.* Verumtamen non transeunt in ventum peccata nostra, nô traduntur oblivioni: sed in ipsa conscientia, velimus, nolimus, scribuntur. Dicit Apostolus, quosdam cauteriatam habere conscientiam, id est iniquitatis flamma combustam: quæquidem combustio plerumque à nobis absconditur, dum viuimus: sed nec nos, nec ipsos, qui aderunt, spiritus, poterit latere, quâdo moriemur. Meritò igitur ait, *Facies combusta vultus eorum.* Dissolutis

[Margin: *Proximus multis modis dicitur.* — *Matth. 22.* — *Actor. 4.* — *Luc. 10.* — *Bonorum & malorum Angelorum apparitiones in morte.* — *Isai. 13.* — *Ose. 7.* — *Peccata in libro conscientiæ scribuntur.* — *1. Timot. 4.*]

quippe manibus, & corde contrito, inter tortiones & dolores, quos morte imminente sustinent peccatores, quæcumque non fuerint pœnitentię medicamento, aut vnguēto contritionis sanata, erumpet in medium: & multa quæ nunc videntur sanissima, tunc profectò apparebunt adusta. Sunt certè opera splendida labor, vigiliæ, ieiunia: quæ omnia si fuerint peruersa intētione corrupta, nihil decoris afferunt conscientiæ: quam nimirum cogitationum suarū reddit accusatrix flamma cōbustam. Siquis sanè contenderit, hâc etiam sententiam pœnitentibus esse aptandam: potest nō inconueniēter intelligi, inter dolores, quos pœnitens quisque in recordatione sustinet, & oīa quæ cōmisit, subtili indignatione reuoluit; multa aparere tunc illi cōcupiscentiæ igne combusta; quæ priùs lucida putabātur & sana. Cùm igitur nomine Babylonis cēsendi sint, qui in Ecclesiâ perditè viuunt, vel ab Ecclesiâ vel fide corruerunt: descriptum est onus, quo conuersi pœnitendo premendi, vel quo perseuerantes in malo, morieutes fuerāt opprimendi. Procedit Propheta, tempus illud miserabile mystico sermone describens, in quo adeo superabundabit iniquitas, & refrigescet charitas: vt digni sint, quibus mittatur ille operator erroris, homo scilicet peccati, filius perditionis; de quo scriptū est, *Faciem ejus pracedet egestas*. Quamquidem egestatem in sequentibus Propheta non tacet. Et primòm de die judicij sermo contexitur; vt eius terrore vitia, quæ tunc maximè abundabunt, faciliùs caueantur: vel tormenta, quæ inferet ille blasphemus, magnificentiùs tolerētur. Sequitur ergo & dicit. *Ecce dies Domini venit, crudelis, & indignationis plenus, & ira furorisque.* Et aptè satis de die vltimo singulorum sermone præmisso, ad illum, qui vnus omnium, quantum ad pręsentem vitam, vltimus est, propheticum conuertit eloquium: vt qui illum non timent, expauescant vel istum. Commemorantur autem hic quatuor quædam manifesta sanè illius futuræ calamitatis indicia, crudelitas, indignatio, ira, & furor. Crudelitas est, quando ira modum excedit: indignatio, quando personæ alicuius, qui fecit iniuriam, certa aliqua nota vilitas innotescit: ira in voce solet apparere, vel vultu; furor in actu. Dies itaque illa crudelis erit, quia in ea maximæ crudelitatis species apparebit: quando elementa ignis calore soluentur; & in conspectu Domini ignis ardebit; & in circuitu eius tempestas valida. Plenus erit indignationis; quando diuina majestas, & hominis innotescit infirmitas: manifestumq; erit omnibus, quomodo aduersus tantam potestatem tanta sæuierit infirmitas: vt nullum lateat, quantum debeat indignari Rex gloriæ, quòd tantam sit passus injuriam à vilissimo puluere. Erit & plenus iræ, quando vox illa terribilis audietur; *Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.* Quam profectò sententiam iudicis furor sequitur tribulātis; quando euntibus illis in combustionem æternam nulla erit effugiendi facultas, nulla spes euadendi. *Ad ponendam*, inquit, *terram in solitudinem: & peccatores ejus conterendos ex ea.* Et hoc certè manifestum est, quod terra ponetur tunc in solitudinem: siue terræ nomine mūdum, siue terrenam illam ciuitatem, id est Babylonem, velis intelligere. Alijs quippe translatis ad cœlū, alijs pœnis infernalibus deputatis, remanebit terra absque habitatore; id est mundus sine homine: & sola damnata erit illa ciuitas sine boni alicuius societate. Tunc & peccatores terræ cōterentur de ea, Peccatores cœli dæmones sunt: qui mox vt inuenta est in eis iniquitas, contriti sunt de cœlo; & non est inuentus eis ampliùs locus in eo. Peccatores verò terræ, homines sunt, qui quotidie peccant, & terram inhabitant; donec vltimo die datâ sententiâ à terra penitꝰ conterantur, & ad inferos detrudantur. Sequitur. *Quoniam stellæ cœli non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo: & luna non splendebit in lumine suo.* In die quippe iudicij apparente Christo in gloria, sicut lucerna permodica in radio solis nihil luminis proferre videtur: ita omnia sidera ab illo splendore absorpta intuentibus cernentur obscura. Sed hæc, quæ breuiter super diem judicij exposuimus, ad tempus Anti-christi arbitror posse referri: vt intelligatur Propheta doctꝰ in spiritu, primùm de Apostolorum prædicatione, postea de Ecclesiæ persecutione, deinde de Gentium conuersione, & pacis tranquillitate, & sic de lapsorum pœnitentia & mortis terrore: postremò de tempore Anti-christi, & retributione justorum, & malorum condemnatione, oraculum texuisse. Sed quia jam hora pręterijt, ad hæc indaganda tempus aliud occupemus: quò liberiùs conuenientes in vnum, aperiamus os nostrum in laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi; qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Babylon sunt mali.

Dies judicij indignationis plenus.

Matth. 25.

Peccatores cœli dæmones. *Apocal. 12.*

Peccatores terræ homines.

Isai. 13.

SERMO DECIMVS.

De eo, quod ait, Ecce dies Domini venit, *vsque*, Visitabo super vrbes mala. *Isai. 13.*

ECCE *dies Domini venit, crudelis, & indignationis plenus, & ira, furorisque.* Sicut meminit charitas vestra, hæc verba Prophetæ, licet diei vltimo conuenienter aptentur, ad tempora tamen Anti-christi diximus posse referri: sic, vt sanctus Isaias diuersos Ecclesiæ status non solùm prænuntiasse, sed etiam ordinem, quo sibi fuerant successuri, seruasse intelligatur. Primum igitur Apostolorum prædicationem insinuans, *Super montem*, inquit, *caliginosum leuate signum, &c.* Deinde persecutionem, qua martyres fuerāt coronandi, prænuntians, ait. *Ego mandaui sanctificatis meis*; & reliqua, quæ sequuntur. Ab eo autem loco, quo ait, *Vox multitudinis in montibus*, pacem Ecclesiæ redditam, regum & gentium cōuersione, declarat. Porrò eorum, qui persecutionibus cedentes lapsi sunt, aut pacis tempore vitijs fœdati, vel perditionem vel conuersionem describens; *A summitate*, inquit, *cœli Dominus, & vasa furoris ejus*, &c. Quibus demum metum mortis incutiens, adiecit. *Vlulate, quia prope est dies Domini*, &c. Postremò, quoniam crescente iniquitate, totum ferè hominum genus abrenuntiaturum veritati, charitatem deserturum, vitijs vidit & erroribus implicandum: de illo tempore Propheticum texuit oraculum, quod talibus mittēdus erit operator erroris, vt credant mendacio: & iudicentur, qui non credunt Dei Euangelio. Et ideo, vt mihi videtur, tempꝰ illud diem Domini non inconuenienter appellat: quo impius ille, quasi gladius iræ Dei, de abysso iudiciorum eius velut de vagina procedet ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quæquidem dies crudelis dicitur; in qua nimirum talis

Ibidem.

1. Petri 2.

erit tribulatio, qualis non fuit, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud. Dicitur & plenus indignationis, quia vbique terrarum adversus sanctos tumor illi⁹ superbi indignabitur: cùm scilicet pauperes se diuitē, humiles sublimem, infirmos fortem habere contemptui, suisque viderit nolle parere imperijs; imò & decretis resistere, & contraire mandatis. Tunc erit tempus illud etiam plenum iræ, furorisque: vt ira intelligatur in minis, furor in tormentis. Quæ omnia iusto Dei iudicio fieri permittentur: ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Terra hoc loco Ecclesia Christi intelligitur, de qua dictum est, *Domini est terra & plenitudo ejus*: de qua etiam dicitur ad Moysen. *Locus, in quo stas, terra sancta est.* In qua profectò boni cum malis, humiles cum superbis, ficti cum veris Christianis communiter vivunt. Et sicut quondam à Scribis & Pharisæis, qui clauem scientiæ habebant, qui plebi legis decreta tradebant, omnis peruersitas apud Iudæos quasi futuræ desolationis causa sumpsit exordiū: ita nunc, quod dolens dico, à nobis, Clericis videlicet & Monachis, qui videmur esse mundi luminaria, futurorum malorum origines præseminantur & causæ. De quibus dicitur. *Quoniam stella cœli non dabunt lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo: & luna non splendebit lumine suo.* Hæc sunt, vt mihi videtur, futuræ calamitatis indicia; de quibus Dominus in Evangelio. *Erunt*, inquit, *signa in Sole, & Luna, & stellis*. Si quæris, quæ signa: audi Ioël Prophetam. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem: priusquam veniat dies Domini magnus & manifestus.* Eia fratres, fecit Deus duo magna luminaria; luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti. Sunt & in sanctæ Ecclesiæ firmamento à Domino creata duo magna luminaria: Sacerdotium & Regnum, Rex & Episcopus, Princeps & Clericus. Dies spiritualia, nox significat sæcularia. Itaque luminare maius Sacerdotium, vt præsit diei, id est spiritualibus: luminare minus, Regnum, vt præsit nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde est, si sol nocti, si præsit luna diei: si Princeps ad spiritualia sacramenta conficienda se ingerat: si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet. *Nemo enim, militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Rex Osias præsumptione spiritus in Sancta sanctorum more Sacerdotis ingressus, lepra percutitur: & Propheta Balaam cōtra Dei voluntatem impij regis desiderio favens, prophetico lumine oculos auaritia excæcatur. O quàm bene conueniebant hæc duo luminaria, quàm splendidè ex hoc spirituali firmamento lucebant: quàm optimè inter dies & menses, & & tempora & annos distinguebant, Rex scilicet & Sacerdos in suis se gradibus cōtinentes: quando illius potestas non nisi subditorum paci & æquitati seruiebat: istius sapientia & doctrina ad depellendas mentium tenebras, lucemque veritatis infundendam, inuigilabat. Væ nobis, qui in ista incidimus tempora infelicia: in quibus sol videtur conuersus in tenebras. In quas, inquis, tenebras? Nolo dicere, fratres, nolo dicere: ne videar ponere in cælum os meum. Ipsi viderint. Reducant ad memoriam eos, quorum vices gerunt: quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur. Considerent, quos scientiæ radios, quæ virtutū lumina, quas charitatis scintillas, quæ spiritualium correptionum fulgura suis emittebant temporibus, Gregorius, Augustinus, Ambrosius, Hilarius. Et vt ad viciniora veniamus, recogitent nostri, quomodo suis eluxerint tēporibus Cuthbertus, Dunstanus. Nonne omnes hi Sacerdotium, quasi vnum maximum solem, per vniuersum mundum luce incorporabili radiare fecerunt? Videant modò isti, quomodo ex eorum fide resplendeāt: & vtrum ipsi tantum vel plus, vel paulò minùs luceant: & sic conferant temporibus tempora, meritis merita, personis personas: & vtrum sol conuersus sit in tenebras, secundùm conscientiæ suæ testimonium iudicent. Felicia tempora, in quibus tam rarò malus, quàm nunc bonus, inueniebatur. Iam verò de regia potestate quid dicemus; quam lunę comparandam æstimauimus, quæ præest nocti? Quæquidem tunc suo lumine resplendebat, quādo ad noctis huius, iniquitatis scilicet & iniustitiæ, tenebras depellendas, Reges & Principes & bonis erant consolationi, & malis terrori: patres orphanorum, & iudices viduarum; defensores Ecclesiarum, & propulsores injuriarum: superiores potestate, sed humilitate inferiores; prodesse magis, quàm præesse, cupientes. Talis fuit Constantinus, talis ille optimus Theodosius, & alij multi. Tunc autem luna conuertetur in sanguinem, cum manus principum plenæ sanguine fuerint; exactionibus & vectigalibus effundentes viscera miserorum; iustificantes impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferentes ab eo; sic populo quasi præda abutētes; tyranni, nō reges; destructores pauperum, non consultores præferentes; iusta & iniusta, licita & illicita confundētes, & commiscentes; non ius & æquum, sed suā libidinem sequentes & stomachum. *Et stellæ*, inquit, *cadent de cœlo*. Per stellas quæ non dicuntur præesse nocti, cùm eam tamen & ipsæ illuminent, eos qui sæculo abrenunciantes, cogitatione & auiditate in ipsis supernis mansionibus cōuersantur, intelligendos esse existimo. Qui tunc verè mundi erant luminaria, quando vita, moribus, dilectione, contemplatione, mundo vniuerso superiores effecti, omnia terrena & tēporalia contemnebant: diuitias & honores reputantes vt stercora; corpore casti, mēte purissimi, in illatis contumelijs immoti, in humilitate & obedientia superioribus subdjti, paruissimo cibo cōtenti, ad iram tardi, ad præstandum prompti, ad accipiendum verecundi, nunquam quæ sua sunt quærentes, sed quæ IESV CHRISTI. Quid dicam, fratres carissimi? Quid dicam? Quid sumus? Vbi sumus? Nunquid in cœlo? Nunquid ibi, vbi quondam Antonius, Macarius, Hilarion? Numquid non potius de cœlo in terram cecidimus, qui nihil ferè præter terram sapimus: terrā amantes, terram cogitantes, de terra loquentes: contentiosi, querulosi, inuicem mordentes & comedentes, inuicem inuidentes, & detrahentes alterutrum. Quæ nundinæ sine monachis? Quod forum? Quæ concilia? Taceo multos ita absorptos à terra, vt eorum gulæ nec terra, nec mare sufficiat: vt nihil perhorrescant, quod libeat; vt miseros, quibus dominantur, quasi exactores Pharaonis, vexent, & crucient: crudeliùs, quàm quilibet sæculares pecuniam extorqueant, vt sāguine pauperum incrassati, impinguati, dilatati, vsque ad sacrorum quoque venditionem emptionemque prorumpant. Sanct⁹ quoque Propheta cùm de tempore Antichristi præmisisset. *Ecce*

Psalm. 23.
Exod. 2.
Luc. 21.
Ioel. 2.
Genes. 1.
Potestas Sacerdotalis & Regia duo magna luminaria.
2. Timo. 2.
2. Paralip. 26.
Num. 22.
Laudes Patrum.
Isai. 13.
Qui per stellas designentur.

dies Domini veniet, crudelis, & cætera: mox causam, cur ab eo vel decipi, vel oprimi merebuntur, subjungit dicens. *Quoniam stellæ cœli non dabunt lumen suum.* Quod quæso, lumen expandent homines tenebrosi, de stellis mutati in carbones: de cœlo in sterquilinium proruentes? *Obtenebratus est sol in ortu suo.* Eia fratres, multi in initio Sacerdotij sui lucent; quorum scilicet & vita integra est, & intentio recta, & electio sana: qui tamen postea morum mutatione obtenebrescunt. At instante tempore Anti-christi ita mortalium mentibus dominabitur auaritia & ambitio, vt etiam ipsa promotionis initia quasi ortus solis tenebris plena sint: quæ nimirum & vita pessima præcedet, & peruersa intentio, & turpis ingressio succedet. Itaque obtenebrabitur sol in ortu suo, & luna non splendebit lumine suo: quoniam, sicut prædiximus, sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: vt sequatur dies Domini magnus & manifestus. Sequitur. *Et visitabo super vrbes mala.* Per vrbes conuenticula, quæ diuersis locis sub diuersa regula, diuersis moribus, in vna tamen fide Catholica vivunt, accipienda existimo. Sicut enim multi ciues in eadem vrbe sub vna lege conueniunt: ita hi qui sub vno ordine in vnam coeunt societatem, quasi vnam ciuitatem efficiunt. Circa illud tempus in huiusmodi conuentibus tanta erit corruptio, vt non ad colendum Deum, sed ad sua tantùm desideria, concupiscentiasque explendas, videantur vniti. De quibus beatus Apostolus. *Instabunt in nouissimis diebus tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quàm Dei: habentes quidem speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegantes.* Et multi tales hodie sunt, qui in habitu, in psalmis canendis, in tonsura, spiritum pietatis præferunt: ipsius autem virtutem, quæ est in charitate, & castitate, & humilitate, in cōtemptu voluptatum, non habent. Super huiusmodi itaque vrbes visitabit Dominus mala, à peccatorib' exigens vltionem, & eorum denuntians turpitudinem: vt vel persecutionib' attriti corrigantur, vel de flagitijs ad infidelitatem prorumpētes, cum Babylone æternis supplicijs manifesto Dei iudicio conterantur. Video vos ad plura audienda auidos, sed parcite jam proximo sermone fatigato: orantes, vt ad ea quæ sequuntur indaganda inueniamur idonei, per IESVM CHRISTVM, cui honor & gloria, Amen.

Isai. 13. — *Corruptio morum sub finem mūdi futura.* — *2. Timot. 3.*

SERMO VNDECIMVS

De eo, quod scriptum est, Visitabo super vrbes mala, &c.

FATEOR, fratres carissimi, quia secùs quàm putaueram, accidit mihi. Videbatur enim mihi, paucis Sermonibus onerum istorum, de quibus nobis sermo est, mysteria & sacramēta posse absolvi: cùm maximam nobis sacramētorum abyssum quasi de nouo iam incipiat aperire: dicēte Dño per Prophetā. *Et visitabo super vrbes mala: & contra iniquos iniquitates eorum. Et requiescere faciam superbiam infidelium: & arrogantiā fortium humiliabo.* Sed quoniam hæc, si ea quæ iam in aliis sermonibus diximus, reuoluamus, satis manifesta sunt; brevi ea epilogo transeamus. Tēpore igitur Antichristi visitabit Dominus super vrbes mala: eorum scilicet, qui speciem pietatis in hypocrisi detinent, conuenticula dissipādo. Visitabit contra impios iniquitatem eorum: illos, qui manifestè fuerint inuenti, vel tormētis vel erroribus puniendo: quiescere etiam faciet superbiam infidelium, potentes sęculi, quos fides Christiana vulnerat, deprimendo: humiliabit & arrogantiam fortium; eos, qui in virtutibus gloriantur, tētationibus & persecutionibus supprimendo Sunt enim quidam, qui propter Religionis habitum, & communis vitæ societatem, in manifesto quasi boni sūt, pessimi in occulto: quos vrbiū nomine significatos accipimus. Sunt alii, qui in facie hominum videri pessimi non erubescunt: quos iniquos & impios à Propheta vocatos arbitramur. Sunt & multi, à fide Christiana alieni, ipsam fidem superbè irridentes; quos infideles nominandos esse censemus. Sunt & alij, non solùm fideles, sed etiam virtutibus studētes: quia tamen confidunt in virtute sua, & in se, nō in Domino gloriantur, eos arrogantes non immeritò appellamus: quos omnes vel in die iudicij penitus conterendos, vel tempore Antichristi perdendos cæleste oraculū declarauit. Sequitur. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Vir à virtute nomen accepit, itaque raritatem virtutum Propheta commendans, pretiosior erit, inquit vir auro. Omnia rara pretiosa sunt, merces autem vltroneæ putent. Quoniam autem erit rarus illo tempore, qui virtutibus studeat; qui virilia, id est fortia agat; rarus, qui acerbam mortem vitæ huius illecebris præferat; rarus, qui malit pro Christo à mundo contemni, & à carnificibus torqueri, quàm mundi huius iucunditate perfrui: profectò pretiosior erit vir auro, id est rarior: & homo, scilicet qui secundum rationem, non secundum sensum more bestiæ viuat, mundo obrizo. Possunt & per aurum, vel mundum obrizum perfecti, qui in Ecclesia fuerunt primitiua, non inconuenienter signari, quos tāquam aurū in fornace probatos, & examinatos, in vestitu illo deaurato, in quo astitit Regina à dextris Christi, decentissime nouim' collocatos. Qui verò in illa vltima persecutione inuentus fuerit vir, nec tormentis cedens, nec promissis consentiens, nec signis & prodigijs credens; sicut aurum inter cætera metalla pretio ac decore pręcellit, sic profectò ille, inter cæteros Sanctos, speciali quadam prærogatiua splendescet. Sanè quod ait, *Homo mundo obrizo*, repetitio est; quē priùs virum, postea hominem; & quòd priùs aurum, hoc pòst mūdum obrizum appellans. Et addidit. *Propter hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo.* Cælum illius temporis Ecclesia, vel in ipsa ecclesia perfecti quique dicūtur, quos nimirum eo tempore dicit esse turbandos; cernētes impios & iniquos aduersus Sanctos triplici telo certantes: promissis, vt illiciant; miraculis, vt fallant; tormentis, vt frangant. Quis rogo, tam poterit esse perfectus, vt possit non in tanta tentatione turbari, quando surgent pseudo-apostoli, & pseudo-prophetæ, & dabūt signa & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi? *Et mouebitur terra de loco suo* Quæ terra? Illa fortassis Ecclesiæ portio: quæ quoniam affectu terræ inhæret, terra nuncupatur. Cuius profecto locus nunc vel fides, vel ipsa Ecclesia est; à quo vel tormenta declinans, vel admirans prodigia, vel blanditijs acquiescens, mouebitur, aut fidem ipsam deserendo, aut ab Ecclesia recedendo, aut alicubi interim donec transeat ini-

Isai. 13. — *Diuersa per uersoru genera.* — *Isai. 13.* — *Rari erunt iusti in fine mundi.* — *Luc. 16.*

quitas, delitescendo. Multi enim decepti i guis mendacibus fidem deferent: victi multi supplicijs ab Ecclesia recedent, & in abdita quæque loca sese recipient. Qui omnes in eorum comparatione, qui omnibus periculis viriliter obuiantes cœli dicti sunt, terra non inconuenienter appellantur. Verùm quia tanta erit paucitas doctorũ, tanta etiam ipsorum qui tunc erunt, aduersitas: vt nec dispersos colligere, nec lapsos erigere, nec corrigere delinquentes, nec pusillanimes consolari sufficiant; protinus subditur. *Et erit quasi damula fugiens, & quasi ouis: & non erit, qui congreget.* De terra loquitur, quæ erit quasi damula fugiens, & quasi ouis. Damula pauidum animal est: ouis simplex. Mouebitur itaque terra de loco suo, fugiet à perfectorum consortio, vel propter persecutionis pauorẽ perterrita; vel propter miracula propria simplicitate decepta. Ait ergo. *Et erit sicut damula fugiens: & sicut ouis.* Sicut enim damula canes latrantes, venatores insequentes trepida fugit & pauida: sic profectò multi, qui tunc corde pauido bella Domini præliari non poterunt, instantia pericula declinabũt; aut cedendo loco, aut persecutoribus consentiẽdo. Sicut etiam oues irruentibus in gregem bestijs, fugatis percussisque pastoribus, huc illucq; dispersæ fugiunt: ita simplices quique in Ecclesia, expulsis doctorib9 vel occisis, per deuia eorum vagabundi ferentur: non existente qui manum opponat, qui dispersos congreget, vel reducat errantes. Sequitur. *Vnusquisque ad populum suum conuertetur: & singuli ad terram suam fugient.* Eia fratres, duo populi sunt, & duæ gentes, & duo regna; bonorum scilicet & malorum, sapientium & insipientium, electorum & reproborum. Hoc autem tempore, quo omnia commixta sunt & confusa, quis cuius gentis & populi sit, deprehendi non potest: cùm multi specie tenus boni sint, in latebris conscientiæ pessimi: multi qui fidem, quia aliud non audent, verbotenus laudent, quã perditis moribus impugnant. At cùm tempus ventilationis aduenerit, vnusquisque ad populum suum cõuertetur; palea ad paleam, granum ad granum, bonus ad bonum, pessimus ad pessimum. *Tunc vnusquisque ad populum suum conuertetur.* Est quippe quasi vnus populus eorum qui sessuri sunt, & iudicaturi cũ Dño; alius Angelorum obsequentium Dño alius ouium remunerandus à Dño; alius hœdorum auditurus à Domino; *Discedite à me maledicti Et singuli ad terram suam fugient.* Si aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit, geramus morem: dicamusque esse terram viuentium, terram morientium, terram sanctorum, & terram impiorũ. Terra viuentium paradisus; terra morientium mundus: terra sanctorum Ecclesia; terra impiorum Babylonia. *Credo,* inquit Propheta, *videre bona Domini in terra viuẽtium.* In paradiso enim nemo moritur, vbi vita in æternitate. Mundus autem iste, in quo nihil stabile, nihil æternum est; vbi ipsa vita hominum vmbra mortis est; terra morientium conueniẽtissimè appellatur. At Ecclesia Christi terra sanctorum est; de qua dicit Scriptura. *Misereamur impio, & non discet facere iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit.* Meritò terra sanctorum Ecclesia; extra quam in hac vita nullus sanctus, nulla iustitia, nulla sanctificatio. Potest etiam caro sanctorum dici terra sanctorũ, de qua dicitur. *Beati mites; quoniã ipsi possidebunt terram.* Similiter ciuitas illa confusionis, terra

Isai. 13.
Duo populi, bonorum & malorum.
Mat. 25.
Psal. 26.
Isai. 26.
Mat. 5.

potest dici impiorum: nihilominus tamen caro eorum terra est eorum. Quò enim fugient, qui de terra sanctorum fugient: nisi ad terram impiorum, quæ est ciuitas Babylon, ciuitas confusionis: vbi diuersa sunt dogmata, diuersique errores: alijs carnis voluptatem, alijs mundi honores, alijs diuitias & delicias pro summo bono sectãtibus? Itaque luxuriosorum terra, est carnis voluptas; ambitiosorum, honorum cupiditas; eorũ qui vagi sunt & instabiles, propria voluntas. Ecclesiam proinde deserentes, & tribulationes quas tunc passura est abhorrentes, ad ciuitatem se conferent perditionis: singulis ad terrã suam fugientibus, id est pro libitu suo carne sua vtentibus. Sequitur. *Omnis qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis qui superuenerit, cadet in gladio.* Eia fratres mei, non solum imperitum vulgus illius erroribus implicabitur: sed etiam plures, quibus Ecclesiarum regendarum cura commissa est, illi impijssimo manus dabunt. Et quasi quæreres, à quibus fient ista: subiecit Dñs in Isaia. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficiant, & lactentibus vteri non misereantur, & super filios non parcat oculus eorum.* Per Medos contrarios spiritus, vel Antichristi præcones arbitror designatos. Manifestum quippe est, quòd deceptoriæ potestates non mundi huius diuitias quærant: non pretiosorum metallorum aggeres appetant; vtpote qui ad animas tantùm decipiendas interficiendasque inuigilant. Potest & per auri argentiue contemptum Antichristianorum discipulorum hypocrisis figurari; qui ad omnia simulanda ac dissimulãda callidi, reputabunt aurum lutum, vilissimam autem festucam argẽtum; ad hoc solum animum dantes, vt sagittis paruulos interficiant. Habent enim verborum dialecticorum sagittas, argumentorum versutias, quibus paruulos quosque, simplices scilicet, quibus desunt sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs, à recta fide auertant. *Et lactentibus,* inquit, *vteri non miserebuntur.* Lactẽtes vteri sunt fideles in matris Ecclesiæ vtero procreati; quib9 adhuc opus lacte est, non solido cibo: quorum teneritudinis nec falsi doctores miserentur, nec dæmones: quos potiùs à maternæ charitatis lacte abstractos errorum veneno & potant, & necant. Sanè quòd à Domino suscitandi perhibentur, iusta Dei permissio ex districtissimo eius iudicio cõprobatur, sicut scriptum est. *Dabo eis Reges in furore meo.* Vnde & Medi cõuenienter à quodam Medai nomen accipiunt, quod interpretatur à potente, vel forti, vel mensura: quoniam à potẽte vel forti Deo, iusto iudicio contra fortitudines, vel pessimi quique homines deputantur; vt sicut bonis per bonos angelos, secundùm bona opera retribuit, ita & per malos malis reddat secundùm opera sua. Vnde certa impijs mensura præfigitur, quam vel ad tentandos bonos, vel puniendos malos, excedere non sinuntur. Vel ideo Medi interpretantur mensura, quia secundum mensuram culpæ mensura pœnæ extenditur. Sanè omnium horum, quæ de Medis suscitandis dicta sunt, in bonam partem potest expositio deduci. Qua quia mihi fas non est vestram defraudare auditatem, breuiter ipsa verba prophetica explanando repetenda sunt. Sed hoc alterius sermonis exordio commodiùs reseruabitur: vt interim ea quæ dicta sunt sedula meditatione animis vestris artiùs imprimantur; & ad

Terra impiorum quæ ciuitas confusionis.
Isai. 13.
Ibidem.
Ose. 13.
Mensura impiis præfixa.

pertimescenda diuina iudicia silentij interpolatione præpatentur, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

SERMO DVODECIMVS.

De eodem Capitulo moraliter exposito.

DOMINVS ac Saluator noster in cęlum ascendens, & corporali suæ pręsentiæ modū faciens, spiritualem nobis, non temporalem, sed æternam promisit, dicens. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Nemo igitur existimet, tempore Antichristi Dominum suam suis subtracturum pręsentiam, quibus tantam tunc temporis est largiturus virtutē, vt non solùm omnia eius calliditatis argumenta contemnant, irrideantque tormenta; imò etiam obuiam bestiæ, fide armati audacter procedant: & multos, quos ipse terroribus blandimentisque seduxerit, ab omni prauitate retractos, catholicæ veritati restituant. Ait ergo, *Ecce ego suscitabo super eos Medos*, & cętera. Medi possunt perfecti illius temporis doctores appellari: qui à potente Christo potentes, à forti fortes effecti, mensurā tritici, id est doctrinæ spiritualis, conseruis suis inexperta hactenus tentatione laborātibus, erogare non desistent. Qui super Babylonios, id est pseudochristianos & pseudoprophetas à Dño suscitati, oblatā sibi omnem rerū temporalium copiam, quæ per auri argentiue pretiū figuratur, contemnēt: quorum summa cura erit & studiū, animarū curare vulnera, & parare Dño plebem perfectam. Eia fratres, vt ad nosipsos redeamus, in omni bono opere tria obseruanda sunt: virtus discretionis, puritas intentionis, fundamentum humilitatis. Discretio spectat ad modū actionis, intentio ad causā, humilitas ad fructum. *Si rectè offeras*, ait Dominus, *rectè autem non diuidas, peccasti.* Rectè offert, qui bonum agit: sed nō rectè diuidit, si modum in agendo excedit. Sed si iam bona operaris, & bene, inspice, cuius rei causa, qua intentione, quo fine. Quòd si opus rectum ac discretum recta præcedat intentio; caue, ne serpens ille tortuosus caput erigat: superbiā dico, quæ cùm vbique & in omnibus, tum maximè in bonis operibus cavenda est. Quid enim prodest, si terra optimè culta fuerit, si semen sparsum sapienter, si competentibus pluuiis irrigatum, si se dilatauerit culmus, si spica ferax ꝓcesserit, si cōgrua solis temperie maturescens iam in se auidū cœperit prouocare messorem: & mox quasi de manibus omnia subita tempestas demergat? Sic profectò, si laboras, si ieiunas, si vigilas, si bonis operibus misericordiæ insistis: horum omnium fructus sola euacuat superbia, sola consumit elatio. Vnde nihil magis timendum est, quàm ne propter superbiā à Dño deseramur, & veniat nobis dies Dñi crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque. Sentiat quisque, vt volet: ego nihil crudelius cuiquā arbitror posse contingere, quàm vt derelictus à Domino dimittatur secundum desideria cordis sui; & eat in adinuentionibus suis. Quæ profectò crudelitas ex Dei indignatione procedit, quæ contra eos maximè, qui de bonis operibus in se gloriantur, euigilat: ingratitudinem præ cæteris vitijs odiens & detestās. O detestanda superbia, ingratitudinis mater, virtutum tinea, parens vitiorum! Tu aduersus miseros mortales crudelitatem prouocas Iudicis, indignationem excitas, iram acuis, accendis furorem. Ideo dies illa, qua ob superbiæ meritum homo à Deo deseritur, dies profectò crudelis est, plena indignationis atque furoris. *Ad ponendam*, inquit, *terram in solitudinem.* Deserente quippe Deo cor superbum, quasi terram reprobam & maledicto proximam, quod priùs videbatur terra bona & fertilis, redigetur profectò in solitudinem: spinas & tribulos germinans peccatorum, & solis vitiorum bestijs patens. *Et peccatores conterendos ex ea.* Videat charitas vestra, fratres carissimi. Regnante in pectore nostro vera humilitate, semper ad peccatorum nostrorum recordationem excitamur, semper ad subtiliter examinanda, etiam bona quæ facimus, prouocamur. At superbiā omnia quæ humilitatis sunt depascente, cogitationes, quibus ex commissorum memoria solebamus compungi, à cordis nostri extruduntur arcano: & hoc est de terra peccatores conteri, debitorum recordationem elatione subintroeunte deleri. Porrò per lunam fidem, per solem charitatem, per stellas cæteras virtutes intellige: quæ omniā si superbiæ fuerint tenebris obuoluta; nihil luminis, nihil gratiæ, nihil quod Deo placeat, nihil quod expediat proferent: sed totam animæ substantiam impietatis & infidelitatis horrore suffundent. Vnde necesse est, vt sup huiusmodi corda, quasi super vrbes cōtrarias sibi muro obstinationis clausas, turribus elationis munitas, visitet Dominus mala, quæ faciunt, vlciscens in omnes adinuentiones eorum: & visitans in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Superbi quippe & infideles dicuntur & impij; non tam in hominem, quàm in ipsum Deum sæuientes. Videte, quàm pestiferū malum, quod à diuinitatis cœpit iniuria; quod de Angelo diabolū fecit; quod hominem de paradiso expulit, dum ille diuinę potentiæ, iste scientiæ æqualitatem affectat. *Itaque quicunque putat se aliquid esse, cùm nihil sit: ipse se seducit.* Et quicunque putat scire se aliquid: nondum intelligit, quomodo oporteat eum scire. Vtinam quicumque tales sunt, visitet eos Dominus in virga correptionis suę; quiescere faciens superbiam infidelium, & arrogantiā fortium humilians. Expedit itaque superbis, vt ait quidam sanctus, vt in aliquod manifestū peccatum incidant, vt humilientur: fiatque illud, quod scriptum est. *Anferes spiritum eorum, & deficient: & in puluerem suum reuertentur.* Spiritus nempe hominis propriè spiritus est superbiæ. Quo ablato, ad puluerem suum, id est, ad propriæ fragilitatis cognitionem reuertitur: vt emittatur ei spiritus Dei, qui non requiescit, nisi super humilem & quietū, & trementem sermones eius: & ita recreetur & renouetur, proficiatque in virum perfectum, & in hominem rationi per omnia consentientem: & sic fit, quod hic scriptum est. *Pretiosior erit vir auro: & homo mundo obrizo.* Quod vt fiat, oportet, vt cœlum, id est spiritus ex Dei timore turbetur; & terra, id est corpus, de loco suo moueatur; pessimæ scilicet consuetudini suæ, desiderijsque renūtians. Eia fratres mei, sicut pluries experti estis, etiam turbato spiritu, difficilè à malæ consuetudinis loco receditur: difficilè vsus dediscitur: difficilè cutis ossibus carnique inhærēs deponitur. Sed tamen insit ei ex timore humilitas, pauor ex humilitate: & erit sicut damula fugiens, & sicut ouis. Omni animæ, fratres mei, à pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupiēti duo

[Marginal notes: *Mat. 28.* — *Antichristi tempore non deseret suos Christus.* — *Tria in bono opere obseruanda.* — *Gen 4. apud Septuaginta* — *Bona omnia euacuat superbia.* — *Isai. 13.* — *Fructus humilitatis* — *Superbia damnum.* — *Gal. 6.* — *1. Cor. 8.* — *Psal. 103.* — *Spiritus superbiæ.* — *Isa. 66.* — *Isai. 13.*]

dno quædā necessaria sunt: vt videlicet sicut damula insequentes, ita illa timens ac tremens materias fugiat peccatorum: & sicut ouis simplicitatis exemplar nec tondenti irascitur, nec resistit mactanti, ita illa se simpliciter subdat corripienti, simpliciter sustineat objurgantem. Et ita destructa vi be superbiæ, lapidibusque vitiorum, de quib⁹ fuerat ædificata, dispersis; cùm fuerit anima verâ humilitate fundata; non erit quicquam vlterius congreget, & suscitet ruinas vrbis. Tunc *vnusquisque ad populum suum revertetur: & singuli ad terram suam fugient* Cùm omnes nequam spirit⁹ omnium sint amatores incentoresque vitiorum, alius tamen propriè propter turpiorem circa libidinum sordes affectum, dicitur spiritus fornicationis; alius pro eo quod se plus in humanæ mentis elatione delectet, spiritus superbiæ; alius quòd frequentiùs suggerat auaritiam, spiritus auaritiæ. Hæc cùm fuerint per Dei gratiam à corde pœnitentis expulsa, conuertetur vnusquisque ad populum suum; spiritus fornicationis ad immundos, & sic de cæteris: & singuli ad terram suam fugient, in illis qui eorum fauentes suggestioni, quæ terrena sunt sapiunt, qualem cumq; requiem sibi quæritantes Infelix anima, quæ expulso ab alio, cuilibet dæmoni in se locum parat, propriumq; suscipit hostem: ab eo nimirum gladio iniquitatis ferienda. Quis tam pravus est, in quo aliqua non inueniatur aut virtus, aut similitudo virtutis? Sed susceptus hostis antiquus in corde ipsam etiam speciem sanctitatis tollit; vt sint nouissima hominis illius peiora prioribus. Cui etsi aliqua vtilis superuenerit cogitatio; facilè ab eo qui totum occupat extinguitur: ne ad fructum possit peruenire salutis. Ideo infantes eorum alliduntur in oculis eorum; cogitationes scilicet bonæ, sed adhuc teneræ, superueniente quadam cordis duritia, conteruntur. Diripiuntur domus eorum: quoniam quidquid boni est in conscientia, à malignis spiritibus deprædatur. Quorum etiam vxores, id est affectiones, quibus ad filios bonorū operum procreandos, quasi legitimo vsi fuerāt matrimonio, fœdis amorib⁹, & cogitationibus sordidis maculantur. IESV bone quādo respicies, vt restituas animam meam à malignitate ista, & ab his leonibus vnicam meam? Vtinam Domine, suscites super nos Medos, bonos scilicet Angelos, vt apprehendant arma & scutum, vtpote fortes à forti, potentes à potente: vt omnia hæc tentamenta nobis in mēsura disponant, non patientes nos tentari supra quàm possimus ferre: sed faciant cum tentatione prouentum, vt sustinere possimus. Hoc autem sciendum fratres, quia Medi isti eos qui sæculari sapientia tument, contemnunt; & eos qui in vana eloquentia gloriantur, despiciunt: argentum enim non quærunt, nec aurum volunt; sed ipsos libenter visitant, ipsis gratanter assistunt, contra eos pugnantibus se libenter opponunt: qui sagittis parvulos interficiunt, qui lactentibus vteri non miserentur, nec super filios parcit oculus eorum. Sed hoc in diem crastinū reseruemus. Dominus autem IESVS nobiscum sit: vt scrutantes Scripturas, in eis ipsum inueniamus, qui in manibus Prophetarum assimilat⁹ est, & Apostolorum vocib⁹ prolatus; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Diuersi spiritus diuersorū vitiorū

SERMO TERTIUS DECIMUS

De eo quod Scriptum est, Et ait Babylon, &c.

DIXIMVS, cùm in principio de oneribus tractaremus, duobus modis onus Babylonis vel Philistijm posse intelligi, id est & secundùm quod premuntur, & secundùm quod premunt. Descripto igitur onere Babylonis, secundùm quod tempore Antichristi, ciuitas diaboli ciuitatem Dei, id est Ecclesiam premet; ad ipsius oppressionem conuertit Propheta sermonem. *Et erit*, inquiens, *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.* Babylone mundum significari sæpe jam diximus, sed hoc loco ipsum signat mundum, quem semper constat esse in mundum; mundum scilicet, qui in maligno positus est: mundum, pro quo non orat qui vincit mundum; mundum, de quo eligūtur qui vincunt mundū. *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro his quos dedisti mihi* de mundo. O munde immunde, quid superbis? Nunc quidem gloriosus es in regnis, nunc inclytus es in superbia dæmoniorum, vel principum pessimorum. Cahldæi quippe quasi dæmones interpretantur. Eia fratres, quā gloriosa sibi videbitur Babylon, ciuitas illa confusionis, ciuitas reproborū, quādo ei, tempore Antichristi, in omnibus regnis terræ sæuiendi potestas tribuetur! quamque inclyta in superbia, & sublimitate Principum terrenorum fauentium sibi! qui quasi dæmones non tam corporum stragem, quàm animarum quærent perniciem. Sed quid gloriaris ô Babylon? Audi quæso Prophetam. *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.* De regione illa Sodomorum & Gomorrhæ dictū est: quia erat quasi paradisus Domini, antequam subuerteretur à Domino. Quæ ita subuersæ sunt, vt nullum sit in in eis pristinæ venustatis vestigium: sed adhuc tetra quædam mortis effigies sulphure ac bitumine intolerabili fœtore infernalium pœnarum imaginem præferat; & poma fumo plena, lacusque nihil vivum in se recipiens, Sodomitani sceleris detestando horrori testimonium præbeant. Ibi omnia contra naturam: vbi primùm lex naturæ legitur corruisse Meritò fœdum illud contra naturam detestabileq; peccatum, fœda & horrenda reliquit vestigia: vt aduertant homines, quibus supplicijs subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fœtor corrumpit; quos immunditiæ viscus instar bituminis æternis vinculis ligat: quos flamma vorax depascit, nec cōsumit. Hic est finis delitiarum tuarum ô Babylon, quæ miseris mortalibus ibi veneni tui dulcedinem spargis, vnde oculus auertitur præ horrore, animus præ pudore, sermo præ turpitudine Omnis creatura naturalem ordinem suæ conseruat naturæ, diuersorum sexuum conjunctione, suo singulis generi posteritatem procreantibus: solus homo in cōtemptum Dei, in contumeliam sui, in omnium rerum injuriam, tantæ perversitati propriam exponit naturam: vt totum quod Deus instituit, quod ratio probauit, quod confirmauit vsus, peruertere nō formidet. Væ tibi, ciuitas confusionis; quæ tot hodie huius flagitij tabe corrūpis, vt meritò Sodomitana & Gomorrhæa subuersio à iusto retributore paretur: vt eis similis videaris in pœna.

Isai. 14. *1. Ioa. 5.* *Ioan. 17.* *Genes. 19.*

Sodomitici criminis punitio quāta.

quibus te similem exhibuisti in culpa. Et tu ergo sicut Sodoma & Gomorrha subuerteris: vt gloriæ tuæ, diuitiarum tuarum, potentiæ tuæ, immundarumq; voluptatum tuarum, nulla tibi saltem sit, nisi ad pœnā, recordatio: sed sit tibi pro suaui odore fœtor, vermes pro cultu, pro libidine incendiū, pro breui voluptate æternum supplicium. *Non habitabitur*, inquit, *vsque in finem: & non fundabitur vsq; ad generationem & generationem*. Sileant hæretici, qui Babilonem apud inferos visitandam, post multa licet tempora, mētiuntur: cùm ęternus sit ei prophetatus interitus, quæ nec vlteriùs habitari, nec deinceps posse fundari, prophetica authoritate cōuincitur. *Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi*. Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Dn̄e. Nunc certè tempus miserendi: cui succedet tempus iudicandi. Nunc tempus cōuertendi ad Dominum: cui succedet tempus remunerandi. Ponit in Babilone tentoria sua Arabs, qui interpretatur Occidentalis, vel vespertinus; Christum vtique significans, qui nos mane conducit, ad vesperum remunerat. Non enim primùm, id est mane, bonum vinum ponit; & ad vesperam, cùm fuerint inebriati, tunc id quod deterius est: sed semper mane quod durum est pęrogans, quod dulce ac iucundum reseruat in vesperam. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis*. Et, *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini*. Hoc mane, id est primùm. Quid postea? *Tristitia vestra conuertetur in gaudium*. Quando? Vtique ad vesperam. Ideo væ tibi terræ, cuius principes mane comedunt: quoniam ob delicias temporales quibus nunc abutuntur, eas, quę ad vesperam retribuentur, in fine videlicet tēporalis huius diei, amittunt. Dicitur Occidentalis, non tam ad ortum hominis quàm ad occasum respiciēs: non initium operis, sed finem semper attendens. Habet hic tentoria sua Arabs; sanctos videlicet, qui peregrinantur in hoc mundo, & instar tentorij huc atque illuc à Dei spiritu transferuntur; non habentes in hac Babylone, vbi ponuntur nunc vt tentoria, manentem ciuitatem; sed futuram, quæ in cœlo est, inquirentes. Ponuntur autem, vt Babylonem expugnent: clamentque cum Propheta. *Fugite de medio Babylonis: & saluate vnusquisque animas vestras*. Ibi etiam modo requiescunt pastores, in fide & bonis operibus conuersorum gloriantes. Igitur nunc tempus est fugiendi de medio Babylonis: nunc tempus ad cœlestia tentoria transmigrandi: nunc etiam tempus, pastorum se doctrinæ ac legibus submittendi. Subuersa autem vrbe furoris subuersione finali, sanctisque ad cœlestia regna translatis; *non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi*: quia frustra apponitur medicamentum, vbi nullū potest sperari remedium. *Sed requiescent ibi bestiæ: & replebuntur domus eorum draconibus*, &c. Hæc si ad vltimam Babylonis euersionem, qua detrudetur in stagnum sulphuris cum pseudo-prophetis, sicut scribitur in Apocalipsi, referre voluerimus: vis literæ videtur inferenda, vt ostendi possit quomodo in Babylone iam damnata bestiæ, siue vitia, siue maligni spiritus intelligantur, valeant requiescere: nisi fortè ideo dæmones in damnatis dicantur requiescere: quia cùm à bonis malisve tentandis cessauerint, in eorum cessabunt suppliciis, quos ad suæ nunc voluntatis consensum illexerint. Si autem domus vniuscuiusque cōscientia propria est: tunc replebuntur domus eius draconibus, quando vitia quæ nunc iucunda videntur, & dulcia in hominis conscientia, draconis speciem præferent; cuius & faciem horreat, & flammam non ferat. Dicuntur enim hę bestiæ terribilis esse vultus: naturæ tam igneæ, vt flammas ex se emittere videantur. Ita profectò, vitia & peccata quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda: & materiam æterni incendij administrantia. Sed & singula quæque crimina, quibus hic homines delectabiliter implicantur, speciali recordatione miserorum conscientiam contorquebūt: vnde & habitare ibi struthiones, & saltare ibi pilosi, & respondere sibi vlulæ, sed & Sirenes in delubris voluptatis, perhibentur. Per struthiones igitur simulatio hypocritarum, per pilosos incentiua libidinum, per vlulas susurratio detrahentium vel murmurantium, per Sirenas fallacias intellige adulantium. Struthio quippe pennas habet, quibus tamen à terra non eleuatur: quia hinc pondus corporis, hinc raritas pennarum similitudinem quidē volandi præstant, sed vsum negant. Exprimit ergo natura avis vitium simulatoris, qui in facie quidem præfert signa virtutū, cùm in occultis prematur pondere vitiorum: qui magna loquens, & parua operans: cœlestia sonans, sed terrena cogitans: scientiā splendens, intentione scatens, in altum alas erigit, quasi iam volaturus ad sidera: sed mens suis cupiditatibus vincta totum corpus deprimit in ima. Sed pilosus qui incubo dicitur, animal petulcum & hispidum, & semper ad coitum æstuans, libidinum significat incentiva, quibus Esau pilis obsitus, vitiorū post illecebras gulæ, quibus primogenita sua vendidit, incitatus, alienigenarum se illicita coniunctione fœdauit; & simul patris & matris offendens oculos, benedictionem primogenitis debitam amisit. Videat charitas vestra. Primò venationi deditus, exteriora interioribus, vana serijs, inquietudinem quieti prætulit: deinde gulam non frænans, primogenita perdidit: postmodum in vtriusque parentis offensam pudicitiam perdidit: postremò à paterna benedictione excludi promeruit. Hæc cum plurimis hodieque actitari vtinam nesciremus: qui spiritualem dulcedinem, quæ ab intus tantum sentitur, fastidientes, & exteriores consolationes, vagasque discursiones curiosè sectantes, primum se ventris subijciunt seruituti, ob eius delitias primogenitorum suorum gloria, abrenunciationis scilicet se meritis defraudātes, & sic libidinis adusti incendio, ad benedictionem patris, quæ in fructu virtutum expectatur, non attingunt. Vlulæ coruinæ dicuntur magnitudinis, protenso collo, respersæ maculis; quæ, rostro in palude defixo, diræ vocis vel stridoris sonum emittunt. Rogo, quid detractoribus maculosius? Habent quippe detractores hoc proprium, vt semper vituperationibus, quibus alios infamare nituntur, paruas aliquas laudes admisceant: & ita omnem derogationis suæ sermonem maculosum, contrarijs sententijs reddant. Porrò adulatores sirenis congruè cōparantur, qui blādo quidem, sed mortifero sono audientis aurem demulcent, & nisi prudentiùs aure obturata trāsierit, in scopulos superbiæ, vel in præsumptionis charybdim inducent. Laudatur enim peccator à talib⁹ in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Infelix, qui se talibus credit, relictoque propriæ conscientiæ testimonio, alieno se iudicio deludendum exponit. Miseri, quibus Domi-

Isai. 14.
Aliud tempus miserendi, aliud iudicandi.
Mat. 20.
Ioan. 1.
Ioann. 16.
Eccle. 10.
Ierem. 51.
Apocal. 19.
Vitia nunc iucunda, terribilia futura.
Struthio & alia aues quid designēt
Genes. 25.
Qui sectatores Esau.

nus per Prophetam exprobrat dicens, *Propheta prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manu, & popul⁹ meus dilexit talia.* Sequitur. *Prope est vt veniat tempus eius & dies eius non elongabuntur.* Omne quod nobis videtur longum, Deo breuissimum est, quoniam *mille anni ante oculos eius tanquam dies hesterna quæ præterijt.* Et certè breue est omne quod transit, breue totum quod aliquando finis concludit. Vult proinde Spiritus sanctus, vt in æternitatem oculos figamus, nec tempus fugax vllius longitudinis æstimemus *Prope est*, inquit, *vt veniat tempus eius.* Cujus eius? Illius certè, de quo præmiserat. *Ecce dies Domini venit crudelis*, & cætera. Dies igitur Domini tempus Domini est, in quo boni probabũtur, ficti prodentur, perfecti coronabũtur, reprobi punientur. Quando istud erit? Quæ dilationis huius causa? Differtur sane, donec plenitudo Gẽtium introëat, & sic omnis Israël saluus fiat. Itaque antequam ista cœperint agitari, miserebitur Dominus, & eliget adhuc de Israël. Eia fratres, stat adhuc sententia illa grauis super Iacob, quam idem iste Propheta, in priori huius parte, ab ipso Domino dicit esse prolatam. *Exceca*, inquit, *cor populi hui⁹, & aures eius aggraua, & oculos claude, ne fortè videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.* Veniet dies, cum auferetur ab eis velamen, vt & ipsi reuelata facie gloriam Domini mei IESV Christi speculentur; cum nuntiatum fuerit Iacob, *Ioseph filius tuus viuit, & dominatur in tota terra Ægypti.* Tunc quasi de graui somno infidelitatis euigilans, *Vadam*, inquit, *& videbo eum antequam moriar.* Miserebitur enim Dominus Iacob, cui nunc in fide Gentium aduersari videtur, vocans non plebem suam plebẽ suam, & non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutã. *Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël.* Adhuc inquit, eliget de Israël. Elegit primum Apostolos & Discipulos, & multitudinem credentium de Israël, vt primitiua Ecclesia fundaretur; eliget & in fine sæculi plures, quibus vltima sæculi tempora adornentur. Nomine autem electionis intelligimus nunc omnes Iudæos, quos tempus illud inuenerit esse saluãdos. Si quæritis vobis distingui inter Iacob & Israël, & inter miserationem & electionem; infirmiores intellige per Iacob, quorum miseretur ne pereant; perfectiores in Israël, de quibus eligit ad alios docendos & regendos. Sequitur. *Et requiescere eos faciet super humum suam.* Quæ est ista humus? An terra illa promissionis, quæ eorum quondam fuit, à qua evulsi sunt, & dispersi per orbem terrarum? Sed & nos charissimi, cùm destructa fuerit in nobis Babylon, cùm fuerimus Iacob, Babylon inquam, idest amor mundi, vbi profectò sunt bestiæ spirituales de quibus Propheta, *Ne tradas*, inquit, *bestijs animas confitentes tibi*: vbi dracones, immundi scilicet spiritus locum habent; vbi simulatio regnat, libido inquietat, detractio laniat, dissoluit adulatio; cum inquam hæc omnia mũdialis amoris fuerint deleta, miserebitur nostri Dominus. Iacob quippe luctator interpretatur. Quæ est ista lucta? *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spirit⁹ aduersus carnem.* Quæ lucta? *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores.* Quæ lucta? *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quæ lucta? *Ne miremini, si odit vos mundus, quoniam me prius odio habuit.* Habemus igitur luctam cum carne, luctam cum dæmone; luctam cum mundo, cum Deo. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia eorum qui probãtur, quarta eorum qui perficiuntur. Prima laboriosa, secunda periculosa, tertia tædiosa, quarta fructuosa. Rogo, quid tam laboriosum, quàm in seipso, & contra seipsum habere conflictum? Intus est ignis, quem nos & fouere oportet, & cauere. Nam si non fouetur, natura obruitur: si non cauetur, castitas periclitatur. Hinc timor, hinc luctus, hinc lachrimæ, ignorantibus metas necessitatis, expauescentibus negotiũ voluptatis, non audentibus debitum naturæ negare, volentibus gulæ frænum sobrietatis imponere. Cùm putant consulere necessitati, fomentum præstãt voluptati: & cùm subtrahunt, quod putant necessarium, in alijs quæ æquè diligunt bonis, sustinent detrimentum. At contra spirituales nequitias periculosa nimis lucta est, quibus mille ad nocendum sunt artes; vtpote tot annorum millibus in tali negotio exercitatis. Inter omnes dæmonum insidias illa tamen periculosior est, qua se transformant in Angelos lucis, similitudine virtutum vitia palliantes: & in calice aureo venenum miseris propinantes. Tunc non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem: quando carne iam superatã dæmonum nos calliditas iniqua deludit: suadentes vitia per virtutes, vel propter virtutes superbiam. Porrò duobus brachijs mundus iste contra nos luctatur: prosperitate & aduersitate. In parte prosperitatis est rerum temporalium abundantia: in abundantia pax, in pace securitas. Similiter & laudes hominum, amicitia diuitum, beneuolentia & fides sociorum, fauor & gratia subditorum. Nihilominus & sanitatem corporis, & bonam valetudinem mẽbrorum, quidam prosperis æstimant adiungenda. Eia fratres, quantum hoc brachio suo mundus nos premat, quàm aduersum nos luctetur, quàm sæpe miseros incautosque deijciat, quis facile dixerit? Quàm rarus! qui non in prosperis vel modicè relaxet animum à solita grauitate: qui non in abundantia sit parum remissior; & in humana laude parum hilarior; in principum benevolentia aliquantulum lætior; in amicorum gratia dissolutior; in fauore subditorum insolentior; in corporis virtute austerior. Quicumque igitur Iacob spiritualis esse voluerit; contra hæc in prosperis cõtinuâ luctã se noverit exercendum. At brachium aliud mundi, quod aduersitatem diximus: molestum magis est, sed minùs periculosum. Ad quod spectat rerum penuria, detractiones, opprobria, persecutiones diuitum, odia principum, amicorum proditio, subditorum rebellio, corporis ægritudo. Qualis est nobis, fratres, contra hæc omnia colluctatio? Quis est, qui in aduersis fortè non pusillanimior inueniatur; qui ad opprobria non moueatur; vel non cõtristetur ad detractiones; qui non in persecutionibus iracundior; contra amicum proditorem impatientior? Felix animus, qui in omnibus inuenitur superior: sicut in prosperis temperans, ita & constans in aduersis. Felix nihilominus ille, qui etsi vincere ista non valet, optimè tamen luctando satagit, ne vincatur. *Miserebitur enim Dominus Iacob*, id est luctatoris, vt si plenã non obtinuerit in hac vita victoriã: finito certamine coronam mereatur habere in cœlis perpetuam. Sanè qui in his luctis victor extite-

Marginalia: Ierem. 5. — Isai. 14. — Omne tempus breue. — Psal. 87. — Isai. 6. — Gene. 45. — Rom. 9. — Psal. 73. — Galat. 5. — Ephes 6. — Matth. 11. — Ioan. 15. — Arduum est contra se pugnare. — Duobus brachijs mũdus contra nos luctatur. — Isai. 14.

rit, incipiat luctari cum Deo; transiens de Mesopotamia Siriæ in montem Bethel: de inferioribus ad superiora, de humanis ad diuina, de corporalibus ad spiritualia. Porrige ergo in altum brachia duo, ô anima; orationem, & meditationem: infer ea in ipsa secreta cœli, vbi Christus est in dextera Dei sedés: insta opportunè, importunè, vt contempleris faciem eius; vt descendat ad te, vel te trahat ad se: vt gustes, quàm dulcis est, & quàm mitis & misericors, experiaris. Itaque si in oratione tua vel meditatione exarserit cęlestium desideriorum ignis; si amorum incentiua flammescant, si æstuans & anhelans cœlestibus quibusdam mouearis affectibus: & modò quasi cõprehensum quem diligis sentias esse præsentem, modò elapsum de manibus doleas & suspires absentem; lucta spiritualis est, nomen tibi Israël imponens; vt non solùm miseratione, sed electione dignus habearis. *Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël*: quia qui pugnans in gemitu suo laborat cõtra vitia, & lauat lachrymis lectum suum; dignus est, cui misericordia impendatur; qui autem vitijs superatis in virtutum perfectione gloriatur, quasi granum purgatum & electum ad horrea superna transferetur. *Et requiescere eos faciet super humum suam.* Beatitudo magna promittitur. Humus nostra, caro nostra est. Multi sunt sub ea, multi in ea: pauci verò super eam. Sub ea sunt, quibus carnis concupiscentia dominatur. In ea sunt, qui semper ea quæ carnis sunt agunt & meditantur. Supra eam sunt, à quibus ne ipsa insolescat, laboribus & vigilijs atque jeiuniis castigatur. Primus carnalis est, secundus animalis, tertius spiritualis. Et à carnis quidem dominatu nos prohibet Paulus, cùm dicit. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentijs eius.* Quid est obedire concupiscentijs carnis, nisi esse sub carne? Vult etiam nos non in carne esse, qui ait. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Audi & hominem supra carnem, eius desideria viriliter prementem. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Verumtamen quamdiu est, contra quod pugnet, labor est, non requies. Si verò extinctis vitijs, superatisque passionibus ita supra carnem sit, vt jam nõ sit in ea quod premat: profectò super humum suã requiescet. Hæc est beatitudo mitibus repromissa; dicente Domino. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sed quia jamdiu laborantes loquendo ad eum locum Scripturæ venimus, vbi requies commendatur: justum est, vt in portu silentij modicum quiescentes, animum simul & vocem reparemus: & sic magis idonei inueniamur ad perscrutanda Sacramenta Dei & Domini Iesu Christi; qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Genes. 28.

Oratio & meditatio duo brachia animæ.

Isai. 14.

Qui sint sub humo sua, qui super.

Rom. 6.

Rom. 13.

1. Cor. 9.

Mat. 5

SERMO QVARTVS DECIMVS.

De eo quod scriptum est. Disiungetur advena, *vsque*, Operimentum tuum erunt vermes.

SANCTVS Isaias conuersionem Iudæorum, quam in nouissimis diebus futuram credimus, sancto spiritu illuminatus describens, *Miserebitur*, inquit, *Dominus Iacob, & eliget de Israël, & requiescere eos faciet super humum suam.* Et addidit. *Adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.* Per aduenam populum intellige nationum, qui vocationẽ Iudæorum, oracula Prophetarum videntes impleri, ad eandem fidẽ suscipiendam eis coniungi festinabant. Vel certè ipsa plebs fidelis, quam ipsi eatenus vt aduenam exhorruerant, eis dilectione iungetur, quando illæ duæ, quæ fuerant in manu Ezechielis Prophetæ diuisæ, erunt in vnionem; & secundum alium Prophetam, Iuda & Israël facient sibi caput vnum, & ascendent de terra. Ita populus Gẽtiũ adhærebit populo Iudæorum, id est domui Iacob, vt fit illis vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. *Et tenebũt eos populi*, Iudæos scilicet Christiani tenebunt charitate, tenebunt sollicitudine, tenebunt affectione. *Et adducent eos in locũ suum* id est Ecclesiam; locus quippe Christianorum Ecclesia est, quã ille præfigurabat locus, de quo dixit Dominus ad Moysen. *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* De qua terra Propheta subiunxit, *Et possidebit eos domus Israël super terram Domini in seruos & ancillas*, Receptis quippe in Ecclesia Iudæis, quæ vtique terra Domini est, tanta erit populis exultatio, tam mira circa eos deuotio, vt quos nunc habent persecutores & Dominos, tunc in caritate seruos habeant & ancillas, secundum illud Apostoli, *Per caritatem seruite inuicem. Et erunt capiẽtes eos qui se ceperant.* Vt mihi videtur, mutua illa describitur Prophetico sermone dilectio, qua se alterutrum capient Iudæi, & Gẽtes, & quibusdam quasi brachijs amoris se inuicem complectentur, de qua captione Paulus ait. *Capite nos.* Vel, *Erunt capiẽntes eos, qui se ceperant*, cũ sicut fideles ex Gentibus, sanctæ prædicationis reti plebem Israëliticam ad sinum trahunt Ecclesiæ; ita & ipsi conuersi ad Dominum, plures ex gentibus, verbo simul & exemplo Christianis legibus subiugabunt. Vnde sequitur. *Et subijcient exactores suos.* Exactores Iudæorum sunt immundi spiritus, quos diuersis erroribus implicatos ad maledicta, & multorum generum vitia compellunt; quos nimirum signo crucis muniti in fine sæculi subijcient; & cum illis data fuerit virtus calcandi serpentes & scorpiones, & omnem potestatem inimici. *Et erit, in die illa: cum requiem tibi dederit Deus à labore tuo, & à confusione tua, & à seruitute tua dura, qua ante seruisti: sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices. Quomodo cessauit exactor.* & cætera. Descriptus est à Propheta status Ecclesiæ vsque ad tempora Antichristi; descripta etiam ipsa persecutio Antichristi, descripta Babylonis spiritualis euersio, descripta & Iudæorum conuersio. Nunc ad ipsius Antichristi, vel certè diaboli in Antichristo, vel cum Antichristo subuersionem, Sãctorumque requiem & exultationem, mysticum vertit eloquiũ: & qui de ijs, quasi de tertia persona, dura prædixerat, annunciaturus prospera ipsos alloquitur, dicens. *Et erit, cum requiem tibi dederit Deus.* Per hanc requiem potest pax illa intelligi, quam fortè, destructo Antichristo, vsque ad diem iudicij habebit Ecclesia: vel illa certè, qua nouissimè inimica morte destructa, non erit qui impugnet, vel terreat. Notantur hic tria genera miseriarum, quibus subijcietur genus humanum, ab eis, ante tempus illud, non facile eruendum, Labor, Confusio, Seruitus. Labor ad corpus proprie pertinet, ad mentem confusio, seruitus ad vtrumque. Tempore quippe Antichristi laborabit Ecclesia, in alijs subacta tormentis; confundetur in alijs, exposita contumelijs; præmetur seruitute afflicta tributis. Sed cum ab his

Isai. 14.

Ezechi. 37.

Osee 1.

Isai. 14.

Locus Christianorum Ecclesia est

Exod. 3.

Galat. 5.

2. Cor. 7.

Isai. 14.

Subuersio Antichristi describitur.

omnibus, inquit, illo filio perditionis extincto requieueris, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices. *Quomodo cessauit exactor? quieuit tributum?* Obstupescêt sanè electi, quod importunus ille exactor tam subitò perierit, & sit deletus de terra; qui tam per se, quam per satellites suos mundum vexabat, tributis ac tormentis depopulans omnia, & ad sui consensũ sceleris trahens. *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione, plaga insanabili.* Plaga ista mors æterna est, qua multi, Antichristo cædente, id est persequente, ferientur; quæ quidem plaga insanabilis est; quia in inferno nulla est redẽptio: ibi nec locus pœnitentiæ, qua peccata purgentur: nec confessionis remedium, quo curentur: nec acceptabilis satisfactio, qua sanentur. *Subijcientem*, inquit, *in furore Gentes; & persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra: gauisa est & exultauit.* Regnante Anti-christo vbique labor, vbique clamor, vbique dolor. Quo diuinâ virtute prostrato videbuntur quiescere omnia, silere omnia, exultare omnia: quia jam non erit luctus, neque clamor, neque vllus dolor: quia priora transierunt. *Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri libani.* Per abietes accipe sublimes in sapientia: per cedros excellentes potentiâ. Hæc ligna ad constructionem templi vel ornatum à sapientissimo Salomone assumpta, sacræ Scripturæ prodit historia. Sicut autem templum illud figuram præferebat Ecclesiæ, ita per abietes & cedros, quæ cæteras arbores & proceritate vincũt, & odore præcellunt, sublimes in Ecclesia, qui bonæ opinionis odore pluribus innotescunt, intellige. Qui tunc temporis tantò habebuntur sublimiores, quantò persecutionis tempore inuenti fuerint fortiores. Quorum vox exultantium & gloriantium à Propheta subiungitur. *Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.* Somnus iste mortem significat. Mortuo quippe Antichristo, non erit qui cedros abietesue succidat. *Non ascendit.* Ascensus superbiam, vel potentiam, vel prudentiam exprimit: vt intelligas, nullum post eum tantâ superbiâ erigi, vel exaltari potentiâ, vel callere prudentiâ: vt in paradiso Dei, in Ecclesia videlicet, quoslibet perfectos, quasi cedros & abietes, à fidei possit fundamento succidere; siue per superbiam sæuiendo, siue per potentiam opprimendo, siue per prudentiam seducendo. Bene ergo dicitur. *Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.* Sequitur. *Infernus subter conturbatus est in occursum tui: suscitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum.* Principes terræ vel nationum contrarias fortitudines æstimo interpretandas: quæ in hominibus terrena sapientibus, vel Gentibus ab Antichristo seductis, singulæ in singulis, quasi principes in solijs, tunc temporis residebunt. Quorum omnium potentissimus, quasi cæterorum Rex, Antichristi corpus & animam quasi omnibus alijs excellentius sibi solium vendicabit. Hi igitur Principes cùm Regis sui conatum, quem per organum illud suum moliebatur, Christi virtute euacuatum conspexerint; territi de solijs suis, his videlicet quibus præsidebant, fugabuntur: & ruinam eius admirantes quasi respondebunt & dicent. *Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua.* Et est sensus; quantò altiùs te extulisti, tantò profundiùs corruisti. *Concidit cadauer tuum.* Cadauer principis tenebrarum ipse Antichristus potest non inconuenienter intelligi: quem præ omnibus suæ malitiæ animabit, & pessimæ eius voluntati quasi vitalem flatũ effectum malitiæ ministrabit. Quod eius cadauer tunc concidet, quando cum Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. *Subter te sternetur tinea, & putredo, & operimentum tuum erunt vermes.* Pœna æterna, quæ totã vel diaboli, vel Antichristi substantiã occupabit, satis manifestè describitur. A parte inferiori tinea demolietur, à parte superiori vermes corrodent, putredo intus cõsumet. Tinea pro iocunditate, vermes pro crudelitate, putredo pro libidine. Vel tinea pro illicita locutione, putredo pro illicita cogitatione, vermes pro illicita actione. Vel tinea, quæ occultè & quasi insensibiliter consumit, diaboli est suggestio; putredo, quæ horrorem, & fætorẽ generat, immunda delectatio; vermes, qui manifestè corrumpunt, consensio. Ex his autẽ omnibus materia nascitur suppliciorum, siue intus in conscientia, siue exteriùs in pæna. Hæc breuiter exponendo transcurrimus, animo scilicet ad aliena festinante. Recolite charissimi, quia de Domino IESV præsentiam suã discipulis subtracturo scriptum est. *Conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent.* Pacem enim Ierusalem significat. Pacem itaque commendam vobis, pacẽ præcipimus vobis. Ipse enim Christus, qui est pax nostra, faciens vtraque vnum, conseruet vos in vnitate Spiritus, & in vinculo pacis, cuius vos protectioni & consolationi sub alis Spiritus sancti commendo, vt ipse vos mihi, & me vobis cum pace & incolumitate restituat. Quod ipse concedat, qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Marginalia: Isai. 14. — Pœna inferni plaga insanabilis est. — 3. Reg. 5. — Mors somnus. — Isai. 14. — Ibidem. — 2. Thessa. 2. — Isai. 14. — Actor. — Auctor aliquò profecturus suis hic valedicit.

SERMO DECIMVSQVINTVS

De eodem capitulo moraliter exposito.

ECCE adsum, filij mei charissimi, gaudium meum, & corona mea in Domino. Dies ista dies mihi exultationis & lætitiæ, quam diu desideraui vt viderem: & desiderium pauperis exaudiuit Dominus. O amor quàm suauiter vris absentes! quàm delectabiliter pascis præsentes! nec tamen satias esurientes, donec ponas Ierusalem pacem, & adipe frumenti saties eam. Hæc est pax, cuius primitijs interim refocillati gustatis, quàm bonum & quàm iucundũ sit habitare fratres in vnum. Hæc est pax, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit in via, eius plenitudine satiãdos in patria. Eia fratres dulcissimi, totũ quod viuo, totum quod scio, vestris profectibus offero: vestræ deuoueo vtilitati. Vtimini me, vt libet; nec parcatis labori meo, vbicumque seruire poterit profectui vestro. Redeamus ergo si placet, imò quia placet, ad opus quod intermisimus; & cœlestes thesauros, quos sub tegmine parabolarum sanctus recondidit Isaias, lumine nos veritatis sancto SPIRITV profundente, rimemur. Describens quippe parabolam, quam contra regem Babylonis populus ab eius tyrannide liberatus assumet; *Et erit*, inquit, *in die illa, cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à confusione tua, & à seruitute tua dura, qua ante seruisti: sumes parabolam hanc contra regem Babylonis.* Itaque parabolam intelligamus vt parabolã: non

Marginalia: Auctor ad suos reuersus resumit opus intermissum. — Isai. 14.

arbitrantes eam contra Nabuchodonosor terrenæ illius Principem Babilonis;sed potius contra eum, qui ab Aquilone est,principem cōfusionis, esse prolatam. Sed quia hæc vltimo illo sermone quem de his ad vos habuimus, allegorica interpretatione transcurrimus:ea ipsa nunc moraliter prosequamur. Si quis igitur nostrum aliquando in confusione vitiorum positus, ac iugo iniquitatis oppressus, iam se gaudet & à labore quiescere,& pro transactis nihil confusionis habere, iugum quoque pessimæ seruitutis abiecisse: sumat parabolam hanc contra regem Babylonis.

Labor in vitijs est. Labor in vitijs est:requies in virtute.Confusio in libidine: securitas in castitate. Seruitus in cupiditate: libertas in charitate. Est quippe labor in vitijs, labor pro vitijs; labor contra vitia. Labor in vitijs, quando vt pessima desideria expleantur, laborem multis antiquus hostis importat. Labor pro vitijs: quando quis pro malis quæ fecit, vel invitus affligitur, vel volens labore pœnitentiæ maceratur. Labor contra vitia: quando conuersus ad Deum diuersis tentationib⁹ fatigatur. Est etiam confusio in vitijs: confusio pro vitijs: confusio contra vitia. Confusio in vitijs, quando homo pessimis passionibus dissipatus non ratione regitur, sed vitiorum tumultu confusè agitatur. Confusio pro vitijs, quando quis deprehēsus & conuictus criminis alicuius,confunditur; vel pœnitens & confitens quæ commisit,salubri confusione purgatur. Porrò contra vitia confusio; quando homo conuersus ad Deum, tentationi quam patitur expertæ confusionis recordatione resistit. Clamat Dominus in Evangelio. *Matth. 11.* *Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis.* Habes aliàs scriptum de quibusdam. *Ierem. 9.* *Vt inique agerent, laborauerunt.* Quis labor latronibus furibusue, vt vel viatorem opprimant, vel patrem familias domo perfossa despolient? Quis labor adulteris vel fornicatoribus, vt malè cupitis potiantur amplexibus? Sed & auaro agris vel thesauris inhianti alienis labor non modicus est; & *Labor adulteri, auari, &c.* si non corporis, tamen cordis. Hunc laborem sequitur confusio: quia sicut in virtutibus ordinis est pulchritudo, ita in peccatis tumultus & confusio. Omnis enim qui facit peccatum, seru⁹ est peccati. O dura seruitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia; cùm violentia malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod iam detestatur; vt mirum in modum & peccatum ita velit, vt ploret. A quibus omnibus cùm homo fuerit liberatus, sumet parabolā hanc contra regem Babylonis,& dicet. *Quomodo cessauit exactor; quieuit tributum?* Audi Dominum nostrum Iesum in Evangelio dicentem Petro. *Reges Gentium à quibus accipiunt tributū: à suis, an ab alienis?* Et Petrus. *Ab alienis.* Cui *Mat. 17.* Dominus. *Ergo*, inquit, *liberi sunt filij.* Sunt igitur tres exactores tributa exigentes, Cæsar, diabolus, & Deus. *Tres exactores Cæsar, diabolus De⁹.* Cæsar imaginem suam impressā nummo, quam homini in signum suæ dominationis imposuit, quasi exactor importun⁹ extorquet. Diabolus similitudinem suam, quam consentienti sibi animæ affectu vitiorum, stilo consuetudinis vitiosæ inseruit, durus ac crudelis exactor quotidianæ turpitudinis solutione requirit. *Genes. 1.* Deus imaginem suam quam, naturæ animæ rationalis impressit, à sua rationabiliter exigit creatura. Ad imaginem quippe & similitudinem Dei creatus homo, quamdiu se alterius non subdidit potestati, non cogebatur solvere,quod cōstabat eum non debere. Sicut autem Dei quædā similitudo lucet in virtutibus:ita similitudo diaboli in vitijs æstimatur: à qua eius similitudine *Similitudo diaboli in anima qua.* tamdiu homo liber est,quandiu non præbet suadenti consensum. Consensus quippe in animam ipsam quodammodo diaboli similitudinem leui, vt ita dicam, tractu depingit. Quando verò consensus prorumpit ad actum; iam plenā eius imaginem affectu peccandi sibi miser imponit. Sicut in homine peccato mediante diabolus potestatem accipiens, cùm eum iugo malæ consuetudinis oppresserit quotidianum peccati tributum ab eo intolerabilis exactor extorquet. Sed sicut *Exod. 5.* Pharao plebem Israëliticam in luto affligens & latere plures sub se legitur habuisse exactores:ita princeps ille tenebrarum ad hoc tributum exigendum singulis suorū singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, & suggestionibus incautos concutiant: duraque peccati seruitute depressos in sordidis operibus desudare compellant. Sed ô, quæcunque es anima, quam ab hac infelicitate Dei pietas liberauit; præstat tibi requiem à labore tuo, & concussione tua, & à seruitute tua dura, qua ante seruisti. Miraris certè, quod tam facilis tibi est continentia, quæ tibi impossibilis videbatur: miraris, quod inolitę cōsuetudinis iugum evanuit, ad quod deponendū etiam conatum omnem desperatio innata subtraxerat. Sume ergo parabolam contra regem Babylonis. Exulta cum tremore: clama cum stupore. *Quomodo cessauit exactor: quieuit tributū?* *Isai. 14.* Institit quotidie spiritus fornicationis, alicujus turpitudinis & immunditiæ tributum exigens: nec erat repellendi facultas, vel virtus resistendi. Quomodo ergo cessauit exactor: quieuit tributum? Insurgens in me spirit⁹ iræ ad verba furoris crebriùs cōpellebat: nunc spirit⁹ gulæ ad negatos vel illicitos cibos excitabat appetitū: nunc amarum silētium quotidiani murmuris & detractionis à me exigēs nummū, magistris intractabilem, impatiētem me sociis exhibebat. Spiritus acediæ omnem statum meæ tranquillitatis euertens, & horrorem solitudinis, & quietis odium ingerēs, discursiones inordinatas, signa vana vel periculosa me sibi soluere compellebat. Spiritus superbiæ ipsam interiorē cordis mei sedem peruadens, *Spiritus superbia quid suadeat.* nunc subiectionis impatientem, nunc cupidum dominationis faciebat; nūc ambulare in magnis & mirabilibus super me, cæteris despectis, compellebat; nunc meipsum præferre melioribus, cunctorumq; profectibus inuidere persuadebat. Quomodo ergo cessauit exactor: quieuit tributum? Numquid in virtute mea? Numquid in gladio meo? Absit. Quomodo ergo? Certè Dominus contriuit baculum impiorum, virgam dominantium. Dominus conterens bella; Dominus nomen est illi. Gloria tibi, Domine Iesu, qui non permittis nos tentari suprà quàm possumus. Non dedisti gladium in manu hostis: sed baculum, vel virgā. Gladius enim extinguit: virga vel baculus affligit. Denique vox tua est ad Sathan, *Iob 1.* de beato Iob. *Ecce in manu tua sunt cuncta quæ possidet: tantum ne in eum extendas manum.* Deinde cùm dedisset ei in corpus eius potestatem. *Iob. 2.* *Verumtamen*, inquit, *animam ejus serua.* Data est virga, datus est baculus: sed negatus est gladius. Virga data est, quando concessum est ei adimere temporalia. Datus est & baculus; quando in ipsum corpus eius sæuire permissus est. Negatus est gladius: quando ab animæ extinctione pro-

hibitus est. Percutit itaque virga: quando ea quę foris sunt tangit. Percutit baculo: quādo corp9 ipsum affligit. Percutit gladio: quando à corpore animam excutit. Hac triplici tentatione aduersus Martyres iamdudum desæuit diabolus: quibus etiam in fine sæculi aduersum fideles per diabolum sæuiet Antichristus. Contra nos qui in medio duorum temporum positi sumus, quoniam ei gladius ademptus est, virgâ baculoque contendit. Itaque quando rerum temporalium damno percutimur, virga est: quando ægritudine vel alia carnis afflictione, baculus est. Virgâ quoque percutit, quando suadet delectatione; baculo, quando trahit ad consensionem: gladio, quando compellit ad actum. A quibus omnibus cùm fuerimus liberati: ad nos vox ista pertinebit. *Contriuit Dominus baculum impiorum; virgā dominantium.* Impij sunt dæmones: qui non amore iustitiæ, nec corrigendi affectu, sed ex sola malitia plagas mortalibus, quibus iusto Dei iudicio dominari permittuntur, vel ad tempus vt purgentur, vel in æternum vt puniantur, inferre non cessant. De quorum malitia aptè subiungitur. *Cadentem populos in indignatione, plaga insanabili.* Plaga ista insanabilis ad reprobos pertinet, qui in baculi virgæve percussione murmurantes, affligi possunt: sed sanari non possunt. Et addidit. *Subycientem in furore gentes; & persequētem crudeliter.* Multis quippe tentationibus subijcit sibi gentes spiritus nequam, non amore iustitiæ, sed in furore persequens eas crudeliter, nō sicut Christus, misericorditer; qui percutit, vt sanet; mortificat, vt viuificet; deducit ad inferos, vt reducat. *Conquieuit & siluit omnis terra: gauisa est & exultauit.* In terra cordis nostri, & in terra carnis nostræ, quando diuersis tentationib9 fatigamur, qualis tumultus est, qualis clamor vitiorum, quos sequitur innumerabilium exercitus peccatorum! O quanta felicitas! quando cōquiescit & silet omnis terra: quando in carne nostra quiescunt incentiua libidinum, aculei delectationum, spinæ immundarum passionum, superbiæ tumor, iræ impetus, suspicionis vel indignationis susurrium. Cùm autem quieuerit, & siluerit clamor vitiorum, sequitur iucunditas exultatioq; virtutum. *Gauisa est,* inquit, *& exultauit.* O quale gaudium! qualis exultatio! quando in hominis conscientia omnia læta sunt, omnia pacifica: quando contrito sub pedibus Satana, omnique macula vitiorum expulsione deleta, in solis virtutibus anima gloriatur. Vnde sequitur. *Abietes quoque lætatæ sunt, & cedri libani.* Per abietes & cedros arbores sublimes & odoriferas, virtutes intellige: quarum cacumen cœlum tangit, mundum bonæ opinionis odore perfundit. Tunc verè virtutibus lætatur conscientia: quādo & sublimes sunt cœlestium intentione, & famæ integritate odoriferæ. Hoc est, quod ait Apostolus. *Prouidentes bona, non tantum corā Deo, sed etiam coram hominibus.* Cùm igitur abietes & cedri lætatæ fuerint: id est, cùm virtutes vitijs succedentes salutari lætitia mentem perfuderint: ex quo dormisti, inquiunt, non ascēdit qui succidat nos. Ad regem Babylonis, principem scilicet tenebrarum vox ista dirigitur. Obdormisti, ô Satana, non interisti. Nulla securitas fratres mei: nulla securitas. Dormit hostis, non perijt. Facile excitatur, qui dormit. Pax est, requies est: quia ipso dormiente, non ascendit qui succidat virtutes. Verumtamen fratres, perfectorum vox ista est: quibus iam non est colluctatio aduersū carnem, quæ plerumque innatâ sibi concupiscētiâ virtutes succidit: sed aduersus spirituales nequitias. Quibus dormientibus, id est, à tentationibus cessantibus, requiescunt perfecti: nullam ex seipsis in seipsis pugnæ materiā habentes. Sciendum planè est, fratres mei, quia pax ista nec continua poterit esse, nec perfecta; donec nouissima inimica destruetur mors, id est mortis author diabolus: non enim iā dormienti, sed quasi morienti sanctorum societas insultabit. *Vbi est,* inquit, *mors, victoria tua?* Quod Isaias alijs verbis, *quomodo,* ait, *cessauit exactor, quieuit tributum! Infernus subter conturbatus est: in occursum tui, suscitauit tibi gigantes.* Superato à sanctis diabolo, turbatus occurrit infernus, spirituū scilicet societas immundorū; suscitans illi gigantes, id est quoslibet de socijs fortiores: cum quibus rediens ad domum de qua fuerat expulsus, si copia fuerit reintrandi, faciat nouissima hominis illius peiora prioribus. Hæc vicissitudo tentationis & pacis nobiscum agitur, donec omnes principes terræ, id est terrena sectantium; omnes etiā principes nationum, principes videlicet regni Persarum vel Græcorum, sicut habes in Daniele, vel certè principes nationum, id est vitiorum, de suis fugati sedibus, principis sui interitum lugeāt: cuius cadauer, id est omnis societas reproborū, cum eo æternis supplicijs data tineâ demolietur, putredine corrumpetur, vermibus corrodetur. Non miremini, si vos hodie diutius tenui, quàm solebam: quoniam auidus vestri post diuturnam famem non facile potui vestra præsentia satiari. Ne putetis, quod vel nunc satiatus sim; cùm sermonem omittam fatigatus, non satiatus. Satiabor cum apparuerit gloria Christus, in quo vos nunc amplector delectabiliter; quib9 me spero futurum in ipso feliciter: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 14. — *Gaudium bona conscientia.* — *Rom. 12.* — *Ephes. 6.* — *1. Cor. 15.* — *Isai. 14.* — *Matth. 12.* — *Vicissitudo tentationum & pacis.* — *Daniel. 10.*

SERMO SEXTVSDECIMVS

De eo, quod scriptum est, Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? *Isai. 14.*

POST sacra Dominicæ Natiuitatis solemnia, ad indagāda Propheticę visionis mysteria reuertentes, spirituales delicias, fratres carissimi, non omittimus, sed mutamus: sed nec mutamus quidem; cùm ea, quæ his sanctis diebus impleta recolimus, in verbis propheticis prænuntiata agnoscimus. Vbique autem vno Dei verbo pascimur & potamur: quod ideo caro factum est, & habitauit in nobis, vt à carnalibus posset audiri: quos erudiret verbis, confirmaret miraculis, attraheret exemplis, postremò proprij sanguinis effusione redimeret. Sicut igitur natiuitatē eius, passionem, & resurrectionem, in cælis etiā ascensionem; fidem quoque Gentium, & sanctæ Ecclesiæ regnum, quæ omnia gaudemus impleta, in Prophetis inuenimus prænuntiata, ita profectò tyrannidem Antichristi, Ecclesiæ in nouissimis persecutionem, & perditi illius destructionem, futurum Dei iudicium, & diaboli cum omnibus membris suis interitum, quæ in ipsis Scripturis narrantur futura, nullus Christianus ābigat esse complenda. Itaque descripta Antichristi persecutione vsque ad eius interitum, inque & ipsius Satanæ potestas, & principatus deijcitur. Propheticus sermo peruenit, in quem adhuc sub typo,

Regis Babilonis inuehitur, dicens. *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris*: quæ in figura regis Babilonis, quasi in diabolũ dicta intelliguntur. Et secundum beatissimũ Augustinũ hæc verba non tam de persona diaboli, quàm de eius membris dicuntur: nec tam primus ille diaboli casus, vnde Dñs ait, *videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, quàm membrorum ipsius apostasia ab Ecclesia recedentium mystico semone describitur. Quoniam autem omnium membrorum eius pessimum dicitur Antichrist⁹, cuius tempore apostatarum erit maxima multitudo; secundum ordinem prophetiæ, ipsius sequaciumque ei⁹ hic ruina monstratur. Verùm, quia vnum corpus constat esse malorum: quicũque non ad eam redituri de Ecclesia corruerunt; huius ruinæ participes non dubitemus. In quib⁹ omnibus ipsius corporis caput, diabolus videlicet, confunditur: ad quem exprobrantis Prophetæ sermo dirigitur. *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* Lucifer potest dici Antichristus, vel pro splendore gloriæ temporalis, vel pro simulatione sãctitatis, vel certè pro singulari quodam, vt putatur, lumine singularis sapientiæ, vel pro fallacium miraculorum exhibitione: quibus omnibus ortus eius, id est ostensionis initia præfulgebunt. Per hoc quod mane ortus dicitur, initium ostensionis eius declaratur. Vel per mane præsens vita designatur: quæ vergens in senium quasi in vesperam, morte quasi nocte superveniente extinguitur. Vnde Salomon de his qui in præsenti vita spretis futuris, quibus possunt voluptatibus perfruuntur: *Væ*, inquit, *terra, cujus principes mane comedunt*. Ideo Anti-christi gloria temporalis erit, non æterna; breuis, & non diuturna; non stabilis, sed caduca. Ideo ait. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris*? Cœlum hic templum intellige: de quo ait Apostolus, loquens de Anti-christo. *Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Quibus verbis ostenditur habiturus in Ecclesia Dei potestatem: quam fortè primò ingredietur, specie quasi recturus eam, re autem impugnaturus. Vnde non absurdè quidam existimant, quòd aliqua in Ecclesia sedem excelsi nominis, aut formam regiæ dignitatis obtenturus sit, & ita paulatim tum pro signis & prodigijs mendacibus, tum Regum & Principum fauore subnixus in tantam proficiet potentiam, gloriam, & opinionem; vt facilè Iudæis & Gentibus se Christum esse persuadeat; Dei se filium mentiatur: ostendens se, tanquam sit Deus. Quod verò ait Apostolus, *Aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus*; ipsas excellentiæ cogitationes, quibus ad illam excellentiam aspirabit, sanctus Isaias prophetando subiunxit. *Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam*, &c. Hoc est cœlum, de quo improperando eum dixerat corruisse. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes.* Quod Antichristus vulneraturus sit Gentes vulnere graui, plaga crudeli, non poterit dubitare, qui Apostolum audit dicentem. *Eum cuius est aduentus secundum potestatem Satanæ in omni seductione, signis & prodigijs mendacibus, his qui pereunt Corruisti*, inquit, *in terram*. Prostratus quippe spiritu oris Dei pro cœlo inferos possidebit: cuius corpus etiam datum terræ putredine corrumpetur. Septuaginta interpretes, non, *qui vulnerabas gentes*, sed, *qui mittebas ad omnes gentes*, interpretati sunt; nuntios Antichristi ad omnes gentes significãtes esse mittendos, & vbique contra Ecclesiam Christi sæuituros. *Qui dicebas in corde tuo: in cœlum ascendam.* Possunt hæc intelligi verba diaboli loquentis in Antichristo: & vniuersam Christi civitatem per eum sibi subdere cupientis. Igitur Antichristus diabolico afflatus spiritu, cernens se in sapientia sæculari, in signis & prodigijs ab ipso principe tenebrarum accepisse virtutem ad id, quo nihil sublimius in hoc mundo habetur, Ecclesiæ videlicet ambiet principatum; acceptaque secundum Apocalipsim, vel Danielem, à bestiâ, id est illius temporis regno decem regibus quasi decem cornibus præfulgente, in omnibus potestate: iniquitatem meditabitur in cubili suo dicens. *In cœlum ascendam*, id est, obtinebo in Ecclesia dominatum: *supra astra Dei*, eos videlicet qui velut sidera sapientiæ claritate vel religionis splendore præfulgent, *exaltabo solium meum*: eos decretis meis, iudicijsque subijciens. Et addidit. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Mons testamenti potest dici Ierusalem illa terrena, in cuius ciuitatis templo Antichristum quidam existimant regnaturum, de quo psalmista. *Mons Sion*, inquit, *latera aquilonis ciuitas regis magni.* Quæ omnia melius de Christi Ecclesia intelligũtur, quæ vtique est mons, & Sion mons testamenti, cuius latera aquilo, id est frigida sẽper amabit reproborum vel persequentium multitudo. *Ascendam super altitudinem nubiũ.* Nubes prædicatores sunt Evangelij, de quibus Dominus per hunc ipsum Isaiam, *Mandabo nubibus meis, ne pluant super, vineã, illam imbrem.* Et alias, *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* Super huiusmodi nubes ascensurum se, diabolus per Antichristum gloriatur, vt superior inferioribus dominetur, & ad suæ voluntatis consensum vel volẽtes illiciat, vel incautos decipiat, vel nolẽtes cogat, vel puniat resistentes. Sequitur, *Similis ero altissimo.* Hoc est, quod ait Paulus *Ostendens se tanquam sit Deus.* Cauete superbiam, fratres charissimi, cauete. Quàm multi enim, quod dolens dico, si fortè vident se in luce sapiẽtiæ profecisse, verbo & exemplo alijs profuisse, vt meritò luciferi nomine digni habeantur, ita vt mane, idest initio suæ conuersionis, cæteris eiusdẽ vitæ consortibus clariores habeantur, occultã primùm intentione tumescunt, prælatos suos despiciunt, & eos simplicitatis & insciẽtiæ arguũt: nunc, quod in temporalibus occupantur, derident & detrahunt, inferiores se cunctos aspiciunt, habentes semper præ oculis quicquid in alijs reprehensibile inueniunt; & cùm non inuenerint, fingunt: & hoc, quod ipsi ante oculos hominum laudabile agunt, ad memoriam reuocantes, sua se vanitate interiùs pascunt. Deinde quisquis talis est, omnes prælatione indignos iudicans, *Ascendam*, inquit, *in cœlum.* O lucifer qui mane oriebaris, iniquitatem meditaris in cubili tuo. Quiq dicis? Quis ille, vel ille est, vt præsit nobis, homo idiota & sine litteris, homo tota die se tradens & intricãs terrenis, homo nec eloquentiã clarus, nec in scripturis exercitatus, nec discretus in opere, nec in arte spirituali peritus. Hæc dicens in corde suo, instar Absalon parricidium parat. *Quis me*, inquiens, *constituat iudicem super populum istum?* In cœlum conscendã, dign⁹, qui spiritualibus, id est cælestibus præsim,

cùm

Marginal notes: Luc. 10. — Antichrist⁹ hominum pessimus. — Isai. 14. — Eccle. 10. — 2. Thessa. 2. — Isai. 14. — 2. Thessa. 2. — Apoc. 13. — Daniel. 7. — Psal. 47. — Isai. 5. — Isa. 60. — Elatio contra Prelatos. — 2. Reg. 15.

cùm mea conuersatio semper in cœlis sit. Vt quid perditio hæc? Perditio, inquam, tantæ sapientiæ, tantæ virtutis & eloquentiæ, quæ ita prodessent: sed quia in inferioribus sedeo, prodesse non possunt. Super sidera igitur Dei ego instar Luciferi cæteris clarior exaltabo sedem meam, in monte testamenti sedens, similitudinem mihi de alijs proficiẽdo acquiram. Cùm enim testamentũ sacra appelletur Scriptura, mons testamenti, non incongruè charitas dici potest: quæ omnibus excellentior virtutibus in se totam legem continet & Prophetas. Nihil ergo magis, arrogans & ambitiosus, quàm in charitate præesse se, pollicetur: vbique contra Prælatum suum in angulis susurrans: maximè eum duritiæ & inhumanitatis accusans. Describit, & quasi ante fratrum depingit oculos, qualis debeat esse Abbas: quàm modestus, quàm pius, quàm amans subditos, quàm eorum compatiens laboribus, condescendẽs infirmitatibus. Tunc ita ordinandum esse refectorium, de infirmitorio tam misericorditer disponendum, Scripturarum authoritate confirmat: vt audientes in cordibus suis respondeant. O si iste Abbas esset. Quàm sapiens, quàm eloquens, quàm misericors, quàm humanus. Et ille hæc animaduertens, quis, inquit, similis mihi in nubibus cœli? Quis in scripturis ita eruditus, vt ego? Quis prædicationi tam aptus? Ascendam ergo super altitudinem nubium, vt prædicatoribus cunctis superminere ostendam sapientiam meam: ne vlteriùs lateat, quod ad profectũ multorum poterit apparere. Ita in me Dei similitudo reparata lucescet: quæ maximè in sapiẽtia & charitate consistit. Talis aliquando cùm sui fuerit compos voti, & ad prælationẽ quam ambierat, aut propria machinatione, aut aliorum factione promotus; Dei gratia spoliatus, de virtutibus fictis ad vitia manifesta prolabitur: & sic omnibus exosus proijcitur, vt mereatur audire. *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* *Isai. 14.* corruisti in terram, qui de cœlesti conuersatione gloriabaris: vt appareas inferioribus tuis non medicinam alijs præbuisse; sed peccatorum potiùs vulnera inflixisse. Hi omnes, quoniam ad corpus illius nefandi capitis eos certum est pertinere, quali pœna digni habeantur, propheticus sermo non tacet. Sed quia in longum sermonem istum protraximus; ea quæ sequuntur alio tempore tractanda reseruemus: ipso iuvante, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

SERMO DECIMVS SEPTIMVS.

De eodem capitulo moraliter exposito.

HESTERNA die, fratres, de casu diaboli quem in corpore suo patitur, vel passurus est, pro ingenij nostri paupertate tractauimus: sed quia multi in ipsius personam diaboli, ac primum eius casum, quo effectus diabolus de angelo, de lucifero vesper à cœlesti corruit mansione, Prophetica hæc verba putãt esse prolata; si quid in hac parte possumus, vobis non arbitror subtrahendum. Descripserat Propheta, sub nomine Regis Babylonis, diaboli vel in se, vel in membris suis interitũ. *Detracta est vsque ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternentur tinea & putredo, & operimentum tuum erunt vermes.* *Isai. 14.* Deinde ad pristinam eius gloriam, qua quondam fuerat in cælestibus gloriosus, retorquens oculos, & tantam ac tam miseram mutationem admirans, *Quomodo*, inquit, *cecidisti lucifer, qui mane oriebaris?* Lucifer ideo dictus æstimatur, quod sicut stella illa matutina cæteris sideribus lucis serenitate præcellit, ita ille Archãgelus cũctis angelis lucidior fuisse putatur. Cui ait Propheta Ezechiel. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* *Ezec. 28.* Deinde nouem lapidum subiũgit nomina, vt secundum quosdam, nouem ordinibus Angelorum probaretur ornatus, clarior cæteris sapientia, & decore cæteris eminentior. Quod autẽ mane ortus describitur, hoc esse arbitror, quod in libro Iob de diabolo scriptum intelligimus. *Ipse est principium viarum Dei.* *Iob 40.* Mane quod est diei principium, initium omnis creaturæ significat: dicitur ergo mane ortus, vel viarũ Dei initiũ, quia sicut natura cæteris dignior extitit, ita creatione cunctos præcessit. Hactenus cucurrimus, liberum habentes in expositione progressum. De his sane, quæ sequũtur, quid dicã? *Qui dicebas in corde tuo. In cælum cõscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* *Isai. 14.* Quærendum, primùm, quod istud cœlum, quæ astra Dei hæc, quis mons iste testamenti, quæ aquilonis latera quæ ista Dei similitudo. Cum enim credatur ante casum in cælo fuisse, aliter quippe de cælo nõ corruisset, in quod cælum ascendere cupiebat? Sed & si Angeli per astra intelligi debent, cùm ille excellentior prædicetur quomodo super eos solium suũ exaltare desiderat? Obscura sunt hæc, tangenda potius à nobis, quam exponenda. Itaque opinando, non affirmando procedamus. *Omnis creatura mutabilis.* Videndum ergo primùm, omnem creaturã mutabilem esse creatam: mẽs autem rationalis, quæ omnibus præeminet creaturis, si non esset facta mutabilis, Creatoris sui non egeret auxilio, quippe quæ nec proficere in melius, nec in deterius posset deficere. Oportuit autem, vt ei sua mutabilitas innotesceret, vt ipsa experiẽtia doceretur, se, sine sui conditoris auxilio, nec in eo bono, in quo conditus fuerat stare, nec ad sublimius aliquid posse cõscendere; sic intelligẽs quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*: *Psalm. 72.* vt omne os obstrueretur, & fieret omnis creatura subdita Deo. Itaque vt angelo, & homini naturæ suæ mutabilitas ostenderetur, necesse fuit vt vterque tentaretur; tentatus probaretur; probatus confirmaretur; quatenus in eis, qui vincerẽt, commendaretur gratia; in his, qui propria iniquitate delinquerent, appareret iustitia: quia nimirum ad gloriam rationalis spectabat creaturæ, vt ad beatitudinis plenitudinem, quæ ei fuerat creatoris sui beneficio conferenda, ex ipsius Domini sui gratia, aliquod eius præcederet meritum, vt felicitas ipsa & donum esset, & præmiũ. *Meritum bonorum operum.* Et tentationem hominis manifestè sacra scriptura declarat. Propositum est ei lignum pulchrum visu, aspectuque delectabile, & ad vescẽdũ suaue, & dictum est ei, ne tangeret. *Genes. 3.* Hæc ei tentationis materia, vt si vinceret, ei esset abundantioris gloriæ causa. Fortè igitur sicut homini lignum illud pulchrum, & angelo aliud, in quo & ipse tentaretur, constat esse propositum, vt ipsa tentatione & naturæ mutabilitas probaretur, & libertas arbitrij commendaretur; cum in alijs gratia conferret præmium, in alijs iustitia irrogaret supplicium. Sicut societatem illam sanctam in qua regnaturus erat Deus, cœlũ vidit nominandum: ita ipsos, in quib⁹ ipse iam dominari affectabat, suũ cœlum arroganter appellat. Quamuis in ipsam

sanctam societaté, quasi in ipsum Dei cælum, quã à reprobis vidit impugnandam, ipse in eis, & per eos acriùs impugnaturus, nitatur ascendere. *Super astra Dei exaltabo solium meum.* Solium suum dicit reprobos quosque in hoc mundo sublimes, in quibus maximè diabolus regnat: qui in hoc mũdo etiam super astra Dei, sanctos scilicet, accipiunt potestatem; vt teneant, vt premant, vt persequantur, vt puniant. Recolite, fratres mei, quàm parvus erat Sanctorũ numerus, quàm abiectus, quàm contemptibilis: quando omnis gloria mundi, Reges & Principes, & Romani super omnia Imperatores, cõtempto Deo, & contẽpti à Deo, idolis sacrificabant: & paucos Dei cultores qui erant in Iudęa dura seruitute premebant. Illorum itaq; sublimitatem in spiritu intuens, & potestatem, Sanctorum etiam paucitatem & abiectionem; omne sublime videns, id est approbans, & abiecta despiciens; ad illorum dominationé, istorumquoq; oppressionem anhelãs, *Super astra Dei*, inquit, *exaltabo solium meum.* Et quasi diceretur ei, Quid ergo facies de Iudæis, qui mons testamenti dicuntur, qui tuis resistunt decretis? impia mox cogitatione respõdet. *Sedebo in monte testamenti:* & si non in omnibus, *in lateribus*, idest in partibus *Aquilonis*, illis videlicet, qui aquilonari frigore vitiorum in suis cordibus mihi sedẽ parabũt. Ibi sublimes illæ personæ Annas & Caiphas, id est Scribæ & Pharisæi: quibus ad effectum meæ voluntatis abutar. Intuens deinde Dominum nubes suas vbique terrarum, vbi sibi resisterent, mittentem; confidens in virtute sua, & in multitudine astutiarum suarum pręsumens, *Ascendam*, inquit, *super altitudinẽ nubium*, id est prædicatorum: eos vel premens, vel fallens; eroque similis Altissimo: vt sicut Deus habet Angelos suos, Prophetas suos, Apostolos suos, per quos suis consulat, suos regat, & attrahat; ita & ego habebo angelos meos, refugas scilicet spiritus; prophetas & apostolos meos (quos nos pseudo-prophetas & pseudo-apostolos nominamus) vt meos mihi attrahant, & meæ subdant per omnia voluntati. Hæc enim quasi verus Propheta ventura prædicit: sed deceptus superbia talé sibi dominatũ vana cogitatione promittit. Eapropter licet verum sit, hoc eum dixisse, id est se ascẽsurum in cælum, & solium suum super cęli sidera positurum, & cætera huiusmodi, si sano intellectu non potest exponi, quòd hoc euenerit: intelligendum est, eum cupidũ dominationis in eos, quos in Creatore viderat à Creatore relictos, nõ prædixisse ventura: sed verba iactantiæ protulisse. Nam profectò superb⁹ in cælo stare non potuit: quod quidẽ aliquamdiu fecisset, si post conceptam ambitionem cum temporis mora tãta ei cogitare licuisset. Sed omittamus illam quorumdã opinionem, qua dicunt, quod ipse cum his qui ceciderunt, in inferioribus partibus, id est in firmamento positus, ad sublime illud cœlum, in quo Deus cum eis qui non ceciderunt, inhabitat, aspirauerit: vacillabit illa beati Gregorij expositio super Ezechielis verba dicentis. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in paradiso Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Verùm si illa eius expositio probabilis esse putatur: intelligẽdum est, primũ illum qui corruit, inter cæteros Angelos principatum habuisse; in quo secundùm illum, Dei similitudo expressiùs fuit impressa: maximè cùm plenus sapientia & perfectus decore dicatur. Adijciamus etiam, quod idem Pater super hæc ipsa verba quæ habemus in manibus, montem testamenti populum dixerit Iudæorum: & quod beatus Hieronymus hanc ipsam prophetiam exponens, astra cœli eos qui fulgent in Ecclesia interpretatus sit; montem etiam testamenti, Ecclesiam. Quomodo ergo ante casum in tanto decore positus, super eos qui fulgẽt in Ecclesia regnare, vel in ipsa Ecclesia sedere concupierit: nisi hæc omnia ibi priùs vidisset, vbi erant, etiam antequam facta fuerant? *Verumtamen in infernum detraheris: in profundum laci.* Digna retributio, vt qui cœlum conscendere voluit elatus, in infernum trahatur inuitus: nec ad quamlibet partem inferni, sed qui summa petebat, ad inferni ima descendat. Hoc est, quod ait, *in profundum laci.* Hoc etiam de membris eius, Antichristo videlicet, & cæteris eius complicibus, de quibus dici potest, quòd post mundi huius gloriam, impiumque dominatum, ad inferos sint detrahendi: vbi ignis æternus præparatus est diabolo, & Angelis eius. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Verè fratres, qui viderit oculis cordis, diligenterque cõsiderauerit; ex quanta perfectione & gloria corruerit diabolus & angeli ej⁹: ex quanta sanctitate quotidie in baratrum turpitudinis corruant superbi: mirum est, si non inclinatur, si non humiliatur, si non ante oculos suos & pristinam eorum gloriam, & præsentem infelicitatem obijcit. Hoc est quod dicit. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur*, humilitate: *teque prospicient*, jugi recordatione. Sanè quod dicit, *ad te inclinabuntur:* ipsos maximè respicit, qui post lucis opera, post bona conuersationis initia, de consortio sanctorum quasi de cœlo cadentes, ad opera tenebrarum cõuertuntur. Ad quos boni quadam compassione inclinantur: eorum lugentes perditionem, quorum approbauerant sanctitatem. Sequitur vox insultantium ei: & post tantam felicitatem tantam eius miseriam admirantium. *Nonne iste est vir, qui conturbauit terram?* Si placet charitati vestræ, differamus ista vsque in crastinum: ne onus istud nimis nos oneret. Quod quia vos aliquantulum onerat, vt intelligatur; rogem⁹ Dominum, vt non sic oneret, vt sentiatur: qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 14. Solium diaboli reprobi sunt.

Isai. 14.

Angeli Satanæ qui.

Ezec. 28. Grego. hom. 34. in Evangelia.

Hieron. in cap. 28. Ezechiel.

Isai. 14.

SERMO DECIMVS OCTAVVS

De eo quod Scriptum est, Numquid non iste est vir, qui conturbauit terram? *&c.*

VERBA Prophetica, quæ contra Principem Babylonis figuratè dicuntur, primùm secũdùm ordinem Prophetiæ ad Antichristum, & ipsius diaboli corpus retulimus; deinde quomodo ipsi capiti poterant conuenire, disseruim⁹, & sic vtriusque ruinam à sancto Propheta descriptam docuimus. Eundem itaque ordinem in his, quæ sequuntur, seruantes, dicamus virum nominari Antichristum, nõ pro virtute, sed pro potestate. *Numquid iste est vir, qui conturbauit terrã?* Potuit tamen eum Propheta exprobrando virum appellare, sicut de quolibet ignauo dicitur. O qualis vir! Conturbabit certè Antichristus terram, & regna concutiet, quando secundùm Apocalypsim, homines terram inhabitãtes mirabuntur post bestiã: & Reges, & regna, quodam terrore concussi, ad illius pauebunt potentiam. Porrò regna, illorum Regum interpreta-

Isai. 14.

re imperium, quorum cor in manu Dei est, de quibus ait Dominus. *Per me Reges regnant*, quorum conuersatio in cœlis est. Ipsi sunt tunc temporis sancti, atque perfecti, qui concuti quidem possunt, sed subuerti non possunt, de qua concussione Dominus in Euangelio. *Surgent*, inquit, *pseudoprophetæ, & pseudoapostoli: & dabunt signa multa, ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi.* Sequitur. *Qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit.* Orbem vocat Ecclesiam: de qua scriptum est. *Etenim correxit orbem, qui non commouebitur.* Hunc orbem desertum quodammodo faciet Antichristus, quando per eum deseretur à multis. Destruet etiam ille nequam conuenticula sanctorum, dissipabit congregationes fidelium, vel suis decretis subdēdo, vel tormentis & proscriptionibus persequendo. *Et vinctis eius*, id est orbis, *non aperuit carcerem.* Vincti orbis sunt hi, qui in Ecclesia ignorantiæ tenebris inclusi, vinculis malæ consuetudinis constringuntur, de quibus Propheta. *Funes*, inquit, *peccatorum circumplexi sunt me.* His vinctis pestilens ille nō aperiet carcerem, quos ab errore docendo non extrahet, sed arctiùs suæ iniquitatis & perfidiæ tenebris inuoluet. Si autem per virū diabolum velis intelligi, non erit absurdum, cū & in psalmis, & in Euangelio, & multis alijs sanctæ scripturæ locis, appellatus sit homo, secundū illud. *Inimicus homo hoc fecit.* Et, *Exurge Domine non praualeat homo.* Ipse nec adhuc quidē cessat conturbare terram, & concutere regna. Terra dici possunt amatores mundi, & mundialis gloriæ sectatores: quos vtique nunc ira, nunc inuidia, nunc bellis seditionibusque conturbat. Quicunque etiam nostrum, fratres, terram sapimus, aliquid etiam terrenum diligimus, huius conturbationis expertes non erimus, sed erimus profectò inuicem mordentes, & comedentes, & alterutrum inuidentes. Quòd si cor nostrum de terrenis ad cœlestia leuemus, audituri, non, *terra es, & in terram ibis*; sed, cœlum es, & in cœlum ibis: regna nostra, id est virtutes, per quas jam Christo cœpimus conregnare, concuti quidem possunt, sed subuerti non poterunt. Quomodo illius cōcussum est regnum; cuius penè moti sunt pedes, cuius penè effusi sunt gressus! Concussus est Ioseph, quando pallium reliquit adulteræ, sed non subuersus: qui carcerem stupro prætulit, vincula adulterio. Et nos quidem concutimur, quando tentamur: sed non subuertimur, si non consentiamus. *Qui posuit orbem desertum.* Orbis nomine hoc in loco eos possumus accipere, qui ita sunt in orbe, quasi in vrbe: circuitu semper laborantes, & ad finem numquam peruenientes. De talibus ait Propheta. *In circuitu impij ambulant*, id est in orbe. Hi tales non solùm cōturbantur, vel cōcutiuntur, sed ita etiam subuertuntur, vt nullum in eis remaneat virtutis vestigium: vt quemadmodum solitudo bestijs, ita & ipsi exclusi virtutibus à vitijs excludantur. Nota hæc tria genera hominum: quorum primum conturbatur, secundum cōcutitur, tertium subuertitur. Primum, quia terra sunt, contrarijs passionibus agitati turbantur: secundum, quia reges sunt, à spiritualibus nequitijs impugnantur: tertium, quia nihil in se habent constantiæ, sed circunferuntur omni vento doctrinæ, ab immundis spiritibus conteruntur. Huius orbis vrbes, sunt conventicula eorum de sanguinibus, præferētia speciem sanctitatis; vim eius & virtutem abnegantia. Tales vtique vrbes princeps destruit tenebrarum: omnes eius munitiones, virtutum videlicet instrumenta, cum virtutibus ipsis euertens. *Et vinctis eius non aperiet carcerem.* Qui enim in talibus vrbibus vincti tenentur funibus peccatorum: Rex confusionis prosternet eos in carcere desperationis, occludens eis ostium confessionis. Vnde Propheta. *Non me demergat tempestas aquæ*, id est, non me deijciat vis tentationis: *neque absorbeat me profundum*, malæ cōsuetudinis: *neque vrgeat super me puteus os suum*, seris desperationis claudens ostium confessionis. Ex hinc finem ipsius tentationis describens, onus quo ipse in nouissimis erit opprimendus in pœnis, cum his quos ipse oppressit peccatis, subiungit. *Omnes reges Gentium dormierunt in gloria, vnusquisque in domo sua: tu autem projectus es de sepulchro tuo sicut stirps inutilis, pollutus & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio.* Audite hæc reges terræ; qui concussi à Satana, non potuistis subuerti. Hic timor, hic labor, hic gemitus. Hic in procinctu belli continuò positi, accipite armaturam Dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Est enim merces labori vestro. Quæ merces, inquis? *Omnes reges terræ dormient in gloria.* Somnus sanè gloriosus, quo reges post victoriam sopiuntur: quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, ita est nihilominꝰ gloriosa. Quàm gloriosè ille rex magnus, Paulum dico, occubuit! quī tot victorijs coronatus somnum mortis lætus excepit, inter illos præcipuum obtinens locum, de quibus in Apocalypsi scriptum est. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Omnes reges dormient in gloria.* Magnum est fratres, obdormire in gloria. Alij quidem obdormiunt in contumelia: alij in misericordia; alij in gloria. In contumelia, in peccatis perseuerantes; in misericordia, pœnitentes; in gloria, Martyres & Innocentes. Obdormiunt in contumelia, qui in suis sceleribꝰ moriuntur: in misericordia, qui confessione & lacrymis pœnitentiæ à suis sceleribus abluti sopiuntur: in gloria, qui multarum virtutum stipendijs gloriosi angelicis manibus ad cœlestia transferuntur. Obdormiuit diues in contumelia, & sepultus est in inferno: Lazarus in misericordia, qui in sinum deducitur Abrahæ: ipse Abraham in gloria, qui non solùm sibi, sed etiam Lazaro potuit esse consolationi. Obdormiuit in contumelia Iudas, qui laqueo se suspendit: in misericordia paralyticꝰ, cui Dn̄s peccata dimisit: in gloria Petrus, qui Christum sua morte glorificauit. *Vnusquisque enim in domo sua.* Hæc sunt illa æterna tabernacula, in quibus perfecti recipiunt imperfectos; illos scilicet qui de mammona iniquitatis faciunt sibi amicos, dando temporalia, vt consequantur æterna. Hæ sunt in domo Patris beatissimæ mansiones: pro varietate virtutum, differētiæ habitationum. Licet enim omnes perfecti in gloria dormiant, & ad regna cœlorum omnes perueniant: alia est tamen claritas solis, & alia lunæ, alia etiam stellarum. Et stella à stella differt in claritate. Ideo omnes reges dormient in gloria: vnusquisq; tamen in domo sua. Est præterea somnus contumeliosus iniquitas: somnus miserandus infirmitas; somnus gloriosus charitas. Contumeliosè dormienti ait Paulus. *Surge qui dormis & exurge à mortuis.* Dormienti in infirmitate vel pigritia dicit sermo diuinus. *Vsquequo piger dormies?* At sponsæ dormienti

Prouer. 12. | Concutiuntur sancti, non subvertuntur. | Matth. 24. | Psal. 118. | Matth. 13. | Psalm. 9. | Psalm. 72. | Genes. 39. | Cōcussus Ioseph non subversus. | Psal. 11. | Psalm 68. | Isai. 14. | Apocal. 14. | Tria genera obdormientium. | Luc. 16. | Matth. 26. | Diuersæ in cælo mansiones. | 1. Cor. 15. | Ephes. 5. | Prou.

inter medios cleros quæ de amplexibus sponsi gloriatur, *Laua ejus*, inquiens, *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Inter vbera sponsi, in sinu sponsi, supra pect⁹ sponsi, suauiter requiescit; voce sponsi somnus iste beatissimus confirmatur, dicentis. *Adjuro vos, filiæ Ierusalem; ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit.* Rogo, quando volet? Quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu vel pectore volet separari? Certè, quando charitas ipsa, quæ eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit: stās ad ostiū & pulsans. *Aperi mihi soror mea sponsa.* Audiens deinde illa caput amici plenum rore, & cincinnos eius guttis noctium; euigilat, surgit, aperit ostium, relictisq; delitijs quib⁹ fouebatur; ad capillos eius, id est, qui fide illi adhærēt, qui ex nocte ignorantiæ aliquid aquilonaris frigoris contraxerunt, erudiendos, charitate suggerente pertransit. Hinc beatissimus Paulus optabat anathema à Christo esse pro fratribus: salutem multorum proprijs, licet summis, præponens delicijs. Eia fratres, omnes Reges Gentium, siue illi, qui populis præsunt in Ecclesia: siue illi, qui cogitationes suas, sensus suos, motus etiam, siue irascibiles, siue concupiscibiles, quasi diuersas gentes salutari regunt disciplina, in gloria dormiunt, vel in morte recipientes coronam vitæ, vel extracti à corporalibus, requiescentes in cōtemplatione. Regibus itaque sic dormientibus, quid erit de eo, à quo cōcussi sunt? Quid erit? *Tu autē*, inquit, *proiect⁹ es de sepulchro tuo, sicut stirps inutilis.* Ipsius Antichristi, omniumque reproborum sepulchra eorum sunt corpora, in quibus anima eorum putredine vitiorum corrumpitur, & omnium immunditiarum sanie fœdatur. De quibus sepulchris tunc eijciuntur, quando animæ à corporibus extractæ proijciuntur in tenebras exteriores. Proijciuntur autem quasi stirps inutilis, cui nihil aliud debetur, quàm ignis. Sequitur, *Quasi cadauer putridum, non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.* Hæc est sepultura diuitis purpurati, de qua dicitur in Euangelio, *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.* Hæc sepultura cum omnium sit reproborum, in ea tamen non omnes æqualiter torquebuntur, sed sicut de zizanijs scriptum est, *ligate ea in fasciculos ad comburendum*, vt qui hic fuerint pares in culpa, æquales quoque efficiantur in pœna. At Antichristus, vel princeps eius diabolus, sicut nullus est, quem non superet in malitia, ita nullus est, cum quo consortium habeat in sepultura. Qui nimirum cadaueri putrido comparatur, vt eius abiectio, fœtor, atque confusio designetur. Deinde causam, pro qua talia passurus sit, subiungens ait. *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum interfecisti.* Terram Antichristi carnem eius vocat, quam ipse vitiorum passionib⁹ disperdet; vel bestijs spiritualibus disperdendam committet. Populum quoque eius ipsos intellige, qui se ei regēdos committent. Sequitur. *Non vocabitur in æternum semen pessimorū.* Hæc est illa vocatio; de qua dicit Apostolus. *Scimus, quoniam diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Hac vocatione non vocabitur in æternū semen impiorum, illud nimirum semen, quod tritico boni patris familias inimicus superseminauit homo. Quam parabolam ipse Christus exponens. *Bonum*, inquit, *semē hi sunt filij regni, & zizania filij nequam. Preparate filios vestros occisioni, in iniquitate patrum suorum.* Quib⁹ loquitur? Semini nimirum pessimo, id est impiorum multitudini, qui ab Antichristo vel diabolo non creati, sed per orbem dispersi, quasi seminati, sicut ipsi pessimi sunt, ita sibi doctrina & exēplo pessimos generant. Quos alloquens Propheta, *Preparate*, inquit, *filios vestros occisioni, in iniquitate patrum suorum.* Ac si diceret. Sicut vos ab impijs generati, æternis estis supplicijs destinati; ita profectò filios, quos vobis vestris erroribus generastis, eidem occisioni, id est damnationi præparatis. *Non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum.* Ad reprobos arbitror hæc referēda, qui à pessimis doctoribus internecioni parati, vlterius non consurgent, sed in carnis suæ sterquilinio putrescentes, ad illius terrę possessionem non poterunt peruenire, de qua ait psalmista. *Portio mea Domine sit in terra viuentium.* Vnde Dominus in Euāgelio. *Beati mites; quoniam ipsi possidebūt terram Neque implebunt faciem orbis ciuitatum*; id est nō implebunt faciem ciuitatum, quæ sunt in orbe. Per orbem significari Ecclesiam superiùs diximus, cui⁹ ciuitates sunt conuenticula fidelium, in vna societate viuētium: quarum facies est ipsa species sanctitatis, quæ in habitu, vultu, victu, cæterisq; huiusmodi coram hominibus lucet. Itaque cum fuerit princeps tenebrarum cum toto suo corpore in infernum sepultus, filij nequam ex patribus nequissimis generati, & iam occisioni, id est extremæ damnationi parati, nec per pœnitentiam consurgēt, nec ad speciem sanctitatis, quam oculis tantum hominum exhibebant, vlterius aspirabunt. Putabam me hoc sermone absoluēdū, sed quia iam hora præterijt, modicum id quod restat, sequentis diei gaudio reseruemus, orātes vt sic in hac vita à Babylonis operib⁹ liberemur, vt cum ea in futurum æternis supplicijs non oneremur: per IESVM Saluatorem nostrum, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

Cant. 2. | Cant. 2. | Cant. 5. | Isai. 14. | Luc. 16. | Isai. 14. | Rom. 8. | Mat. 13. | Isai. 14. | Psalm. 1. | Matth. 5.

SERMO DECIMVSNONVS

De eo quod scriptum est. Et consurgam super eos,

DE eo quod scriptum est, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris*, licet vobis sufficere videatur quæ dicta sunt: alius tamē sensus mihi occurrit, ad exponendum breuior, & facilior ad intelligendum: quem operæpretium est, antequam ad alia transeamus, proferre in medium; vt vnusquisque eligat, quod vult: cùm ea sit humanæ mentis natura, vt eam sententiam semper æstimet veriorem, quam suæ capacitati audierit aptiorem. Itaq; à verbis beatissimi Pauli sumamus huius expositionis exordium: qui de lege peccati & mortis salutare texens oraculum, *Regnauit*, inquit, *mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Gerebat itaque mortis præpositus, id est diabolus, in homine principatum, ante Moysi legem, videlicet regnans sine contradictione: lege autem subintrante, & peccato diuinis præceptis resistente, tyrannidem exercens. Vbi enim non erat lex, nec præuaricatio. Ideo lex subintrauit: vt abundaret delictum. Ab Adam igitur vsque ad gratiam Christi dominabatur peccatum; & per peccatū præpositus peccati, ius sibi vendicans, non solùm in reprobos,

Isai. 14. | Rom. 5.

sed etiam in electos, necdum vocatos, necdum iustificatos, necdum Christi sanguine redeptos. Hos à Propheta cœlum vocari posse, non incõuenienter existimat: qui vim prædestinationis, in qua facta sunt, quæ futura sunt, non ignorat. Cernens itaque Propheta, regnum diaboli mane, idest in ipso mundi exortum initio, totũ ferè mundum occupasse: reges & principes & omne hominum genus, præter paucissimos, idolatria polluisse; electos etiam & prędestinatos inuasisse, admiransque tantam eius potestatẽ Christi virtute prostratam, *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* Lucifer vocatur; quia lucem scientiæ ferre videbatur, cùm diceret. *Gustate, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Cecidit de cœlo, & in terram corruit: quando ab electis eiectus, in solis reprobis quasi in carcere inclusus, terram more serpentis comedit. *Qui dicebas in corde tuo, in cœlum ascendam.* Videns diabolus, instante iam Christi aduentu, totum humanum genus sibi subiectum nihil nisi terram sapere: paucissimos tamen Iudæorum Deo fide & operibus adhærentes cœlestia meditari; elatus superbiâ etiam ipsis posse dominari confidit: *In cœlum*, inquiens, *conscendam.* Vnde in & B. Iob legitur. *Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habebit fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. Super astra Dei exaltabo solium meum*, id est super sanctos, qui sunt in Iudæa. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis:* vt sicut in omnibus templis mundi sacrificatur, ita & in templo Ierosolimitano, de quo scriptum est, *Latera aquilonis ciuitas regis magni*, mea maiestas quasi diuina colatur. *Ascẽdam super altitudinem nubium*, idest omniũ Prophetarum excellentiam & existimationem transcendam. *Similis ero altissimo*; vt cùm mihi fuerit Iudæa subiecta, tota terra mea sit; sicut totum cœlum Dei. Hinc est, quòd Dominum tentans, de mundi totius dominatu præsumpsit, dicens. *Hæc omnia tibi dabo: si cadens adoraueris me.* Optimè ait Scriptura. *Ante ruinam exaltatur cor.* Eo quippe tempore, quo sibi maiora promittebat: etiam amisit, quæ possidebat. Vnde dicitur. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundũ laci.* De hac eius ruina Dominus in Euangelio. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mũdi eycietur foras.* Qui *te viderint* oculis sic erectũ, *inclinabuntur* humilitate, *teq; prospicient*, idest cognoscẽt: vt qui te priùs putauerant fortè & magnũ, sciant te in comparatione Christi infirmũ, *Numquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna*; faciens gentem consurgere cõtra gentem, & regna aduersus regna: qui orbem fecit Dei cultoribus desertum, qui tot destruxit vrbes, tot vinctos inclusit? Quæ omnia eius suggestu ante Domini aduentum facta, nemo qui historias legit, ignorat. *Et consurgam super eos*, filios scilicet pessimos à pessimis patrib⁹ generatos, *& perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen & progeniem, dicit Dominus.* Nomen Babylonis est gloria mundi, reliquiæ Babylonis amor mundi, germen Babylonis affectus peccãdi, progenies Babylonis cognitio, consensusque peccati. Nihil enim magis appetũt homines, quã magnum nomen, quod sibi Babylonici vel diuitijs, vel stulta virtute, vel scientia sæculari conquirunt. Quæ cum acquirere non potuerint, vel acquisita amiserint, habent quandam omnium horum in corde reliquias, ipsum videlicet mundi amorem, qui ex iniquo germine pessimus affectus processit. Quorum progenies pessimæ sunt cogitationes, quasi paruuli filiæ Babylonis, de quibus Psalmista ait. *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Quæ omnia in fine sæculi à Domino destruẽtur, quãdo nominis Babylonici nulla erit gloria, nulla in eius amore delectatio, nullus peccandi affectus: quando etiam secundum psalmistam, *peribunt omnes cogitationes eorum.* Sequitur, *Et ponã eam in possessionem ericij, & in paludes aquarum*, vt spina peccati semper conscientia pungatur: & libidine & voluptate, instar cænosæ paludis, fumum & fætorem exhalante, cæcetur. *Et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.* Sicut domus scopis mũdatur & euacuatur, ita omnem Babylonis gloriam, diuitias, & delectationes disperdam, terens eam tormentis, & doloribus conterens. Sed & nos, fratres carissimi, à quibus per aduẽtum Dñi diabolus ejectus est foras, præparem⁹ filios pessimi seminis occisioni, vt gladius Dñi deuorãs carnes, omnes carnales affectiones, illicitasq; delectationes, cogitationes etiam peruersas, ex carnali affectu quasi de pessimo semine generatas occidat, vt nec consurgant vlteriùs, neque impleant faciem orbis ciuitatũ. Ciuitates orbis memoriæ nostræ meditationes intellige: quæ vtique memoria orbi comparatur; quia quidquid in orbe corporaliter haberi potest, totum à memoria imaginaliter comprehendi potest. Facies autem orbis vel ciuitatum, meditationum nostrarum intentio est; secundum quam omnia quæ fiunt vel cogitantur à nobis, ab eo quem nihil latet, iudicantur. Adesto ergo Domine Iesu, & super filios Babylonis misericordi seueritate consurge: vt in anima mea nomen pereat Babylonis, omnique confusione deletâ Ierusalem nomine censeatur. *Et ponam*, inquit, *eas in possessionem ericij, & paludes aquarum.* Fiat Domine cor meum ericius plenus spinis, vt singulorum peccatorum meorũ memoria quasi spinis singulis compungatur: & sicut totam animam meam vitia possidebant, ita totam occupet compunctio salutaris: sicque libidinum suarum recordatione quasi cœnosis paludibus stercorata, pœnitentiæ fructus producere mereatur. Sequitur. *Et scopabo eam in scopa terens.* Scopa terẽs cordis cõtritio est, qua Babylon in anima nostra teritur & conteritur, & omnes spurcitiæ eius egerũtur. Prope est enim Dñs his qui cõtriuerũt cor: quia cor contritum & humiliatũ Deus non spernit. Sed & flagellum Dei scopa terens dici potest, quo visitat in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, vt vitia conterens virtutes inducat: & suam à nobis misericordiam non dispergat. Ponitur deinde in possessionem ericij, & in paludes aquarum. Hæc sunt duo vitia, in quæ Dei iudicio hypocritarum genus sæpissime ruit, auaritia & luxuria. Nam secundùm sententiam Saluatoris, spinis diuitiæ & sollicitudines sęculi comparantur: quarum amore cùm fuerit anima purgata, instar ericij suis armatur spinis, confidens in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum superbiens. At paludes infertiles & lutosæ, in quibus cœno gaudentia reptant animalia, luxuriæ immunditiæ comparantur, quæ vtique sordidæ sunt & lutosæ: in quibus spiritus insultant immundi, quorum princeps libentiùs sub vmbra dormit, in vitore calami & iunci, quæ maximè nascuntur in

Marginalia (left column): Electi cœli sunt. — Isai. 14. — Genes. 3. — Iob 40. — Isai. 14. — Psalm. 47. — Matt. 4. — Prouer. 16. — Ioann. 12. — Isai. 14. — Appetunt maximè magnũ nomẽ homines.

Marginalia (right column): Psalm. 136. — Psalm. 145. — Isai. 14. — Voluptas palus cœnosa. — Isai. 14. — Contritio est scopa terens.

paludibus, & locis humētibus. Talis anima scopatur, non vt mundetur, sed vt cōteratur. Sequitur. *Iurauit Dominus exercituum dicens. Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet.* Omnia quæ de onere Babylonis sanctus Propheta describit, Domini iurantis auctoritate confirmat, vt nemo dubitet esse ventura, quæ ab ipso Deo sub iureiurando constat esse prædicta. Quod autem Dominus iurare dicitur, cui etiam non iuranti credendum esse nemo qui dubitet, maximum veritatis & certitudinis indicium est.

Isai. 14. *Si non vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, ita veniet.* Humano more loquitur hominib⁹, quia si loqueretur diuino, non intelligeretur ab hominibus. Verùm hoc (puto) non semper in ambiguis ponitur, cū Dominus iratus seruo suo sæpissime dicat, puto, quod Dñs tuus sim. Quod itaque dicit sese putare, vel mente tractare, nulla dubitatio, nulla sollicitudo, nulla mentis distēsio in Dei natura cogitetur, sed æterna & incōmutabilis eius dispositio verbis, quibus à nobis posset intelligi, insinuata credatur. *Dei dispositio incōmutabilis.* Ideo autem existimatio vel tractatio posita sunt, vt sicut homines ea, quæ non præcipitanter, sed cum quadam hæsitatione & tractatu faciunt, finem optimum sortiuntur; ita Deus nullo mentis impetu, nullo fortuito casu, sed æterno suo consilio attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Igitur sicut disposuit, sicut putauit, sicut voluit, sicut tractauit, sic eueniet. Quid eueniet? *Vt conteram,* inquit, *Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.* Per Assyrium totam illam multitudinem spirituum superborum intellige; qui conteruntur in terra Domini, vt per terram paruuli & carnales intelligātur, quos ad solidi cibi perceptionem minus idoneos lacte potat Apostolus: *Nihil,* inquiens,

1. Cor. 2. *iudicaui me scire inter vos, nisi Dominum Iesum, & hunc crucifixum.* Porrò per montes Apostolos atque perfectos intellige, quibus dedit Dominus potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. A quibus etiam ipsius diaboli iugum grauissimum ablatum est, quando computruit iugum à facie olei, & ille vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, ligato forti illo, captiuam duxit captiuitatem, & onus, quo eorum humeri premebantur, sua virtute de-

Isai. 14. posuit. *Et auferetur iugum eius ab eis, & onus illius ab humeris eorum tolletur.* Est iugum siue onus iniquitatis, quod homo proprijs ceruicibus, diabolo suadente imposuit. Est quoque iugum, siue onus malę consuetudinis, cui se homo malè viuēdo supponit. Est & iugum siue on⁹ infelicitatis, cui hominem peccantem iustitia diuina prostrauit. *Onus peccati graue.* Est graue quidem iugum vel onus peccati, quod vsque ad dominicam passionem ita mortales premebat, vt nulli⁹ iustitia, nullius virtute amoueri potuerit: sed cūctos nō solùm reprobos, sed etiam electos in infernū demersit, quamuis inter eos magnū chaos firmatū sit; istis, & si non in gloria, in requie tamen constitutis; illis, locis pœnalibus infeliciter deputatis. At per passionem Christi contrito diabolo & conculcato, iugum istud onusque sublatum est: vt libero ex hinc volatu iusti quiq; atque perfecti ad cœlum vsque ascendere potuerint. Verumtamen fratres carissimi, adhuc jugum, vel onus nos premit Assyrij: sentientes nimirum aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris. Graue hoc jugum fratres, graue hoc onus, & intolerabile. Quis nos liberabit de corpore mortis huius? Quid de onere consuetudinis dicam, quod quicumque incautè humeris suis ingessit, sine graui dolore nimioque labore deponere non poterit? Sed & graue jugum super filios Adam à die ortus sui vsque in diem reditus sui in ventrem matris omnium. Onerat paupertas, onerat infirmitas, somnolentia premit, pigritia deijcit. Taceo persecutiones, proscriptiones, terrores etiam & timores, tentationes, murmurationes, detractiones, maledicta, falsa iudicia, quibus omnibus plenus est mundus: sicut ait beatus Iob. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Iob 14. Quæ omnia cum ipsâ, quæ omnium grauissima & vltima est, morte, vno infelicitatis jugo vel onere contineri, manifestum est. Hoc est onus Babylonis, quo non solùm illa premitur: sed quo ciues quoque Ierusalem in ea peregrinantes premit. Felix, qui quamuis prematur his, non tamē opprimitur. Veniet certè dies, quo Assyrius penitus conteretur in terra, & in montibus conculcabitur: non in qualibet terra, nec in quibuslibet montibus: sed sicut Dominus ait. *Sicut cogitaui, sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea: & in montibus meis cōculcem illum.* Isai. 14. Eia fratres, contritus est Satanas dominica passione: cōculcatus est Apostolica prædicatione. *Satan contritus est, sed nondum penitus.* An non contritus & conculcatus videbatur, quando nec in porcos quidem per se habere potuit potestatē? Verùm fratres, non penitus contritus est, nec cōculcatus, cui adhuc relicta est tentandi facultas: cui in Antichristo dabitur etiam sæuiendi & persequendi potestas. At tunc plenè conteretur & cōculcabitur, quando nouissima inimica destruetur mors: quando in terra Domini, carne scilicet nostra, jam æterna resurrectione glorificatâ, nullum diabolicæ potestatis remanebit vestigiū: nec montibus Domini, spiritibus scilicet nostris in excellentia contemplationis diuinæ suspensis, vllus poterit esse tentationis accessus. Conteretur, inquam, tunc penitus, quando ei tota tētandi vel persequendi potestate sublata, in abyssum æternis ignibus cruciādus detrudetur. Tunc certè jugum grauissimum infelicitatis, onusque ponderosissimum, quod multis modis in hac vita portamus, à nostris ceruicibus vel humeris auferetur: quando omni mortalitate, omnique infirmitate virtute resurrectionis absorptâ, erumpemus in hanc vocem exultationis. *Vbi est mors, victoria tua? Vbi est mors, stimulus tuus?* 1. Cor. 15 Hic est certè onus, oneris finis, quo ciuitas confusionis, id est Babylon cum principe suo diabolo æternis pœnis onerando in infernum demergetur: & ciuitas pacis, id est Ierusalem, cum suo principe Christo, quæ onus Babylonis, quo onerata est, vel prudenter cauit, vel magna virtute sustinuit, vel potenter euasit, in cœlum coronanda transferetur. Cauit quidem, ne vitijs eius opprimeretur: sustinuit, cùm eius persecutionibus vrgeretur: euasit, cùm excedens è corpore à requie exciperetur. Ne quis verò existimet de vna aliqua regione Prophetam tam diuinum oraculum texuisse, omnem hinc ambiguitatem Dominus ipse excludens subiecit. *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram: & hæc manus extenta super omnes gentes.* Isai. 14. Quid manifestius? Ostēdit quippe ea quæ dicta sunt in hoc onere, ad vniuersum orbem omnesq; gentes pertinere, quæ quoniam

in electis & reprobis diuisæ sunt, ad illos consilium, ad istos manum extentam æstimo pertinere. Profundum sanè, altumque consilium; quod electi cum reprobis in eadem societate viuentes eodem onere miseriarum premuntur, & mirabiliter adiuuantur, ne opprimantur: quòd plerumque eisdem peccatis & criminibus prægrauati, conuersione & emendatiori conuersatione ab eis separantur: quòd siue vitijs, siue doloribus, siue tentationibus onerentur, omnia eis in bonum cooperantur. At quàm extenta manus Domini super reprobos, eorum non acceptans bona, nec mala diluens: quàm extenta manus, qua omnia eis cooperantur in malum, cùm & pœnis onerentur, vt delicijs corrumpantur; superbiant in virtutibus, ne quid ex eis mercedis consequantur: in peccatis non humilientur, vt veniam mereantur. Si malum deserunt, ad id denuo redeunt: si bonum inchoant, non perseuerant. Postremo reprobi æternaliter condemnantur: electi in vitæ æternæ gaudijs coronantur.

Altum consilium Dei circa electos & reprobos.

Post verba autem Domini ea quę dicta sunt confirmantis, ipse Propheta ex propria persona subjungit. *Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare?* De electis hoc dictum intelligo: de quorum salute diuini decretum consilij nullus poterit infirmare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Audi & stabile æternumque decretum; cui obuiare nemo qui audeat: quod mutare nemo possit vel debeat. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc Nouit Dominus qui sunt eius.* Quod autem sequitur, *& manus eius extenta, quis auertet eam:* ad reprobos, vt superiùs diximus, arbitror referendum. Sicut enim certa & stabilis est eius de electorum salute misericordia: ita pro certo stabilis est & incommutabilis de reproborum damnatione justitia. Sed jam in fine huius oneris finem faciamus huius sermonis; obsecrantes Dominum, & Deum nostrum, vt onus quod in vitijs est, caueamus: quod in tentationibus & miserijs est, viriliter sustineamus: vt illud quod in pœnâ erit æternâ, euadere mereamur; per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

Isai. 14. — *1. Timot. 2.* — *Stabilis Dei sententia.*

SERMO VICESIMVS.

De principio oneris Philistijm.

ONere Babylonis exposito, onus Philistijm exponendum suscepimus, vestris multomagis orationibus, quàm nostris viribus freti. Propheta igitur nomine Babylonis generaliter mūdum, qui in electis reprobisque diuiditur, intelligens, quo fuerāt onere vel premendi vel opprimendi, mystico sermone descripsit: Dño attestāte, qui ait *Hoc cōsilium, quod cogitaui super omnem terram: & hæc manus extenta super omnes gētes.* Nunc de genere ad speciem transiens, singularum gentium singula describit onera: vt quod paucis verbis de toto prophetauerat, per partes enucleatiùs exequatur. Et primum quidem contra Philistiim diuini judicij pandit consilium: qui cadentes poculo interpretātur. Per quos Iudęos arbitror designari: qui legis literā quasi vino veteri debriati, à gratia exciderunt. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitię Dei non sunt subiecti. Qui enim in lege iustificari se arbitrabantur, à gratia exciderunt.

Isai. 14.

Hoc est vinum illud vetus, quod defecit in nuptijs: quoniam Dominus noster IESVS Christus procedens de vtero virginis, tanquam sponsus de thalamo suo legalibus sacramentis quasi vino veteri finem dedit: & Euangelij vinum nouum omnibus ad magni regis filij nuptias vocatis propinauit. Iudæi igitur legis literæ inhærentes, & Legislatorem ignorantes, quasi potati & inebriati clamauerunt, dicentes. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.* O ruina, ô casus. *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Magnus casus à Christo cadere & Cæsari adhærere. Et congruè satis de plurimarum gentium tractatus interitu, à Iudæis sumit exordium: qui primi omnium Christum suscipiētes, ab eius fide primi corruerunt. Sic ergo incipit. *In anno quo mortuus est Rex Achas factum est onus istud* Achaz rex pessimus & superbissimus, diuinæ legis contemptor, & idolorum venerator, diabolum significat. Vita autē eius regnum eius potest intelligi: quod in genere humano ob culpam primæ præuaricationis obtinuit. Quando igitur mortuus est Rex Achaz? Quādo certè impletum est, quod ait Dñs per Prophetam, *Ero mors tua, ô mors.* Denique traduxit in cruce principat⁹, & potestates, palam triumphās eos in semetipso. Itaque fratres, quandiu diabolus in omnes gētes habuit potestatem, populus Iudæorum sua prosperitate gaudebat: habens templum, altare, ephod, theraphim, Sacerdotes, & sacrificia. At in anno, id est in tempore, quo mortuus est Rex Achaz, quo videlicet diaboli destructum est imperium: cœpit plebs illa graui miseriarum onere prægrauari. Vnde infelicitas infelicitati successit, donec abrasi de terra viuentium, à terra etiam morientium, quę illis fuerat in hæreditatem concessa, penitus delerētur. *Ne læteris Philistea omnis tu: quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Recordamini fratres, cōsilium illud, quod contra Dñm populus ille legitur collegisse: in quo à Caipha Pontifice decretum est, vnum mori hominē, ne gens tota pereat. *Si enim,* inquiunt, *dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Viderat in somnis sanctus Patriarcha Ioseph, quòd esse à fratribus adorandus. Quod ne fieret, venditur in Ægyptū: per quod tamen accidit, vt fieret. Occidendum itaque Christum autumant; ne credentibus in eum populis Romani eis & locum auferant & gentem: cùm ideo quia occisus est, totus in eum crediderit mundus, nihilominusque venerint Romani, & gentem abstulerint, & locum. Verumtamen ab hoc timore sibi videbantur liberati; quando posito in cruce Iesu, & in mortem resoluto, nomen eius & virtutem se extinxisse gaudebant. Reuocemus ad memoriam ea quæ de Philistæis & Samson sacra narrat historia: vbi manifestè Philistæi Iudæorum, Samson autem Domini Saluatoris tenet imaginē: qui missus ad oues quæ perierant domus Israël, meretricis Dalilæ, Ecclesiæ videlicet de Gentibus, cōcupiuit amplexus. Hic igitur Samson à Philistæis quot passus sit iniurias; quibus appetitus vinculis, quibus etiam minis pulsatus, sacra produnt Evangelia. Obseruant os eius Scribæ & Pharisæi: quæstiones obijciunt, diuersarū causarum sententias exigunt, vt esset vnde accusaretur: vnde Iudici, vnde morti ex sententia traderetur. Veniunt autem cum quæstionibus quasi

Ioan. 1. — *Lex antiqua vinum vetus.* — *Ioan. 19.* — *Isai. 14.* — *Osee. 13.* — *Ioan. 11.* — *Genes. 37.* — *Iudic. 15. & 16.* — *Christum præfigurauit Samson.*

cum vinculis: quibus ruptis toties liber exiuit, quoties ab ipsis fuerat impetitus. *Licet*, inquiût, *censum dare Cæsari, an non?* Laqueum paraverunt pedibus eius: sed inciderunt in illum. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*. Sic & de adultera. *Moyses præcepit hujusmodi lapidare: quid tu dicis?* Ille sic vincula rupit, vt adultera liberata, illi sua sententia ferirêtur: & propriæ conscientiæ accusatione lapidarentur. Tandem ille Samson amore meretricis resolutus in somnum, nudatus crine, fortitudine pariter spoliatur: Philistinorumque traditus potestati, irrisioni patuit & dolori. Sic & meus Samson amans meretricem, quæ sub omni ligno frondoso, & in omni colle nemoroso prostrata, quot idola venerabatur, tot quasi adulterijs polluebatur, crinem deposuit; fortitudinem abscondit; vincula suscepit. Elapsis discipulis quasi calvus ascendit locum caluariæ, & Iudæorum traditus voluntati, irridetur pendens in cruce. Cernens autem Propheta in spiritu lætitia væsana perfusos ante Crucem agitare caput, improperare miracula, suadere descensum, hanc ineptam compescit lætitiam, dicens. *Ne læteris Philistea omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui*. Velut percussionibus eius liberati, insultant in cruce pendenti, præ lætitia caput mouentes & dicentes, *Si filius Dei est, descendat de cruce*. O Philistæa! ô ebria! ô potionata! ô væsana! Cadis, ruis, prosterneris. Cōminuta tibi videtur virga, id est potestas percussoris tui; capto insultas Sāsoni, cui capilli abrasi sunt, cui eruti sunt oculi; ne læteris Philistæa omnis tu. Morietur Samson, comminuta videbitur potestas eius; sed mors ei⁹ tua est desolatio, filiorum opressio, gloriæ vestræ diminutio, ruina templi, sublatio sacerdotij, totius plebis dispersio. Ideo *ne læteris Philistæa omnis tu, quia cōminuta est virga percussoris tui*. Quod autem dicit, *omnis tu*, magnitudinē gaudij, quo in Christi morte exultabant, expressit. Ne læteris, ne gaudeas, ne exultes, ne insultes: nō enim tantum scelus diuina iustitia dimittet inultum. Quoniam enim characterem veritatis non receperunt, vt salui fierent, mittet illis Deus operatorem erroris, vt credant mendacio. Hinc Dominus in Evāgelio. *Ego veni*, inquit, *in nomine patris mei, & non recepistis me; alius veniet in nomine suo, illum recipietis*. Ipse est operator erroris, à Iudæis in fine sæculi suscipiendus, digno Dei iudicio: vt qui contempserunt Christum, habeant Antichristum. Vnde subiungitur, *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem*. Cùm sanctus patriarcha Iacob filios benediceret, & inter cæteros Dan benedicendus accederet, ait de eo, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. Sicut igitur exijt virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, id est Christus, ita nimirum de radice Dan, qui dictus est coluber, egredietur regulus, id est Antichristus. Regulus, qui & basiliscus, rex serpentium dicitur, afflatu suo atque conspectu homines perimens. Comparatur autem serpens iste Antichristo, qui eius virtute & malitia plenus erit, & rex est serpentium, id est princeps dæmoniorum; cuius afflatus nequitia, & illuminatus scientia, plures à fide veritatis occidet. Quos enim fallit astutia, aspectu eius puta esse percussos; quos autem malitia cogit, eius afflatu scias esse occisos. *Et semē*, inquit, *eius absorbens volucrem*. Singularem numerum ponit pro plurali. Sicut bonum semen verbum Dei, ita profectò semen pessimum verbum Antichristi. Verbum itaque eius, prædicatio eius, doctrina eius, quasi semen eius absorbebit Iudæos; non omnes tamen, sed illos, qui superbia tumidi, nec ad cœlū possunt ascendere, nec in terram per humilitatem volunt descendere, sed sicut volucres in hoc inani inter cœlum pendentes & terram, eorum merentur consortium, qui proiecti de cœlo, in hoc aëre caliginoso sortiti sunt locū. De radice enim colubri, id est ex suggestione diaboli egressus est regulus, superbia, odium, indignatio Romanorum, quorum tunc Imperator pessimus Nero, regulo venenoso non immeritò comparatur; cuius semen, id est voluntas, quam ex colubri afflatu concepit, Vespasianum misit in Iudæam, qui cū filio suo Tito omnem potentiam, & superbiam, & gloriam Iudæorum absorbuit. *Et pascētur primogeniti pauperū*. Improperat sermo propheticus infelici populo odium, quod non solùm in Christum, verumetiam in eius discipulos exercebant. Quamdiu eorum durabat imperium, non cessabat à discipulis Christi persecutio Iudæorum: à quibus alij occisi, alij lapidati, alij suis fugati sunt sedibus, alij flagellis attriti. Cernens itaque Propheta in spiritu, post hæc omnia Iudæos multis malis affectos, Christi verò discipulos, post eorum persecutionē, imo & in ipsa eorum persecutione, bonæ conscientiæ confidentia alacres, *Et pascētur*, inquit, *primogeniti pauperum*. Pauperes sunt, de quibus Dominus in Evangelio, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Isti sunt pauperes, qui abrenunciantes mūdo, & omnibus diuitijs eius, valefacientes etiā patri & matri, fratribus & sororibus, agris & possessionib⁹, nudi nudum Christum sequuntur. Quorum omnium primogeniti sancti fuerunt Apostoli, & discipuli Christi, qui hāc primò doctrinam ex eius ore audientes, secura conscientia dicebant, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Verè fiducialiter in Christo requieuit Petrus, quando præcipiētibus sacerdotibus, ne loquerentur in nomine IESV, respondit, *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus*. Quāta etiam fiducia quiescebat Paulus, quando in cōspectu iudicis staus, tam fortia de Christo eiusque præceptis disseruit, vt tonitruum verborum eius Festus non sustinens, *Insanis*, inquit, *Paule, multæ literæ te ad insaniam prouocant*. Sanè quies ista tranquillitatē mētis significat, qua nec suis persecutorib⁹ irascebatur: qua nullo, aduersus odiētes se, odio mouebatur: qua pro inimicis orare, malefacientibus benefacere, pro eorū vita, qui eorū vitam sitiebant, didicerat laborare. Hinc est, quòd Stephanus pro lapidātibus intercedit, Petrus verberantibus verbum salutis non subtrahit, Paulus pro eis qui semel eum lapidauerāt, quinquies verberauerant, tristitiam magnam habet, & continuum dolorem cordis. Sed illis fiducialiter agentibus, & in charitatis suauitate quiescentibus, quid Philistæis factum est, à quibus nostro Samsoni illusum est? Audi quod sequitua. *Et interire faciam fame radicem tuam; & reliquias tuas interficiam*. Interijt fame radix eius, quando incenso templo ciuitas pariter ruit: & tota illa nobilitas aut fame aut gladio perijt. Possunt Pontifices & Sacerdotes radix gentis appellari: quoniam sicut vitalis succus à radice procedens per totum arboris corpus ramosque diffunditur; ita per legis doctrinam à Sacerdotibus

Marginalia: Mat. 22. — Ioann. 9. — Isai. 14. — Matth. 27. — Ioann. 5. — Isai. 14. — Genes. 49. — *Antichristus de stirpe Dan nasciturus.* — Isai. 14. — Matth. 5. — Matth. 19. — Actor. 5. — Actor. 26. — Isai. 14.

tibus ministratam reliquæ plebi salutis remedia p...bantur. Qui quoniam verbum Christi repulerunt, & indignos se iudicabant regno Dei, ipsis fame pereuntibus, eorum reliquiæ, id est cætera multitudo, vitam quæ Christus est deserentes, æterna morte punitæ sunt. Hæc secundū futurorum prænuntiationē dicta, moraliter sunt repetenda: vt fidem quam prophetiæ veritas confirmat, ornent mores, vita commendet, finis coronet. Et hoc quidem onus Philistijm non secundùm id solum intelligendum est, quo premitur Philistijm vel opprimitur: sed etiam secundum hoc, quod vel premit, vel opprimit. Caueamus proinde fratres carissimi, à Philistæis opprimi: quoniam vt non premamur, cauere nō possumus. Simus ergo sicut Samson Nazaræi, id est Domino consecrati: & crescente capitis nostri cæsarie sancti efficiamur. Crines nostri in quibus est nostra maxima fortitudo, non prodātur meretrici: & sic nec vinculis constringi, nec gladijs terreri, nec includi carcere, nec à multitudine poterimus superari. Et si forte exultent Philistæi, & si aliquando capti videamur, eorum iam vinculis mancipandi: audient à Propheta. *Ne læteris Philistea omnis tu: quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Sed quia hæc latiùs & manifestiùs prosequenda sunt: reparemus silentio vires, sensum oratione: & ad hæc indaganda mysteria crastino conueniamus ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi; cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Onus Philistijm activè & passivè intellectum

Isai. 14.

SERMO VICESIMVS PRIMVS
De eodem capitulo moraliter exposito

ONus Philistijm, quod post onus Babylonis cum vestra charitate tractandum suscepimus, paucis quidem verbis Propheta comprehendit: qui tamen sensuum profunditate multorum materiam ministrauit. Itaque fratres, de allegoricis montibus ad plana tropologica descendentes, ad ipsius oneris principia redeamus; dicamusque per Philistijm superbos quosque intelligi: qui confidunt in virtute sua; & in multitudine gratiarum spiritualium gloriantur. Hi sunt, qui cum Loth egressi de Sodomis, & montem virtutum conscendentes, inebriantur à duabus sororibus, superbiâ, & vanâ gloriâ: & sic insensibiliter ad turpia illecti, etiam in abominationes pessimas dilabuntur: vt meritò dicantur Philistijm, id est cadētes potione. Videat charitas vestra fratres. Cùm naturaliter singulis expulsis vitiis virtutes succedant, hæc superbia vicinior virtutibus, quàm vitiis quātò magis quisque profecerit, tātò aduersus eum acriùs cōualescit. Est autem multiformis hæc bestia, quæ vix caueri potest, extingui autem in hac vita nullo modo potest: quippe cui mors sua vitę materia fit; indeq; robustiùs surgat, quò certiùs putatur extincta. Intelligitis quæ dico? Quādiu viuūt in te vitia, quorum incentor est Achaz, & colluctatio grauis est tibi cum carne & sanguine, crebraque tibi, licet optimè pugnanti, vulnera infliguntur; non audet bestia illa caput erigere: non audet aduersus timidum & pauidum in procinctu positum exitialem inire conflictum. At si mortuo Achaz quieuerint incentiua libidinum; mox coluber tortuosus caput erigit virulētum: ac veneni sui suggestione animam inflans, primò virtutibus reddit inanem: deinde sub ipso timore vitiorum pu-

Genes. 19.

Superbia vitiis alijs extinctis erigit caput.

tredinem generans, in ea, quæ se euasisse gloriabatur, vitia prosternit. Igitur quasi in virtutum culmine positos & iam non in Domino, sed in se gloriari incipientes, alloquitur sermo propheticus. *Ne læteris*, inquiens, *Philistea*, quæ jam potionaris calice superbiæ: quæ iam incipis ad inferiora de superioribus ruere: ne læteris, *quia comminuta est virga percussoris tui*. Iste Achaz percussor tuus est: cui plerumque dat Dominus virgam in manu vt percutiat, vt flagellet; affligens tentationibus, & suggestionibus quatiens. Quæ quidem virga tunc comminuitur: quando ei tentandi potestas subtrahitur. Verumtamen ne læteris ô Philistea; quasi jam euaseris: ne glorieris, quasi colubrum illum venenosum tuis viribus extinxeris. Caue proinde radicem colubri. Quia *de radice colubri egredietur regulus*: de superbia Dei contemptus. Regulus rex est serpentium: & Dei contemptus omnium potentior vitiorum: quæ tunc magis damnabilia iudicantur, quando non ex ignorantia vel infirmitate, sed potiùs ex contemptu generantur. Nascitur autem cōtemptus ex superbia: quia nisi priùs mens humana tumuerit, ad sui creatoris iniuriam non erumpit. *Et semen ejus absorbens volucrem.* Si enim contemptus desperatio est, quæ confessionem excludit, irridet pœnitentiam, satisfactionem abiurat. Impius cùm venerit in profundum malorum contemnit, blasphemus in Deum iniquus in proximum, peruiciosiùs sæuiens in semetipsum: qui quoniam de venia desperat, vitia vitijs cumulans, ipsi desperationi vehementiora fomenta ministrat. Per volucrem animal pennatum, & celeri volatu superiora petentem, spes significatur; per quam terrenis cœlestia, æterna temporalibus, humanis diuina præponimus: per quam etiam iam nunc salui facti sumus: & Christo in cœlestibus conregnamus. Hanc itaque volucrem desperatio absorbet, quando auulsis pennis, quibus ad cœlestia volatur, anima declinat ad infima: vt contemnens futura, amplectatur terrestria: nihilque vltra desideret, quæ nihil quod vltra sit speret. Sed & hoc quod dicitur, *Ne læteris Philistea omnis tu*; ad ipsos congruè satis dirigitur, qui minùs gratè diuina flagella suscipiūt; in prosperitate effusi, in aduersitate querulosi; quos fauor eleuat, persecutio conturbat. Eia fratres, vt ait Apostolus, *quis est filius, quem non corripit pater? Flagellat quippe omnem filium quem recipit.* Potest itaque & ipse dici percussor, qui percutit & sanat; mortificat & viuificat; deducit ad inferos, & reducit. Ipse certè virgam virtutis suæ emittit ex Sion: vt visitet in virga iniquitates nostras, & in verberib^o peccata nostra. Magnum est fratres, diuinæ miserationis indiciū, quando non parcit in præsenti; quādo non miseretur: quando sepit vias nostras spinis, & occludit maceriâ, vt quærentes mortem non inueniam^o: quando omnes dulcedines quibus inhiamus, multimoda aspergit amaritudine, ne inhæreamus. Quid tu Philistæe cadens potione? Repleuit & inebriauit te amaritudine Dominus: potionauit te calice iræ eius, & sagittæ eius infixæ sunt tibi: quarum indignatio ebibit spiritum tuum. Certè si irasceris, si murmuras, si indignaris, si manum repellis medici, Philistæus es cadens potione, inde ruinam incurrēs, vnde sperare poteras erectionem. Væ tibi, si auerterit zelum suum à te, vt vltrà non irascatur tibi: sicut ad quosdā loquitur per Prophetam. *Non visitabo super filias vestras, cùm*

Isai. 14.

Ibidem.

Dei contemptus vitiorū maximum.

Prouer. 18.

Spes per volucrem significatur.

Hebr. 12.

Misericordiæ Dei indicium est, non parcere in hac vita.

Ose. 2.

Ose. 4. fuerint fornicata: neque super uxores vestras, cum adulterauerint. Infelices ergo sunt, de quibus cōqueritur in Psalmis. *Non audiuit populus meus* Psalm. 80. *legem meam: & Israël non intendit mihi.* Non audiuit docētem, non sustinuit corripientem: illinc rebelles & increduli, hinc murmurosi, vtrobiq; ingrati. Qua igitur pœna plectentur; quibus pro his afficientur tormentis? Audi quod sequitur. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Ibidem. Intelligat charitas vestra, fratres mei. Multi pro peccatis suis corripiuntur à Domino, affliguntur inopiâ, persecutionibus atteruntur, debilitantur membris, diuersis tormentorum generibus excruciātur. Incorrigibiles à Deo tādem deserūtur. Qui si nihil correctionis admiserint: sed sicut in prosperis superflui, ita in aduersis inveniantur blasphemi; suspendit virgam; gladium mittit in vaginam; tradens eos in desideria cordis sui, vt eant in adinventiones suas. Tunc lætantur, cùm malè fecerint. Talibus ergo loquitur Propheta, dicens. *Ne læteris Philistaa omnis tu: quia cōminuta est virga percussoris tui.* Isai. 14. Ne læteris, quòd à percussione cessauit, qui te erudivit, cuius virga caput serpentis exclusit, reguli venena depulit, & semen eius pessimum arefecit. De radice enim colubri egredietur regulus; ex voluntate videlicet corruptâ delectatio immunda: cuius semen sunt opera pessima, quæ totum quod priùs in anima nostra sapiebat, & instar volucris pennatæ desiderio & affectu superiora petebat, obruunt & absorbent. Sed Philistæis, id est superbis tali onere depressis, quid pauperes facient, id est humiles? Sequitur. *Et pascentur primogeniti pauperum: & pauperes fiducialiter requiescent.* Hi sunt pauperes; quibus Dominus ait. *Beati pauperes spiritu: quoniam vestrum est regnum cœlorum.* Matth. 5. Paupertas ista secundum affectum æstimatur, non secundum censum: cùm abundans diuitijs, regnoque sublimis, dicat. *Ego verò egenus & pauper sum.* Psalm. 69. Sunt autem quædam virtutes, in quibus incipimus: quædam in quibus proficimus: quædam in quibus perficimur. Virtutes incipientium. &c. Prima autem omnium fides, quam spes corroborat, charitas remunerat. Illa autem fides virtus est, quæ per dilectionem operatur: cùm sine spe remunerationis nemo bene operetur. Hi sunt primogeniti pauperum, id est humilium; qui non in se, sed in Dño gloriantur. Est quædam in hac vita experiētia, quę fidem probat, spem corroborat, nutrit charitatem; vnctio scilicet illa spiritus, quæ nos docet de omnibus: quæ quasdam nobis futuræ beatitudinis infundit primitias, cor nostrum simul illuminans & accendens, vt videat & amet, gustet & intelligat; quando ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus Filij Dei. Hæ igitur virtutes si sic pascantur, si sic nutriantur, in cæteris faciliùs proficimus, quæ ab his introducuntur; cum fidei timor adhæreat, patientia spei, castitas charitati. Deinde timor parit prudentiam, patientia fortitudinem, temperātiam castitas, charitas iustitiam. Per has postremo ascenditur ad sapientiam, quasi per riuulos ad fontem, fides transit in spem, spes in possessionem, charitas in plenitudinem. Tunc profectò fiet, quod sequitur. *Et pauperes fiducialiter requiescent.* Isai. 14. Cum enim humiles quique, qui nesciunt in suis meritis gloriari, quos pauperes vocat Propheta, ad virtutum culmen peruenerint, fiducialiter requiescent, quibus se non ingerit pes superbiæ, & ideo nec manu peccatoris moueri possunt, nec superueniēte turbine illidi. Ibi enim, id est in superbia, ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. Ibi sunt Philistæi cadentes potione, quibus coluber radicē suam inserit, ex qua regulus procreatur, cuius semen absorbet volucrem, de quibus adhuc Propheta subiungit, *Et interire faciā radicem tuam fame, & reliquias tuas interficiam.* Isai. 14. Interfecta radice, quidni rami pariter moriantur, vt pereunte quod primum est, etiā vltima quæque deleantur? Fides radix, ceteræ virtutes reliquiæ; itaque vbi fides corrumpitur, omnes pariter virtutes euanescunt, quia, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. Quid igitur? nihil remedij, nihil spei superest Philistæis? Est, si quidem fecerint, quod subiūgitur. *Vlula porta, clama ciuitas.* Isa. 14. Sed quia hæc nondum allegoricè exposita sunt, moralem hanc expositionem nunc interim differam⁹. Verū quia onus Philistijm, non solùm secūdum hoc quod premitur, sed secundū hoc ꝙ premit, potest intelligi; dicamus Philistæos immundos esse spiritus, qui inebriati superbia, à cælesti illa mansione corruerunt. Hi sunt, qui nos suis fatigant suggestionibus, tentationibus premunt, onerant doloribus. In tētationib⁹ nūc vulneramur, nūc vulneram⁹. Aduersus hos nobis est colluctatio, à quibus nonnunquam vulneramur & percutimur, quos nos vicissim & percutimus & vulneramus. Induite proinde vos fratres armaturaDei, vt possitis stare aduers⁹ insidias diaboli, Custodite maximam fortitudinem vestram, quā instar Samson, septem vobis crines conseruant. Instant Philistæi, dormientibus funes inijciunt: sed nisi priùs radantur septem crines, nihil proficiunt. De his funibus ait Propheta, *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Isai. 14. Psalm. 118. Sed quia fecit Deus quod sequitur, *Et legem tuam non sum oblitus*, in alio psalmo cōfidenter proclamat, *Dirupisti vincula mea* Psalm. 115. Sunt autem tres funes quibus nos appetunt Philistæi, concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ. Vide ô Samson, ne dormias: vide ne otio dissoluaris: vide ne meretricis, vanæ videlicet gloriæ, seducaris illecebris. Otiositas inimica est animæ: in desiderijs enim est omnis otiosus. Audiant hoc, qui occasiones quærūt vagandi, quibus commune opus manuum oneri est, qui, fratribus necessarijs operibus intentis, otio vacant & fabulis. Hi sunt, quos sæpe cernimus Philistinorum innexos funibus, nunc carnis stimulis agitari, nunc stultis occupationibus infeliciter irretiri, nunc quasi quibusdam furijs actos, gyrouagādo multis detractionibus exponi: quos Philistæi fune carnalis concupiscentiæ trahunt ad libidinem, fune concupiscentiæ oculorū ad vanitatem, fune superbiæ ad superstitionē. Crines procedunt ex capite, cogitationes ex corde. Septē crines fortitudinē conseruante quid sint. In septem itaque cogitationibus conseruatur fortitudo tua: quarū duæ sunt de præteritis, duæ de futuris, tres de præsentibus. Ad præterita pertinet recordatio creationis & redemptionis: ad futura horror damnationis, & contemplatio æternæ remunerationis: ad præsentia consideratio nostræ infirmitatis, & diuinæ bonitatis, cum memoria illius, quam sepius experimur, consolationis. Has sanè cogitationes, si lethali somno sopitus prodideris meretrici, id est, vanæ gloriæ abscindendas tradideris: quasi impotens & infirm⁹ Philistæis, nequam videlicet spiritibus, traderis illudendus. Quibus tamen exultantibus dici potest, *Ne læteris Philistaa omnis tu*: quia contrita est virga Samson, cuius iterum possunt crines Isai. 14. crescere, per quos & radicem colubri, & partum

reguli poterit declinare: si tamen vt pauper in loco pascuæ collocatus, verbi Dei famem vitare potuerit; & in spe diuinæ misericordiæ fiducialiter requieuerit. Fiet enim ex Dei gratia, vt radix colubri, cùm ei subtracta fuerit peccati materia, quasi fame intereat, non habens vnde viuat: & sic cætera vitia, quæ ex pessima radice pullulauerant, moriente radice marcescant. Sed jam tandem sermoni huic demus finem, obsecrantes Dei misericordiam, vt interiùs illo verbo pasci mereamur, quod non habet finem; quod est Christ[9] IESVS: cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VICESIMVS SECVNDVS.

Ab eo quod ait, Vlula porta, *vsque ad finem oneris Philistym.*

PEr Philistæos, qui cadêtes potione vel poculo interpretãtur, secundum typum futurorũ, Iudæos diximus designari: qui ob necem Dñi Salvatoris à Romanis depressi & oppressi, effusi sunt & dispersi; quoniam Deus spreuit eos. Vnde Propheta. *Et interire,* inquit, *faciam fame radicem tuam: & reliquias tuas interficiam.* Adhuc quoque calamitatem describens, subjũgit *Vlula porta, clama ciuitas: prostrata est Philisthæa omnis.* Hæc est illa ciuitas & gentis illius desolatio; quam & sanctus Ezechiel describit, loquente ad eum Domino. *Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum: & duces eum per caput tuum, & barbam. Et assumes tibi stateram ponderis; & diuides eos. Tertiam partem combures igni: tertiam partem cõcides gladio: tertiam verò partem disperges in omnem ventum: & gladium denudabis post eos.* Quæ omnia expositione non indigent, sed consideratione. Verùm, qua de causa passa sit plebs illa, Propheta non tacet. *Ab aquilone enim fumus veniet: & non est, qui effugiat agmen ejus.* Fum[9] venit cum agmine, quoniam multæ abominationes secutæ sunt ignorantiam, odia, maledicta, blasphemiæ; in quibus miser ille populus quotidie crescit in pœnis: ita vt nullus sit reproborum, qui fumi illius agmen effugiat. *Quid tu vides,* ait Dominus ad Ieremiam, *quid tu vides?* Et ille. *Ollam succensam, & facies eius à facie aquilonis.* Nostis, quis ille sit, cui pars placuit aquilonaris, frigida scilicet, & à Dei calore aliena corda mortalium: per quos ollam tentationis ille qui eis sedet plerumque succendit: ex qua fumus egrediens multorum excœcat oculos, & à veritatis lumine alienat. Dicit enim, quomodo sit Philisthæa prostrata: qua etiam ratione securus quis potest esse de venia; si digna præcesserit pœnitentia. Ait quippe Paulus in infidelitate prostratus, fide erectus: persecutor in infidelitate, doctor in fide. *Misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate.* Ignorantia ipsa quasi fumus erat: quæ nimirum ab aquilone procedens erroris tenebris mentem eius obuoluerat. Ideo faciliùs veniam consequitur, quia secundum æmulationem persecutus est Ecclesiam Dei, fumo ignorantiæ cœcatus, non malitia prouocatus. Et tu quoque non desperes de venia: quia etsi fortè non te tetigit fumus ignorantiæ, tetigit tamen fumus suggestionis alienæ, tetigit fumus carnalis concupiscentiæ. Ille itaque qui cognoscit figmentum nostrum, tantò citiùs miseretur, quantò in nobis ipsis portamus, quod ollæ illius succensæ fumo faciliùs obfuscatur. Ideo prosternitur certè Philisthæa, id est anima quælibet elata: quia ab aquilone, id est diabolica tentatione, aut ignorantiæ, aut cõcupiscentiæ fumus procedens, aut circumvenit incautam, aut infirmam illicit. Sed tu vlula cordis contritione, clama confessione: vt fiat quod in hoc ipso Propheta scriptum est. *Sume cytharam; circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita.* Bene cane, frequenta canticum: vt memoria tui sit apud misericordiam Redemptoris. Ipse enim scit, quia non est, qui fumi huius pessimi agmen effugiat. Quis enim est, cuius carnem vel mentem instar ollæ feruentis hostis ille aquilonaris non aliquando succendat: ignitisque jaculis cõcupiscentiæ fumum non excitet? *Quid igitur respondebitur nuntijs gentium?* Si placet, per nuntios gentium Angelos contrariæ fortitudinis intellige: qui diuersis tentationibus fatigatis virtutis arduam viam opponunt: carnis fragilitatem & corruptionem abijciunt: vt quadam desperatione deiecti viam salutis refugiant. Expertis loquor. In initijs conuersionis nostræ inter graues tentationes carnis & spiritus, cùm nos aliquando spiritus fornicationis vreret, nunc inflammaret ira, nunc gula desiderijs agitaret, quasi impossibilis videbatur in his omnibus tolerantia: maximè cùm adolescentiæ lubricus status, tentatoris multiplex astus, ex infirmitate facilis casus proponeretur. Spiritibus itaque talia suggerentibus quid respondebitur? Quæ spes nostra, quod refugium? *Quia Dominus fundauit Sion.* Fratres, *fundamentum Dei firmum stat: habens signaculum hoc; nouit Dominus qui sunt eius.* O Sion, ô anima, quæ quasi in specula posita tui Domini præstolaris aduentum; non metuas, non conturberis: quoniam si irruant venti, & fluant flumina, fatigari potes, sed subuerti non potes. Fundata enim es supra petram. Dominus enim fundauit Sion: qui non permittet nos tentari supra id quod possumus: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Hæc miserorum in hac vita consolatio: hæc in tentationibus fortitudo: hæc in tribulatione securitas: hæc constantia in aduersis. Dominus certè fundauit Sion, animam Dei contemplatione sublimem, in veræ humilitatis fundamento eam constituens; quæ tantò securiùs atque solidiùs locatur, quantò crebris probata tentationibus nec falli potest incauta; nec illici jam probata; nec exercitata superari. Sic itaque fundauit Dominus Sion; & in ipsa sperabũt pauperes eius, id est humiles, qui apponentes scientiam, apponunt & dolorem: vt in illa beatitudine quandoque glorientur, quam in Euangelio Dominus dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* in CHRISTO IESV Domino nostro: cui est cum Deo PATRE in vnitate SPIRITVS sancti, honor & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 15. | Ezech. 5. | Ierem. 1. | 1. Timot. 1. | Isai. 23. | Isai. 15. | Tentationes incipientium. | Psalm. 101. | 2. Timo. 2. | 1. Cor. 10. | Matth. 5.

SERMO VICESIMVS TERTIVS.

De principio oneris Moab.

EXplicito onere Philistijm, contra Moab armatur sermo propheticus. Cuius nominis rationem primùm video vobis esse reddendam. Sanctus Loth, vt bene nostis fratres Carissimi, egressus de Sodomis, cùm eius vxor retro respiciens in salis esset mutata figmẽtum, cùm duabus Genes. 19.

solis filiabus ascendit in montem: & post incolatum vrbis immundæ novus speluncæ factus est habitator. Ibi vtraque filia ebrij patris furata cōcubitum, primogenita Moab, altera Amon filios ex incestu concepit. Moab autem de patre, siue aqua paterna interpretatur: quem nimirum pater nesciens de filia genuit, non ex affectu amoris, qui in quadam dulcedine spiritus legitimè coëuntes cōiungit: sed ex eo fluxu qui è dormiēte vel ebrio instar aquæ sine amoris sapore emanare consueuit. Quid dicam, fratres Carissimi? Blasphemumne putabitis; si in his sanctum Loth Domini Saluatoris imaginem dixero tenuisse? Recordamini quæso Iudam in concubitu Thamar, quam putauerat meretricem, & David in illicito Bethsabee amplexu, Domini IESV secūdum sanctos Patres expressisse figuram; & hic quoque IESVM Sacerdotem magnum, sicut in Zacharia monstratum est, in sordidis vestibus nō miremini. Christus, vt scitis, Dei virtus est, & Dei sapientia. Ex Dei autem sapientia duplex scientia, quasi duæ filiæ procreantur: practica scilicet & theorica. Has itaque filias cùm in speluncam, corda videlicet tenebrosa Gentilium Dei sapientia induxisset; non ex voluntario patris semine, quod est charitas, sed ex propria curiositate & vanitate, quasi ex incestu, quādam diuinarum & humanarum rerum scientiam, ex bono quidem patre, sed non legitimè conceperunt. Nam quòd etiam mundi huius sapientes Deo reuelante multa de humanis, & de diuinis didicerunt, Paulus testis est, qui ait. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit.* Sequitur. *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit.* Recolite quæso, quod Deus nocte traditus, & nocte illusus, instante jam nocte noscitur de cruce depositus. In hac nocte vastata est Ar, quod interpretatur aduersarius, de quo beatissimus Petrus. *Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Ista est aduersaria illa ciuitas; atrium videlicet illius fortis armati: qui à fortiori superueniente deuictus, & spolia perdidit, & arma projecit. Quamvis & ipsa hominum multitudo Ar ciuitas possit intelligi: quæ Deo aduersa, ligna lapidesque colebat. Quæ quodammodo nocte vastata est: quia passione Sanctorum & patientiâ stupefacti, quamplures aduersariam ciuitatem sua absentatione vastauerunt. Tunc certè Moab, id est sapientia huius mundi, conticuit: nihil virtutis habens in voce, qua vel suam astruere, vel Christi posset doctrinam euacuare. Sequitur. *Quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.* Murus aduersariæ ciuitatis, id est inferni, idololatria fuit: quam per vniuersum orbem virtute Dominicæ passionis cernimus esse vastatam. Murus præterea aduersæ doctrinæ dialectica fuit, vel versutia disputandi: quam in nocte, id est in persecutionibus posita simplicitas Christiana subvertit; & omnia eius argumenta fidei sinceritate vastauit. Tunc certè Moab, id est mundi huius sensus, conticuit: quando intonans Dominus super aquas multas obstruxit os loquentium iniqua: & euacuauit omnem scientiam extollentem se aduersus scientiam Dei. Ideo factum est, quod subjungitur. *Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum.* Domus non solùm parietes cum tecto fundamentoque vocantur: sed etiam ea quæ in ipsa domo est, familia, secundum bonos malosue mores, bona domus malaue appellatur.

Genes. 19.

Christus ante per Loth ap- tè figuratus.

Genes. 38.

2. Reg. 11.

Zachar. 3.

Rom. 1.

1. Petri 5.

Murus adversariæ civitatis quis

Igitur per domum Moab cor sapientium huius mundi intelligite: in quo non parua familia sensuum, cogitationum, affectionumque versatur. Porrò Dibon, quæ interpretatur fluxus eorum, ipsorum sensuum, vel cogitationum, vel etiam sententiarum diuersitatem, lasciuiamque significat. Potest etiam sic intelligi, quod Christi coruscante doctrina domus Moab, idest familia Philosophorum, discipuli videlicet: & Dibon ciuitas, idest multitudo magistrorum, qui cum gaudio idolorum solebant interesse culturæ, ad ipsa idola cum planctu ascenderint: & contra Evangelium dæmonum responsa & auxilia flagitauerint. Verùm quia sapientium huius mundi plures conuersi ad Christum suis abrenuntiauerunt erroribus, plures in innata sibi malitia persstiterunt: onus istud vtrosque tangit in his verbis, illos pœnitentia, istos cordis angustia docens esse grauatos. Multi enim Philosophorum, tam discipuli quam magistri, quasi domus & ciuitas relicto valle erroris, ad excelsa conscendere virtutis, cum planctu & lacrymis peccata sua confitentes: & de pristinis erroribus & blasphemijs humiliter pœnitentes. Et addidit Propheta. *Super Nabo & super Medeba Moab vlulabit.* Nabo interpretatur sessio, medeba de saltu. Ad magistros pertinet sessio, secundum illud. *Super cathedram moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.* Per saltum vbi sunt arbores infructuosę & steriles, vbi non hominum, sed ferarum habitatio est, inculta exprimuntur corda gentilium: qui magistris errorum adherentes, eorum dogmata multitudinis authoritate tuebantur. Vlulatus igitur Moab super illos doctores plebesq; describitur: quos à suo consortio recedentes, ad catholicam fidem conuerti sine graui dolore, quod significat vlulatus, videre non poterant. Vnde subiungitur. *In cunctis capitibus eius caluitium.* Capita Moab nominatissimos diuersarum sectarum intellige magistros, Socratem, Platonem, Diogenem, & cæteros tales. Hi sunt profectò capita Moab: principes videlicet sciētiæ sæcularis. Quis horum est, cuius per Christi gratiam capilli non sint rasi, discedentibus ab eorum secta discipulis, qui eis tanquam capitibus suis adhærere cōsueuerant, & se ad Saluatoris nostri gratiam conferentibus? Certè ipsi jam videmus Philosophos decaluatos: quorum sapientiæ piscatorum doctrina præfertur; quorum sectā nemo qui profiteatur; nemo qui sequatur. Ideo cōuenienter Propheta subiungit. *Omnis barba radetur.* Quamdiu imberbis est homo, puer æstimatur: barbatus autem viri nomen sortitur. Quasi barbati erāt Philosophi, cùm eorum sapientiā & doctrinā populi regerentur. Cùm verò personante Christi Evangelio vbique, & eorum confutante errores, insipientes & vecordes ab omnibus crederentur, quasi rasis barbis deformes & inhonori, & velut in puerilem reducti stultitiam videbantur. Iam videamus sequentia. *In triuijs eius accincti sunt sacco: & super tecta eius, & in plateis ejus omnis vlulatus descendit in fletum.* Tria hic proponuntur, triuia, tecta, plateæ. In triuijs Philosophorum diuerticula, in tectis superbia; in plateis vita perdita figuratur. Diverticula habebant in sophismatum deceptione, superbiam ex hominum æstimatione, vitam perditam ex carnis & mentis corruptione. Quorum multi conversi ad Dominum, in omnibus quæ peccauerūt puniti sunt. Nam pro dolis & fallacijs, quæ in

Philosophi multi ad fidem cōuersi.

Isai. 15.

Matth. 23.

Capita sectarum.

Isai. 15.

triuijs exprimuntur, amicti sacco in signum pœnitentiæ perhibentur: & pro superbia, qua buccis crepantibus sententias de diuinis & humanis quasi in tecto positi promulgare consueuerant, vlulatum confessionis & contritionis emittere ostenduntur; & pro lata illa via, qua tendebāt ad mortem, humiliati, & suis lacrymis loti, ad viam arctam & angustam, quæ ducit ad vitam, regredi nuntiantur. Ait ergo, *in triuiis eius*, haud dubium quin Moab, *accincti sunt sacco*: quia ad memoriam reuocantes quibus diuerticulis & fallacijs humanæ simplicitati illuserant, accincti sacco, id est pœnitentiæ asperitate afflicti, eum cui peccaverant, digna satisfactione placare curarunt. *Et super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum.* Ait Dominus in Evangelio. *Quod in aure audistis, prædicate super tecta.* In tecto siquidem altitudo quædam & manifestatio declaratur. Per plateas quoque, quæ latitudinē significant, latam perditionis viam accipe, per quam & ipsi incedebant, & alijs per eam gradiēdi exempla præbebant. Sed qui in tectis ascenderant per elationem, humiliati descenderūt per cōpunctionem: & qui errores suos publicè quasi in plateis prædicauerant, vlulatum vocis miserandæ in auribus omnium emittebant. Sequitur. *Clamabit Hesebon, & Eleale, vsque Iaza audita est vox eorum.* Hesebon cogitationes, Eleale ascensio, Iaza factum siue mandatum interpretatur. Cernentes Philosophi multa hominum millia quotidie ad Christi fidem & sacramenta cōcurrere, conturbabātur: nec facilè dici potest, quant⁹ fuerit tunc in eorum cogitatione tumultus: quomodo mirabantur, nunc indignabantur: nunc erecti in superbiam aduersabantur; quæ omnia per clamorem Hesebon, & Eleale, videlicet cogitationis & elationis exprimūtur. Nec iste clamor murmurque cessauerunt, donec de voce in opus procederent, vel manifestè persequendo, vel fidei & diuinis mandatis obediendo. Ideo vsque Iaza audita est vox eorum. Hæc fratres moraliter fuerant exponenda: sed timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, insuper & zelus dom⁹ Dei comedit me: vrget indignatio, dolor impellit, erumpunt lacrymæ, quas tamen ira cōprimit, absorbet æmulatio. Tabescere me fecit zelus meus, & sæuire jam gestit sermo me⁹, sed luctum mihi magis matris meæ Romanæ Ecclesiæ indicit, quæ vtrasque manus extendens in cœlum, miserabili voce videtur clamare. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Licet enim vna sit illa columba Christi, formosa Christi, perfecta Christi, cui est vnus Deus, vna fides, vnum baptisma; propter diversos tamen populos & nationes, multæ dicuntur Ecclesiæ, conuenientes in vna, subiectæ vni, vni obedientes. Ipsa est sancta Romana Ecclesia: cujus filij, sicut audistis, pugnauerunt contra eam. Alienati enim sunt quidam à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Insuper iniquitatem in excelso locuti sunt. Papiæ quippe astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Alexandrum Christum eius. Ibi circundederunt eum canes multi, concilium malignantium obsedit eum; ibi insurrexerunt in eum testes iniqui, Ioannes & Guido, sed mentita est iniquitas sibi. Infelices & miseri, qui descendentes ab Ierusalem in Iericho, inciderunt in latrones. Ipse est scelestissimus Octavianus, qui instar latronis, multo tempore in insidijs latitans, Papatum prædam, spolia Ecclesiam æstimauit. Infelix, qui ascendit cubile patris sui, & maculauit stratum eius. Iste est superbissimus ille Aman, qui crucem parauit Mardochæo, qui Regem compulit ferre sententiam mortis in Israel. O quando vigilabit Rex, quando consurget de regno suo, quādo noctem istam tenebrosam, & opertam mortis caligine ducet insomnem? Quando audiet in annalibus suis, quanta bona ei fecerit noster Mardochæus? Quando animaduertet, quod ipsam Reginam, eo præsente, ille nequissimus nititur opprimere? Ista est Regina, non vxor Artaxerxis Regis, sed Christi, de qua Propheta, *Astitit Regina à dextris tuis.* Hæc est, quæ hodie in infirmis membris suis, & minus scientibus legem, clamat & dicit, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Meritò terrendo, & exprobrando respondet, *Si ignoras te, egredere.* Quàm multi, fratres, hodie nescientes scripturas, neque virtutem Dei, egressi sunt de Ecclesia, & separantes se à vicario Christi, sequuntur præambulum Antichristi. Fratres, nemo vos seducat inanibus verbis. Nemo vobis dicat, ecce hic Christus, vel ecce illic; cùm in fide Petri semper sit Christus; quam S. Romana Ecclesia specialiter mutuauit à Petro, & servat in petra, quæ est Christus. Hæc igitur Ecclesia vbi cœpit, à quib⁹ cœpit, quò processerit, inspiciamus. *Oportet*, inquit, *Dominus prædicari hoc Evangelium in vniverso mundo, incipientibus ab Ierusalem.* Igitur in Ierosolymis initia eius. Ipsa erat, quæ tunc parua & quasi lactens, cum complerentur dies Pentecostes erat in eodem loco, quam Spiritussanctus in linguis igneis visitans, & illuminauit sapientia, & dilectione igniuit. Ex hinc omnium gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore cōmunes, & quod postea factum est in omnium gentium conuersione, præcessit in linguarum omnium vnione. Huius Ecclesiæ primus princeps Petrus fuit, cui dictum est. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterum. *Pasce oues meas.* Et, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Hæc est Ecclesia, quam primitiuorum sanctam vocat Apostolus, cuius plenitudo potestatis, in ipsius principe, primo de Oriente transmigrans in Occidentem, auctoritate Spiritussancti in Romana resedit Ecclesia. Ecclesiam sanè Romanam non parietes, & saxa, sed Clerū à beatissimo Petro primò Romæ ordinatum, nemo sani capitis dubitat appellandum; sicut igitur Petro Clemens, Anacletus Clementi, Euaristus Anacleto successit, ita profectò Cleri illius, quem ordinavit & instituit Petrus, alius ab alijs ordinat⁹, locum & dignitatem obtinuit. Sic semper pro patribus nati sunt nobis filij; qui tandem, dante Constantino, cùm Ecclesia quoque terrenum suscepisset imperium, etiam iure humano cōstituti sunt principes super omnem terram. Ex hinc ob specialem excellentiam ipsius Ecclesiæ Episcopi, Presbyteri, Diaconi, appellati sunt Cardinales, ab his vocabuli huius mutuantes honorem, de quibus scriptum est, *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Sicut enim summus Pontifex ex legitima, & vt ita dicā, hereditaria successione, Petri obtinet principatū, ita cæterorum Apostolorum potestas in Cardinales constat esse transfusa. Hæc est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus est. Illius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus,

Matth. 20.
Isai. 15.
Digreditur author ad calamitatem Ecclesiæ declarandam.
Cant. 1.
Alexand. 3.
Octavianus Anti-papa.
Psalm. 44.
Cant. 1.
Luc. 24.
Matth. 16.
Ioann. 21.
Primat⁹ Petri & Papæ.
Cardinales Romanæ Ecclesiæ qui.
1. Reg. 2.

omnibus prouidere, ad quam in Petro vox ista dirigitur, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quicquid ipsa statuerit, suscipio; approbo quod approbauerit, & quod dãnauerit damno. Ipsius est eligere nobis pastorem, & episcopum animarum nostrarum. Quod enim fuit in veteri testamento, in constitutione Pontificis, carnalis generatio; hoc est in nouo regularis electio, quæ est quædam spiritualis generatio: quasi enim generat qui eligit, quasi generatur qui eligitur. Itaque fratres, quod Aaron fuit filios procreare, hoc fuit Christo Apostolos eligere. Cæteris filijs Aaron vnus præfertur Eleazarus, cæteris Apostolis vnus præponitur Petrus. Et Petrus cùm spiritualiter plures genuisset, Clementem prætulit cæteris: qui cùm & ipse filijs abũdasset, ipsius Curiæ electione, quasi spirituali quadam generatione, solus defuncto successit Anacletus. Sicut igitur illi legitimi semper fuerũt Petri successores, quos Ecclesia ipsa elegit: sic & illi, quos sui singulis temporibus sibi elegerunt adiutores, veri cæterorum Apostolorum fuerunt successores. Itaque à B. Silvestro & Cardinalibus eius, vsque ad huius nostri tẽporis Adrianum & Cardinales eius, nulla nobis est de legitima successione cunctatio. Ecce defuncto Adriano legitimo Petri successore, stat in Cardinalibus cæterorum Apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum & Octavianum, sic interim nominemus eos, quasi in vtero matris suæ Ecclesiæ Romanæ jam laborantis in partu. Rogo fratres mei, nonne partus iste similis est partui Rebeccæ? Ecce infelix Esau rufus & hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet, & simplicem illum Iacob, quem totus ille interaneorum omni effectu concentus complectitur, manibus furibundis inuadit! Audistis enim quomodo de collo sanctissimi viri, infelix ille mantum dæmone plenus extraxit. Et cum ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab vtero, cupiditatis & ambitionis suæ pilis, summum cernẽtibus horrorem incussit. Secuti sunt eum duo, qui & ipsi alienati sunt à vulua, errauerunt à ventre, cæteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Ioannem, nunc Vuidonem in parte vna, & inter eos Octavianum: cernite & reliquam Curiam ex parte altera, & Alexandrum inter eos. Rogo cuius vox ista est, *Exierunt à nobis, sed non fuerunt ex nobis?* Certè aut in illis tribus Curia Romana est, aut in his omnibus; aut perijt de terra, & inaniter fusa est illa Saluatoris oratio, de qua dicit, *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* quod dementis est opinari. Quis enim ita desipiat, vt tot Episcopis, Presbyteris, Diaconibus Cardinalibus exclusis, Romanæ vim Curiæ in his duobus æstimet resedisse? Sic nunc fratres, sic loquar de istis, quasi adhuc in Ecclesia B. Petri, vbi electionem fecerant, constitutis, & ab inuicẽ separatis. Certè Ecclesia Romana nõ perijt, certè, cæteris reprobatis, vt in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. Restat proinde, vt in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim Apostolicæ dignitatis reseruauerit. Absit enim, vt dicamus, quinque Cardinales Episcopos, & quindecim, vel eo amplius Cardinales Presbyteros, siue Diaconos, à tribus illis exijsse, & nõ potiùs illos ab istis: quorum fama celebrior, vita sanctior, sensus profũdior, multitudo numerosior, auctoritas sublimior. Cum igitur constet Ecclesiam esse Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum est, illos exijsse, quicũque postea illis adhæsit, siue ipsissimus Ymarus, siue alius, non ad Christianos, sed ad hæreticos; non ad Catholicos, sed ad Schismaticos; non ad Ecclesiam, sed ad synagogam Satanæ, & ipse hæreticus schismaticusque accessit. Dicant inimici quicquid volunt, mentiãtur quantum volunt, vbi Ecclesia esse Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate; ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab eius fide, quæ Christo orante non deficiet; ab eius vnitate, quam Schismaticorum prauitas, Christo conseruante, nõ diuidet; ab eius subiectione, cuius mihi Princeps cælum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adiuuante gratia, separabit. Hæc ad cautelam vestrã fratres, propter labia iniqua & linguas dolosas, quibus hæc patria feruet, dixisse sufficiat, vt deinceps reparatis paululũ per silentium viribus, ad delicias verbi Dei redeam⁹, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, AMEN.

Luc. 22.
Successio Põtificum.
Luc. 22.

SERMO VICESIMVS QVARTVS.

De eodem Capitulo moraliter exposito.

SICVT meminit charitas vestra, principia oneris Moab secundum prophetiam, sicut potuimus, heri exposuimus: moralem vero expositionem, quam tunc exequi timor interueniens prohibuit, in diem hodiernum distulimus. Primum igitur secundum leges tropologicas, quis sit iste Moab inquiramus, vt manifesti⁹ quomodo vel oneret, vel oneretur, perscrutari valeam⁹. Interpretatur autem Moab de patre, significans nimirum aliquid, quod de patre procedit in filiũ; vel ipsos, qui secundum hoc viuunt, quod ex patre suo naturaliter mutuauerunt. Multis sanè modis in sacra scriptura patrem nouimus appellari, videlicet secundum naturam, secundum creationem, secundum adoptionem, secundum imitationem, secundum ætatem, secundum dignitatem. Secundum naturam, quando homo illius hominis, qui ab eo carnaliter genitus est, pater nuncupatur, sicut Abraham pater Isaac, & Isaac pater Iacob, & Iacob pater dicitur duodecim Patriarcharum. Vel certè quando vnus aliquis omnium, qui de eius stirpe geniti sunt, pater appellatur. Vnde Dominus ad Iudæos. *Ne gloriamini, quia patrem habetis Abraham.* Secundum creationem, sicut Deus omnis creaturæ suæ pater pronunciatur, à quo nimirum omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Secundum adoptionẽ, sicut omnes electi filij Dei vocantur, dicente Apostolo, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Omnes enim, qui de hac adoptione gloriantur, constanter clamant ad Deum, Pater noster qui es in cælis. Secundum imitationem, sicut perfidos Iudæos diaboli filios ipse Christus appellat, *Vos,* inquiens, *ex patre diabolo estis:* quod pro imitatione dictum sentẽtia illa declarat: ait enim. *Et opera patris vestris vultis facere.* Hinc etiam imitando fidem Abrahæ, filij dicuntur Abrahæ, quos nimirum de lapidibus Dominus suscitauit. Secundum ætatem, sicut Paulus loquitur ad Timotheum. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra*

Pater multis modis dicitur.
Rom. 8.
Ioann. 8.
1. Timot. 5.

vt patrem. Secundum dignitatē, sicut serui Naaman, cum indignaretur aduersus Helisæū quod non visu, oratione, & tactu, sed mādato, lepræ, quam patiebatur, mederi videretur, recedenti tamen cum indignatione dicunt, *Pater etsi grandem rem tibi dixisset propheta, vtique facere debueras: quanto magis cum dixit tibi, Lauare, & mundaberis?* Itaque patri omnium qui nos creauit, debemus quod sumus; patri qui nos adoptauit in filios, debem⁹ quod boni sumus; patri qui nos in carne genuit, debetur quod mortales, quod corruptibiles, quod diuersis passionibus obnoxij sumus. De patre itaque carnali, id est de natura corruptibili, nobis insunt incentiua libidinum, metus concupiscentiarum, iræ impetus, tristitiæ languor, metus inordinatus, superbiæ tumor. Hæc est gens illi nimirum contraria, quam bon⁹ pater, qui nos adoptauit, non genuit, nobis benignus infundit, quæ est charitas, gaudium, pax, patientia, humilitas, castitas & cætera. Illa igitur Moab, ista Israël mysticè nuncupatur. Contra hunc Moab initur nobis pugna, qui etiam congruè aqua paterna interpretatur, quia hæ corruptiones nobis ex fluxu paterni seminis inserūtur. Adsit nobis Dominus IESVS. & huius Moab tale onus imponet, vt quāuis ex toto destrui non possit in nobis, sic tamen deprimatur, vt regnare non possit in nobis. Audiamus igitur onus huius Moab. *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit. Quia nocte vastatus est murus, Moab cōticuit.* Nox verò vt scitis, tribulationē significat. Interpretatur autem Ar aduersarius, & erat ciuitas Moabitarum. Gens illa naturalium passionū, in anima nostra construunt ciuitatem, quando originalia erumpunt in actualia, dum præbemus membra nostra arma iniquitatis peccato, & quæ prius patiebamur ad pœnam peccati, vertimus ad voluntatem vsumque peccandi, & quot peccatis manus damus, tot ciues pessimos in hac ciuitate suscepimus. Est autem hæc ciuitas illi aduersa; quæ de virtutibus fundata, huic, quæ de vitijs est, probatur esse contraria. Murus autem Moabiticæ vrbis obstinatio est, quæ pœnitentiæ humilitatem excludit, vocem obturat confessionis. Eia fratres, quando omnia nobis eueniunt prospera, quando læta arrident tempora, quādo luxuriam omnium rerum abundantia parit, Moab iste insurgit acriùs, afficit vehementiùs, incendit carnem, mentem dissoluit, noxia quæque ac voluptuosa suggerit, fit quidā in animo clamor vitiorum, clamantium alterius ad alterum, & dicentium, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamētum in ea.* Agit proinde benignissim⁹ Saluator, vt optimus medicus, & prius morborū resecat causam, subtractisque paulùlum lætis, dū dura tristiaque succedunt, etiam voluptuosa euanescūt. Ita homo compulsus redire in se, nihil ibi lucidum, nihil serenum, nihil quod placeat, nihil inuenit quod delectet: sed omnia tenebrosa, omnia obscura, omnia plena horroris, noctis, & tenebrarum. In hac nocte vastatur Ar, quando & delectationes vilescunt, & pereunt voluptates, non delitiosa conuiuia, non potationes illicitæ blandiuntur. Vastatur etiam murus, id est mentis obstinatio. & omnia eius propugnacula, quæ sunt vtique excusationes in peccatis, destruentur. Errant fratres carissimi, qui in gula & ebrietate, in otio & dissolutione, in mulierum vel parasitorum contubernijs, aut sæpe aut iugiter permanentes, sibi de pudicitia blandiuntur. Expertus sum carissimi, credo quia & vos, quod crebris ieiunijs, vigilijs assiduis, laboribus continuis, quasi quibusquā malleis verberatus noster Moab, etiam contritum erigit caput, & post multi temporis silentium rediuiuis clamoribus vrget incautos, premit improuisos. Inde fratres, quoties gula ingerit cibi vilioris fastidium quoties somnolentia vel corporis calor vigiliarum insuetum horrorem; cogitentur quæso incentiua libidinum, turpitudo immunditiarum: econtra castitatis suauitas, affectionum puritas, membrorum tranquillitas: & mox omnia quæ prius existimabantur grauia, inuenientur esse facillima. Felix anima, cui sic fluit Moab, sicut Nabo & Medeba: de quibus subiungit. *Super Nabo & Medeba Moab vlulabit.* Nobo interpretatur sessio, Medeba de saltu. Sessio hæc securitatem significat; quæ mater est negligentiæ, & incuriæ generatrix. Quidam enim, quod dolēs dico, qui post multa crimina pœnitētialem hanc vitā professi sunt, ita se otio & pigritiæ tradunt; ita necessaria ordinis exercitia contemnunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & quæ legem Dei sui non dereliquerit. Alij, quos quotidianæ passiones dehonestant, cùm hostium tela frequenter excipiāt; ita tamen securè sedent & rident, quasi iam inimic⁹ occubuerit: vel omnis pugna interior quieuerit. Hi etiam de saltu, quod est Medeba, esse dicuntur: quia infructuosi, vagi, instabiles: in quibus spirituales illæ bestiæ commorantur, de quibus Propheta. *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* His nimirū non conticescit Moab: sed frequenti vlulatu vitia suggerit, immundas ingerit affectiones; & quæque pessima suadet. Per vlulatum verò Moab vehemens tentatio naturalium passionum exprimitur. Et additur. *In cunctis capitibus eius caluitium: omnis barba radetur.* Capita Moab, vt mihi videtur, tres naturales motus qui in homine sunt, non incongruè dicuntur: id est irascibilis, concupiscibilis, rationabilis. Ex horum, vt æstimo, corruptione, omnium naturalium passionū incentiua procedunt. Capilli capitis sunt ornamentum: barba virilis virtutis est indiciū. Itaque quasi ornatur iræ motus, quando aduersus propria vitia homo mouetur, secundum illud, *Irascimini & nolite peccare.* Ornatur etiam, quando in zelum Dei, contra legis contemptores discretè assumitur, secundum illud. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sūt verba tua inimici mei.* Verè ornatur, quādoquidem zelus iste à Domino multifariā sæpius remuneratur. Nam Phinees ob meritum huius, quam dicimus, iræ, qua fornicantes pugione confodit, æternum sacerdotium meruit; & Iehu filius Nāsi, ob zelum quo aduersus domum Achab exarsit, regnum Israël vsque ad quartam generationem ad posteros, Deo fauente, transmisit. Sic & motu sconcupiscibilis turpitudo quodam ornatu celatur, quando eo quis ad liberos tantū procreandos vtitur, vel quando ad necessariam tantùm corporis sustentationē, in cibi potusue perceptione admittitur. Hinc est, quod quidam sanctus coniugium Abrahæ virginitati beati Ioannis non dubitauit æquare, respiciēs nimirum ad obedientiam; qua in ipso opere coniugali diuinæ paruit voluntati, respiciens & ad honestatē intentionis in liberis procreandis, qua motus ille concupiscibilis, sine quo non redditur debitum coniugale, quasi præclaro quodam velamine tegebatur. Sed & motus rationalis sic ornatur, sic

4. Reg. 5.

Quid patri cælesti, quid carnali debeamus.

Obstinatio murus est vrbis Moab.

Psalm. 136.

In tentationibus quid cogitandum.

Isai. 15.

Securitas negligentiæ mater.

Psalm. 73.

Isai. 15.

Quādo motus iræ bonus fit.

Psalm. 4.

Psalm. 118.

Num. 25.

4. Reg. 10.

contra rationem non vtimur ratione. Nam contra leges rationis furta, latrocinia, adulteria, & cætera vitia perpetrantur: quæ tamen sine opere rationis non exercentur. Nam latro locum aptum insidijs, vel tempus ad id negotij opportunum, sine viuacitate rationis non prouidet. Sic adulter ex vi rationis astutiam mutuans, nocte cubiculum, mariti quoq; absentiam aucupatur, Itaque qui in vitijs ratione abutūtur: ipsum motum rationalem deturpant. At qui eam circa virtutes & scientiam salutarem semper exercet: pulcherrimo eam ornatu decorat. De Moab ergo, in quo corrupta sunt omnia, bene dicitur. *In cunctis capitibus eius caluitium*: quia motus illi, ex quorum corruptione vitia vniuersa procedunt, quibus bene vtitur sapiens, in his quibus naturalia dominantur incentiua, turpes & deformes, & omni virtute nudati & decaluati apparent. Bene etiam subditur. *Omnis barba radetur.* Porrò qui ipsis passionibus man⁹ dederit, & se seruituti tradiderit vitiorum; omni virtute spoliatus, imberbis, & quasi in fœminam resolutus agnoscitur. Videat charitas vestra, fratres. Multò facilius est ante lapsum vitia declinare: quàm datam eis semel manum eorum potestati subducere. Quòd si vinculo cōsuetudinis quis fuerit irretitus: in omnibus debilis & inermis, & quasi fœmineus inuenitur. Sequitur. *In triuijs eius accincti sunt sacco: super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum.* De Moabitis alij sunt in triuijs, alij in plateis, alij super tecta, Qui in triuio est, potest diuertere hac atque illac: ne ab omnibus videatur. Platea oculis omnium patet; nec aliquid potest in ea esse celatum. Moris est in terra Ierosolymitana, vbi tecta domorum non in sublime eriguntur, sed sternuntur in latum, vt qui voluerint populo aliquid denūtiare vel prædicare, super tecta conscendant. Itaque in triuijs Moab sunt, qui occultè peccant: in plateis, qui se manifestè sceleribus fœdant: super tecta, qui non solùm peccant, sed etiam peccata excusant & prædicant. Qui igitur occultè peccat: simplex ei sufficit cordis corporisque contritio, quæ per saccum non inconuenienter accipitur. At qui manifestè flagitia quæque committit: eget vlulatu, vt eius vera non lateat conuersio, cuius non latuit scelerum magnitudo. Porrò qui peccatum suum sicut Sodoma tumens superbiā prædicat; necesse est, vt descendat in fletum; vt sicut peccans in montem conscenderat elationis; ita humiliat⁹ ad vallem descendat plorationis. Præterea, quia triuium dicitur, vbi tres viæ conueniunt, potest per triuium appellari triplex modus peccandi, cogitationis, locutionis, operis. Sed & tripartita vis animæ, per quam fit omne peccatum, memoria scilicet, voluntas, & ratio, triuium potest non incongruè dici. Igitur qui triplici concupiscentiæ cedit: qui cogitatione, sermone, opereque delinquit: cuius etiam memoriam cogitatio fœdat, voluntatem delectatio maculat, rationem peccati consensus eneruat: iste in triuijs Moab misera sorte versatur. Saccus luctus indicium est. Iste est luctus, de quo Dominus in Euangelio, *Væ vobis*, inquit, *qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis vos.* Quia itaque in triuijs Moab lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, accingētur sacco, id est luctu miserabili contabescent. Per tecta etiam, si placet, intellige potentiam & excellentiā mundi; in plateis vero, in quibus ludi & spectacula exhibentur, libertatem peccādi. Eis itaque, qui in sæculi huius sublimitate gloriantur, vel nullo disciplinæ fræno cohibiti, præcipites in vitia feruntur, sanctus Isaias descensum, fletūque prophetat; vt scilicet pro potentia, qua se super cæteros, quasi super tecta positi extollūt, & nullo prohibente, quasi in plateis positi peccant; sciant cum vlulatu ad inferos se descēsuros, proijciendosque in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Quomodo autem ad hāc infelicitatem peruenerint, docet sermo propheticus. *Clamabit*, inquit, *Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum.* De his quæ præmissa sunt, duplicem posuimus sensum; primum secūdùm conuersorum pœnitentiam, alterum secūdùm impiorum perpetuam pœnam. Hunc ordinem & in hoc sensu seruemus. Hesebon interpretatur cogitationes, Eleale ascensio. Si igitur quæras, quomodo de triuijs ad vitæ simplicitatem, de tectis superbiæ ad humilitatem, de plateis propriæ voluntatis ad angustias peruenerint sanctæ necessitatis, induti sacco pœnitentiæ & doloris, emittentes vlulatum cōfessionis, & descendētes ad lacrymas contritionis, si, inquam, quæras qua via huc vsque processerint, dicit tibi sermo diuinus. *Clamauit Hesebon & Eleale.* Non cessant peruersæ cogitationes miseram animam diuersis tentationib⁹ fatigare, donec voluntas illiciatur ad actum, quod est vsque Iasa vocis suæ perduxisse clamorem. Discernendæ proinde sunt cogitationes nostræ, fratres carissimi, vt si peruersa suggesserint, statim obturata aure transeamus; si vtilia vel honesta, vsque ad actum ea, quæ suggesserint, prosequamur. Vtrobique autē onus animaduertatur: quia siue voluntariè puniēdo quæ commisimus, vel peruersis resistendo, vel optimis quibusque consentiendo, sine onere vel præmente, vel opprimente nō euadem⁹. Sed quia nos nec mala cauere, nec bona exercere nostris viribus possumus, rogemus Deum, vt ipse nobis & virtutem resistendi, & facultatem tribuat operandi: per dilectum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. AMEN.

Facilius est ante lapsum vitia declinare.

Isai. 15.

Qui in triuijs, plateis, vel super tecta peccent.

Luc. 6.

Isai. 15.

Cogitationes discernendæ.

SERMO VICESIMVS QVINTVS.

De eo quod scriptum est, *Super hoc expediti Moab*, &c.

ADhuc Fratres, onus Moab in manibus vertitur, in quo mystica quædam in vrbium, vel locorum nominibus exprimuntur. Diximus autem per Moab sapientiam sæcularem, vel ipsos certè mundi huius sapientes, qui Euangelicæ doctrinæ resistunt, propheticè figuratos. De quibus dicitur. *Clamabit Esebon, & Eleale: vsque Iasa audita est vox eorum.* Sequitur. *Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima ei⁹ vlulabit sibi.* Erat in cogitationibus sapientium clamor magnus, cum hinc arguerentur à manifesta per Euangeliū veritate: hinc superbiā tumidi aduersarentur diuinæ sapientiæ. Ex tunc huius certaminis fuit finis, quando alij volentes placere hominibus, cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos: alij humiliantes se sub potenti manu Dei, quantò fuerant ad credendum tardiores, & ad inquirēdum subtiliores, tantò facti sunt in ipsa fide & doctrina expeditiores. Isti sunt expediti Moab, vel quia se à reti-

Isai. 15.

se à retibus fallacis sapientiæ explicuerunt: vel quia expeditè per viam Euangelicam incesserũt. Isti super hoc quod priùs egerant vlulauerunt: non solùm vocis strepitu, sed etiam intimo cordis affectu. Per hoc quod dicit, *Super hoc expediti Moab vlulabunt*, exterior confessio; per hoc verò quod sequitur; *Anima ejus vlulabit sibi*, interior contritio exprimitur. Contigit autem, vt qui Moabiticæ sapientiæ renuntiãtes crucis sunt sequuti stultitiam, tantò fierent diuinæ scientiæ capaciores, quantò fuerant in humana perspicaciores. Vnde ex persona Domini Propheta subjungit. *Cor meum ad Moab clamabit*. Cor Dei sacræ Scripturæ secretus dicitur intellectus; quia in ipso voluntas eius, cõsiliorumque arcana mysteria reuelantur. Cor ergo Dei clamat ad Moab: quando mens illius, qui de philosophia mundi transit ad Deum, spiritualis scientiæ lumine copiosiùs illustratur. *Vectes eius vsque ad Segor vitulam conternantem* Vectes Moab dialectica argumenta intellige: quæ in conuersis sapientibus, Ecclesiæ, cui obstuerant, cœperunt prodesse. Vsque Segor enim vectes Moab peruenerunt: quãdo Philosophorum subtilia argumenta Ecclesiæ profuerunt. Ecclesia enim in eo statu, quo tunc fuerat, iure dicitur Segor, id est parua; de qua dicitur in canticis. *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ: quia parua est?* Parvula planè erat, quando nec fines Iudæorum excessit: & in ipsis parua, & contemptibilis latuit. Parua inquam erat; non merito, sed numero. Vnde sterili Annæ fœcunda Phenenna, id est Ecclesiæ insultat Sinagoga; donec sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios infirmata est. Pulchrè autem Segor, id est Ecclesia, vitula dicitur cõternans, id est tertium agens annum; vt primus annus sit ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia. Vel primus annus intelligatur sub Patriarchis, secundus sub Prophetis, tertius sub Apostolis. Sanè genus hoc animalis abundans est lactis, & maximè circa fætum affectionis. Nisi enim arte fallatur, nec ad vbera alienum fœtum admittit: nec lac emittere, nisi proprio præsente consueuit. Hæc Matri Ecclesiæ conuenienter aptantur: quæ lacte charitatis & doctrinæ suauioris exuberans, quos ipsa per lauacrum aquæ salutaris non regenerat, quasi alienos sacrosanctis mysterijs indignos existimat. Quæ & idcirco potest dici conternans: quia fide, spe, & charitate robusta, proficit in ætatem perfectam, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi. Cùm igitur vectes Moab ad Segor vsque peruenerint, id est cùm sapientes huius sæculi omnia sapientiæ suæ firmamenta & argumenta ad Ecclesiam contulerint: tunc fit, quod mox Propheta subjungit. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis levabunt*. Luith interpretatur genæ. In genis verò interioris hominis qualitas plerumque deprehenditur. Has quippe timor pallore, pudor rubore, dolor horrore, gaudium hilaritate, amor suauitate perfundit. Sunt autem duo quædam, secundùm quæ de humanæ mentis statu iudicamus; opus scilicet, & sermo. Nam ex abundantia cordis os loquitur; & secundum quod quisque diligit operatur. Ascendit igitur flens Moab per ascensum Luith: quando sapiens quilibet Ecclesiam intrans, compunctus pro peccatis præteritis, verbo simul & opere ad virtutum alta ascendit. *Et in via*, inquit, *Oronaim clamorem contritionis levabit*. Hæc est arcta illa via, quæ ducit ad vitam: foramen videlicet illud acus, per quod camelus animal gibbosum transire non potest. Quod bene foramen mœroris dicitur; quia quicumque angusto huic foramini se se contulerit, nihil dulcius quàm mœrere æstimabit. Mœret enim pro his quæ commisit illicitis; mœret pro his quæ in præsenti sentit aduersus; mœret pro his quæ timet inposterum malis, mœret pro his quæ in futurum desiderat bonis. In hac proinde via Oronaim positi mundi sapientes, clamorem levãt contritionis: scientes quod sacrificium Deo cor contritum & humiliatum Deus non spernit. *Aquæ enim Nemrim deserta erunt*. Interpretatur enim Nemrim pardus, siue prævaricatores. In pardis varietas, in varietate intelligitur impietas. Aquas igitur Nemrim Philosophiam accipe sæcularem: in qua est tanta sectarum sẽtẽtiarumque varietas, ut quod vna astruit, altera destruat; & quod ista probat, improbet illa; & quod altera optimum, altera pessimum arbitretur. In omnibus autem vna regnat impietas, commutantibus veritatem Dei in mendacium; & seruientibus, creaturæ potiùs quàm creatori. Sed in his qui conversi sunt ad Dominum, desertæ sunt aquæ Nemrim: quia doctrina Evangelica imbutis, quæ priùs fuerunt lucra, videntur propter Christum detrimẽta. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt*. Herbâ grex irrationabilis pascitur; quam, si forte aruerit, nec ipse tangere curat. Herbæ igitur nomine illa philosophorum scientia exprimitur qua imperitum vulgus alloqui, & docere consueuerant. Sed aruit fœnum, & cecidit flos; quia Dominus sufflauit in eum. Flante enim vbique Dei spiritu, & mortalium cordibus cœlestem inspirante doctrinam, adeo tota illa scientia aruit; vt nec rusticanam simplicitatem delectet. Arescente herba viror omnis deperijt: quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, statim emarcuit. Sequitur. *Secundum magnitudinem operis; & visitatio eorum*. Visitatio & secũdum pœnam, & secundum profectum dici potest. *Visitabo super eos*, inquit, *mala; & sagittas meas complebo in eis*. Et aliàs. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ*. Sed visitauit nos in salutari suo Deus: visitãsque nos Oriẽs ex alto, illuminauit eos, qui in tenebris sederunt, & vmbra mortis. Hic quod magis delectat, intellige. Si pœnam; secundum magnitudinem operis iniqui, sic visitatos intellige, vt peccatorum suorum receperint, aut interiori contritione, aut exteriori afflictione; dignam retributionem. Si verò profectum: quantum sibi videbantur magni in oculis suis & sublimes; tantum eos spiritu visitante humiles factos aduerte. Vel certè ita visitati sunt; vt secũdum mensuram qua mensi sunt, mundiali gloriæ abrenuntiando pro nomine Christi, metiretur eis abundantia gratiæ Christi. Sic ergo visitati, *ducentur ad torrentem salicum*. Hoc genus arboris talis fertur esse naturæ; vt semen eius potatum virtutem auferat generandi. Vnde non incongruè virtutem significat castitatis: vel illos, quos ob pudicitiæ suauitatem, spretâ liberorum propagine, in torrentibus spiritualibus habitare delectat. Igitur Moab, id est sapiens quisque, conuersus ad Dominum, ambulat de virtute in virtutem, de sui cognitione ad pœnitentiam, de pœnitẽtia ad humilitatem, de humilitate ad castitatẽ. Possunt etiam per salices homines steriles & infructuosi

[Marginalia: *Isai. 15.* — *Ibidem* — *Cant. 8.* — *1. Reg. 1.* — *Ecclesia lac charitas & doctrina cælestis.* — *Isai. 15.* — *Opus & sermo animi sunt indices.* — *Matth. 19* — *Varietas dogmatum Philosophorum.* — *Isai. 15.* — *Visitatio secundum pœnam, vel profectum.* — *Ose. 4.*]

Oo

accipi, qui in voluptatibus huius sæculi, quasi in torrẽtibus habitantes, ab omni fructu spirituali redduntur immunes, Ad quos post conuersionẽ suam, Oratores & Philosophi regendos & erudiendos, vel à magistris Ecclesiæ quibus adhæserant, vel à Spiritu sancto ducti sunt, vt fidem docerent, quam impugnauerant: doctrinamque astruerent, quam antè fuerant detestati. Possunt etiam per torrentes salicum tribulationes & passiones intelligi, quas cũ perditis hominibus ipsi etiam sustinuerũt, imitantes eum, qui de torrente in via bibit, & propterea exaltauit caput. Ostendens deinde propheta, quomodo ista omnia euenerint, *Quoniam*, inquit, *circuiuit clamor terminum Moab* Iste est clamor Apostolicæ prædicationis; pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, qui nullum sapientium huius sæculi latere poterat, quando in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Subiungitur. *Vsque ad Gallim* Isai. 15. *vlulatus ejus, & vsque ad Puteũ Elim clamor ejus.* Gallim interpretatur arenarum tumuli. Vlulatus itaq; Moab in his, qui pœnitentes, & conuersos ab errore suo, stulta pietate luxerunt, peruenit vsque ad tumulos arenarum; in quibus nihil firmum, nihil stabile; vtpote quæ omni vento facilè dissipantur. Et clamor eius in ipsis conuersis peruenit vsque ad Puteum Elim, quod interpretatur arietes; quia & illorum obduratio dissipationem, & istorum pœnitentia ex puteo arietum, id est doctrina Apostolorum meruit consolationem. Ait ergo. *Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad Puteum Elim clamor eius,* vt idem hominum genus in alijs sterili vlulatu, in alijs salubri clamore doceat esse compũctos. Habet enim hunc morem sacra scriptura, vt de eadem gente loquens, nunc de eadem optima, nunc pessima quæque pronunciet: sicut Apostolus de Iudæis scribens ad Romanos, ait *Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem carissimi propter patres.* Ipsos dixit inimicos & carissimos, quia in ipsa gente alij inimici inuenti sunt, Christum persequentes; alij carissimi, Christo fideliter adhærentes. Hanc loquendi regulã sæpius inuenies in Isaia: quam nisi diligenter aduertas, omnia tibi videbuntur confusa & dissidẽtia. Sic ergo cùm vno nomine, vel vna gẽte Moab, mundi huius sapientes intelligat figuratos; quorum alij reprobi, alij electi inuenti sunt: ita subtiliter tractat de singulis, vt nomine non mutato, de singulis quasi de vno contrarias sentẽtias videatur proferre. Quia igitur Moab in reprobis nihil profecit, vlulans & clamans aduersus sanam doctrinam, sed sicut arenarũ tumuli, vento vanitatis vel vniti sunt, vel dispersi; conuenienter dicitur de Moab, *Vsque ad Gallim vlulatus eius. Et vsque ad puteum Elim clamor ei⁹.* Sequitur. *Quia aqua Dibon repleta sunt sanguine.* Dibõ interpretatur fluens, illos significans, qui dicẽtes se esse sapientes, stulti facti sunt & in vana quæque, & turpia defluxerunt. Quorum aquæ, id est doctrina repleta est sanguine, illo nimirũ de quo Propheta se postulat liberari, dicens, *Libera me de sanguinibus Deus*; & de quo iste ipse Isaias, *Manus*, inquit, *eorum sanguine plenæ sunt* Eia fratres, quotquot Philosophi suæ sectæ associauerunt, tot impietatis gladio perculerunt; veloces enim pedes eorum ad effundendum sanguinem, quoniam linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. Sic igitur lætandum est. Nemo miretur, quod plurimi philosophorũ puteum Elim, arenarum tumulis prætulerunt, doctrinam scilicet Apostolicam sapientiæ sæculari, quia aquæ Dibõ repletæ sunt sanguine. Peruersa enim doctrna, non eorum, quos decipit, animos viuificat, sed mortificat: nec eas à sordibus mundat, sed peccati sanguine fœdat. Et addidit Propheta. *Ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonẽ, & reliquiis terræ* Isai. 15. Iã manifestè separat pretiosum à vili. *His*, inquit, *qui fugerint de Moab leonem*; id est ad eorum vtilitatem, ad eorum consolationem, ad eorum profectum, ponam super Dibon additamenta. Addam enim plagas plagis eorũ, dolores doloribus eorum, anxietatibus anxietates, timorib⁹ timores: quoniam & hic in fluxu suo, quod interpretatur Dibon, computrescent, & ad extremum pœnis perpetuis cruciandi ad inferna descendent. Et hoc proderit his qui fugerint de Moab, & fugiẽdo leonem euaserint, qui circuit quærens quẽ deuoret. Nec solùm illis, qui fugerint de Moab leonem, sed etiam reliquijs terræ, qui scilicet leonem fugerint, id est diabolum, terrena quæque vitia deserentes, & virtutibus studentes, eorum proderit pœna, qui inter perditos Moabitas perseuerantes, pro fluxu rerum temporalium accipient additamenta pœnarum. Potest legi & sic. *Ponam super Dibon additamenta.* Et quasi quæreres, quam diceret Dibon, exponens subiungit, *His qui fugerint de Moab.* Quoniam enim & Dibon sufficiens mœror interpretatur, illos significat, qui eo modo, quo superiùs diximus, flentes & moerentes fugerunt de Moab, infidelium societatem deserentes, & Christiano populo adhærentes. Super quorum angustiam, quam habuerunt in pœnitentia, posuit Dominus persecutionum additamenta: quia illis datum est, non solũ vt crederent in Christum, sed etiam vt paterentur pro Christo. Exponens quippe, quæ additamenta fuerat positurus, *Leonem*, inquit: persecutionem exprimens, quam leo ille rugiens fidelibus suscitauit, non solum de sapientia sæculari cõuersis, sed sicut superiùs diximus, reliquijs terræ. Quod si reliquijs terræ legendum est: sicut in Moab Gentes, ita & in reliquijs terræ, Iudæos intellige, de quibus Apostolus, *Reliquia*, inquit, *secundum electionem gratia salua facta sunt.* Tam enim Gentes quam Iudæos, qui fidẽ Christi susceperunt, hæc leonis persecutio fatigauit. Eia fratres, obscurissimum Prophetæ locum, propter propriorum nominum copiam, idcirco breuiter & continuatim, sicut potuimus, enodauimus, vt & faciliùs intelligeretur, & à memoria difficiliùs laberetur, & moralis expositio, quæ sequi debet, gratiùs audiretur: quam volo vos in crastinum differre, ne vel satiatos cibo, vel fatigatos labore videar onerare. Vestris autem orationib⁹ munitus, quicquid ille Spiritus, qui reuelat mysteria, suggesserit, ad vestram ædificationẽ cras in medium proferemus, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi, qui cum Patre & eodem Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Marginalia: *De eadem gente nunc bona nunc mala in Scriptura pronunciantur.* Rom. 11. — Psalm. 50. — Isai. 1. — Philip. 1. — Rom. 11.

SERMO VICESIMVS SEXTVS

De eodem capitulo moraliter exposito.

ADestote nunc Fratres Carissimi: & vt intentè audiatis, & vt mente oretis; quatenus ea quæ hesterno die secundum propheticam expla-

nationem percurrimus, tropologicè ad morum ædificationẽ exponere valeam⁹. Profunda quippe sunt nimis, & propriorum nominum obtecta velamine, & idcirco vterque, tam auditor quàm expositor, non parua egent intentione. Satis meminit charitas vestra, per quod Moab, qui interpretatur de patre, secũdum legem moralẽ diximus figurari ea vitia, quæ ex carnali generatione de patre procedunt in filium: sicut sunt incentiva libidinum, & iræ stimuli, & cætera huiusmodi. Sed & eos qui ipsa vitia deserentes aduersus ea spiritualem iniere conflictum; quamdiu hujusmodi tentationibus fatigãtur, secundum aliquid Moab possumus appellare. Quorum alij, qui minùs expediti sunt, superantur: in quibus impletur quod ait, *Clamabit Esebon, & Eleale*, & cætera: alij quia expediti concertant, clamant ad Dominum cùm tribulantur: & de necessitatibus eorum eripit eos; de quibus subiungit. *Super hoc expediti Moab vlulabunt: anima ejus vlulabit sibi*. Dicẽdum primò videtur, qui sint expediti Moab. Occurrit hic Patriarchæ nostri Abrahæ opus memorabile, quo numeratis trecentis decem & octo vernaculis expeditis, hostem inuasit, fugauit, prostrauit; omnem insuper, quam de Sodomis tulerant, prædam potenter eripuit. In quo ferè numero scitis quia Gedeon Madianitarum fudit exercitum, lumine lampadarum, & tubarum sono perterritum. Quos ego similiter dixerim expeditos: omnibus nimirum, quos aliquod impedimentum inhabiles bello reddiderat, non minùs prudenter, quàm audacter exclusis. Nam timor pauidos, & amor fecerat dissolutos: quos cupiditas eneruauerat, vel absorbuerat voluptas, diuino edoctus oraculo dux sagacissimus iusserat à bello discedere. Mox quidam prostrati toto ore aquas hauriunt: quidam paululum inclinati necessitati consulunt, supersedent superfluitati. Videtis igitur, quòd non solùm vitia, sed & superflua quæque impedimento sunt proficientibus, pugnantibus oneri. Multi igitur, qui naturalibus incentiuis illecti in turpia quæque prolapsi sunt, in ipsis in quibus peccauerunt diuitijs & delitijs, mundi quoque occupationib⁹, & pœnitere pro præteritis, & continere à futuris proponunt, & quandam morum conuersionem arripiunt: sed ad hoc ne modico quidem tempore sufficiunt. Non enim sunt expediti Moab. Tamdiu enim in illis clamat Esebon, id est iniqua cogitatio, & Eleale, id est mentis elatio, donec vsque ad Iasa vox eorum audiatur; & cogitationem pessimam opus pessimum consequatur. Volens proinde dux noster ad bellũ hoc spirituale suos milites reddere expeditos, *Qui non*, inquit, *renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest esse me⁹ discipulus*. Et iterum. *Qui non odit patrem, aut matrem, & vxorem, & filios; adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus*. Itaque expediti Moab illi dicuntur, qui vt vitijs Moabiticis, in quibus deciderant, securiùs possint resistere, ab omnibus mundi huius negotijs & diuitijs, ab omnibus affectibus, & proprijs suis volũtatibus sese expediunt, & nudum Christum nudi sequuntur. Hi cùm se senserint aut naturalibus incentiuis, aut dæmonum suggestionibus, aut certè proprijs cogitationibus infestari; vehementem cordis vlulatum, & miserabilem vocis ejulatum cum lacrymis, & suspirijs emittunt ad Dominum, dicentes cum Propheta *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei*. Hoc ipsum est, quod Isaias. *Super hoc expediti Moab vlulabunt*. Quod verò sequitur. *Anima ejus vlulabit sibi*, occultam cordis exprimit contritionem; quæ oculos hominum respuit, diuinum aspectum requirit. Sequitur. *Cor meum ad Moab vlulabit*. Gratias tibi IESV bone, verè miserationes tuæ super omnia opera tua. Si ibi intus, vbi Deus videt, ad Deum cor hominis cõvertitur, & conteritur, mox cor Dei ad ipsum cõvertitur. Per cor Dei affectus pietatis & compassionis eius exprimitur. *Cor meum ad Moab clamabit*. Moab vlulat in pœnitentia; Christus clamat in misericordia. Moab vlulat timendo; Christus clamat miserando. Moab vlulat confitendo; Christus clamat remittendo. Moab videns ventum validum venientem timet, & vlulat: Christus manum porrigens, & clamans, titubantem & trepidantem increpat, *Modicæ fidei quare dubitasti*. Respondet itaque clamor vlulatui, affectus affectui; respondet misericordia misero, medicus ægroto, laboranti & dolenti compassio. Verè Domine, *Secũdùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Clamas Domine, clamas ibi intrò in anima mea, quando desperatum in spem erigis; quando timenti, & trementi mira pietate, & suauitate blandiris; quando animo jam se corporeis caloribus inclinanti rorem refrigerij salutis infundis; quando mentem aduersus iram, odia, & cætera huiusmodi laborantem interiori quadam tranquillitate componis. Sic quoties in his & pro his anima mea vlulat sibi: toties cor Dei mei clamat, cõpatiendo mihi. Sic, mi IESV, Lazarum suscitaturus, voce magna clamasti; magno clamore magnum tuæ pietatis exprimens affectum. O Domine, quamdiu aduersum me ista rum passionum, & tentationũ molestia desæuiet? Quamdiu Moab, quem in ipso conuersionis initio me euasisse putaueram, rediuiua contra me bella restaurabit? Audi quod sequitur. *Vectes ejus vsque ad segor vitulam conternantem*. Segor interpretatur, paruus; humilitatem vtique significãs, quæ de diuite pauperem, de magno paruum, de superbo facit humilem. Quæ congruè vitula dicitur, quod genus animalis lactis abundat; quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Dicitur autem vitula conternans, id est tertium agens annũ; quæ ætas in bob⁹ & apta jugo, & ad fœtum habilis inuenitur. Possunt etiã per vitulam cõternantem tres gradus, quibus humilitas pfecta cognoscitur, exprimi, quę in tripli ci cõtemptu cõsistit. Primum igitur est, vt homo seipsum contemnat, subdens se maiori secundũ Deum. Deinde addat nullum contemnere, nullum se inferiorem æstimare; & ita subditus sit omni creaturæ propter Deum. Postea ab omnibus se contemni, vel libenter, vel certè patienter sustineat, & solum suspiret ad Deum. In his tribus consistit humilitas: ad quam quicumque Dei miseratione fuerit prouectus, ita omnia ei tranquilla erunt atque pacata, vt non sit in carne, quod repugnet Spiritui; nec in Spiritu, quod Dei obviet voluntati. Certi proinde estote, fratres carissimi, quia quoties nos concupiscentia carnis vrget ad vitia, aut superbia occulta arguitur, aut manifesta confunditur: aut, ne pro virtutis cuiuslibet conscientia nefandum erigat caput, præcedentis titillatione vitij deprimitur. Quocirca quicumque à carnalium passionum dominatu cupiunt liberari, circa humilitatis ac-

Quæ vitia per Moab figurentur. — *Isai. 16.* — *Genes. 14.* — *Iudic. 7.* — *Luc. 14.* — *Ibidem* — *Expediti Moab qui.* — *Psalm. 37.* — *Matth. 14.* — *Psalm. 93.* — *Ioann. 11.* — *Iacob. 4.* — *Tres gradus humilitatis.*

quisitionem, vel conservationem, summum studium, & laborem impendant: in cuius perfectione, & castitatis, & tranquillitatis perfectio tota consistit. Vectes quippe Moab, id est robur carnalium passionum, vsque ad Segor vitulam conternantem perueniunt: quia vbi humilitas perfecta fuerit, tota illius vis fervorque tepescit. Vt sciamus autem, quia ad hanc valeamus conscendere perfectionem, audiamus quid Propheta subiungat. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* (Isai. 15.) Luith interpretatur genæ, Oronaim foramen mœroris. Nonne lacrymæ viduæ, ait Scriptura, ad maxillam descendunt: (Eccli. 35.) & Dominus Deus non delectabitur in illis? Per genas quippe lacrymæ descendunt: sed ipsarum vis, & causa, pro qua funduntur, secreta, ad cælum conscendunt. Recogitans igitur homo pristinos annos suos inamaritudine animæ suæ, in lacrymas sæpe resoluitur: lauansque per singulas noctes lectum suum, & stratum lacrymis rigans, dicit cum Propheta. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* (Psalm. 118.) Ita per Luith, idest genarũ lacrymas flens ascendit: donec ad foramen mœroris, idest Oronaim perueniens, clamorem lenit contritionis. Eia fratres, non perfunctoriè transeundum est, quod ait, *in via Oronaim.* Est via quippe, quæ ducit ad Oronaim; idest, foramen mœroris. Quale hoc foramen? quis vidit? Quis cognouit? Quis expertus est? Habet mœror salutaris ostium suum, habet fenestram, habet & foramen. Per ostium frequens est in quamlibet domum ingressus: per fenestram patens est aspectus: foramen nihil corpulentum admittit, luci soli, & aëri peruium: præbens oculo explorandi libertatem, sed perscrutandi adimens facultatem. Per ostium igitur fidem, spem per fenestram, per foramen intellige speciem. Per fidem secreta Dei rimamur; per spem odoramur; per speciem tangimus. Fides docet omnia; spes promittit futura; species exhibet promissa. Est enim triplex mœror: primus timoris, secundus consolationis, tertius desiderij, & delectationis. (*Triplex mœror.*) Cùm enim fides sine operibus mortua, fides nõ sit; tunc iteratò homo transit ad fidem, quando salubri mœrore compunctus, de pessima vita ad morum transit emendationem. Primùm mœret homo, vt remissionem peccatorum consequi mereatur: deinde mœret, vt in spe diuinæ promissionis consoletur, & sic in hac via vocem tenet contritionis; vt mœrẽti foramen ei, per quod quasi per speculum appareat ipsa species, aperiatur. O mœror dulcis & desiderabilis! per quem mortuus suscitatur, infirmus sanatur, illuminatur cœcus, cœli ianua aperitur. Non sic hypocritarum mœror, de quo Propheta. *Aqua enim Nemrim desertæ erunt.* (Isai. 15. *Pardus hypocritas designat.*) Nemrim pardus interpretatur. Est autem pardus animal maculosum & varium: quod vitæ, & moribus congruit hypocritarum, qui foris candidi, intùs sunt obscuri; in quibus lucet pudicitia, fœtet luxuria; qui foris gloriantur in humilitate, intus pascuntur vanitate: in quorum mente cupiditas, in quorum veste vilitas: in quorum verbis veritas, in quorum vita impuritas. Exitus aquarum deducunt oculi eorum: sed aquæ istæ desertæ erunt, quando veniens ille, qui illuminabit tenebrarum abscondita, & manifestabit consilia cordium, lacrymas steriles & infructuosas, ob hominum oculos tantùm extortas, omni gratia & remuneratione ostendet esse priuatas. *Quia aruit herba, defecit germen, omnis viror interijt.* (Isai. 15. *Quid herba, germen, & viror designent.*) Quasi herba initium bonæ conuersationis; quasi germen fructus boni operis: quasi viror puritas bonæ intẽtionis. Sed in hypocritis aruit herba, quando bonæ cõuersationis principiũ vanitate corrumpitur: deficit germen, quando in laudabili opere non perseueratur: omnis viror interijt, quando intentionis puritas arridente cupiditate deseritur. Sequitur. *Secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum.* Visitatio hæc in bono accipienda est: quia scilicet corda sanctorum præsentiâ suâ sanctâ lætificans, vnicuique copiam sui, sicut quisque meretur, iustâ æquitate largitur. Ideo secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum. *Ad torrentem salicum deducet eos;* (Isai. 15.) Moabitas scilicet, qui de vitijs ad virtutes transeunt; & locum, vt virtutes ipsas exerceant, auidissimè quærunt. Hi ergo ad torrentes salicum ducẽtur. Torrentes salicum diuersi ordines sunt sæculo abrenuntiantium. Qui torrentes dicuntur, vel propter lacrymarum inundationem, vel propter tentationum violentiam. Talis erat torrens, de quo bibit Elias; quando deferebant ei corui panem & carnes mane, & panem, & carnes vespere. (3. Reg. 17.) Dicitur autem torrens Carith, quod interpretatur calvus. Quoniam capilli corpori superfluunt, calui sunt qui superfluis renuntiant, necessariorum vsu contenti. Isti sunt expediti Moab: quorum vnus fuit Helisæus, cui pueri insultantes, *Ascende,* inquiunt, *calue, ascende calue.* (4. Reg. 2.) Isti in via bibunt de torrente, donec fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei; & dedicet domum suam altissimus. Non enim continuè fluit torrens: sed tunc cùm fortè austro flante glacies soluitur, aut pluviâ vbertim descendente aquis valles implẽtur. Talis est in præsenti hæc visitatio, qua nos Deus aqua sapientiæ salutari perfundit, nunc flante spiritu soluens nostram suaui compunctione duritiam; nunc humiles quosque scientia spirituali quasi aquis cœlestibus rigans. In hujusmodi torrentibus salices crescunt; hi videlicet qui spretâ carnalium propagine liberorum, absciderunt se propter regnum cœlorum: habentes in domo Dei nomen melius à filijs, & filiabus. Hæc est castitas, & munditiæ virtus gratissima, ad quã post molestias corporis, post innumeras tentationes libidinis, post crebra incendia carnis, post periculosas suggestiones immundissimi dæmonis, per ascensum Luih, & viam Oronaim, anima sancta Spiritu sancto docente, & comitantibus Angelis, peruenire meretur. *Quoniam circuiuit clamor terminum Moab.* Hic est clamor, de quo superiùs ait; *Cor meum ad Moab clamabit.* (Isa. 15.) Clamor iste circuit terminum Moab: quia vox Dei loquentis in nobis fines vitiorum discutit; & ipsorum nobis horrorem infundit. Quàm sæpè fratres, hunc eius clamorem aure cordis audiui! cum circumstrepente vndique tumultu vitiorum, ipse singulis obviaret, & illis narrantibus delectationes, eorum clamorem suo clamore compesceret; terminum, id est finem huiuscemodi delectationis obijciens, & turpitudinem pandens; & spiritualium delectationum dulcedinem menti captiuæ proponens. Sed jam quis vtriusque clamoris finis, audiamus. *Vsque ad Gallim vlulatus ejus: & vsque ad puteum Elim clamor eius.* Si placet, reddantur singula singulis; vt intelligatur vlulatus Moab, hoc

est vitiorum, de quo superiùs dixerat, *Super Nabo, & super Medeba Moab vlulabit* : clamor autem ille, de quo præmiserat, *Cor meum ad Moab clamabit.* Sed vlulatus ille ad tumulos peruenit arenarum, quod interpretatur Gallim; & clamor iste ad Elim, quod interpretatur puteus arietum. Quasi arenæ cogitationes vagæ sunt & instabiles; quæ in vnum, hoc vlulatu quasi flante vento coactæ, vitiorum tumulos faciunt. Porrò arietum puteus profunditas est scripturarum; quæ per arietes, Prophetas scilicet, & Apostolos, ministratæ sunt: quarum, Domino nobis in cordibus nostris clamante, secreta reserantur. Itaque fratres, quãtum nos aut exterior persecutio, aut interior perturbatio contristat; tantum nos ex sacris litteris cõsolatio diuina lætificat. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Dico vobis fratres, nihil potest aduersi contingere; nihil tam triste, vel amarum emergere : quod non mox vt nos pagina sacra excepit, aut euanescat citiùs, aut faciliùs toleretur. Hic est ager, in quem S. Isaac inclinata jam die pergit ad meditandum, vbi occurrens ei Rebecca, illum qui acciderat, sua lenit suauitate dolorem. Quoties, mi IESV bone, dies vergit in vesperam; quoties paruæ alicui consolationi, quasi diurnæ luci, intolerabilis dolor velut nocturna caligo succedit; vertuntur in fastidium omnia : oneri sunt cuncta quæ video. Si quis loquitur, vix audio; si quis pulsat, vix sentio; in modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? Exeo certè ad meditandum in agro; sacrum reuoluo codicem, meditationes meas ceris imprimo; cùm mihi subito occurrens Rebecca, tua scilicet gratia, IESV bone, sua luce tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit. Mox suspirijs succedunt lacrymæ, lacrymas cœleste gaudium comitatur. Infelices, quos cùm tristia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediantur, vt gaudeant. Scitis fratres, cùm triste aliquid acciderit mundi amatoribus, aut in vanis, aut in noxijs, consolationes requirunt; vt meritò de talib⁹ Propheta subjungat. *Quoniam aquæ Dibon repletæ sunt sanguine.* Aquæ Dibon, quæ interpretatur fluxus eorum, lacrymas significãt illorum; qui pro fluxu temporalium aut rident, si habeantur; aut plorant, si amittantur. Ideoque aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Quia sicut hi, qui pro temporalibus rident, malo suo rident; ita & qui pro temporalibus plorant, malo suo plorant. Nihil enim purgationis afferunt huiusmodi lacrymæ : sed insuper eos peccati fœdant sanguine. Ideo sequitur. *Ponam super Dibon additamenta.* Addit quippe Dominus dolores doloribus eorum, vt de lacrymis ad lacrymas transeant : ingrediantur que terram tribus vijs, & duplici contritione conterantur. Quoniam misera sors eorum, qui nati de muliere breui viuunt tempore; & hic replentur multis miserijs, & post hanc vitam pœnis tradentur perpetuis. Felices econtrà, qui in huius mundi laboribus in verbi Dei visitatione & lumine consolantur : & transeuntes è mundo æternis gaudijs perfruuntur. Quocirca & his quoque ponet additamenta, qui fugerint de Moab leonem; qui fugientes vitia ipsum incentorem vitiorum pariter euaserunt. Sed & reliquijs terræ ponet additamenta. Notantur hic tria hominum genera; vnum eorum, qui se totos vitijs, & sæculo dederunt : alterum eorum, qui sæculo abrenuntiantes, Christi iugum suscipiũt; tertium eorum, qui in sæculo criminibus abstinent; operibus tamen terrenis incumbunt. Primum per Dibon, secundum per eos qui fugerunt de Moab, tertium per reliquos terræ, vel reliquias, figurantur. Quibus omnibus ponet Dominus additamenta. Nam reprobis pro peccatis temporales in hac vita dolores, & post hanc vitam æternos animæ, & corporis retribuet cruciatus. Abrenũtiantibus verò huic mundo, quæ additamenta cõgeminet, Euangelica probat historia, dicente Domino. *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem,* & cætera, *propter me : centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Porrò hi qui plumbum, ferrum, stannumque vitantes, ædificant super fidei Catholicæ fundamentum lignum, fœnum, stipulam : suscipient de manu Dñi duplicia pro omnibus peccatis suis. Nam hi, qui multis incõmoditatibus cõteruntur, & ad vltimum excepti ignibus detrimentum patientur : ipsi autem salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quibus omnibus cõgruit nomen Moab; quia primi Moabiticis vitijs absorbentur: in alijs vitia Moabitica aut penitus destruũtur, aut magnificè comprimuntur : reliqui enim numquam ipsis vitijs fœdantur, semper autem fatigantur. Vbique animaduertitur onus Moab: qui in alijs premitur, in alijs ptemit, in alijs opprimit. Sed jam huic sermoni terminum demus : obsecrantes misericordiam Dei nostri, vt Moabiticis expiatos, suæ volũtati nos reddat acceptos. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Isai. 15. — *Arenæ sunt cogitationes instabiles.* — Rom. 15. — Gene. 24. — Isai. 15. — *Nec ridendum, nec plorandum pro temporalib⁹.* — Matth. 19.

SERMO VICESIMVS SEPTIMVS.

De eo quod ait. *Emitte agnum Domine,* &c.

DEVS *ab austro veniet & sanctus de monte vmbroso & condenso.* Ecce fratres carissimi, Dominus noster IESVS ex condensissima allegoricorum verborum silua, in cuius opaca densitate hactenus latuit, subitò manifestus erũpit, dicente Propheta. *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Vere dilectus meus stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciẽs per cancellos. Quis nesciat Dominum IESVM in scripturis esse quærendum, qui ipsum dicentem audit in Euangelio, *Scrutamini scripturas,* & cætera? Sed inter nos & ipsum, quasi quidã paries est ipsius scripturæ obscuritas, verborum ænigmata, & figuræ historiarum. Verum spirituales illi artifices, qui hunc nobis parietem condiderunt, fenestris illũ ac cancellis variarunt, per quos plerumque dilectus ille suis se præbet amatoribus intuendum, vt nemo ambigat ipsum esse vbique in his, quæ latent, quẽ sic manifestè exhibẽt ea, quæ patẽt. Ait ergo, *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ.* Diximus in exordio, aliquãdo narrãdo, aliquãdo iubendo, aliquando etiam orãdo, Prophetas locutos fuisse. Cernens ergo Propheta in spiritu, etiam mundi sapientes crucis esse virtuti subdendos, per stultitiam quoque prædicationis credẽtes esse saluandos, perdendam nihilominus sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobandam; & cætera, quæ in hoc onere præmissa sunt; æstuat desiderio, causatur moram, jãiamque Christum optat adesse, implere promissa, exhibere prænuntiata; conuersusque ad

Habac. 3. — Isai. 16. — Ioann. 5. — *Scripturæ obscuritas paries est inter nos & Deum.* — Isai. 16.

patrem, filij sui aduentum ardenti exigit affectu,
Isai. 16. *Emitte*, inquiens, *agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Iste est agnus, qui per Ieremiam loquitur dicens. *Et ego*
Ierem. 11. *tanquam agnus innocēs, qui portatur ad victimam.*
Isai. 53. De quo & iste idem Isaias. *Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente se obmutescet.* Quem, Spiritu sancto reuelāte, Sanctus Baptista cognoscēs, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei.*
Ioan. 1. De quo & Dauid cecinit dicens, *Dominabitur à mari vsque ad mare & à flumine vsque ad terminos*
Psalm. 71. *orbis terrarum. De petra deserti ad montē filiæ Sion.* Petram deserti, vt æstimo, spelūcam illam appellat, quæ in locis desertis natura, vel arte excisa in
Genes. 19. petra, Loth excepit de Sodomis fugientem. De hac petra deserti, cum magna admiratione agnū
Christus ex Moab ortus dicit processurum, quia in ea generatus est Moab, de cuius genere natus est Christus. Emittitur autem de petra deserti ad montē filiæ Sion, quia nat⁹ de Virgine in Bethleem, Ierusalem (in qua est mons Sion ad literam, vel mons, id est excellētia, & gloria filiæ Sion, id est Synagogæ, quæ in templi nobilitate intelligenda sunt) sua præsentia visitauit. Allegoricè petra deserti dicitur Synagoga, quæ educta de Ægypto, & quadraginta annis eremi habitatrix effecta, bibebat de spirituali cōsequente eos petra: quæ idcirco petra deserti dicitur, quia tanti temporis exilio multis in infidelitate pereuntibus, in perfectioribus fidei firmitatem seruauit. Ex hac fuere Apostoli, qui agnum illum, qui abstulit peccata mundi, vt dominaretur vniuerso mundo, prædicatione sua ad Gentium populos transtulerunt, vt de Synagoga nasceretur Ecclesia, quasi filia Sion, cuius mōs est altitudo fidei, sublimitas spei, via super excellentior charitatis. Vnde Dominus in Euāgelio,
Luc. 24. *Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymis.* Vel certè tunc emissus est agn⁹ dominator terræ, de petra deserti ad montē filiæ Sion, quando Christus ab vmbra legis, ad veritatem transiuit Euangelij: quando de petra deserti, de qua bibebant filij Israël, sacramentum nostræ redemptionis, ad veritatem sui Sacrosancti corporis & sanguinis transtulit: quando amoto velamine literæ, spiritualis intelligentiæ, noui testamenti præconibus, reseraiuit arcanum. *Et erit*, Quid? Cùm emissus fuerit agnus dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion, *Si-*
Isai. 16. *cut auis fugiens, & pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Filias Moab carnales & infirmas intellige animas, Moabiticis erroribus deceptas. Arnon interpretatur illuminatio eorum. *Habitabunt apud te profugi mei Moab.* Hoc in loco per Moab sapientes intellige, quos superiùs dixim⁹ tanto in diuinis fuisse prudentiores, quanto in sapientia illa mundiali fuerant perspicaciores. Iste est Moab, cuius vectes peruenerunt vsque ad Segor vitulam conternā-
Sancti seculares sciētias ad Ecclesiæ profectum transtulerūt tem. Talis fuit beatissimus martyr Cyprianus, talis Ambrosius, talis Augustinus, atque Hieronymus; qui totum, quod de scientia hauserant sæculari, ad firmamentum profectumque Ecclesiæ transtulerunt. Tales nimirum efficaciùs hæreticos debellabant, tales infirmos quoslibet ab infestatione pseudoapostolorū sua doctrina protegebant, sub quorum cura, quasi sub maternis alis, ne à dæmonibus seducerentur & raperētur, securiùs latitabant. Hunc Moab, id est tales mūdi huius sapientes Christus alloquitur, *Habitabunt*, inquiens, *apud te profugi mei Moab; esto latibulum eorum à facie vastatorum.* *Isai. 16.* Profugos suos illos appellat, quos à Zabulo quondam seductos & abductos, deuicto hoste, victoris iterum iure receperat; quos nimirum Zabulus ipse sibi dolēs *Diabolus d[…] ctus Zabul[…]* ereptos, suscitauit hæreticos, commouit philosophos, falsa dogmata seuit, vt sic simplices quosque decipiens, eorum perditione, illati dispendij solaretur iniuriam. Sed donec trāsiret iniquitas, & manifestaretur veritas, in fide perfectorum imperfecti pendebant, & à facie talium vastatorum sapienter simplicibus doctrinæ & prouidentiæ latibulum salutare præstabant. Ait ergo. *Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatorum,* Quod ne Zabuli potentiam & astutiam cōsideranti videretur difficile, protinus subiungit. *Finitus est enim puluis, consummatus est miser.* Doctrina diaboli puluери comparatur, quæ tunc quodammodo finem accipit, quando coruscante Euangelio salutarem doctrinam mundus suscepit. Eleganter Propheta diabolum miserum vocat, cui in futurum præparata est in æterno igne damnatio, cuius iniquū pectus cassa nunc vrget solicitudo, qui semper laborans & nihil proficiens, qui electorum animas semper sitiens, & nullum eorum perpetuò sibi subdere valens, tanto miserior ab omnibus iudicatur, quanto à terrenis & mortalibus, spiritus cœlestis & immortalis superatur. Verè miser, quia ab Angelis premitur, cui ab hominibus illuditur, quique à perfectis contemnitur; vincitur ab infirmis. Ait ergo. *Finitus est puluis, cōsumptus est miser.* Vnde & subditur, *Defecit, qui conculcabat terram.* Agamus gratias fratres carissimi agno illi, qui emissus de petra deserti ad montem filiæ Sion, terram, ab initio, scilicet à Zabulo conculcatam, tyrannidi eius eripuit, imò ipsum qui conculcauerat, eius, quam conculcauerat, pedibus prostrauit, dans ei virtutem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem potestatem inimici. Vnde ad credentes loquitur Apostolus. *Deus cōteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* *Rom. 16.* Terra quippe dicitur omnium sanctorum sancta societas: terra profectò fertilis & fœcunda, afferens fructum aliquando tricesimum, aliquando sexagesimum, nonnumquam & centesimum. Hanc nimirum vsque ad Saluatoris adventum antiqu⁹ hostis malitiæ suæ pedibus conculcabat, ob primæ præuaricationis reatum, etiam in electos jus iniquæ damnationis exercens: donec chirographum cui innitebatur excedens, illum, qui nulla ei cautione peccati tenebatur, impias manus injiceret: addicens eum morti, in quo nulla causa mortis poterat inueniri. Vnde non immeritò chirographi pactique transgressor, quia vsurpauit indebitum, & debitum pariter, dictante iustitia, sententiam, auarus nimis & injustus exactor, amisit. Idcirco defecit, qui conculcabat terram. Deus quippe delēs chirographum, quod *Christus delevit peccati chirographū* erat contrarium nobis, affigensq; illud cruci suæ, traduxit principatus & potestates, palam triumphans eos in semetipso. *Colos. 2.* Sic hoste deuicto captiuam duxit captiuitatem, accipiens dona in hominibus. *Propter quod exaltauit illum Deus; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* &c. *Philip. 2.* Exinde jam cœpit impleri, quod Propheta subjungit. *Et præparabitur in misericordia solium: & sedebit super illud in veritate, in tabernaculo Da-* *Isai. 14.*

vid, iudicans & quærens iudicium: & velociter reddens quod iustum est. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Accedamus fratres, cum fiducia ad solium misericordiæ, quod interiùs præparauit in tabernaculo Dauid, id est in Ecclesia: quia nunc tempus miserẽdi, quod profectò sequetur tempus iudicandi. Sed quia hæc latiùs tractanda sunt, cùm hæc ipsa, quæ hodie dicta sunt, moraliter cœperint pro modulo nostro latiùs explicari; demus iam & huic sermoni terminum: & die crastina, si Deus voluerit, hoc ipso capitulo repetito, quod ipse suggesserit proferemus in medium, ad laudem & præconium Domini nostri IESV CHRISTI: cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum. AMEN.

SERMO VISECIMVS OCTAVVS.

De eodem Capitulo moraliter exposito.

MANIFESTA de Domino prophetia nec allegoricis inuolucris obuoluenda, nec tropologicis est extenuanda figuris: cùm nihil magis fidem nutriat, vel mores ædificet, quã vt ea, quæ cernimus euidẽter impleta, à sanctis Prophetis legamus tantò antè prædicta. Quid enim manifestius, quàm agnum, quem à Propheta legimus esse venturum, in Evangelio audiamus à beato Baptista monstratum: illo dicente, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ:* & isto clamãte, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* De quo alias idem Baptista. *Qui habet*, inquit, *sponsam, sponsus est.* Quæ sponsa hæc? Illa nimirum, quam pater in psalmo alloquitur, dicens. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Illa itaque est, quæ nunc habens patrem Deum, primo habuit patrem diabolum, quæ dicebat lapidi, *Pater meus es tu*, & ligno, *Tu me genuisti.* Ecclesia est hæc de gentibus congregata, quæ primo Moab, id est de patre diabolo genita, transiuit in adoptionem filiorum Dei. Cuius filiæ Sion, omnes animæ Christianæ, & ipse secundùm naturã filiæ Moab, ex gratia filiæ Dei. Verùm quia moraliter per Moab naturalem, quam ex patre contrahimus, corruptionem diximus figurari; congruè illas animas filias esse dicimus Moab, quæ vel carnalibus vitijs implicantur; vel eorum suggestionibus, desiderijsque fatigantur. De his ergo dicitur, *Sicut auis fugiens, & pulli de nido volãtes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Arnon interpretatur illuminatio eorum. Vt igitur filię Moab agno illi, qui emissus est de petra deserti, & peccata abstulit mundi, salutaribus nuptijs copulentur; necesse est de inferioribus ad superiora conscendant, & relictis erroribus, & ignorantiæ tenebris, salutari lumine perfundantur, dicantque cum Propheta, *Signatum est super nos lumen vult⁹ tui, Domine.* Sic autem ascendẽtes aui fugienti, pullisq; de nido volãtibus cõparantur: quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Hæc est fuga, quam nobis Ieremias Propheta suadet: *Fugite*, inquiens, *de medio Babylonis.* Sed sunt diuersa genera auium, quarum sicut natura diuersa est, ita earum multitudinem, secundùm diuersam motum vel naturæ qualitatem, animæ sortiuntur. Vnde sancta quædam anima tenebrarum, quas patiebatur, impatiens, cùm præmisisset, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ;* fugam meditata, *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Ipse idem nunc pellicano, nunc nycticoraci, nunc passeri, nunc aquilæ cõparatur. Animaduertat charitas vestra. Evenit plerumque, vt in multitudine constitutus, vitijs peccatorum vndique circumseptus, virtutũ concipiat affectum, & desideret effectum. Conatur ascendere, sed premitur consuetudine; erigitur spiritus nouitate, sed trahitur peccati vicinitate; in virtutum serenitate delectatur; sed exemplo malorum illectus, quasi inuitus cogitur repetere quod detestatur. Hinc dolor si ceciderit, timor si restiterit, tremor ne in his pereat, desiderium vt fugiat. Versantur tenebræ in conscientia, in corde tristitia, angustia in cogitatione. Ita loquens in amaritudine animæ suæ. *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescã?* Et subiungit, dicens. *Ecce elongaui fugiens.* Acceperat quod petierat ista quondam filia Moab, & instar auis volans, & publicum fugiens, materiasque peccatorum declinans, solitudinis secreta delegit, in qua mortificans membra sua, quæ sũt super terrã, similis fit pellicano solitudinis. Pellicanus pallidi fertur esse coloris, qui pullos, mox vt excluserit, rostro occidit, rursumque gemitu miserabili, & sanguinis sui effusione resuscitat. Felix anima, quæ mutuans sibi alas columbæ, ad solitudinis secreta volauit: in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, opera sua priora, quasi proprios pullos interficit; deinde in nouã vitã dolore ac sudore, quasi sanguinis effusione, gemitibusque inenarrabilibus, ac salutari compunctione viuificat. Deinde cibos sibi cælestes mutuans scripturarum, nycticorax efficitur spiritualis: in nocte æquè & in die, in aduersis scilicet & in prosperis, in lætis & in tristibus, in tentationibus & consolationibus, exultãs, & volans, & de virtute in virtutem proficiens: donec mysticus passer effectus, & à tenebris huius infelicitatis in illam inaccessibilem lucem euigilans, transeat in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Igitur anima Moabiticis vitijs implicata, de tenebris in lucem, quasi in transcensum Arnon, progrediens, aui comparatur fugienti, pullisque de nido volantibus: vt ea hic intelligatur fuga, quæ ad abrenuntiantium spectat conuersionem: & volatus, qui ad perfectorum pertinet cõtemplationem. In nido quippe plumescunt pulli auium residentes: à matre simul & patre pascuntur. Quibus cùm plumæ succreuerint, & alis pennæ firmiùs inhæserint, liberas auras nido præferunt, & propria sibi industria victualia quæritantes, nunc sublimia cœli volatu petunt; nunc pennis demissis se in inferiora deponunt. Est autem nidus concupiscentiæ; nidus torporis & inertiæ; nidus etiam disciplinæ. Sunt verò volucres, quæ volare conantur, nec valent; & dum pennis videntur velle anniti, mox carnis pondere pressę ad infima delabũtur. Tales fuere coturnices, quæ vno tantùm cubito à terra suspensæ, sed mox instar lapidis in terram dejectæ, Israëlitarum gulæ desiderata satietate satisfecerunt. Hæc sunt vitia carnis, voluptatisq; corporeæ, quæ in vanam quandam lætitiam extollunt animam; sed expleta libidine conscientiam in ima detrudunt. Hæc in nido concupiscentiæ nutriuntur: sed volatum cœlestem nullomodo sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quas nidi suauitas, intantum delectat, vt vix etiam parentum mor-

Margin notes: Isai. 16. — Ioann. 1. — Ioann. 3. — Psalm. 44. — *Anima secũdùm naturã filia Moab, per gratiam filia Dei.* — Isai. 16. — Philip. 4. — Psalm. 54. — Psalm. 54. — *Anima aui cõparatur.* — *Triplex nidus.* — Num. 11.

Anima pigra. sibus appellantur. Tales sunt animæ pigræ & inertes, quæ infelici quadam quiete adeo dissolvuntur, vt ad nulla virtutum opera vel correptæ quidem accingantur. Non sic columba, non sic pellicanus, non sic nycticorax, non sic passer. Non sic anima quæ se ad nidum contulit disciplinæ, vt in eo sub patre spirituali à matre gratia cibis salutaribus pasta plumesceret, & sic alis innocentiæ & simplicitatis elata, de tenebris vitiorum ad splendorem conscenderet virtutum, de publico ad solitudinem, per solitudinem ad scientiam, per scientiam ad sapientiam. Præterea cogitationes nostræ avibus comparantur, quæ huc atq; illuc atque mira celeritate ferūtur & volitant; nunc sublimia, nunc humilia, nunc munda, nunc sordida quæque petentes. *Cogitationes sunt quasi aues.* Nam sunt aues, quæ circa cadauera & carnes putrescentes occupatæ cœnum cœlo præferunt. Tales sunt cogitationes sordium sectatrices, amatrices libidinum, fœtentis carnis voluptates delectationibus animæ præferentes. Hæ tota die in immūditia versantes, de turpibus ad turpia volitant, & per diuersas libidinum & flagitiorum imagines discurrentes, pernitiosissimis & contaminatissimis vitiorum epulis se reficiunt. Hæ in nido concupiscentiæ miserabiliter enutritæ, pennas non quibus ad alta vehantur, sed quibus deprimantur ad ima, infelici auspicio sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quę ita vagæ sunt & instabiles, vt ferè semper in motu sint, per ventosa huius aëris volitantes, nunc pendentes, non aliunde quàm ex ipso inani viuentes. Comparantur his volucribus cogitationes vana quęque somniantes, ad honores & mundi huius gloriam aspirantes, & se huiusmodi imaginatione & elatione quasi vēto pascentes. *Cogitationes vanæ.* Infelix, qui his auibus nidum in suo pectore parat: vt Christi vestigijs, etiamsi velle videatur, adhærere non possit, reprobante eum Domino ac dicente. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* *Matth. 8.* Beatus præ his omnibus ille, qui in nido sapientiæ suas cogitationes enutrit: vt instar aquilæ volantis in ipsum cœlum empyreum pennis contemplationis subvectus, ad ipsius solis splendorem comminus intuendum irreuerberatos aperiat oculos. Itaque filiæ Moab, idest cordis cogitationes, quæ naturali illa corruptione ad vitia illectæ mœchatæ fuerant cum amatoribus multis, cùm de carnali amore ad spiritualem, quasi de tenebris ad lucem, transcendere nituntur; avi fugienti, & pullis de nido volantibus comparantur: quia primùm necesse est, vt & vitia, & ipsas materias vitiorum fugiant: & sic in nido disciplinæ, & postmodum sapientiæ plumescentes, de inferioribus ad altiora, de humanis ad diuina, de terrenis ad cœlestia transcendant. Iam verò quia multos de Moabitica vanitate & voluptate conuersos non solùm regulari disciplina, sed etiam in contemplatione diuina perfectos, multorum vidit saluti profecturos, ipsos alloquitur sermo diuinus. *Ini consilium, coge consilium: pone sicut noctem vmbram tuā in meridiem.* *Isai. 15.* Acsi diceret. O Moab iā conuersus in Israel, qui hactenus in nido disciplinæ pristina vitia & errores deposuisti, & in nido sapiētiæ inter virtutes ac scripturarum delicias quasi in abscondito vultus mei latuisti: surge, egredere, discurre; vt qui hactenus audisti, deinceps dicas, veni. Sed quia adhuc in his exterioribus minùs es exercitatus, Ini consilium, id est discretionis disce virtutem, & sic coge consilium, multos videlicet colligens ad salutem, ad multorum profectum: qui cum Elia, sub vmbra iuniperi, angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera tua quasi in nocte celebrantur. *3. Reg. 19.* Educ quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, vt luceat lux tua coram hominibus: & videant opera tua bona, & glorificent patrem tuū, qui in cœlis est. *Matth. 5.* Eia fratres mei, diligenter attēdite, quibus gradibus, ad curam ascendendū est pastoralem: vt faciliùs humani generis pestem, dominandi scilicet libidinem caueatis, magisque tuti velitis, vt dicitur, consistere in imo, quam periclitari in summo. Ac primùm nolite æmulari in malignantibus, qui cum sint fornicatores, adulteri, molles, masculorum cōcubitores, impudenter & irreuerenter ascendunt cubile patris sui, & maculant stratum eius, thalamum Christi vertentes in prostibulum, & sanguinem eius adeo conculcantes, vt pretium eius non solùm in vana & noxia, sed quod horribile dictu est, etiā in mercedem turpitudinis deposito pudore profligent. Nolite æmulari in talibus, licet prosperentur in vijs suis, quoniam tanquam fœnū velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Qui enim inutilem seruum iubet proijci in tenebras exteriores; quid faciet de indigno, de impudenti, de pestilenti, de se in cathedra turpiter ingerenti? Sed his omissis, notate viam, quam nobis sermo Propheticus describit. Primum est, vt homo fugiens mundum, & vitia cuncta declinans, à sæculi actibus se faciat alienum. *Qualis esse debeat prelatus.* Deinde omni obedientia se subdat maiori, & quicquid se meminerit deliquisse, in fame & siti, in vigilijs & laboribus, in paupertate & nuditate, purget & puniat; & sic consuetudini, pessimæ videlicet optima succedente, in nido disciplinæ virtutum alas obtineat, quia nunquam bene potest præesse, qui priùs subesse non didicerit. Sic igitur purgatus à vitijs, ornatusque virtutibus, ad indagationem transeat scripturarum, vt sicut est informatus ad vitam, ita quoque illuminetur ad scientiam: cumque didicerit in scripturis, omne quod viuit, & sapit, ad Dei dilectionem referre & proximi; duabus pennis, scientiæ scilicet & charitatis subuectus, ad montem contemplationis conscendens, discat secundum exemplar tabernaculi cœlestis, terreni huius tabernaculi formare structuram; audiatq; cùm Moyse. *Vide omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* *Exod. 25.* Est igitur primus gradus conuersionis, secundus purgationis, tertius virtutis, quartus scientiæ, quintus contemplationis, sextus charitatis. Hi sunt fortè sex illi gradus in throno Salomonis, sicut Salomon loquitur. *Thronum sibi fecit rex Salomon*, & cætera. *3. Reg. 10.* Et vt sapienti demus occasionem, vt sapiētior fiat, thronus Salomonis apertè dicitur cathedra sacerdotalis, ad quam si quis sine his gradibus nititur, non tam sessurus quam ruiturus ascendit. *Thronus Salomonis cathedra Sacerdotalis.* Vtrum autem duodecim leunculi illius magni leonis de tribu Iuda, duodecim filijs de quibus dicit, *Non possunt filij sponsi ieiunare, quamdiu cum ipsis est sponsus*; Vtrum etiam aurum sapientiæ, æternitati rotunditas, fini posteriora, duæ manus duplici charitatis actioni, possint conuenientissimè coaptari, vestris meditationibus discutiendum relinquo. Sequitur. *Fuge, et absconde, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatoris.* *Isai. 16.*

vastatoris. Moab sic conuersum, sic mutatum, sic purgatum à vitijs, sic adornatum virtutibus, sic ad sublime promotum, sermo diuinus alloquitur, mādans ei facere, quod eum gratia comitante præviderat esse facturum. Sicut enim ipsum fugientem oportuit ab alijs abscondi: ita dignum est, vt ipse jam alios fugientes abscondat. Et sicut ipse, cùm vagus adhuc esset, ab his à quibus susceptus est, non est proditus; ita ei cōuenienter imperatur, vagos quos ipse susceperit persequentibus non exponere. Fugientes igitur fornicationem, secūdum Apostolum, necesse est vt abscondātur: & qui adhuc vagi & instabiles corde sunt, & ad vitia proni, cauendum est, ne facilè malis doctoribus, vel vitiorum incentoribus prodātur. *1. Cor. 5.*

Diversi motus e sæculo venientium consideranni. Eia fratres mei; venientes nouiter de sæculo alij idiotę sunt & simplices, alij docti & subtiles: alij vitiorum pessimâ consuetudine obligati; alij talis naturæ, vt vix ad libidinem moueantur, alij tales, vt modica occasione tententur; alij naturali conspersione iracundi, alij naturaliter māsueti. Considerare proinde, & diligenter explorare oportet singulorum à sæculo fugientium qualitatem, atque naturam: quid magis possit obesse vni, quid alteri: quo insuper spiritu quis tentetur, quo affectu agitetur; sicque prouidere, vt siue à vitijs, siue à dæmonib⁹, siue à sua ipsius vel natura, vel corruptione, vel affectu, vel cōsuetudine, siue ab alicuius hominis societate, vel suggestione, vel exemplo impugnetur, congruum singulis præbeatur latibulum. Alij abscondendi sunt ab omni exteriori occupatione: alij à quorumdam familiaritate & cohabitatione. Alij sub vmbra silentij ab ira & indignatione vtiliter absconduntur: alij sub victus paupertate à naturalibus incentiuis salubriter protegūtur: alij sub laborum & vigiliarum vmbra à cordis peruagatione & spiritus instabilitate absconduntur: alij psalmis & orationibus, meditatione, & oratione, & lectione, à spirituum immūdorum insidijs defenduntur. Ait ergo *Fugientes absconde: & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab. Esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Vastator est spiritus fornicationis; vastator superbiæ dæmon. Fugientibus itaque huiusmodi vastatores Moab salubre præstat latibulum; quando prælatus quisque quondam Moab, sed postmodum Israël, singula virtutum exercitia vitijs singulis, quibus sibi subditi impugnantur, opponit. Quod autem sequitur, *Finitus est puluis, consumptus est miser, &c.* sermone, quem ante hunc vobiscum habuimus, super ipso vitiorum principe exposita sunt. In morali autem expositione nihil aliud dicendum occurrit, nisi fortè per pulverem peccata, quæ ex incuria vel cordis peruagatione, vel exteriori occupatione contrahimus, velimus intelligi: per miserum, ea, quæ per carnis huius corruptibilis legem, quæ nos miseros facit, incidimus. Per eum qui conculcat terram, flagitia vel facinora, quæ totum hominem, terram videlicet infructuosam ita conculcant, & omnino conterunt, vt instar areæ post trituram ab omni spirituali humore, frugumque suauitate, sterilem eam reddant & vacuam. Cùm igitur iste puluis per humilem cōuersationem fuerit finitus, & carnis huius naturalis quidem, sed ferè intolerabilis feruor fuerit vigilijs & jeiunijs laboribusque consumptus, & digna cordis cōtritione, & oris confessione, & operis satisfactione flagitia vel facinora commissa defecerint: tunc certè istis taliter *Isai. 16.*

fugientibus & latentibus præparabitur solium Christi in misericordia, in quo sedet in tabernaculo David, id est in Ecclesia, quæ adhuc peregrinatur in terrâ: in qua misericordia & veritas obviauerunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt. Ibi etiam iudicat & quærit iudicium, iudicans eos qui seipsos non iudicant: & quærens de nobis iudicium nostrum, ne cōpellamur sentire suum: quia ipse reddet velociter quod iustum est, retribuens vnicuique secundum opera sua, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VICESIMVS NONVS.

De eo quod ait, Audiuimus superbiam Moab, *vsque,* Vocem cantantium abstuli.

Hactenus de his qui Moabiticæ sapientiæ & vanitati renuntiantes, Christi iugum suaue & onus leue Philosophicæ superbiæ prætulerūt, sanctus Isaias oraculum texuit: nunc contra eos qui propria superbia excæcati in erroris sui tenebris perdurauerunt, sententiam dirigit prophetalem. Ait ergo. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde.* Quid philosophis illis superbius: qui ad ea quæ de Christo diuina creduntur, quasi ad cœlum ascendere non valentes, ea verò quæ de humanitate eius asseruntur, quasi vile aliquid & terrenum dedignantes in ventoso hoc aëre inter cœlum & terram locij dæmonum pependerunt? Quid illis superbius, qui dicentes se sapientes esse, veram sapientiam contempserunt: elati, inflati, vultu irreligiosi, cultu superstitiosi? *Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Tria quædam proposuit, superbiam, arrogantiam, indignationem. Superbia in corde, arrogantia in sermone, indignatio in actu notatur. Superbia arrogantiam parit: arrogantia indignationem. Ex superbia processit cōtemptus Christi: ex arrogantia blasphemia in Christum, ex indignatione disputatio contra Christum. In his autem nihil proficientibus Philosophis, dentibus suis fremebant & tabescebant: & ad inuicem dolebant, & murmurabant. Et hoc est quod sequitur. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit.* De hoc vlulatu latiùs disputauim⁹, super loco, vbi scriptum est. *Propter hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Vniuersus Moab vlulat ad vniuersum, contra bonum pessimus, contra conuersum aduersus, contra humilem superbus. Potest præterea per hunc vlulatum dolor ille significari, quem illos in æternum esse passuros nō dubitamus. Vnde Propheta sanctos prædicatores alloquitur dicens. *His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius.* O prædicatores mei, loquimini plagas Moab: si fortè videant & intelligāt, & cōuertantur, & sanem eos. Loquimini autem his maximè, qui lętantur super muros cocti lateris. Filij Adam quondam descēdētes ab Oriente in campo Sennaar turrem inchoarunt, cuius altitudo ad cœlum vsque pertingeret: diluuij, si fortè iterum demersisset, arceret periculum. Habebant autem lateres pro lapidibus: & pro cęmento bitumen. Pharao quoque filios Israël, quos dura seruitute premebat, latericijs muris vrbes ædificare coegit. At Salomon ex pretiosis lapidibus templum extruxit, sic quadratis, sic sibi inuicem conformatis; vt cùm parietibus insererentur, nec auditus sit in templo *Isai. 16.* *Philosophorum superbia.* *Genes. 11.* *Exod. 1.* *3. Reg. 6.*

aut malleus tundens, aut securis incidens. Revocate nunc oculos vestros carissimi, ad lapides illos viuos, quos cœmentarij Salomonis nostri, scilicet Doctores & Pastores Ecclesiæ, in hoc atrio illius Ierusalem cælestis, & correptionibus tundunt, & verberibus incidūt, & doctrinâ complanant, & moribus sibi ac fide cōformant, & virtutibus quadrant: vt de imis ad superiora translati, illius templi sacris parietibus inserantur, de quo cecinit sanctus David. *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Hi structores in eorum, quos cœlo prospiciunt inserendos, plurimùm delectātur profectu. Porrò eorum magistri à vero recedētes oriente in campo Sennaar, quod interpretatur fœtor eorum, quasi in lata via, illa quæ ducit ad mortem, in qua luxuria fœtet, superbiæ erigunt turrem: lateres quærunt, qui de molli luto compacti in igne durantur: habentes quidem lapidum similitudinem, sed virtutem ignorantes. Talia sunt lutea corda carnalium, quæ peccandi consuetudine, & mentis obstinatione durantur: repellentes sagittas acutas, quibus ad debellandas vrbes Moabiticas Christi milites armantur. De huiusmodi lateribus Pharao vrbes construit, & filios Israël, quos in seruitutē redegerit, in luto & paleis desudare cōpellit. De talibus etiam lateribus sapientes huius sæculi, & peruersorum dogmatum assertores, contra Christi Ecclesiam murum erexerunt: creantes sibi discipulos, qui & errorem defenderent obstinatiùs, & ea quæ obijcerentur subtiliùs propulsarent. Super itaque cocti lateris murum lætantur ipsi qui erigunt: quibus optimum est, vt sancti Prædicatores ipsius muri ruinas plagasq; loquantur: vt timore corrigantur, qui securitate nimia periclitabantur. Ait ergo Propheta. *His qui lætantur super muros cocti lateris loquimini plagas ejus: quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, & vinea Sabama.* Hesebon interpretatur cogitationes. Conuenienter autem dicitur vinea Sabama, quod interpretatur attollens altitudinem: instabilem illam scientiam exprimens, de qua dicit Apostolus. *Scientia inflat.* Sequitur. *Errauerunt in deserto.* De flagellis vineæ hoc dictum puto; errorum scilicet discipulis, qui videntes vbique sapientiam deseri sæcularem, per diuersas Philosophorum sectas cogitatione & animo discurrentes, quasi per deuia quæque errantes, quam fugerent, quam tenerent, quam defenderent, nesciebant. Sed domini gentium, sicut subsequenter ostenditur, transierunt mare: quia non solùm ad mundi hujus sapientes, sed etiā ad omnes gentes, quæ maris nomine figurantur, transeuntes, Christi eas iugo, & doctrinæ euangelicæ subdiderunt. Ipsi quippe descenderunt mare in nauibus, & facientes operationes in aquis multis, idest miracula in Gentium populis, viderunt opera Domini: qualis videlicet in Gentiū cōuersione mutatio fuerit dexteræ excelsi: & mirabilia eius in profundo, quibus tenebrosis hominum cordibus, ipsis foris plantantibus & rigantibus, interiùs incrementū præstiterit gratia Christi. Eia fratres carissimi, quàm multi sanctorum cernentes tantam ingenij subtilitatem, tantam in rebus humanis sensus viuacitatē perditum iri: qua pietate commoti sunt, qua compassione soluti, quot pro eis fuderunt lacrymas misericordia affecti! Verùm hanc affectionem operari in eis Spiritum sanctū quis dubitet? Hoc est, quod per sanctum Isaiam ipse prosequitur, dicens. *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineā Sabama.* Quid oremus, ait Paulus *sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus.* Dicitur itaq; plorare Spiritus sanctus Iazer, id est vim & fortitudinem scientiæ sæcularis, & vineam Sabama, errantium videlicet multitudinem: quia sanctos ob desiderium salutis eorum, vel ob perditionis illorum dolorem, gementes facit & flentes; quamvis ipse Propheta vel in suam, vel in sanctorum personā hoc dixisse potuerit. Vnde sequitur. *Inebriabo te lacryma mea, Hesebō & Eleale.* Lacrymâ dixit, idest lacrymis, singularem numerum ponens propluralì: sicut illud est in Psalmo. *Dixit & venit locusta & bruchus.* Itaque ploratu, fletu, lacrymisque sanctorum illi inebriantur; qui luctu precibusque eorum ab errore vitijsque conuersi, & salubri quadam mentis alienatione quæ retro sunt obliuiscuntur, & se in ea quæ ante sunt extendentes, deficiunt ab eo, quod erant; & incipiunt esse, quod non erant. Hæc ebrietas spiritualis in cogitationibus fit, quibus mens de imis ad superiora, ad virtutes de vitijs, quodam spiritus feruore conscendit. Heseba quippe cogitationes, Eleale verò ascensio interpretatur: cogitationibus enim ascendimus & descendimus. Descendimus recordatione in imaginationem, imaginatione in delectationem, delectatione in cōsensum, consensu in actum. Cui cùm se mens vitiosa cōsuetudine subdiderit, titubat & mouetur vt ebrius, & ei⁹ omnis honestas deuoratur. Si verò primùm cogitationes vestras sanctificauerit Spirit⁹, & sacra ej⁹ inspiratione, mens quasi ex spiritali quadam seminis infusione, Dei timorem conceperit: inde ascendet ad pietatem, de pietate ad scientiam, de scientia ad fortitudinem, inde ad consilium, & sic ad intellectum; vt tandem ad sapientiam perueniens, inebrietur ab vbertate domus Domini Dei, & torrente voluptatis eius potetur. Vnde ebrietas ista prouenerit, manifestat, cum subjungit. *Quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.* Vindemia & messis idem significant. Habes Dominum in Evangelio ad discipulos suos loquentem. *Messis quidem multa, sed operarij pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios suos in messem suam.* Istorum operariorum vox super vindemiam, & super messem Moab irruit; quia Apostolica Evangelicaque prædicatio multos de sæcularis sapientiæ sectatoribus discipulos collegit. Hi sunt vuæ spirituales, quæ torculari passionis premendas, vel fruges quasi in area persecutionis terendas, & à paleis corporum exuendas, de agro vel vinea Domini gentium, sancti videlicet Apostoli, collegerunt. Qui profecto calcātes dicuntur, ob illam specialem calcandi virtutem, de qua Dn̄s in Evangelio. *Ecce,* inquit, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones.* Vnde & cuilibet sancto dicit Propheta. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Sequitur. *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo.* Carmelus mons est, & interpretatur Circumcisio. Est autem Circumcisio carnalis, Circūcisio sensualis, Circumcisio spiritualis. Circumcisio carnalis Iudæorum, sensualis Philosophorum, siue hæreticorum, spiritualis Christianorum. Iudæis vnum membrum purgabatur; Philosophus omnium sensuum munditia gloriabatur: Christianus ab omni inquinamēto carnis emundatur.

Prælati cœmentarij spirituales. Psalm. 46. Genes. 11. Exod. 5. Isai. 16. 1. Cor. 8. Psalm. 101. Isai. 16. Rom. 8. *Qui inebrientur lacrymis Sanctorum.* Isai. 16. Luc. 10. Luc. 10. Psalm. 90.

Philosophorum elatio & vanitas.

Itaque Philosophorum circumcisio monti comparatur, propter mentis elationem: quorum mira abstinentia vel spectata continentia mundanę vanitati militabat. Omnia enim faciebant, vt viderentur ab hominibus. Duplici autem gaudio in illa sua continentia fruebantur; quia & interiùs sibi placentes, in seipsis non in Domino gloriabantur, & foris laudes hominum aucupantes, in eorum æstimatione delectabantur. Sed prædicantibus Christi discipulis, lætitia & exultatio ablata est à Carmelo: quia tota illa eorum superstitio cœpit esse cótemptui. Vnde exterior lætitia non habens cui inniteretur, euanuit, & interior exultatio desiderato fructu destituta elanguit. *Et in vineis non exultabit neque iubilabit.* Eadem est repetita sententia, nisi quòd expressum est, hanc eorum exultationem, siue iubilum, in vineis maximè personasse. In multitudine namque discipulorum positi, de contemptu mundi, de voluptatis dedecore, de corporis castigatione, magnificè disputabant, & inter disputandum vanissimè tumebant: & mirantibus, laudantibusque auditoribus quæ dicebantur, & interiori iubilo, & exteriori tympano iocundabantur. Quæ omnia tubâ Euangelicâ personante sublata sunt. Ait ergo de Moab. *In vineis non exultabit, neque iubilabit.* Et addidit, *Et vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat.* Illi enim de Moab, qui in sapientiæ suæ torcularibus ad hoc desudabant, vt ab auditoribus eorum exprimeretur vinum perfidiæ, de quo scriptum est, *Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile*, in illa vinea jam non operatur; quam à pessimis ereptam Pater familias optimis jam commisit agricolis, vt reddant ei fructum temporibus suis. *Vocem calcantium abstulit.* Metaphoram prosequitur. Vindemiantes siue calcantes, siue etiã metentes, cùm frugum, siue vuarum arriserit copia, solent cum magna alacritate gestire, atque cantare, & interiorem lætitiam voce, plausu, saltu etiam, & diuersa membrorum sinuatione exprimere. At vbi succisa vel direpta ab hostibus, vel grãdinata, vel incensa fulminibus fuerit vinea, aut ager depopulatus, rarus messor, vel vindemiator apparet: & vix inueniens quod colligat, demisso capite, facie squalida, mœrens & flens incedit. Ita ergo errorum magistri, qui collectis vndique discipulis in eorum multitudine, quasi in vinea sterili gloriabantur, buccis crepantibus, & multifaria vanitate garrientibus, ab eis fidem dictorum exigebant, quam ex vuis præmaturis vinum perfidiæ exprimentes, Apostolis verò Apostolorumque successoribus Dei Euangelium prædicãtibus, cùm eis jam vel nullus vel rarus esset auditor, & præ dolore mœrebant, & præ pudore tacebant. Gratias agamus fratres Domino Deo nostro: qui stultam fecit sapientiam huius mundi, & simplicitate piscatorum, prudentiam & sublimitatem euacuauit Philosophorum; vt qui gloriatur in Domino glorietur; cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 16. (beside "Et in vineis non exultabit")

Deuter. 32. (beside "eorum & venenum aspidum insanabile")

SERMO TRICESIMVS.

De eodem capitulo moraliter exposito.

EIA, fratres, de quibus hesterna die allegoricè disputauimus, hodie moraliter exponẽda repetimus. Dixerat de his, qui de vitijs ad Christum conuersi, proficiunt in virum perfectum; quantum alijs à simili vanitate conuersis solebãt præstare solatij: *Habitabunt*, inquiens, *apud te profugi mei, Moab; esto latibulum eorum à facie vastatoris.* Et ecce plerosque respiciens pro collata sibi gratia superbire, ignorantes Dei justitiam, in se, non in Domino gloriari, & suas arroganter jactitare virtutes: præsumptionem illorum satis eleganti exprobratu deridens, *Audiuimus*, inquit, *superbiam Moab, superbus est valde.* Vtinam fratres non inueniamur tales, qui in Elin, verba quotidie prorumpentes, quicquid videntur acquisisse virtutis, iactitando profligunt. Promittunt magna, fortia quæque proponunt, ambulant in magnis & in mirabilibus super se, nihil sibi in operibus graue, nihil in scripturis obscurum, nihil in actu difficile, ore tumido proloquentes. De quibus Propheta subiungit, *Superbia Moab & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Optimè. Nõ æquat arrogans sermonibus opera, nec præsumptionẽ spiritus qua tumet interiùs, nec linguam magniloquam, qua semetipsum laudat exteriùs, typhum quo cæteris velut inferioribus indignans, se contendit cunctis euolasse superiùs, aliqua sequitur in sanctis operibus fortitudo. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab.* Ecce habes Moab & Moab. Moab cui dicitur, *Habitabunt apud te profugi mei*: Moab, de quo dicitur, *Audiuimus superbiam Moab.* Primus humilis, alter superbus: primus de se præsumens, alter quicquid est, Deo tribuens: primus opera sua vento vanitatis dispergens, secundus omnia bona sua in propriæ conscientiæ thesauro recondens: primus omnia faciens, vt videatur ab hominibus; secundus, vt solius Dei placeat obtutib⁹. Primus igitur Moab vlulat ad secundum, quando per superbiæ vitiũ in turpia quæque demersus, suum illi cum mœrore confitetur errorem. Vlulat secundus ad primum, quando eius plangens ruinam, suis eũ gemitibus, monitisque prouocat ad pœnitentiã. Ita vniuersus vlulat, bonus & malus, humilis & superbus, conuersus & auersus. Igitur fratres, non statim eius laudanda est conuersatio, cuius ignoratur intentio: quia *si oculus tuus nequam fuerit, totum* reliquũ *corpus tenebrosum erit.* Quocirca Propheta sanctus eorum compescit lætitiam, qui parum discretè arrogantes quosque magnificant, omnia quæ de se ipsi iactitant, vera esse credentes: iubens eis qui saniori iudicio ista dijudicant, vt eis, quanta mala sint arrogantib⁹ ventura, denuntient. *His*, inquiens, *qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius.* Murum cocti lateris superborum & arrogantiũ interioris hominis statum appellat: qui non ex quadris lapidibus, id est veris virtutibus compactus, stabile fundamentum sortitur; sed ex luto fœtidæ intentionis, falsis simulatisque virtutibus cupiditatis igne duratus, præfert speciem pietatis, sed virtutem eius ignorat. Lutum est aurum, lutum est argentum, lutum est cujuslibet voluptatis expletio, lutum de homine hominis æstimatio, lutea proinde omnis quæ circa hæc versatur cogitatio: lutea omnis quæ ad hæc tendit intentio. Format tamen de his omnibus arrogans cogitationes in corde; coaceruat honorum, voluptatum, diuitiarum imagines, quibus cùm se voluntas, intentioque tradiderit, omnia opera sua facit, vt videatur ab hominibus; ipsasque virtutum similitudines, in quib⁹ nititur adipisci quod optat, ita desideriorum igne decoquit &

Isai. 16. (beside "Audiuimus, inquit")

Arrogantes non respondent verbis.

Matth. 6.

Isai. 16. (beside "His, inquiens")

Superborũ status lateritio muro cõparatur.

obdurat, vt dura simul & aspera, ob pessimi hui° finis considerationem, sibi videantur esse facillima. Fiunt tales ad vigilias cæteris promptiores, ad opera manuum paratiores, vultu cunctis seueriores, grauiores in verbis, in ieiunijs feruentiores. Indignãtur infirmis, simplicibus detrahunt, tam magna fortiaque loquūtur, vt his qui minùs sunt in his exercitati, omnibus eos ęstimēt sanctiores. Hi sunt, qui lætantur super muros cocti lateris, quibus annuntiandæ sunt plagæ Moab. Sed iam ipsas plagas audiam°. *Quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, vinea Sabama.* Hesebō significat cogitationes, Sabama attollēs altitudinem. Hæ sunt cogitationes, de quibus lateus ille murus compingitur, in quo innumerabilium affectionum coaceruantur imagines. Est autem quasi vrbs, ipsa quæ de his cogitationibus formatur intentio; suburbana ipsa, quæ secūdum hanc intentionem fiunt, virtutes & opera. Quæ profectò in superbo quolibet Dei adiutorio præsidioque deserta, etiam speciem boni, qua velata videbantur, amittent. Sæpe enim cùm superbus sua spe frustratus, suæ caruit cupiditatis effectu, non se valens vlteriùs continere, in manifestam prorumpit malitiam: patiturque, quod per alium Prophetam tali animæ Dominus comminatur. *Ecce ego nudabo te & apparebit ignominia tua.* Deserta igitur erunt suburbana Hesebon, & deserta vinea Sabama. In scripturis sacris legimus diuersa esse genera vini. Est quippe vinum dilectionis, quo sanctus Noë inebriatus in figura Domini saluatoris abscondit fortia, & nudauit infirma: dormiens irridetur, vigilans illatam injuriam vlciscitur. Est vinum exultationis, quo inebriatus est Loth, adeo quod Sodomitana euadens incendia, furtiuo maculatur incendio. Est preterea vinum sapientiæ salutaris, quo fratres Ioseph meridie ebriantur: quæ de vinea scripturarum expressā vniuersam lætificat ciuitatem Dei. Habes & vinum amaritudinis, de quo Ieremias. *Inebriauit me amaritudine inimicus meus.* Porrò de vino libidinis scriptura non tacet, dicente Moyse. *De vinea Sodomorum vinea eorum*, &c. Sed & vinum compunctionis Psalmista commemorat, *Ostendisti*, inquiens, *populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.* Est postremò vinum doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ, vinum profectò nouum, quod ab apotheca cœlesti in Apostolorum corda descendens, per vniuersum orbē germinat virgines, & corda fidelium desiderio perfectionis inebriat. Itaque superbus quis vel arrogans, ad vineam scripturarum accedens, & inde diuersarum sententiarum transferens plantas, in agro cordis sui collocat: & multis meditationibus colens, vineam sibi creat inflatilis cuiusdam scientiæ: ex qua sibi vinum exprimens, quærit cui proferat spiritum suum, & ostēdat sapientiam suam. Vnde non immeritò vinea hæc vinea dicitur Sabama, id est extollens altitudinē. Quicquid enī altum sapit, qui eiusmodi est, non quiescit spiritus eius, donec efferatur in publicum; ita vt modo quodam loquendi, & typho, nutibusque oculorum proclamare videatur. *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit.* Sed vinea hæc deseritur, quando superbus fructu, quem de sua sperabat scientia, destitutus, & opera fastidit, & studium negligit: & ita tota eius scientia marcescit. Sequitur. *Domini gentium exciderunt flagella eius.* Principes gentium aduersarias legimus fortitudines: vnde in

Arrogantiũ mores.

Isai. 16.

Ezech. 16

Diuersa genera vini in scriptura.

Genes. 9.

Genes. 19.

Genes. 43.

Tren. 3.

Deuter. 32.

Psalm. 59.

Iob. 32.

Daniele principem regni Persarum, principem regni Græcorum. Sicut illi igitur spiritus nequam gentibus illis, ob quędam fortè vitia, quibus eas suis suggestionibus maculari maximè delectantur, eorum Domini & Principes esse scribuntur: ita fortè etiam alij spiritus aliarum gentium, antequam Domini Saluatoris fidem susceperint, verbi gratia Græcorum, Gallorum, Germanorum se Dominos ac Principes gloriantur. Hujusmodi gentium Principes vel Domini exciderunt flagella vineæ Sabama, id est ramos, ex quibus botri procedunt, quando nequam spiritus meditationes, quibus ex vinea scientiæ scripturarum vinum doctrinæ arrogans quilibet exprimere consueuit, falce suggestionum, immundarumque cogitationum, ab animo superbientis excludit. Quia verò bonis affectionibus vel cogitationibus pessimis quibusque succedentibus, aliquando etiam fides turbatur, in quo omnium virtutum fortitudo consistit, rectè subiungitur. *Vsque ad Iazer peruenerunt.* Iazer enim fortitudo eorum interpretatur. Cùm enim nequam spirit° animam possederit captiuatam, primùm omnes virtutes excludit, & sic inserens vitia, etiam eius fidem labefactare contendit. Sequitur. *Errauerunt in deserto.* Vbi erat vrbs & suburbana, vbi vinea, vbi Iazer, vbi desertum, locus scilicet omni virtute vacuus, omni humore charitatis arefactus. Et sicut transiens per desertum, nec in vineis, nec segetibus, nec domibus, nec muris impedientibus, liberis gressibus huc illucque vagatur: ita erronei spiritus animam, in qua fuerit vinea spiritualis excisa, & exclusis virtutibus fides conturbata, quasi desertum locum nullo obsistente securi perambulant: & in quolibet errore ebriam & vagabundam præcipitant. De principibus ergo vel Dominis gētium, qui vineæ flagella succidunt, & vsque ad Iazer peruenerunt, rectè dicitur. *Errauerunt in deserto.* Et subjungitur. *Propagines eius relictæ sunt.* Metaphoram vineæ prosequens, non solùm eam in solitudinem asserit esse redactam, sed & propagines eius, quę aliàs transferri possent & transplantari, asserit derelictas. *Transierunt mare.* Mare amaritudinem signat pœnitentiæ. Evenit autem vt post speciem sanctitatis, lapsus quis in barathrum turpitudinis primùm contristetur, ploret, expauescat, iudicet semetipsum, & damnet; erigat se super se, iuret, & statuat, custodire iudicia iustitiæ Dei, numquam se repetiturum talia, deliberet ac protestetur. Deinde cùm vel illectus concupiscentia, vel præuentus errore, vel vi diabolicæ tentationis oppressus, nequitiam iterans vires dederit voluptati, minuitur affectus boni, materiæque adiectione crescit ignis malitiæ; donec victus consuetudine, desperationis incurrit abyssum; & sic præceps fertur in mortē: vt nec timore compungi, nec pudore confundi, nec aliqua mentis amaritudine à flagitiorum suorū possit turpitudine reuocari. De huiusmodi hominis affectibus & cogitationibus rectè dicitur, *Transierunt mare.* Et adiecit Propheta. *Super hoc plorabo in fletu Iazer, vineam Sabama.* Vox Christi est, loquentis in Isaia. Ipse est qui videns ciuitatem Ierusalem, fleuit super eam dicens. *Quia si cognouisses & tu, quia venient dies in te, & coangustabunt te vndique, & ad terrā prosternent te*, &c. Convenit Euangelistæ Propheta. Videt quippe Christus ciuitatem pollentem honoribus, affluentem diuitiis, delitijs luxuriantem, extolli su-

Daniel. 10.

Qui spirit° Principes gentium.

Isai. 16.

Luc. 19.

perbia, soluì lætitia, futuram eius calamitatem prospiciens, plorat ridentem, plangit exultantem, quæque sibi ventura fuerant, nescientem. Videt & Propheta animam suis in se virtutibus extollentem, & quanta sit in eis ruina postmodum futura prospiciens, tam in sua, quam aliorum sanctorum persona, quibus hæc ipsa sepe à Dei spiritu reuelantur, plorat compatiendo: & cùm priùs ipsas vitiorum plagas quæ eis fuerant infligendæ, dinumerasset, *Super hoc*, inquit, *plorabo in fletu Iazer vineam Sabama*. Plorat duo Propheta, Iazer & vineam Sabama. Plorat Iazer, idest tantam fortitudinem, qua prius mundo, sibi, dæmonique resistens anima, hominum iudicio cæteris eminentior apparebat, vno superbiæ vitio deperisse. Plorat & vineā Sabama, idest doctrinam, quæ multis poterat prodesse, si sub humilitatis vmbraculo seruaretur, iactantiæ sarculo decisam, & redactam in solitudinē aruisse. Sequitur. *Inebriabo te lacryma me*, inquit, *Hesebon, & Eleale*. Dolor vehemens multiplicat lacrymas, nec quidquam plangendum illamentatum reliquit. *Inebriabo te*, inquit, *lachryma mea Hesebon & Eleale*. Iste dolens, iste plorans, iste plangens inebriat. Euenit aliquando, vt plerique ob elationis morbum in illicita quæq; prolapsi, si sanctos quoslibet sua scelera detestantes miseratione commotos perditionē suam pietatis affectu viderint deplorare, ad semetipsos reuerti & peniteant de preteritis, & vino compunctionis debriati amaritudinem pro voluptate, laborem pro requie, lacrymas amplectantur pro risu. Sed ille thesaurorū pietatis & misericordiç, qui Christi latebant in pectore, cōscius, de discipulo furē, de Christiano latronem, post Ecclesiæ secreta mysteria perniciosissimum homicidam, inebriatus charitate etiam ad secreta vsque solitudinis insectatus, & ipsum inebriatum pœnitentia, mēbris Christi, à quib⁹ fuerat auulsus, restituit. Alloquitur igitur Propheta Hesebon & Eleale, idest peruersi cuiuslibet cogitationem & elationem: vt sicut ipse inebriatus est charitate propter eorū perditionem, ita ipse inebriatur compunctione. Deinde doloris sui causam prosequutus adiunxit. *Quoniam super vindemiam tuam, vox calcātiam irruit*. Tempore messis & vindemiæ annui laboris fructus percipiuntur. Calcantes nequā spiritus dicuntur, qui tempore, quo anima vanitate delusa, quæ omnia facit in superbia & hypocrisi, operum suorum se fructum percipere credit, superuenientes cùm clamore irruūt in eam; & vinum quod ob virtutum similitudinē à sanctis Angelis regnis cælestibus putabatur inferendum, ab ea, ad suam crudelitatem pascendam, extorquent. *Et auferetur*, inquit, *lætitia & exultatio de carmelo*. Carmelus circumcisionem significat, circumcisio continentiam. Quicumque autem hominum æstimatione pascuntur, maximè solēt & de seruata castitate gestire: sed tempore messis & vindemiæ, cùm omnia viderint ob intentionis peruersitatem merito carere virtutis, dolor & tristitia exultationi letitiæque succedunt. Vnde sequitur. *Et in vineis non exultabit, neque iubilabit*. Quis? Moab nimirum, qui in vineis scientiæ de quibus satis superiùs egimus, & interiùs exultare, & exteriùs iubilare consueuerat. Et adjungit Propheta. *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat, vocem calcantium abstuli*. Hoc in loco calcātes, qui ex vuis vineæ huius vinum exprimere solebant, eos significat, qui ex scientia arrogantium aliquid sibi consueuerant mutuare, qui & cum ipsis doctoribus suis in ea gloriari & quasi celeuma cantare dulce habebant. Itaque talibus magistris pereuntibus, omnia eorū gaudia æterno damnanda silentio Propheta minatur. Hæc succinctè fratres transcurrimus; vt omnia quæ die hesterna sub allegorica, vel Prophetica cōplanatione vno sermone enucleauimus, vno nihilominus sermone moraliter disserta intelligibiliora redderemus. Reparemus nunc sensum silentio, & modicum id quod de onere Moab restat, inspiciendū die crastina pertractemus, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Isai. 16.

Ibidem.

S. Ioannes Euāgel. pessimum latronē conuertit.

Spiritus mali calcantes dicuntur.

SERMO TRIGESIMVS PRIMVS

De eo quod scriptum est, Venter meus ad Moab ...sonabit, *vsque ad finem oneris Moab*.

PRocessimus fratres in onere Moab vsque ad citharam, cui ventrem suum sanctus Isaias vel qui in eo loquitur Christus, credidit comparandum. *Super hoc*, inquit, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit*. Sermonis huius principiū, cum illius est fine continuandum, quem de futurorum vaticinio nudiustertius vobiscum habuimus: vbi à mūdi sapientibus, qui per Moab Propheticè exprimuntur, Christi Euangelio coruscante, ob multorum conuersionem, omnem diximus ablatam esse lætitiam. *Et nunc super hoc*, inquit, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit*. Vox Prophetæ est, vel Christi loquentis in Propheta. Super hoc, inquit, quod dixi de Moab, de conuersione eius, de depressione eius, vel de dānatione eius, super hoc, inquit, venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. Vēter Christi sancta dici potest Ecclesia, in ventre enim viscera continentur. Ibi cor, vitalem motum vniuerso corpori prestans; ibi hepar, calorem corporis nutriens, & vitalem sanguinem per omnia membra diffundens; ibi cætera intestina, singula singulis officijs ad nutrimētum corporis deputata. Ita in Ecclesia Dominus ordinauit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, quosdam autem Pastores & Doctores, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. In cithara quoque cum multæ sint chordæ, & vnaquæque proprium habeat sonū, ita tamen omnes certis proportionibus, & numerorum rationibus disponuntur, vt in vnam concordiam omnes conueniant, & pulcherrimus sonus fiat vnus de omnibus. Ita ergo, cū in Ecclesia Christi diuersi gradus, & diuersi sint ordines, diuersa insuper habeant dona virtutum, omnia tamen in vna charitate fundātur, per quam vnum pulcherrimum sonum de multis virtutibus disputando cōponunt. Per ventrem etiam Dei, sacra scriptura potest intelligi, in qua secreta ipsius, quasi in ventre viscera continentur. Ibi diuersæ sententiæ, præcepta diuersa, in vna fidei ratione conuenientes, dulcissimam quandam melodiam ad fideliū corda, simul ac aures emittunt. Dicit ergo, *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit*. Super his omnibus, quæ dicta sunt contra Moab, id est contra sapientes mundi, sancta Ecclesia pulcherrimum & concordissimum sonum prædicationis

Isai. 16.

Ecclesia vēter Christi.

1. Cor. 12.

emisit, nunc docendo, nunc monendo, nunc increpando, nunc blandiendo, nunc omnia dialecticæ artis argumenta, Philosophicæ scilicet sectæ firmamenta, quasi murum cocti lateris validissimis rationibus debellando. Quod enim ait, *Et viscera mea ad murum cocti lateris*, eiusdem sententiæ est repetitio. Quia tamen superiùs exposuimus, Moab duobus modis dici, secundum quorundam videlicet conuersionem, & secundum quorundam auersionem, videtur exposuisse de quo Moab locutus sit, illo nimirum, qui instar muri ad vocem prædicatorum obduruit. *Ideo*, inquit, *viscera mea sonabunt ad murum cocti lateris*. Habet præterea ventrem sanctus quilibet spiritualem; sicut ait Ieremias. *Ventrem meum, ventrem meum doleo: sensus cordis mei conturbati sunt*. Sicut ea quæ ventris clauduntur ergastulo, ab omnium oculis scientiaque celantur; sic nemo scit quid agatur in homine, nisi cōscientia ipsius hominis, quæ in ipso est. Felix anima, in qua instar chordarum citharæ omnia composita sunt & ordinata: vbi virtutes virtutibus conueniunt, & exterioribus interiora respondent. Sunt autem virtutes quasi chordæ spirituales, quæ inter duo ligna superiùs scilicet & inferiùs extensæ, crucis mysterium præfigurant. Prima omnium chorda est temperantia, per quā homo mortificans membra sua quæ sunt super terram, omnia Christo configit. Hæc chorda profundo crucis infixa est, vt inchoans à timore gravem sonum cōfessionis & compunctionis emittat. Secunda iustitia à parte superiori crucem tāgit, vt reddens vnicuique quod suum est, in acutissimam charitatis vocem erumpat. Et cohrda prudentiæ è transerso ligno crucis inter alias duas cōsistens, vnius subtilitatem & alterius gravitatem discretionis suaui sono contemperat. Porrò chorda quarta, quæ dicitur fortitudo, longitudinem crucis amplectitur, cæteris subsistendi præstans virtutem, & gratum patientiæ sonum emittens. Verùm singulas has plures è latere virtutum chordę comitantur, & in multarum chordarum diuersitatibus, certis spiritualium numerorum rationibus vnam harmoniam cōponunt. Moab igitur, qui interpretatur de patre, sicut jam sæpe diximus, naturalem, quæ membris nostris inserta est, secundùm leges tropologicas, corruptionem, vel eos qui secundum eam vivunt, significat. Tunc proinde ad Moab venter Prophetæ instar citharæ sonat; quando aliquis perfectus lubrico cuilibet virtutum cōcordiam suadet, & discordiam vitiorum, opponens frugalitatem luxuriæ, patientiam iræ, pudicitiam libidini, charitatem cupidini. Sed & vnusquisque nostrum cùm in se viderit Moab nefandum extollere caput, & membra omnia naturalis corruptelæ lege concutere; tangat citharam, & stimulos eius meditatione vel imitatione Domini passionis obtundat: & lateritium murum vitiorum, qui in vsum consuetudinis obduruit, crucis virtute prosternat. Huic profectò vox ista conuenienter aptatur. *Venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit: & viscera mea ad murum cocti lateris*. Hæc est cithara David, cuius sanctissimus sonus fugat dæmones, iram mitigat, extinguit libidinem. Felix, felix, qui omnia interiora sua quasi ventris viscera cruci dedicat, & aduersus carnis concupiscentias intonans dicit cum Propheta. *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum eius*. Sequitur. *Et erit, cùm apparuerit, quod laborauit Moab in excelsis suis*. Tunc certè apparuit, quàm frustra laborauit Moab, quādo debellatis à viris Ecclesiasticis hujus sæculi sapientibus, alijs conuersis, totus inanis & vacuus apparuit, impleto hoc quod scriptum est. *Vbi sapiens, vbi scriba, vbi cōquisitor hujus sæculi? Nonne Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi?* Vnde & præmisit, *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Et pulchrè satis, *in excelsis suis*, inquit. Semper enim Philosophi se & sublimia loqui, & agere perfecta, gloriātur. Quæ profectò vanitas nōn parvum eis laborem indixit: cùm contra Evangelicam Apostolicamque doctrinam totis viribus niterentur. Sed huius laboris quis finis? *Et erit*, inquit, *cùm apparuerit Moab, quod laborauit in excelsis suis*; id est cùm viderent sapientes mundi se frustra aduersus Ecclesiam desudasse, & excellētiam dogmatum suorum simplicitate fidei corruisse, ad preces se lacrymasque conuerterunt; quia dæmonum, quos Deos putabant, expectabant suffragium; quorum sancta venerabātur. Ait ergo. *Ingredietur ad sancta sua, vt obsecret: & non valebit*. Deficientibus quippe argumētis, & omni scientiā extollente se aduersus scientiam Dei, destructâ, tentant obsecrationibus & pręstigijs, execrabilibusque mysterijs dæmoniorum, resistere Spiritui sancto, diuinum labefactare propositum. Sed nihil proficit hæc illorum malè cauta prudentia; quia jam in omnem terrā exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Sed & hi, qui Moabiticæ corruptioni se dederunt, cùm explendis voluptatibus multum operæ & multum temporis insumpserint, finis omnium indicat, quàm frustra, vt iniquè agerēt, laborauerunt. Sed cùm fatuæ virgines, quæ in excelsis suis, superbia scilicet & magnitudine cordis, sine oleo lampades portarent, cùm extinctis omnibus ab olei venditoribus nihil solatij recepissent, quasi reuertentes ad sancta, preces porrigunt, dicentes, *Domine Domine aperi nobis*. Sed quàm nihil hac obsecratione profecerunt, terribilis illa responsio declarat. *Amen dico vobis, nescio vos*. Ex hinc Propheta oneri finem ponēs, *Hoc verbum*, inquit, *quod locutus est Dominus ex tunc ad Moab*. Totum illud quod de Moab, vel ad Moab declarauerat, verbum appellat sermo diuinus. Respondet autem finis principio: sic quippe cœpit. *Onus Moab. Ex tunc* ergo, idest à tempore, quo cœpit loqui de Moab, omnia hæc locutus est. Ostendit Propheta, firmum & verum esse, quod dixerat, nec erroneo spiritu sicut Mōtanus delyrat, quid loqueretur ignorasse, sed Dei repletum spiritu intellecta vaticinasse. Qua sententia nō inconuenienter inserta, ea quæ de onere Moab prophetauerat, quibus fuerant complenda temporibus, mystico sermone declarat, dicēs. *Et nunc locutus est Dominus, dicens. In tribus annis quasi anni mercenarij auferetur gloria Moab super populo multo*. Tria tempora Ecclesiæ describit sermo Propheticus, Vocationis, Probationis, Consolationis. Vocata est Apostolorum prædicatione, probata est martyrum persecutione, consolata Principū conuersione. In his tribus temporibus, quasi in tribus annis, ablata est gloria Moab super omni populo multo. Tempore quippe vocationis gloriosi adhuc Philosophi videbantur, quando vix peruersissima eorum doctrina à viris catholicis fuerat attentata. At tempore, quo Sanctorū pa-

Isai. 16.
Ierem. 4.
Virtutes sūt quasi chordæ citharæ.
Psalm. 102.
1. Cor. 1.
Isai. 16.
Matth. 25.
Isai. 16.
Tria Ecclesiæ tempora.

tientia multis tentationibus probabatur: tanto videbatur eorũ gloria maior, quanto fides Christi videbatur expressior. At vbi reges sæculi, salutari fide suscepta, Ecclesiam Christi altiùs extulerunt, ablata est gloria eorum desuper omni populo multo, illo scilicet, qui eorum errore fuerat deceptus. Dicuntur autem hi anni mercenarij, quia sicut mercenarius præstolatur finem anni, ac mercedis desiderio omne tempus longum existimat: ita sapientes huius mundi his tribus temporibus, quasi tribus annis, de die in diem destructum iri doctrinam Catholicam expectabant. Vnde immundorum spirituum oraculis falsi, certum numerum annorum, quem excedere fidem Christi non posse mentiebantur, construere præsumpserunt. Sequitur, *Et relinquetur in eo sicut racemus paruus & modicus, nequaquam multus.* Cum fuerit finita vindemia, sicut rarus in vinea reperitur racemus: ita multis ab illa sapientia sæculari Ecclesiastica falce succisis, vix quisquam, qui eam profiteatur, his iam temporibus reperitur. Sed vt ad nos fratres carissimi, redeamus, consideremus illum qui in nobis insertus est Moab: illam scilicet quam ex patre cõtraximus corruptionem: ipsiusque auctorem, & incentorem diabolum. Est autem in vnoquoque cogitationum, affectionum, & delectationũ populus multus; quibus se Moab dominari, quamdiu suggestionibus eius mens illecta consenserit, gloriatur. Sed in trib⁹ annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo. Habem⁹ enim quasi tres annos, tres profectuum status, Conuersionis, Purgationis, Cõtemplationis. Primus in dolore, secundus in timore, tertius in dilectione. Initium igitur nostræ conuersionis, quasi primi anni exordium est, vt voluntas mutetur; deinde vt consuetudo pessima superetur, & sic quod malum est deseratur, & quod bonum est appetatur. Et hic annus primus, in quo non parum adhuc Moab gloriatur, cum eius suggestione plerumque & voluntas tepescat, consuetudo præualeat, & malum, quod contra propositum ingeritur, obrepat, & bonum, quod appetit mens, perficere non inueniat. Minuitur sane gloria ejus, cum homo perfectè conuersus ad Dominum, init cum vitijs singulare certamen, secundum ingrediens annum, satagit quantum potest vt Moabitica corruptio, quasi vetus inolitum minuatur, & nouum insolitum augeatur. Habet & in hoc anno aliquam gloriã Moab, quoniam licet non possit pugnantem expugnare, vulneret tamen aliquando, necesse est, etiam optimè repugnantem. In hoc anno mens spiritualibus exercitijs purgata, ad cœlestem cõtemplationem, & ad scripturarum transit meditationem. Tunc ei incipit virtus dulcescere, vilescere vitium, & ex quadam dilectionis infusione, gustat quàm dulcis est Dominus. Tunc auferetur gloria Moab super omni populo multo, cum quicquid dilectionis immundæ in affectionibus nostris, cogitationibusq; residit, nouæ dulcedinis experientia euacuatur. Relinquitur tamen sicut racemus parvus & modicus, lex scilicet illa in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ. Sicut enim vastata vinea, rarus in ea reperitur racemus, ita vitiorum multitudine debilitata, ille necesse est ineuitabilis motus resideat, quem plerumque & infantes sustinent, & senes vitare non possunt. Porro necessarij dicuntur hi anni: quia sicut mercenarius ad mercedem suspirat, sic & quilibet conuersus desiderans, quamdiu impossibilitatem sustinuerit continendi, miro æstuat desiderio, ipsam castitatis possibilitatem, quasi huius laboris sui fructum, expectans. Sed & purgationis suæ sollicitus, quamdiu vitijs impugnatur, miro modo à tentationibus absolui gestiens, requiem illã pro mercede copiosissima præstolatur. Postremò, etiam ipsam naturalem corruptionem fastidiens, tota pudicitiæ ex omni parte perfundi, omniumque virtutum suauitate impinguari, æstuanti pectore affectat. Possunt etiã per Moab hypocritæ designari: quos in occultis Moabina corruptio polluit, in manifesto ficta quędam honestas extollit. Horum anni mercenarij anni sunt: quia omnia faciunt, vt videantur ab hominibus; audituri à Domino, quia receperunt mercedem suam. Sed cum tres anni transierint, quorum primus est in hac vita, secundus post mortem, tertius verò post resurrectionem, tunc profectò auferetur omnis gloria eorum: quando deficiente oleo, & à vendentibus non impetrato, audient à sponso, *Amen dico vobis, nescio vos.* His igitur, fratres, de trib⁹ oneribus Babylonis, Philistijm, Moab, vtcunque digestis, stilum suspendo: volens ea, quæ dicta vel scripta sunt, ad eius referre examen, quem in verborum meorum iudicem correptoremque delegi, sanctum dico G. Lundoniensem Episcopum: pro cuius arbitrio vel hęc ipsa delere, vel hic subsistere, vel vltrà progredi proposui. Interim aliquid meditabimur, quod vtile erit & iucundum, ad vestram ædificationem & aliorum: quod nobis præstare dignetur, qui viuit & gloriatur per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ethnici tempus durationis legi Christianæ præfixerunt.

Isai. 16.

Tres anni Moab quid significent.

Vulneratur interdum, qui optimè pugnat.

Moab hypocritas designat.

Matth. 25.

ANIMADVERSIO AD PRÆCEDENTES, *DE ONERIBVS*, SERMONES.

ADVERTE, Lector, Patrem Gibbonum, qui olim hos Sermones De Oneribus, *edidit, duo exemplaria nactum fuisse, quorum vnum, quod erat Ecclesiæ Cameracensis, multis in locis quędam habebat, quæ alteri exemplari deerant, quod erat Claromarisci Cœnobij Ordinis Cisterciensis. Secutus est autem P. Gibbonus in editione sua Cameracense: ego verò in hac malui Claromariscense sequi; quia huic in omnibus conforme est Fusniacense, ex quo eiusdem Sermones ante aliquot annos descripsi. Conformitas enim codicum Ordinis non obscurè indicat, additiones illas ex Cameracensi exemplari sumptas non esse Ailredi, aut certè ex margine, cui adscriptæ fuerant, in textum postea irrepsisse.*



DIVI AELREDI
ABBATIS RIEVALLIS OPVS,
SPECVLVM CHARITATIS INSCRIPTVM,
IN TRES LIBROS DIVISVM.

Epistola Gervasij Parchorensis Abbatis ad Aëlredum, sequentium librorum editionem imperantis.


EST quidem Sanctorum virtus permaxima humilitas: sed si vera, sed si discreta. Neque enim humilitas in parte est constituenda mendacij: nec inobedientiæ sacrilegio conseruanda. Rogaui fraternitatem tuam: imò præcepi, imò sub attestatione diuini nominis adiuraui; vt mihi pauca quædam scriberes: inter quæ etiam quorumdam querimonijs, qui de remissioribus ad arctiora nituntur, obviares. Non damno, non reprehendo excusationem: sed prorsus obstinationẽ accuso. Fuerit humilitatis, excusasse: sed numquid humilitatis est, non obedire: numquid humilitatis est, non acquiescere? Imò quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. Sed clamas, femineos humeros graui sarcinæ subducendos: cautiusq; onus oblatum non subire, quàm sub fasce, cùm subieris, ruere. Sit ergo graue, quod iubeo; sit arduum, sit impossibile. Sed nec sic excusationẽ habes. Persisto in sententia mea: præceptum ingemino. Quid facies? Nonne is, in cuius verba iurasti, *sciat*, inquit, *iunior, hoc sibi expedire: & confidens de adiutorio Dei obediat?* (S. Bened. in Regula c. 68.) Fecisti vtique, quantum debuisti, si non plusquàm debuisti: quovsque licuit processisti. Causas tuæ impossibilitatis ostendisti: dicens te minùs grammaticum, imò penè illiteratum; qui de coquinis, non de scholis ad eremum veneris: vbi inter rupes & montes agrestis & rusticus victitans, pro diurno pane in securi desudes & malleo; vbi magis discitur silere, quàm loqui; vbi sub habitu pauperum piscatorum, cothurnus non admittitur oratorum. Accipio gratissimè excusationem tuã, qua desiderij mei scintillã augeri potiùs sentio, quàm extingui: cùm dulciùs mihi debeat sapere, si id proferas, quod non in cuiuslibet grãmatici, sed in schola didiceris Spirit⁹ sancti: cùm fortè thesaurum ob id habeas in vase fictili, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex te. Id quoque quàm iucundum; quòd quodam præsagio futurorum de coquina sis translatus ad eremum; cui fortè ad horam in regia domo carnalium ciborum fuit credita dispensatio: vt aliquando in domo regis nostri, spiritualibus spiritualia comparares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres. Sed nec ardua montium, nec aspera rupium, nec vallium concaua perhorresco: cùm in dieb⁹ istis montes stillent dulcedinem, & colles fluant lac & mel: in quibus valles abũdant frumento; in quibus sugitur mel de petra, oleumque de saxo durissimo; & in rupibus & in montibus sunt pascuę ouium Christi. Vnde arbitror, ꝙ malleo illo tuo aliquid tibi de rupibus illis excuderis, quod sagacitate ingenij, de magistrorum scrinijs non tulisses; & nonnumquã tale aliquid in meridiano feruore, sub vmbris arborũ senseris, quale numquam didicisses in scholis. Non tibi ergo, non tibi, sed nomini eius da gloriam, qui nõ solùm de lacu miseriæ & de luto fæcis, de prostibulo mortis, & cœno turpitudinis eripuit desperatum; sed & memoriam faciens mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, ad peccatorum spem cumulatius erigendam, illuminauit cæcum, indoctum erudiuit, docuit imperitũ. Proinde cùm id quod exigeris, tuũ nõ esse nouerit omnis, qui te nouit; cur erubescis, cur trepidas, cur dissimulas: cur ad eius vocis imperium qui dedit, renuis erogare, quod dedit? An præsumptionis notam, vel aliquorum formidas inuidiam? Quasi aliquid vtile quis vnquam sine inuidia scripserit; aut præsumptionis possis argui, qui Monachus Abbati parueris. Præcipio itaque in nomine IESV Christi, & in spiritu Dei nostri, quatenus ea, quæ tibi diuturna meditatione nota sunt, de excellentia charitatis, de fructu eius, de ordine eius, stylo adnotare nõ differas: vt & quid sit charitas, & quanta in eius possessione habeatur dulcedo, quanta in cupiditate, quæ ei contraria est, sentiatur oppressio; quàm non ipsam dulcedinem charitatis minuat, vt quidam putant, sed potius augeat, hominis exterioris afflictio; postremò qualis in eius exhibitione sit habenda discretio; in ipso opere tuo, quasi in quodam speculo agnoscamus. Verùm, vt pudori tuo parcatur, hæc ipsa epistola in fronte operis præfigatur: vt quicquid in Speculo charitatis, (hoc enim libro nomen imponimus,) lectori displicuerit, nõ tibi, qui parueris, sed mihi, qui inuitum coëgerim, imputetur. Vale in Christo, dilecte frater.

Præfatio D. Aëlredi Abbatis in Libros sequentes.

VErè Sanctorum vera, & discreta humilitas virtus est; mea autem, & mei similium defectus virtutis: de qua Propheta, *Vide humilitatẽ meam, & eripe me.* (Psalm. 118.) Neque enim à virtute aliqua se eripi postulabat, aut de humilitate extollebat, sed deiectioni suæ subuentionem implorabat. Quam miseram humilitatem meam, & vtinam sicut humilitatem veram, sic quoque virtutẽ discretam: ne aliqua inobedientiæ importunitate velare

velare videar; tantæ dignationis petitioni, iussioni, attestationi, quia dignum est, minus dignè licet, quod quidem mea interest, tamen pareo. Suscipio itaque opus impossibile, inexcusabile, dignum accusatione: ex mea pusillanimitate impossibile, ex præceptione vestra inexcusabile, accusationi subiacens ex cuiusuis inspectione. Quis enim dignè ferat prima fronte, quadam auctoritate Apostolica, de excellentiori via charitatis scribere præmittentem, non solùm scribendi rudem, aut sicut vobis placuit, illiteratum, sed etiã elinguem, & lactis potum nondum idoneè lingẽtem? Aut qualiter rerum portio vna, aut certè nulla, de charitatis eminentia; incompositus, de eius ordine; sterilis, de fructu differat; infatuatus & insipidus, eius dulcedinem eliciat; cupiditate victus, contra eã se erigat? denique qualiter carnis contritione charitas augeatur, & eius discretam exhibitionem, quis ego qui explicem? qui secus ac vobis videtur, quod tamen pace vestra dico, de coquinis ad eremum veniens, locum nõ officium mutaui? Atqui dicetis. Excusare non debes. Scio Domine mi, scio. Sed quia excusare non licet, libet accusare, vt adueniens lector minùs gratus non cogatur vlterius progredi, dum in ipso limine cernit, quo jure possit offendi. Illud tamen ad scribendum quantam fiduciã præstat, quod sanctissimum charitatis affectum, ad suscipiendas molestias, quæ mihi dignè irrogari poterunt, incunctanter obiecistis? Itaque spem perficiendi vix habens, de charitate quã iussistis, illo malleo nostro, cui allusistis, vt Speculũ perficeretur, vt potui, compegi: in hoc certissimum esse reperiens, quod, cùm spes & cætera exciderint, semper maneat charitas. Prestitit autẽ gratiam, qui artem non tribuit. Et quidem in hoc charitatis speculo, nulli, nisi in dilectione manẽti, vultus se charitatis infundet: sicut nec nisi in luce existenti, sua cuique in quouis speculo redditur facies. Sanè autem præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam vero quasi mecum, imò magis mecum, quia illa vnanimi meo reuerendissimo Priori Hugoni, qui plus mecũ, quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram: ex quibus præsenti intentioni materiam sumens, sed & ipsa eadem vt congruere videbantur inserens, tribus incisionibus totum distinxi. Quarũ licet de qualibet in singulis mẽtionem fecerim, specialiter tamen in prima parte charitatis excellentiam, tum ex eius dignitate, tũ ex aduersæ ei cupiditatis improbatione commẽdare, in secunda ineptis quorundam querimonijs obuiare; in tertia qualiter exhibẽda sit charitas, monstrare laborat intentio. Si quid igitur in hoc sudore nostro proposito congruens processit, gloriæ largitori, & vestræ orationi debetur: si quid verò aliter, mihi artem, aut vsum nõ habenti donetur. Verum ne occupationẽ vestrã terreat operis huius tanta prolixitas, capitula, quæ subiecta sunt, primò percurrite; & eorum inspectione quid legendum, quid verò negligẽdum sit, discernite.

Materia librorum sequentium.



LIBER PRIMVS SPECVLI,

B. AELREDI RIEVALLIS ABBATIS,

CHARITATIS EXCELLENTIAM DEMONSTRANS,

CAPVT PRIMVM.

Quòd nihil dignius, quàm vt Creator à suâ ametur creaturâ.

EXTENDISTI Domine, sicut pellem cœlum tuum; ponens in eo stellas, vt luceant nobis in hac nocte; in qua pertranseunt bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant nos escam sibi: qui etiam tegis aquis superiora eius, quibus per quasdam secretissimas cataractas compluas terram cordis nostri; vt multiplicetur à fructu frumenti, vini, & olei sui; & non casso sudore quæramus panem nostrum: sed quærentes inueniamus, inuenientes pascamur, & gustemus, quoniam tu dulcis es, Domine. Anima mea, anima arida, anima sterilis & infructuosa, sitit his suauissimis complui stillicidijs, vt & illi appareat panis ille cœlestis, qui Angelos pascit, quem parvulus sugit; & sapiat interiori palato meo omne oblectamentum: nec amplius suspirem ad ollas carnis, quas reliqui in Ægypto; vbi exigẽte Pharaone, etiam ablatis paleis, lateres luteos exoluebam. Sonet ergo vox tua in auribus meis, bone IESV; vt discat, quomodo te amet cor meum, amet te mens mea, ament te ipsa viscera animæ meæ: amplectatur te intima medulla cordis mei, vnum & solum verum bonum meum, dulce & delectabile gaudium meum. Sed quid est amor, Deus meus? mira, ni fallor, animi delectatio, eo dulcior, quo castior; eo suauior, quo sincerior; eo jocundior, quo latior: & est palatum cordis cui sapis, quia dulcis es; oculus quo videris, quia bonus es; & est hic locus capax tui, qui summus es. Qui enim amat te, capit te; & tantùm capit, quantùm amat: quia ipse amor es, quia charitas es. Hęc est illa vbertas domus tuæ, qua inebriabuntur dilecti tui, deficientes à se, vt transeant in te. Et quomodo Domine, nisi amando te? Sed hoc ex toto se. Descendat, quæso Domine, in animam meam aliqua portiuncula huius tantæ dulcedinis tuæ, qua dulcescant ei panes amaritudinis suæ. Prægustet cuiusdam sorbitiunculæ experientia, quid desideret, quid concupiscat, ad quid suspiret in hac peregrinatione sua. Prægustet esuriendo, bibat sitiendo. Qui enim edunt te, adhuc esurient, & qui bibunt te, adhuc sitient: satiabuntur autem, cùm apparuerit gloria tua: cùm manifesta fuerit illa magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscõdisti timentibus te, quam nõ reuelas, nisi diligentibus te. Interim Dñe, quæram te, & amando quæram te; quia qui proficit amando te, vtique Domine, quærit te: & qui perfectè amat te, ipse est Domine, qui jam inuenit te. Et quid iustius, quàm vt creatura tua amet te; qui hoc ipsum accepit à te, vt possit amare te? Non enim irrationabilia, aut insensibilia possunt amare te: non enim est iste mod⁹ eorum. Habent

nempe & ipsa modum suum, speciem suam, ordinem suum; non quo beati sint, aut esse possint amando te; sed quo pulchra, & bona, & bene ordinata ex te, ad illorum gloriam proficiant, qui possunt beati esse, quia possunt amare te.

CAPVT II.

De natura, specie, vsu, quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.

DEVS enim noster, cui est summum & incommutabile esse; cui est semper idem esse, dicente David, *Tu semper idem ipse es*: omnibus creaturis suis communiter hæc tria distribuit, naturam, speciem, vsum. Naturam, qua bona sunt; speciem, qua pulchra sunt: vsum, vt bene ordinata alicui rei proficiant. Qui enim fecit, vt essent, fecit etiã vt bona essent, vt pulchra, vt bene ordinata. Quoniã enim ab ipso sunt, qui sũmè & incommutabiliter est, ideo sunt omnia: quoniã ipse à quo sunt, summè & incommutabiliter pulcher est, pulchra sunt omnia: ab ipso qui summè & incommutabiliter bonus est, bona sunt omnia: ab ipso qui summè & incommutabiliter sapiens est, bene ordinata sunt omnia. Sunt ergo bona per naturam; pulchra per speciem, bene ordinata ad ipsius vniuersitatis decorem. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona*. Inquantum itaque sunt, bona sunt; inquãtum vnaquæque pars toti suo congruit, pulchra sunt: inquantum in ipsa vniuersitate vnaquæque res conuenientem sibi & locum, & tempus, & modũ obtinet, optimè ordinata sunt. Locum quippe, qui sibi congruat, quæque res habet, in quo sit: verbi gratia, Angelus cœlum, irrationabilia solum; homo medius medium paradisum. Tempus itidem, quando, vel quandiu sint; vt videlicet in ipsius vniuersitatis pulchritudine aliud quidem simul totum incipiat, sed numquam desinat, vt natura Angelica: alia, vt simul omnia nequaquam incipiant, cœpta tamen nequaquam vel ipsa desinant, vt homines: alia, vt nec simul incipiant, & esse quandoque desinant, vt irrationabilia. Porrò, ne de modo quẽadmodum quæque creatura subsistat, quàm congruentem sibi modum sortiantur omnia, tacuisse videamur: quid rationali creaturæ magis congruum, quàm beatitudo, si iusta est: quid ei magis conuenit, quàm miseria, si iniqua est? Denique irrationali, itemque insensibili creaturæ quis modus aptior, quàm quòd, cùm ipsa nec beata, nec misera esse possit, illorum saluti subseruiat; horum infelicitatem accumulet? Verissimè quidem à quodam sapiente dicitur. *Aqua, ignis & ferrum; lac, & panis, & mel; botrus vuæ, oleum, & vestimentum: hæc omnia sanctis in bona; sic impijs & peccatoribus in mala conuertentur*. Nec causetur homo, quòd jam communem locum sortiatur cum belluis, qui in honore positus non intellexit: & ideo comparatus est jumentis, & similis factus est illis, nec loco solùm. Quis enim facilè dixerit, abolita in mente rationali, etsi non imagine, diuinâ tamen similitudine, quanta irrationabilium jumẽtorum similitudo succreuerit? Sed hinc aliàs. Nunc animaduertenda simul & prædicãda creatoris sapientia: qui cum non sit malorum creator aut incentor; est tamen ipsorum malorum prudentissim⁹ ordinator. Cur ergo non sineret dulcissimus simul & omnipotentissimus dominus meus malum esse, quod nequiret vel modicè æternum suum labefactare propositum; quo insuper manifestior appareret ipsa ejus omnipotentia, sapientia mirabilior, suauior misericordia; cùm de malis bona faceret omnipotenter; inordinata ordinaret sapienter: miseris cõferret beatitudinem misericorditer?

Psalm. 101.

Genes. 1.

Eccli. 39.

CAPVT III.

Quòd homo ad imaginem sui creatoris conditus, & beatitudinis capax sit.

HOminis ergo in ipsa vniuersitatis creatione dedit non solũ esse: nec, vt cæteris, bonum tantum esse: nec solùm pulchrum aut ordinatum quid esse: sed insuper beatum quid esse. Sed quemadmodum nulla creatura nec à seipsa est, nec à seipsa pulchra, aut bona est; sed ab ipso qui summè est, qui summè bonus & pulcher est: & ideo bonitas bonorum omnium, pulchritudo pulchrorum omnium, causa omnium existẽtium: ita nec à seipsa beata est; sed ab ipso qui summè beatus est, ac per hoc beatitudo beatorũ omnium. Huius beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippe ad imaginem sui creatoris condita, idonea est illi adhærere, cuius est imago: quod solum rationalis creaturæ bonum est, vt ait sanctus David. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Adhæsio planè ista non carnis, sed mentis est: in qua tria quædam naturarum author inseruit, quibus diuinæ æternitatis compos efficitur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem, siue voluntatem. Æternitatis quippe capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine obliuione, scientia agnoscebat sine errore: amore complectebatur sine alterius rei cupiditate. Hinc beatus.

Psalm. 72.

CAPVT IIII.

Quòd amore, in quo pleniùs ipsius erat beatitudinis gustus, à Deo recesserit homo; & sic miser effectus Dei in se imaginem corruperit, nec tamen aboleuerit.

VERVM licet in his tribus, vel his tribus ipsa perficiatur beatitudo: in hoc tamẽ tertio propriè est ipsius beatitudinis gustus. Quanquam enim in pessimis delectari miserrimum sit: vbi tamen nulla delectatio, nec vlla beatitudo. Porrò vbi amor nullus; nulla delectatio. Denique ipsi⁹ summi boni quantò maior dilectio, tãtò maior delectatio: tantò maior & beatitudo. Pariat licet multa memoria: capiat licet profunda scientia: nulla tamen delectatio, si nõ ad parta vel nota ipsius fiat voluntatis conuersio. At primus parens noster libero muneratus arbitrio, poterat quidem, Dei tamen adiutus gratia, ipsũ Deum perpetuò amando in eius memoria notitiaque delectari, perpetuoque beatus existere: potuit & ipsum amorem suum ad aliquid minus reflectere; sicque ab eius amore recedendo frigescere, seseque miseriæ addicere. Sicut enim rationalis creaturę nulla alia est beatitudo, quàm Deo adhærere: ita hoc eius miseria, à Deo recedere. Verùm ille in honore positus non intellexit. Quid? Fortassis id quod quidam ingrediens sanctuarium Dei, & intelligens nõ modo in pręsentia, sed etiam in nouissima: quoniam *ecce*, inquit, *qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te*. Non intellexit, quia qui fornicantur à Deo per superbiã, deuoluuntur in insipientiam: & qui per rapinam Dei vsur-

Beatitudo non est sine amore & delectatione.

Psalm. 72.

pat similitudinem, meritò iumentorum induit similitudinem. Libero ergo malè vsus arbitrio, amorē suum ab illo incommutabili bono deflexit, & ad id quod minus erat, propria cupiditate cæcatus reflexit: sicque à vero bono recedens, & ad id quod ex se bonum non erat deficiens; vbi aucupabatur profectum, inuenit defectum; perverseq; diligendo seipsum, & se perdidit & Deū. Sicque iustissimè actum est, vt qui contra Deum Dei appetebat similitudinē: quo voluit fieri curiositate similior, cupiditate fieret & dissimilior. Corrupta est itaque in homine Dei imago; non abolita penitus. Proinde habet memoriam, sed obnoxiam obliuioni: scientiam quoque, sed subditam errori; nihilominus & amorem, sed pronum cupiditati. Perseuerat adhuc in anima rationali in hac Trinitate, etsi misera, ipsius beatæ Trinitatis impressio, quæ ad ipsam animę relicta substantiam, quæ & sui reminiscitur, se nouit, se diligit: quæ ipsam sui memoriam diligit, nouit, reminiscitur: ipsam sui scientiam reminiscitur, novit, & diligit: item ipsam sui dilectionem diligit, reminiscitur, nouit: & in substantia vnitatem, & in tribus his, quæ perstrinximus, vocabulis præfert Trinitatem. Vnde Psalmista. *Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustra cōturbatur.* Breviter quidem, sed expressè satis his verbis sanctus David vtrumque insinuat animæ non deesse humanæ, & ex natura imaginem, & ex peccato corruptionem. Nam & memoriam corrumpit obliuio; scientiam error obnubilat; amorem cupiditas coangustat.

Homo cecidit, libero malè vsus arbitrio.

Psalm. 38.

CAPVT V.

Quòd post Saluatoris aduentum Dei in homine renouetur imago: & quòd non hic sed in futuro speranda sit ipsius renouationis perfectio.

Porrò iam per Mediatorem Dei & hominum hominē Christum Iesum soluto debito, cui obnoxia tenebatur humana natura: deleto chirographo, cuius cautione astrictos nos tenebat antiqui hostis dira superbia: expoliatis principibus & potestatibus, quibus nos addixerat diuina iustitia; pacato denique Deo Patre illa singulari in cruce hostia, reparatur tandem memoria per sacræ Scripturæ documentum; intellectus per fidei sacramentum: amor per charitatis quotidianum incrementum. Perfecta imaginis reformatio, si memoriam obliuio non interpolet, scientiam nullus error obnubilet, amorem nulla cupiditas interpellet. Sed vbi istud, & quando istud? Hæc pax, hæc tranquillitas, hæc in patria speretur felicitas: vbi nullus locus obliuioni viuentibus in æternitate: nulla erroris subreptio fruentibus veritate; nulla cupiditatis impulsio diuina absorptis charitate. O æterna & vera charitas, ô vera & cara æternitas: ô æterna, & vera, & cara Trinitas! Hîc hîc requies, hîc pax, hîc felix tranquillitas, hîc tranquilla felicitas, hîc felix & tranquilla iucunditas. Quid agis, ô anima humana, quid agis? Quid per diuersa raptaris? Porrò vnum est necessarium. Vt quid multa? Quicquid appetis in multis, in vno est. Si excellere, si scire, si delectari, si abundare; totū hîc & perfectè hîc: & nusquā nisi hîc. Numquid enim in hoc lacu miseriæ & luto fæcis vera excellentia? Numquid in hac regione vmbræ mortis perfecta scientia? Numquid in hoc loco horroris & vastæ solitudinis vera delectatio; inter tot erumnas vera abundantia? Porrò quæ in mundo excellentia, quā timor non deijcit: quāta hominis scientia, qui nec seipsum capit? Denique si delectaris in carne: hoc & equus & mulus, quibus non est intellectus. Si in gloria, si in diuitijs; cùm interieris, non sumes omnia: neq; descendet tecum gloria tua. Ibi ergo vera excellentia, vbi nihil superius quod ambiatur: ibi vera scientia, vbi nihil ignoratur: illa vera delectatio, quæ fastidio non minuitur: illa vera abundantia, quæ numquam exhauritur. Væ nobis, quia recessimus à te, Domine. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Quando veniā, & apparebo ante faciem tuam? Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ; & volabo, & requiescā? Plumescat interim Domine Iesu, plumescat quæso anima mea in nido disciplinæ tuæ; pauset in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Amplectatur te interim crucifixum: sumat tui dulcissimi sanguinis haustū. Occupet interim memoriā meam hæc suauis meditatio, ne ex toto eam obliuio obscuret: iudicem me interim nihil scire, nisi Dominum, & hunc crucifixum: ne scientiā meam à soliditate fidei vanus error abducat: vēdicet sibi totum amorem meū hæc tua mira dilectio, ne illum cupiditas mundialis absorbeat. Quid ergo? Mihi soli id optauerim? Impleatur, Domine, quæso: impleatur illud Propheticum. *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ.* Reminiscentur, inquit. Abscōditam ergo, non sepultam omnino in mente rationali, Dei intellexit memoriam: vt non tam novum aliquid insertum, quàm illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodāmodo in ipsam Dei memoriam vel modicum ratio scintillaret humana: puto non esset, vnde vel insipiens diceret in corde suo, Non est Deus.

Imago Trinitatis in tribus potentijs animæ sita.

In cœlo vera bona sunt

Psalm. 21.

CAPVT VI.

Disputatio contra insipientem, qui dixit in corde suo, Non est Deus.

Dic inquam, quicunque es adeò insipiens, vt dixeris in corde tuo, *Non est Deus*, aliquē ne putas sapientem? Forte teipsum. Ita sit. Itane tamen sapiens, vt fieri non possis & insipiens? Aut si insipiens, eò vsque, vt non possis fieri & sapiens? Si quid horum abnuas: iam non te desipere, sed potiùs non viuere dixerim. Ergo si tu desipueris, perire æstimas sapientiam? Sed fieri potest & sapiens. Aliunde quæso, quàm à sapientia? Erit ergo, & te desipiente, sapiētia. Erit inquis, sed in homine sapiente. Sed quis est homo, qui non possit desipere? Si ergo omnes homines desipiant, erit nihilominus sapientia; aliquin nō possent denuo sapere. Sed in Angelis, inquis. Sed & ipsos posse natura duntaxat desipere, indicat illa insipientium Angelorum tanta multitudo; quibus quidē cum cæteris par natura, sed impar gratia. Nulla ergo creatura ex se sapiens. Vnde ergo, nisi à sapientia? Et illam vbi inuenit insipiens, vt denuo sapiat? Si eam inuenit, est vtique sapientia, quæ inueniatur ab insipiente, vt fit sapiens: alioquin quomodo inuenitur, quod non est, nisi prius cœperit esse? Non, inquis, eam ita inuenio; sed meditando, & exercendo facio meipsum sapientem. Ergo facis sapientiam tuam? Quare non feceris? Ego te proposueram insipientem, & ecce adeo factus es sapiens, vt sufficias, facere sapiētiam. An hoc est parum sapere, sapientem facere? Sed & si quis dicat, stultum facere posse sapientē, quis audiens non ridebit?

Psalm. 13.

Angeli possunt à sapientia excidere

Vnde ergo sapientia stulto? forte à quolibet homine sapiente. Et ipse vnde sapiens? An ipse se fecit sapientem? Sed antequam se faceret sapientem, quid erat nisi insipiens? Prædicta igitur sequetur abusio, vt insipiens fecerit sapientem. Si & Angelum dixeris posse facere sapientem: & ipse vnde sapiens? Si & ipse se fecit sapientem, prædicta nihilominus sequetur abusio. Restat ergo, vt non sit facta sapientia, quæ cæteros faciat sapientes. Ipsa non potest desipere, quia sapientia non potest esse insipientia, sicut nec mors vita, quamuis mors Christi nostra sit vita: sicut lux tenebræ, quamuis fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nam nec Ioannes erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum.* Ipsa est sapientia, quæ in animas sanctas se transfert, vt & ipsæ sint sapientes. Parumne hoc tibi, ô insipiẽs? Quæro iterum, vtrum scias te esse. Quis, inquis, hoc ignoret? Plane nec Academicus. Semperne fuisti? Vnde ergo accepisti, vt esses? An teipsum fecisti? Sed quomodo qui non eras aliquid, facere potuisti tam magnum aliquid? Vnde ergo tibi esse? An ab alio homine? Et ipse vnde? nũquid ab Angelo? Et Angelus vnde? Restat ergo, vt nõ sit facta essentia, à qua cætera omnia habẽt esse: sicut nec facta est sapientia, vnde cætera omnia habent sapere. Sileat ergo tibi, sic & sic sapere; sic & sic esse: loquatur tibi in corde ipsum sapere, & ipsum esse, & iam non dices in corde tuo, Non est Deus: in ipso planè perspiciens nec posse saltem te esse, qui diceres in corde tuo, Non est Deus, nisi esset & Deus. Iterum quæro, vtrũ velis te esse, & sapere? Puto quia non abnuis. Iunge hæc tria, esse, sapere, velle. Redi ergo præuaricator ad cor. Considera in his tribus quanta vnitas, quanta sit æqualitas. Et cùm inueneris hæc tria in te esse, & à te non esse, cogita æternã voluntatem, & ne dicas in corde tuo, Non est Deus, sed potiùs reminiscens conuertere ad Dominum Deum tuum, cum omni fine terræ.

Ab increata sapientia est omnis alia sapientia.

Ioann. 1.

CAPVT VII.

Quòd mentis affectu homo à Deo recesserit.

MIrabilis facta est Domine, scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Amplectar interim te Domine IESV, paruus paruum, infirmus infirmum, homo hominem, ampliùs dicam, pauperem. Nam & tu Domine pauper, sedens super asinam, & super pullum filium asinæ. Sic ergo te amplectar Domine. Nam tota magnitudo mea, non nisi quod paruum est tui; tota fortitudo mea, quod infirmum est tui; tota sapientia mea, quod stultum est tui. Curram Domine in odorem vnguentorum istorum. Miraris, quòd vnguenta appellem, quæ infirmum sanant, roborant debilem mœstũ lætificant? Sequar ergo te, Domine IESV, horum vnguentorum excitatus odore, refocillatus aspergine. Sequar te Domine, & si non in montibus aromatum, vbi te inuenit sponsa tua; vel in horto, Domine, vbi seminata est caro tua. Illic quidem salis; hic dormis. Hic Domine, hic dormis: hic cubas, hic dulce quoddam sabbatum sabbatizas. Consepeliatur tibi Domine, caro mea, vt quod iam viuo in carne, non viuã in me, sed in te, qui tradidisti temetipsum pro me. Coungatur tibi Domine, pudicitiæ myrrha, vt iam non regnet peccatum in meo mortali corpore, nec fiam velut iumentũ in proprio computrescens stercore. Sed vnde venisti in hortum? Vnde, nisi de Cruce? Vtinam Domine & ego accipiam Crucem tuam, & sequar te. Sed quomodo sequar te? Quomodo, inquis, recessisti à me? Puto Domine, quia non pedum passu, sed mentis affectu. Nolens enim substantiam animæ meæ seruare ad te, accepi eam ad me, & volens meipsum possidere sine te, perdidi & me. Et ipse factus sum mihimetipsi grauis; factus sum mihimet locus miseriæ & tenebrarum; locus horroris & regio egestatis. Surgam ergo, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum, & coram te.

Matth. 21.

Cant. 1.

Cant. 8.
Ioan. 18.

CAPVT VIII.

Quòd ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.

PAtet, ni fallor, quoniam sicut non pedum passu, sed mentis affectu à summo bono recedens, & in seipsa veterascens humana superbia, Dei in se corrupit imaginem: ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renouatur in imaginem Dei, qui creauit eum. Vnde Apostolus. *Renouamini,* inquit, *spiritu mentis vestræ; & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Quomodo autem fiet ista renouatio: nisi nouo charitatis præcepto, de quo ait Saluator, *Mandatum nouum do vobis?* Proinde hanc charitatem si mens perfectè induerit: profectò duo illa, quæ æque corrupta diximus, memoriam scilicet, & scientiam, ipsa reformabit. Ideo saluberrimè nobis indicitur istius vnius præcepti compendium: in quo & veteris hominis expoliatio, & mentis renouatio, & diuinæ imaginis consistit reformatio. Amor quippe noster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est, de vitio in vitium proprio pondere ferebatur, charitate desuper influente, ac innatum torporem suo calore dissoluente, ad altiora se surrigit: sicque exuens vetustatem, ac induens nouitatem, sortitur pennas columbæ deargentatas, quibus ad illud sublime & purum bonum euolet, de quo & genus ducit: beato Paulo id apertiùs Atheniensibus profitente. Cùm enim de Deo subtiliter multa disseruisset; & ex Philosophorum quoque libris Deum vnum instantissimè comprobaret, in quo viuimus, mouemur, & sumus: ait inter cætera. *Cujus & nos genus sumus.* Et addidit. *Genus ergo cùm simus Dei.* Nec quis existimet genus nos Dei ita dixisse Apostolum, vt eiusdem naturæ, substãtiæue probarit, cuius & Deus: alioqui nec mutabiles, qui nec corruptibiles, sed nec miseri aliquando esse possemus: sicut nec eius vnigenitus, qui de eius substantia natus, in omnibus ipsi Patri comprobatur æqualis: sed ideo nos genus asserit Dei, vel potiùs non negat; quia ad ejus creata imaginem anima rationalis, ipsius sapientiæ ac beatitudini participari posse cognoscitur. Animam itaque nostram ad id, ad quod facta est, charitas subleuat: ad id verò, ad quod illa sponte defluxit, premit cupiditas.

Ephes. 4.

Ioan. 13.

Amor noster ex se ad ima fertur.

Act. 17.

CAPVT IX.

Quòd amor noster aduersum se ex charitate & cupiditate contrario appetitu diuidatur.

VErùm, quia charitatis siue etiam cupiditatis ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ vsitatiùs amor nuncupatur: ipse est, qui ex noua infusione charitatis, & ex reliquijs vetustæ cupi-

ditatis, quasi quodam contrario appetitu aduersus semetipsum constat esse diuisus. De quo & Apostolus. *Non quod volo ago.* Et iterum. *Caro concupiscit aduersus spiritum : & spiritus adversus carnem. Hæc sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Intelligendum sanè, Apostolum spiritus carnisque nomine nequaquam duas contrarias in homine vno, vt impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas: sed spiritus appellatione mentis ex charitatis infusione exprimens nouitatem: (charitas quippe Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis:) carnis quoque vocabulo ex reliquijs vetustatis miseram animæ insinuans servitutem, inter vetus nostrum inolitum, nouumque insolitum, continuum in vna mente asserit oboriri conflictum.

Rom. 7.
Galat. 5.

CAPVT X.

Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat: nec tamen ad bonum & malũ æquè sufficiat.

INTER hæc duo, concupiscentiã scilicet, quã carnis esse dicit Apostolus, non quòd omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent; sed quod non ex Deo, sed ex homine sit, quem carnẽ in scripturis appellari non ambiguum est: inter hanc ergo concupiscentiam, quæ cupiditas congruentissime appellatur, & illam spiritus, quã charitatem non immeritò dicemus, quæ vtique spiritus est, non nostri, sed Dei: charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: inter hæc inquam duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium quodammodo locum tenet, vt ad quodlibet eorũ se verterit anima, libero nimirũ fiat arbitrio. Nemo sanè ita desipiat, vt æqualem homini & ad bonum & ad malum, ex libero arbitrio ascribere audeat facultatem; cùm non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; cùm Deus sit, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate; cum denique neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei. Quid ergo? His omnibus liberũ in homine negatur inesse arbitrium? Absit. Est quippe liberum arbitrium ea animæ vis, siue natura, vel, si quid aliud congruentius dici potest, id hominis, quo cuilibet rei non sine iudicio rationis cõsentit: non huius aut illius rei, boni maliue consensus, sed id quo cõsentitur. Sicut enim aliud est visus, aliud visio, nam visus quidem sẽsus est corporis vnus de quinque, visio autem ipsius sensus actus; ita aliud dicimus ipsum consensum, aliud id quo consentitur. Nam consensus quidem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quædam animæ vis atque natura, qua cõsentit, habens iudicium sibi insitum, quo eligit cui rei consentiat. Sed quia consensus fit voluntate, iudicium ratione, hæc duo voluntas & ratio liberum constituunt arbitrium. Ratio, bona vel mala, iusta & iniusta, siue ea quæ media sunt, quasi proponit; voluntas consentit: cuicunque autem rei consentiat, non nisi voluntate. Vbi autem voluntas, ibi & libertas quædam. Ex his ergo duobus, vt diximus, liberum videtur constare arbitrium: ex libertate scilicet voluntatis, & arbitrio rationis. Vides igitur, quàm non libero præscribat arbitrio, vndecumque homini bona oriatur voluntas; quando quidem nec in bona nec in mala voluntate amittit voluntatem: ac per hoc nec libertatem; sed nec rationem, ideo nec iudicium. Quid enim? Quia Deus est, qui operatur in nobis velle: ideo amisimus velle? Aut quia Dei est, quia ratione bene vtimur; ideo ratione non vtimur? Vel quia ex Deo nobis est, quicquid boni perficimus: ideo bonum non perficimus? Aut quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, quoniam ex Deo est nostra sufficientia: ideo non est sufficientia? Hæc omnia licet ex Dei gratia est, quod agimus: tamen agimus, nec sine voluntate, nec sine ratione agimus: ac per hoc non sine libero arbitrio agimus.

Galat. 5.
Rom. 5.
Quid sit liberum arbitrium.

CAPVT XI.

Quòd gratia liberum non tollat arbitrium.

NAM qui & voluntate carent ac ratione, ac per hoc libero arbitrio, nihil huiusmodi Deus in eis operatur, vt sunt pecora, ac per hoc, nec ipsi aliquid huiusmodi operatur. Quicquid autem boni Deus per nos, vel de nobis, sine nostra operatur voluntate, tantum Dei est, non etiam nostri; quicquid autem cum nostra voluntate, & illius est, & nostrum. *Si enim volens id facio,* ait Apostolus, *mercedem accipio; si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Quocirca vt opus quod in nobis, siue per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatẽ vt consentiamus; sicque ex eius gratia, merces sit nostra. Si enim volens id facio, mercedem accipio: vt autem sim volens in bono opere, Deus est qui operatur & velle. Ipsam deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum; dat gratiam pro gratia: perficere scilicet pro bona voluntate. Postremò quia vita æterna bonorum operum merces est: ipsam dans coronat dona sua: quæ voluit esse merita nostra. Vide hoc totum in Paulo. *Qui fui,* inquit, *blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Hic voluntas, sed mala: merita, sed pessima. *Sed misericordiam consecutus sum; vt fidelis essem.* Ecce voluntas bona; sed vide, vnde. Nõ quia aliquid boni in me præcessit: sed quia eius misericordia me præuenit. Misericordiam enim consecutus sum; vt fidelis essem. Nempe, vt ait Beatus Augustinus, ire ad Ecclesiam, audire verbum Dei, sacramentum percipere Christi, aliquis potest nolens: credere nemo, nisi volens. Audi & de opere. *Plus illis omnibus laboraui.* Hoccine habes paule, quod non accepisti? Imò accepi. Et quidem plus illis omnibus laboraui: non autem ego. Quomodo vtrumque verum; ego, & non ego? Non ego, quia non ex me; non viribus meis; non sapientiã meã; non denique meritis meis; sed gratiã Dei. Quid igitur? Itane, vt liberum tibi tollat arbitriũ; destruat voluntatem; iudicium rationis absumat? Absit. Dixi, non ego, quia gratia Dei mecum. Quomodo mecum? Agens scilicet, vt consentiam operari, & sic ipse cooperer, & volens cooperer: ne si me inuito de me, aut per me operetur; non sim qui dicam. *Bonum certamen certaui; cursum consummaui; fidem seruaui.* Non ergo liberum arbitrium ad aliquod bonum sufficit: sed in ipso, vel cum ipso, vel per ipsum, Deus multa bona perficit. In ipso, quando illud occulta inspiratione ad aliquod bonum erigit: cum ipso, quando ipsum liberum arbitrium sibi per consensum iungit: per ipsum, quando Deo operante alter per alterum proficit. *Reposita est, mihi,* inquit, *corona iustitiæ.* Quæ corona, nisi

1. Cor. 9.
1. Timo. 1.
Aug. tract. 26. in Ioan.
1. Cor. 15.
2. Timo. 4.
Ibidem.

2. Timot. 4. vita æterna? *Reposita est mihi corona iustitiæ; quã reddet mihi Dominus in illa die.* Reddet, inquit. Ergo quia redditur, merces est, vita æterna. Merces plane, quia bonum opus præcessit. *Bonum enim certamen certaui.* Sed hoc opus vnde? Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Merita itaq; nostra, Dei est gratia. Propter quæ merita dat vitam æternam: gratiam pro gratia. Denique reddet vnicuique secundum opera sua. Sed illa tantum opera cœlesti mercede donantur: quæ priùs eius munere largiuntur. Nam quòd vita

Rom. 6. æterna gratia sit; ipsum audi. *Stipendium enim pecati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Gratia inquam vita æterna: & duplex gratia. Gratia, quia pro gratia data: gratia, quia meritis præponderat gloria. *Non enim sunt condigna pas-*

Rom. 8. *siones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

CAPVT XII.

Quòd nec saluatis nec damnatis liberum arbitrium auferatur, & quòd gratia non nisi in libero arbitrio operetur.

SEd numquid in illa gloria, aut sine voluntate erimus, qua tanto bono consentiamus: aut sine ratione, quâ hoc bonum nostrum iudicemus? Ergo nec sine libero arbitrio; non quo vllum malum poterimus: sed quo illius boni capaces existamus. Non enim pecora aut damnationis obnoxia, aut salutis possunt esse capacia: vtique qui a sunt rationis ac voluntatis expertia. Nam infantes quidem, in quibus etsi non maior, tamen gratia est euidentior; in quibus nec ex dono vlla sunt merita: licet ob infirmitatem, quæ ex peccati pœna accidit, sine libero & viuãt & moriantur arbitrio: exuti tamen hoc, quo impediuntur, carnis inuolucro, nequaquam credẽdi sunt absque rationali voluntate æternæ felicitatis, vel debitæ damnationis esse participes. E quibus quotquot saluantur, euidentiori fit gratia; quippe quibus liberum deest arbitrium, cui possint ascribi merita: cæterum illa mihi videtur cumulatior; quâ & merita donantur & præmia. Igitur in nullo gloriandum: quando nostrum nihil est. Quis enim te discernit, ô homo? Liberum arbitrium? Ita planè; sed à jumentis, non ab iniustis. Nam & iniusti liberum habent arbitrium, sine quo non possent esse vel injusti.

Originale peccatum nõ est nobis liberum, secus actuale. Excepto dumtaxat originali peccato, quod alia ratione etiam inuitos quosque constringit, nemo nisi voluntate justus: nemo nisi voluntate potest esse iniustus: ac proinde nec sine libero arbitriò. Sed voluntatem ad justitiam sola gratia erigit: in injustitiam ipsa se deijcit. Porrò vbicumque voluntas: ibi & libertas. Vbicumque enim voluntate est, ibi non cogitur, vt sit necessitate. Habet ergo innatam sibi quodammodo voluntas libertatem: quia nullam potest pati necessitatem. Vis audire quandam etiam in injustitia libertatem?

Rom. 6. Audi Apostolum. *Cùm enim serui essetis peccati liberi fuistis justitia.* Videsne quod non desit libertas voluntati, etiam in seruitute peccati? Sed numquid in libertate injustæ volũtatis judicium deest rationis: quo id quod vult discernat, ab eo quod non vult: quo sibi commodum, vel bonum, vel voluptuosum iudicet, etiam id quod malè vult? Nam si vtrumlibet horum deesset, posset fortè voluptuosa tantum appetere: non autem illis rationali quodam judicio dissentire: quod est liberi arbitrij. Nam quod ratione etiam ad malum abuti possit homo, probat illud Propheticum. *Sapientes sunt, vt faciant mala.* Nam Ierem. 4.
nec in pœnis inferni liberum deest arbitrium, quo voluntariè, ac per hoc liberè à malis dissentiant, quæ patiuntur: nec iudicium rationis, quo seipsos accusent & iudicẽt, quia suis meritis talia patiuntur. Patet, ni fallor, ratio, quod nec gratia liberum arbitrium destruat: nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim gratia liberum arbitrium auferat; cùm gratia non nisi in libero operetur arbitrio? Neque enim gratia ista, de qua loquimur, aut in brutis animalibus, aut in rebus operatur insensibilibus: sed in his tantum, qui præceptionis, aut prohibitionis capaces audiunt, fac hoc, & fac illud: & noli hoc, & noli illud. Quæ proculdubio non dicuntur, nisi his, quibus inest liberum arbitrium: quo possint velle hoc aut illud. Vt autem bonum velint, Dei gratia operatur: non liberum destruens arbitrium, vt nihil velint: sed adhoc inclinans, vt bonum velint. Quocirca cùm aliquid boni facis, non existimes, hoc te tuis viribus agere: nec tamen à tua id alienes voluntate: quandoquidem non dicendum est opus bonum, nisi sit & voluntarium. *Gratia non aufert liberum arbit.*

CAPVT XIII.

Ratio, cur non ad bonum & ad malum liberum arbitrium æquè sufficiat.

SEd dicet aliquis. Assentio iam, & quidem satis probatum est, Dei gratiam ita posse omnia in omnibus operari, vt nihil arbitrij præiudicet libertati. Sed vtrum ita sit, quis nouit? Quæ ratio, vt cum nullius adminiculo ad malum egeat, ad bonum sibi non sufficiat? Et quis est, cui satis non sit, quod huic assertioni consentiat fides catholica, probet quotidiana vniuscuiusque bene proficientis experientia, affirment insuper prophetica simul & Apostolica testimonia: & quod his maius est, illa illius veridici oris sententia qua dicit, *Sine me nihil potestis facere?* Porrò oculis Ioan. 15.
hac fide purgatis ratio deesse non poterit, aderit intelligentia, lumen se ingeret veritatis. Videat ergo qui potest; credat qui videre non potest. Qui videt, gaudeat, sed humiliter; qui non videt, credat, sed perseueranter, quia *nisi credideritis,* Isai. 7.
non intelligetis. Videat inquam, quia cum omnis creatura de nihilo sit facta, & mutabilis facta, naturali quodam suæ mutabilitatis impulsu, semper ad id, de quo facta est, id est ad nihilum vergit. Et reuera perfacile est videre, omne quod natura mutabile est, quodam incommutabili indigere, vt non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, alioquin ne mutabile quidem esset; quanto minus alteri conferret? Si verò nullius fulcita præsidio creatura mutetur, quis non facile videat eam naturaliùs, vt ita dicam, & expressiùs ad id, de quo facta est, impetu quodam necessario cõmutari? Quapropter vt in inferiora sua mutabilitate non defluat; vt in eo quod est, suam mutabilitatem cohibeat; vt ad altiora auspicio feliciori se subrigat; semper illius eget gratia, cuius est creata potentia. *Creatura peccabilis, quia mutabilis.*

CAPVT XIV.

Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, & illam, quam habent prædestinati in mundo, & quod iustè imputetur homini mala voluntas, licet ad bonam obtinendam liberi arbitrij non sufficiat facultas.

VNde & in cœlis Angelo, & homini in paradiso, licet nulla eos coarctaret infirmitas,

quibus nulla dominabatur iniquitas: quia tamē vterque mutabils natura, vtrique hæc gratia necessaria; quæ vtique si collata non esset, excusabiliter vterque peccasset. At quia ex creāte gratia, bona eis erat collata voluntas; ex adiuuante gratia, si ipsi vellent, in ea perseuerandi facultas: nulla superest de mutabili natura causatio: cui sustentandæ, ac promouendæ non deesset diuina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas. Vtrum autem reprobis aliquando etiā nunc talis gratia conferatur, vt & bona eis inspiretur voluntas; addatur gratia, qua non desit, si tamen ipsi velint, perseuerandi facultas, non audeo præcipitare sententiam. Sanè electis, quia maior quàm primis in paradiso hominibus, incūbit miseria, maior cōfertur & gratia: & quo maior impugnat infirmitas, eo vberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, vt dictum est, datum nouimus posse perseuerare, si vellent: istis insuper, vt perseuerent. Sed quod, inquiens, hominis vitium, si bonam non habuerit voluntatem, quā nec proprijs viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At qui bonæ voluntatis conditus, cuius est vitio peioratus? Cur non iustissimè ipsa ei impotentia imputetur, quam nō ei creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit? Et si fortè æquum non videtur, vt hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quā quidem habere non poterit si non acceperit; iniustumne, vt imputetur ei, quòd acceptam amisit: iniustum, vt imputentur mala, quæ nullo cogente deliquit?

Electis maior gratia datur quàm Adæ.

CAPVT XV.

Quòd iustissima sit etiam paruulorum damnatio.

AD hæc, inquis, ratio iustissimè illos condēnat, qui rationis capaces, nec iudicio eligēdi, nec voluntate carent consentiendi: cæterum paruulos quæ ratio addicit dānationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit iniustos? Quid enim? Iniustum æstimas, vt lignū inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, vtpote veneno antiqui serpentis inficiatum, iustissimè addictum flammis, igni destinatum, adiudicatum damnationi. Quid ergo? Ingratum te præbes, ô lignum inutile, quòd quidam ramusculi à tua præmortua præcisi radice, eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidā fructuoso inserti, pristinæ venustati donentur? Vide lignum illud viride, lignum vitæ, lignum cuius non defluunt folia, cuius omnia facta prosperātur, in ipso suo dulcissimo latere, quod idcirco voluit in Cruce aperiri, ramis, ab illa damnata radice, sola sua miseratione discretis, dedisse locum; vt sibi inserti & complantati, & vnum cum eo effecti, non sua virtute, quæ nulla est, sed, illi⁹ spiritus participatione reuiuiscant & virescant, susceptaque pluuia illa voluntaria, quam segregat Deus hæreditati suæ, sole quoque diuinæ charitatis incalescente, resumpto nouo cælestis gratiæ succo, fructus afferant spirituales, supernis nimirum horreis recondendos. Sed relictus sum ego, ait ramus ille inutilis. Relictus plane. Quid causaris? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Multis quidem dedi, quod nulli debui; & tu hinc nequam, hinc inuidus, hinc opponis, hinc calumniam struis? Sed cùm vtrosque, inquis, parvulos, par teneat inuolutos damnatio: cur ille eligitur, iste respuitur? Audi quare. Quia *Iacob*, inquit, *dilexi: Esau autem odio habui.* Injustum clamas. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud in contumeliam.* Si ergo homo ex vasis quæ facit, quę voluerit deputat honori; quæ voluerit exponit contumeliæ; nec quisquam est qui causetur iniustum: tu caluniaris, si Deus ex vasis, omnibus quidem iustissimæ contumeliæ ex[illegible]tis, quæ voluerit, assumat; quæ voluerit, relinquat: quæ voluerit in pristinū reformet honorem; quibus voluerit, debitam inferat damnationem? Si inquam figulus in vasis, quæ de eodem luto compingit, discernendis, ipsa eius voluntas justitia est: quomodo non multomagis in omnibus, quæ ex nihilo creauit omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, discernendis, salvandis, damnandis, ipsa eius voluntas summa justitia sit? Ergo miseretur cui voluerit: & misericordiam præstat, in quem sibi placuerit: & quem vult obdurat, justissimè deserendo: & quem vult emollit, piissimè miserēdo: & quicquid vult facit, nec iniustum aliquid facit; quandoquidem inter iustum & injustum sola eius discernit voluntas, quæ non est aliud, quàm ipsa æquitas: nec eius voluntas ex alia pendet lege justitiæ: sed lex iustitiæ ex eius vtique voluntate. Hæc diximus, ne injusta videatur damnatio parvulorum. Itaque, ô homo, noli altum sapere; sed time. Si enim ramis cum quibus est æqua cōditio, par meritum, non parcit Deus: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo seueritatem & bonitatem Dei. In his quidem qui deseruntur seueritatem: in te autem bonitatem; si tamen permanseris in bonitate. Alioquin & tu relinqueris. Porrò vt non relinquaris, sed à relictis potiùs discernaris, noli de te præsumere, noli de Dei bonitate desperare: noli esse negligens ad operandum: noli esse segnis ad orandum cum Propheta, qui ait. *Discerne causam meam de gente non sancta.* Verùm, vt in bonitate hac perseueres, nō tibi de tuis viribus blandiaris: sed de illo præsume, cui item clamat Propheta. *Tu Domine servabis nos: & custodies nos à generatione hac in æternum.* Illa scilicet generatione, de qua statim subjecit. *In circuitu impij ambulant.* Hi sunt, qui instar Samson decisis virtutum crinibus, defossisq; scientiæ rationisque luminibus, deputantur ad molam: vt deserentes compendium charitatis, circuitum teneant cupiditatis.

Nulli gratia debita erat.

Rom. 9.

Iusta est parvulorum damnatio.

Psalm. 42.

Psalm. 11.

CAPVT XVI.

Quòd charitati nihil desit perfectionis.

QVID tu, ô anima mea, satisne es hoc intricata circuitu? *Caput*, inquit, *circuitus eorū, labor labiorum ipsorum operiet eos.* Quod, quæso, huius laboris emolumentum? Aliudne, quā porcorum siliquæ? Nec hinc quidem satietas; si fortè satietas, qualis? O quàm suauior, quàm iocūdior, quàm denique gratior esuries charitatis, quàm satietas cupiditatis! Cæterum de beatitate nulla comparatio. Quantò enim quisque saginatior cupiditate, tantò veritate inanior, tantò proinde & miserior. Audiens quapropter, ô anima mea, vituperationem multorum commorātium in circuitu, esto quasi vas perditum, quatenus à temetipsa deficiens, & tota in Deum transiens, nescias tibi viuere, nec tibi mori; sed ei, qui pro te mortu⁹ est, & resurrexit. O quis dabit mihi hoc salutari poculo debriari, hoc mentis stu-

Psalm. 139.

pore perfundi, hoc suauissimo lethargo sopiri! vt diligens Dominum Deum meum toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omni virtute mea, nunquam quæram quæ mea sunt, sed quæ Iesu Christi: diligensque proximum tanquam meipsum, non quæram quod mihi vtile est, sed quod alteri. O verbum consummans & abbreuians in æquitate! verbum charitatis; uerbũ amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis. Verbum consumm[illegible], cui nihil potest deesse; verbum abbreuiãs, in [illegible]o pendet tota lex & Prophetæ. O Iudæe, quid tantis opus est? Hic Circũcisio, hic Sabbatum, hic Hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium, hic totius suauitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum deerit; charitatẽ neglige, & nihil horum proderit.

In charitate est Sabbatũ, circumcisio, & sacrificiũ.

CAPVT XVII.

De spirituali Circumcisione, quæ in charitate continetur.

HIc planè non carnalis vnius membri amputatio, sed potius interioris exteriorisq; hominis vera & perfecta circumcisio: resecans voluptatem, extinguens libidinem, coërcens gulam, cohibens iracundiam, inuidiam penitus euertens: omniũ vitiorum generatricem expugnãs superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spirituali quadam suauitate contemperans, sequacis acediæ occurrit languori. Hæc auaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idolatriæ vitio animã liberat ac conseruat. Quid rogo hac circumcisione perfectius, qua vitiorum membra resecantur, corpus peccati destruitur, protoplastorum exuvies villosa deponitur: totaque antiquæ vetustatis labes, squalorque reijcitur? Mentẽ enim, quam dulcedo charitatis oppleuerit, non timor angustat; non libido commaculat; non ira dilaniat; non superbia eleuat; non cœnodoxiæ inanis fumus euentilat; non exagitat furor; non stimulus ambitionis euiscerat; non auaritia contrahit; non deijcit tristitia; non inuidia tabefacit. Charitas quippe non æmulatur; non agit perperã; non inflatur; non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt; non irritatur; non cogitat malum; non gaudet super iniquitate. Vides hanc spiritualem circumcisionem omnium vitiorum esse peremptoriam: etiam omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat; oculorum abscindens petulantiã, aurium pruritum eradens, gustus superfluas summitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans.

Charitas vitia resecat.

CAPVT XVIII.

Quod verum sabbatum ac spirituale in charitate.

IAm quale hoc sabbatum, aduertat Iudæus; si tamen vilis homuncio gemẽs sub sarcina peccatorum, vinculatus retibus passionum, qui certè nihil, aut perparum huius dulcedinis degustauit, hinc aliquid loqui potuerit. O, si daretur mihi vel modica requies ab exactoribus Pharaonis! vt liceret animam meam dimidia saltẽ hora in huius silentio sabbati repausare: profectò in pace in idipsum dormiens silerem: & somno meo requiescerem cum regibus & consulibus, qui ædificant sibi solitudines; & replent domos suas argento. Sed vnde misero tanta spes? Quæram, quæram sabbatum illud; si fortè desideriũ pauperis audias Domine: & eductum aliquando de lacu miseriæ & luto fæcis, dones vel stillulæ alicujus experiẽtia discere, quàm magna multitudo duldedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te: quia non reuelas, nisi diligentibus te. Qui enim diligunt te, requiescunt in te: & ibi vera requies, vera tranquillitas, vera pax, verum mentis sabbatum. Tibi autem Iudeæ vnde sabbatum? Quia requieuit; inquis, Deus die septimo ab omnibus operibus suis. Quid ergo? in præcedentibus sex non requieuit? Imò, inquis, sex diebus fecit Deus cœlum & terram: septimo requieuit. Hinc ergo præcipitur tibi vacare, vacare inquam, non saltare. O, si scires vacare, & videre, quoniam Iesus ipse est Deus: sublato certè mox infidelitatis obscuro, reuelata facie in charitate perfectum cerneres sabbatismum: nec magnopere iam carnales carnalis tui sabbati epulas affectares: qui ingressus locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis sonus epulantis, in illud canticum gratulabundus erumperes. *Exultabimus & lætabimur in te: memores vberum tuorum super vinum.* Sed & illud Habacuc in cumulum tuæ iucunditatis assumens. *Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo Iesu meo.*

Genes. 1.

Cant. 1.

Habac. 3.

CAPVT XIX.

Quantum dies septimus cæteris præferatur; & quòd in eo Dei charitas commendetur.

SEd iam septimi diei prærogatiuam paucis aduertamus. Et quidem magnus dies ille, in quo decussis tenebris, lux Deo iubente resplenduit: magnus & ille, quo aquas inferiores & superiores, interiecto firmamento vox diuina discreuit. Pretiosus nihilominus ille, quo aquis Dei verbo in vnum congregatis, terra arida vestitur herbis, venustatur arboribus, decoratur floribus, fructibus fœcundatur. Nec ille inferior, in quo cælum luminibus adornatur, quibus dierum successus, temporum vices, anni cursus, signorum ordines disponuntur. Illius quoque quæ eminentia, quo aqua diuersorum animantium genus emittens, partem suis mersit gurgitibus, partem transmisit in aëra! Nec vacat admiratione dies sextus, quo quadrupedia & serpentia producuntur è terra, quo demum homo formatus è limo, diuino flatu animatur. At nullus horum diei septimo videtur comparandus: in quo nulla quidem naturæ creatio, sed ipsius Dei requies, omniumque creaturarum commendatur perfectio. Sic enim habes, *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit ab vniuerso opere quod patrarat.* Magnus hic dies, magna requies, magnum sabbatum. O si intelligas! Ni fallor, dies iste non hujus visibilis solis cursu peragitur, non eius inchoatur exortu, nec terminatur occasu; denique non habet mane, non vespere. Porrò de die primo, si tamen primus dicendus est, non enim eum scriptura primum appellat, sed vnum, Sed quomodo, inquis, sequens dicitur secundus, si non iste primus? Vide ne fortè secundò dicatur dies vnus, dicatur & tertiò; vt vno die sexies repetito, senarius nobis numerus commendetur. Verùm quoquo modo se habeat ista obscuritas: *factum est*, inquit, *vespere & mane dies vnus.* Et infrà, *Factum est vespere & mane, dies secundus.* Id ipsum & de reliquis. Puto his verbis omnium creaturarum mutabilitatem esse signatam: defectum & profectum, initium & finem. De die septimo nihil tale. Non ei adscribitur vespere [illegible]

Opera sex dierum commemorãtur.

Genes. 1.

Genes. 1.

mane; non finis, non initium. Ergo dies requietionis Dei non temporalis, sed æternus. Tu paulò antè Deum finxeras temporaliter laborãtem: quasi fatigatum temporaliter quiescentem. Hoc non erat Deum cogitare, sed idolum fabricare. Cavendum tibi est, ne non habẽs idolum in templo Ierosolymitano, habeas illud in corde tuo. Non aliquid laborans fecit: quia dixit, & factum est. Non fatigatus vno aliquo tantum die requieuit: quia dies requietionis eius æternus est. Ergo requies eius, æternitas, eius. Putaueras eum tibi similem, ideo quasi indigentem aliquid creasse, quo oblectaretur aspiciendo; vel in quo requiesceret fruendo: idcirco non in aliqua creatura requies eius describitur: vt scias nullius indigentem, sed sibi in omnibus sufficientem; nec creasse aliquid, vt suæ consuleret egestati; sed vt satisfaceret suæ plenissimæ charitati. Porrò creauit vt essent omnia: sustentat, vt maneant, quæ manent omnia: ipse ad debitos fines perducit vniuersa. Nec id agit vlla necessitate: sed sola sua suauissima voluntate. Denique attingit à fine vsque ad finem fortiter, præsentissimâ & omnipotẽtissimâ maiestate: sed disponit omnia suaviter, quietus semper & quiescens in sua placidissima charitate. Ipsa incommutabilis & æterna requies eius, æterna & incommutabilis tranquillitas eius: æternum & incommutabile sabbatum eius. Ipsa sola causa cur creauit creanda; regit regenda; administrat administranda; mouet movenda; promouet promouenda; perficit perficienda. Ideo aptissimè, vbi eius requies commemoratur: ibi omnium rerum perfectio demonstratur. Charitas enim eius, ipsa est voluntas eius; ipsa est & bonitas eius: nec hoc totum aliud, quàm esse eius. Hoc est enim ei in sua dulcissima charitate, in sua placidissima voluntate, in sua abundantissima bonitate, semper quiescere, quod semper est esse. Quocirca sicut diebus sibi succedentibus, & quasi vices suas mane ac vespere variantibus, in quibus creata narrantur omnia, creaturæ mutabilitas designatur: sic die hoc, die cui nihil aduenit, nihil præterit, nihil succedit, qui nec initio angustatur, nec fine concluditur, ipsa eius æternitas non immeritò commendatur: in qua eius requies aptissimè describitur; ne indigens aut laborans aliquid creasse putetur. Sed cur ibi senarius numerus, hic septenarius? Et hinc accipe, quale possumus, documentum.

Idolum fingit, qui Deũ aliter quàm est cogitat.

Sabbatum æternitatem Dei denotat

CAPVT XX.

Cur senarius numerus in Dei opere, septenarius in eius requie commendetur.

SEnarius sane numerus perfectionem maximam continere videtur. Ex omnibus quippe suis partibus constat, nec eas excedit. Partes eius sunt vnum, duo, tria. Nam si quæras, vnum quota pars sit senarij, respondetur sexta: quota duo, responderi potest tertia: quota tria, respondetur media. Iam in senario nullus alius est numerus: de quo posset responderi, quota sit eius. Omnes igitur partes senarij, vnum, duo, tria. Hæc conjunge, nec plus nec minus inuenies quàm sex. Is ergo numerus in mundi creatione seruatus est: vt in vniuersitate creaturæ nihil superfluum, nihil æstimes imperfectum. Porrò septenarius numerus in Dei requie dedicatur. Requiem Dei eius diximus charitatem. Nec immeritò. *Pater*, inquit, *diligit Filium; & omnia monstrat ei, quæ ipse facit.* Et iterum. *Sicut ego Patris mei mandata seruaui: & maneo in eius dilectione.* Et ipse Pater. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus: in quo mihi complacui.* Hæc mutua Patris Filijque dilectio amor suauissimus, gratus complexus, charitas beatissima; qua Pater in Filio, Filius repausat in Patre: hæc planè, hæc vtriusque imperturbabilis requies, sincera pax, æterna tranquillitas, incomparabilis bonitas, charitas indiuisibilis: hoc vtriusque vnum, imò in quo vterque vnum, dulce, suaue, iucundum, sanctum dicimus Spiritum: qui & idcirco creditur hoc sibi vocabulum propriè assumpsisse, quod esse cõstat vtriusque commune. Nam cùm Pater & Filius vterque sit Spiritus, vterque sanctus: hic tamen qui vtriusque est, charitas scilicet & vnitas cõsubstantialis amborum, propriè dicitur Spiritussanctus. Qui licet sit vnus, & cum Patre & Filio vnum: propter septiformem tamen gratiam, quæ ex illius fontis plenitudine creditur emanare, in Scripturis septenario numero designatur. Vnde & in lapide vno, juxta Zachariam, septem cernuntur oculi: & secundum Apocalypsin, septem sunt spiritus ante thronum Dei. Vides ergo, quanta præstantia charitatis; in qua omnium creator & rector perenne quoddam & ineffabile sabbatum sabbatizat.

Ioan. 5. Et 15.

Matth. 3.

Spiritussanctus amor Patris & Filij.

Zachar. 3. Apocal. 5.

CAPVT XXI.

Quòd in omnibus creaturis quoddam vestigium diuinæ charitatis appareat: & ideo quasi ad sabbatum, id est ad requiem, omnia tendant

POrrò si omnem creaturam à prima vsque ad nouissimam, à summa vsque ad imam, à summo Angelo vsque ad minimum vermiculum subtiliùs contempleris: cernes profectò diuinam bonitatem, quam non aliud dicimus, quàm eius charitatem; non locali infusione, non spatiosa diffusione, non mobili discursione; sed substantialis præsentiæ stabili & incomprehensibili in se permanente simplicitate omnia continentem, omnia ambientem, omnia penetrantem, ima superis conjungentem; contraria contrarijs, frigida calidis, siccis humida, lenibus aspera, duris mollia, concordi quadam pace fœderantem: vt in ipsa creaturæ vniuersitate nihil aduersum, nihil possit esse contrarium; nihil quod dedeceat, nihil quod perturbet, nihil sit, quod ipsam vniuersitatis pulchritudinem decoloret: sed in ipsius ordinis tranquillitate, quem ipsi vniuersitati præfixit, cuncta quasi tranquillissima quadam pace quiescant. Vnde id quod tumescens foras ordinem excedit diuinæ bonitatis, excipitur mox ab ordine eius inuictissimæ potestatis: vt quanquam in se inquietum sit & inordinatum, tranquillitati tamen ipsius vniuersitatis non modo non obsit, sed etiam prosit plurimùm: dum comparatione eius quæ pulchra sunt, pulchriora; quæ bona sunt, judicantur esse meliora. Hinc est, quod singula quæque ad suum ordinem tendũt; sua loca petunt; extra ordinem suum inquieta sunt: ordinata quiescunt. Nam si lapidem libres in aëra; nonne mox quasi vim passus proprio pondere se deponit ad solida; ibi tantum requiem habiturus, vbi nec deflectet in latera, nec in ima solidi alicuius oppositione labatur? At si oleum cæteris suffundas liquoribus; continuò suæ deiectionis impatiens penetrat ad superiora: nec alias deponit conatum, quàm cæteris supereminens, ordinis sui quiete potiatur. Quid olera, quid arbusta? Nonne quò feraciùs vberiùsque fructificent, hæc solidiorem, hæc mollio-

Nulla creatura exit ordinem diuinæ prouidentiæ.

rem, hæc pinguiorem, hæc argillosam, hæc arenosam quasi appetunt terram? Quæ cùm fuerint secundum naturæ suæ ordinem posita vel transposita, plantata vel transplantata; nihil se vlteriùs affectare, ipsius incrementi sui voce testantur. Denique si singula quæque corpora diligẽter attendas: cernes nimirum singula suis constare partibus; partes partib⁹ quasi vnitatis quodam vinculo colligari, ordinem suæ seruare naturæ; in eo quasi quadam pace quiescere: ita vt si velis ab eo modo, in quo quæque res est, eam transferre; pax partium quodammodo perturbetur: donec abductæ in eum quem velis modum, quadam iterum assumpta tranquillitate quiescant. Porrò animantibus irrationalibus quis labor est, tueri salutem; vitare perniciem; carnalium appetituum quærere satietatem: qua adepta, cùm nihil habeant vltra quod appetant; conquiescant? Rationis quippe, scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt.

Qualibet res suum locum & ordinem habet

CAPVT XXII.

Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit; & quare cùm beatitudinem optet, viam tamen qua eam obtineat, mira infelicitate relinquat.

Tibi enim ô anima rationalis præ cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur; quò te sensibus carnis emergens, ad altiora contendas: nec aliquando saties appetitum, donec ad id quod est summum, id quod est optimum, id quo nihil superius, nihil excellentius, felici curiositate peruenias. Vbicumque infrà substiteris, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi jucundum judicetur: misera proculdubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas; restat, ad quod anheles; restat postremò ipsa beatitudo, ad quam appetendam animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Quocirca cùm omnes homines beatos esse velle singulorum testis sit conscientia; cùm hæc voluntas vllo modo nequeat aboleri: patet rationalem creaturam optatam omnibus requiem non nisi in beatitudinis adeptione sortiri. Proinde deploranda satis est miseri hominis cœca peruersitas: qui cùm beatitudinem vehemẽter exoptet, non modo non agit, quibus adipiscatur optata: verum proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet, suam. Quod vt mea fert opinio, nequaquam ageret; nisi hinc eum falsa quædam felicitatis imago deluderet: hinc veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, luctum, famem, sitim, quis non videat miseriæ fore non modicam portionem? Quibus tamen plerumque vera miseria præcauetur: æterna beatitudo cõquiritur. *Beati enim pauperes*, ait IESVS; *quoniam vestrum est regnum cœlorum. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuritis nunc: quia saturabimini.* Pauperies ergo æternis diuitijs muneratur: luctus æterna jucunditate mutatur: esurienti satietas æterna seruatur. Hæc enim omnia, diuitias scilicet, jucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet. Verùm, quia reprobum quemque, in qualiscumque suæ voluntatis affectu species quædam jucunditatis eludit; in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit: ignorans miser, quanta sit electis & in pressuris consolatio, & in spe gratulatio. Perhorrescit quidem eam, quæ in facie paret, infelicitatis effigiem, sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem: falsam jucunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit. Non secus quàm si æger quispiam salutem vehementer exoptet: sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem; adustionem exhorreat; ac præsenti quadam suauitate pellectus olei fomenta requirat: quanquam morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate feruescat: nec sine adustionis sectionisue dolore lentescat. Sic miser homo sic vel deceptus, dum putat felicitatem esse, quæ non est: vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est: & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit: ac perinde infelici circuitu laborans, numquam quiescit. Enimuerò cùm anima rationali solus sit superior Deus, par Angelus, cætera omnia inferiora judicentur: quid demẽtiæ tam vicinum, quàm relicto superiore, in his quibus ipsa sit melior, requiem aucupari?

Omnes beati esse volunt.

Luc. 6.

Homo falsa præsentium deluditur imagine.

CAPVT XXIII.

De prærogatiua rationalis creaturæ: & quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi huius sit quærenda diuitijs.

O Mirabilis creatura, solo creatore inferior, quò te deijcis? Mundum amas? Sed ipsa es mundo superior. Solem miraris? Sed ipsa es sole lucidior. De cœli huius volubilis situ Philosopharis? Sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? Sed te nulla causa secretior. Dubitas, cùm tu de his omnibus judices; de te autem nihil horum? Sed si velis judicare: noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt ex his tu beatior, sed vt esset, quo tu esses superior: subijciens tibi omnia ad cumulum honoris; se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitiuas pulchritudines; cùm tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quod quæris, quære: sed noli ibi. Quæris, vt voluntati tuæ nihil desit, & sic requiescas. Hoc ergo quære. Vbi inquis? Noli in salute corporis; quæ si sic ametur, vt in ea requies ista quæratur: cerne si desit, quanto labore acquiritur: quàm pœnali exitio pœnalis plerumque morbus expellitur. Porrò si adsit, quantâ necesse est curâ seruetur: quot ei insidiantur morbi, quot febres, quot pestes, quot denique mortes. Quid ergo? Numquid in diuitijs? Sed quis labor in acquirendis, quæ sollicitudo in seruandis: quis timor, ne amittantur: quis dolor, si delabantur? Auxisti pecuniam: & timorem nihilominus auxisti. Timetur potens, ne auferat: timetur latro, ne minuat: timetur seruulus, ne perdat. Deinde quàm crebrò id quoque eueniat, quod quidam sapiens ait, *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui*, quis dixerit? Magis ergo requiescit pauper. Vacuus enim viator & nudus, vt quidam ait, non timet latronis insidias. Securus à nocturnis furibus dormit pauper: etsi claustra non muniat. Inde est & illud poëticum, *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Cæterum mordaces diuitum curas quidam sapiens satis eleganter irridens; *saturitas*, inquit, *diuitis non sinit eum dormire.* Quod licet ad literam plerumque contingat, vt diues quispiam saturatus ad nauseam, dum prægrauato stomacho se colligit ad quietem, crebris ructibus

Diuitiarum spina.

Eccle. 5.

Eccle. 5.

excitetur: intelligendum tamen dictum de illo potius somno, de quo sponsa gloriatur in Canticis, *Ego*, inquiens, *dormio; & cor meum vigilat.* De quo & Psalmista. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Hic est somnus, in quo sopitis sensibus carnis, ac temporalibus curis à penetralibus sui cordis extrusis, sancta anima in Dei suauitate quiescit: gustans & videns, quàm dulcis est Dominus; quàm beatus omnis qui sperat in eo. Hoc ergo somno absit vt diuitem quempiam æstimes consopiri; qui semper lucris inhians, quò plura congesserit, eo inexplebiliori ingluuie non habita concupiscit. Vnde Salomon *Auarus*, inquit, *non satiabitur pecunijs: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Qui propheticum quoque illud maledictum incurrit. *Væ qui congregat non sua.* Statimque idem metallorum eius subsannans congeriem: *Vt quid aggrauat contra se densum lutum?*

Cant. 5. *Psalm. 4.* *Eccle. 5.* *Habac. 2.*

CAPVT XXIV.

Quid sit inter diuites electos & reprobos.

NOtandū sanè, quod non ait Salomon, Qui habet diuitias, sed, *qui amat*, inquit, *diuitias, fructum non capiet ex eis.* Nam profectò electi quique, etsi forte diuitias habeant, non tamē eas amant, proinde nec in his requiem quærunt: sed audientes præcipientem Apostolum *diuitibus, non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum*, sed facilè tribuant, communicent, thesaurizent *sibi fundamentum bonum, vt apprehendant veram vitam;* ex suis diuitijs non modicum fructum accipiunt, audituri nimirum à Domino, *Venite benedicti patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Hi sane non laborant in diuitijs acquirendis, timentes illud Apostoli, quia *qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli:* hos in conseruandis cassa sollicitudo nō cruciat, sponsionem Domini altiùs recitantes, qui & solicitudinem prohibet, necessaria spondet. *Nolite*, inquiens *soliciti esse dicentes, quid mãducabim⁹, aut quid bibemus?* Et paulòpost. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Postremò harum amissione non murmurant; imo & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, considerantes se habere meliorem, & manentem substantiam. At peruersis in contrarium cedit. Dum enim rationalis animæ appetitum, cui solus Deus satis est, vilissima mundialium rerum copia existimant posse sopiri; quia nihil quantarumlibet rerum ingestione proficiunt, nec ad modicum curis se infelicibus exuunt, nec aliquando laborem deponunt: & tamen, quod miserius est, talium rerum quæstu vana cæcitate tumescunt. Et hæc quidem in præsenti: at quis horum finis? Vltima eorum verba, quæ sacra scriptura non tacet, potiùs audiamus. *Dicent*, inquit, *inter se pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes;* eorumque verba subnectit: in quibus sunt hæc. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra. & tanquam nuntius præcurrens: & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantes aquas, cuius, cùm prætererit, non est vestigiū inueniri: ita & nos nati continuò desiuimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Talia dixerunt in inferno, qui peccauerunt: quoniam *spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur; & tamquam spuma, quæ à procella dispergitur; & tamquam fumus qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Aliàs ergo hæc requies & hoc sabbatum videtur esse quærendum.

Eccle. 5. *1. Timot. 6.* *Matth. 25.* *1. Timot. 6.* *Matth. 6.* *Hebr. 10.* *Damnatorum verba & pœnitētia* *Sapien. 5.*

CAPVT XXV.

Quòd nec in mundiali amicitia requies sit quærenda.

SEd amare, inquis, & amari, quid tranquilli? Siquidem in Deo, & propter Deum: non improbo, imò & probo plurimum. At si secundū carnem vel mundum; cerne, quot inuidiæ, quot suspiciones, quot zelantis animi vrentia flagra quietem mentis excludunt. Quòd si nihil horū euenerit; mors quā experiri omnes habent, hanc dirimet vnitatem; dolorem viuenti, pœnam importabit discedenti. Quamquam & in hac vita inter amicissimos graues inimicitias obortas novimus. Sanè de ea, quæ inter bonos est, dilectione, aliàs differemus.

Amor mundi & carnis caret requie.

CAPVT XXVI.

Quòd nec in corporis voluptate, nec mundi potentia requies inueniatur.

COmpellimur quasi nævum quendam huic corpori inserere, de carnali scilicet voluptate sermonem; de qua tacendum quidem foret, nisi plerosq; quasi exutos homine, belluina quadam similitudine adeo cerneremus indutos: vt in ventris, eorumque quæ sub ventre sunt, voluptate, omnem vitæ suæ fructum æstiment collocandum. Nequis ergo existimet in his mentis suæ requiem esse quærendam: paucis hinc dicēdum. Quid enim peruersius, quàm rationalis mentis bonum in ventris ingluuie collocare: ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere: maximè cùm se in his à stolidissimis belluis nihil videat posse differre? Denique & fames cruciatū: & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est: si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porrò libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum: ita profectò nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendum: cùm hæc fœdissima lues & carnem contaminet, & mentem effœminet: ac quicquid in animo honestum, quicquid decorum, quicquid denique virile est, obruat pariter & euertat? Et quidem cùm cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis obpallient, ac perinde non modò ad humanos non erubescant, imò & intumescant aspectus: hæc sola in prima frōte tantum sui præfert horrorem; vt ea maximè hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vindicat, oculos vehementer refugiat. Nempe & ipsis membris humano corpori à sapientissimo creatore honestè insertis, ob sui obscœnitatem tantum turpitudinis ingessit: vt is qui ea maluit cernere, quàm reuerenter obtegere, æterna patris maledictione mulctetur: quibus autem horum nuditas verecundiæ notam incussit, benedictionis perpetuæ gratia munerentur. Nec mirandū, iam triumphante, ac vbique coruscante illa mol-

Fœditas libidinis. *Genes. 8.*

litiei debellatrice cruce Iesu, huius passionis colluuiem proditam ac nudatam: cùm in illa dæmonicola plebe, in qua callidissima dæmonum factione falsorum Deorum flagitia pro sacris colebantur; pro eorum quasi reuerentia in theatris saltabatur: nec saltem sub spurcissimo Ioue spurcus quisquã notam aliquando confusionis exuerit. Nam & ab ipsis adulterorum Deorum cultoribus & adulterium puniebatur: & castitas plurimùm laudabatur. Quid ergo his agendum; qui Virginis filium virginitatis colunt authoré? Cauendum profectò ne cuiquam id eueniat, quod de quibusdam ait Propheta. *Computruerunt iumenta in stercore suo* Quibus verbis propriè satis finem modumque huius spurcissimæ passionis expressit: eũ quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluuione quasi proprij stercoris egestione asserens esse corruptum: vt eum nõ modo extinctum æstimes, vel absorptum; sed instar sepulti cadaueris immundissimi pruritus sanie profluente putrescentem sentias & fœtentem. Necesse est ergo, mentem, cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furijs agitari: & ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam & vagabundam soluto fræno totius honestatis impelli: restinctoque semel cõceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succedi. Perabsurdum est ergo in huiusmodi voluptate rationalis mentis requié aucupari: præsertim cùm à diuina iustitia numquã maiorem pœnam in præsenti vita legamus irrogari, quàm cùm proprijs desiderijs quilibet traditur maculandus, dicente Scriptura. *Et non audiuit populus meus vocem meam; & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et Apostolus manifestiùs de his, qui commutauerunt gloriam Dei in idola, *Propter quod*, inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam : vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.* Non quòd eos Deus quasi malorum incentor ad hæc probra compulerit: sed quòd ab eo iustissimè derelicti hæc facinora vitare nequiuerint. Supprimo multa silentio, quæ mihi contra hanc immundissimam luem animo suggeruntur: verens nimirum pudicissimos oculos tuos, mi amantissime ac desideratissime, cui præsens opusculum destinaui. Videor enim mihi quasi cernere pudoratam faciem tuã, ad hæc quæ scripta sunt, honestæ verecundiæ nota perfundi: ac suauissimo oculorum nutu mihi silentium imperare. Noui enim illud castissimum pectus tanta charitatis suauitate perfusum, ac suaue olentis pudicitiæ refertum floribus tam cœlestem ac diuinum spirare odoré, vt huius colluuionis fœtorem saltem audire onerosum sit. Proinde ad alia transeuntes, de aurium, oculorumve, ac cæterorum sensuum voluptate, de dominatu ac potẽtia, ille Rex ditissimus, potentissimus, delicatissimus, sed sapientissimus; Salomon videlicet consulatur: imò in ipso ipsa sapientia intentissimè audiatur. Primò igitur ex sua, siue aliorum persona pronuntians: *Dixi*, inquit, *in corde meo; vadam & affluam delitijs, & fruar bonis.* Et infrà. *Ædificaui domos; plantaui vineas; feci hortos & pomeria: & conseui cuncti generis arboribus.* Multaque huiusmodi addens, adiecit. *Possedi servos & ancillas, & familiã multam nimis. Coaceruaui mihi argentum & aurum; substantias regum & prouinciarum.* Et cùm de voluptate aurium addidisset: *feci mihi cantores & cantatrices;* post pauca subiunxit. *Quidquid desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur; & oblectaret se in his quæ paraueram.* Quid rogo delicatius? Quid suavius? Quid secundum hanc vitam iucundius? Sed audi, quia nihil vanius. *Cumque conuertissem me*, inquit, *ad cuncta opera mea, & labores meos, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem spiritus; & nihil permanere sub sole.* Ideoque generalem sententiam præmiserat dicens. *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole: & ecce omnia vanitas & afflictio spiritus.* Addamus & illam Saluatoris nostri sentẽtiam. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Conjungantur ergo hæc tria, *Vanitas, seruitus, & afflictio spiritus.* Vbi igitur requies, vbi sabbatum; maximeque cùm lex dicat, *nullum opus seruile facietis in eo?* Certè omnis qui facit peccatũ, servus est peccati. Vbi ergo ab hoc seruili opere certa vacatio; vbi cauetur hujus seruitutis contagio, vbi fit vera & perfecta sabbatizatio? Denique non est iustus super terrã, qui non peccet. Porrò in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea, ait sanctus David.

Dij Gentilium spurcissimi. — *Ioël. 1.* — *Psalm. 80.* — *Rom. 1.* — *In voluptate sensuum non est beatitudo.* — *Eccle. 2.* — *Eccle. 2.* — *Ibidem.* — *Ioan. 8.* — *Leuit. 23.* — *Eccle. 7.*

CAPVT XXVII.

Quòd charitas sit illud iugum suaue, sub quo vera requies, quasi verum sabbatum inuenitur.

AVdiamus quapropter eum qui ait, *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.* Ipsũ, inquam, audiamus vocantem, clamantem, & ad requiem, & ad sabbatum laborantes inuitãtem: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.* Ecce refectio, quasi sabbati præparatio. Iam ipsum sabbatum audiamus, *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ecce requies, ecce tranquillitas, ecce sabbatum. *Et inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Prorsus iugum istud suaue est, & onus leue, ideo inuenietis requiem animabus vestris. Iugũ istud non premit, sed vnit; onus istud pennas habet, non pondus. Iugum istud charitas est, onus istud fraterna dilectio est. Hic requiescitur, hic sabbatizatur, hic à seruilibus operibus vacatur. Denique charitas non agit perperã, & non cogitat malum: & dilectio proximi malum non operatur. Vides Iudæe, vbi sabbatum: in quo etsi contingat non quidem ex charitate, sed ex infirmitate aliqua peccati subreptio, quia tamen charitas operit multitudinem peccatorũ, non perit sabbati feriatio. Et meritò septimo die hæc vacatio dedicatur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Porrò septenario numero Spiritum sanctum significari, iam superiùs diximus.

Ioan. 8. — *Matth. 11.* — *Ibidem.* — *Iugum Christi non premit, &c.*

CAPVT XXVIII.

Exemplum de seipso, & sua conuersione.

ECce dulcis Domine, perambulaui mundũ, & ea quæ in mundo sunt, quia quicquid in mundo est, (ait ille arcanorum tuorum conscius,) aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Quæsiui in his requiem infelici animæ meæ: sed vbique labor & gemitus, dolor & afflictio spiritus. Clamasti Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti surditatem meam: percussisti, verberasti, vicisti duritiam meã; obdulcuisti, sapuisti; prodidisti amaritudinem meam, Audiui, sed heu! se-

In mundo solum concupiscẽtia, &c.

Matth. 11. *Iob 14.* rò clamantem, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*; Et ego *Operi*, inquam, *manuum tuarum porriges dexteram*. Iacebam enim pollut⁹ & obvolutus, ligatus & captiuatus, irretitus visco tenacis iniquitatis, oppressus mole inueteratæ cõsuetudinis. Itaque intendi meipsum, quis essē; vbi essem; qualis essem. Exhorrui Domine, & expaui propriam effigiem meam; terruit me tetra imago infelicis animæ meæ. Displicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere à me, *August. 8. Confess. c. 11.* & fugere ad te, sed retinebar in me. *Retinebant me* vt ait quidam, *nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ meæ*; vinculabat me catena pessimę consuetudinis meæ, vinciebat amor *Quæ soleāt animã conversionem retardare.* sanguinis mei, stringebāt vincula socialis gratiæ, maximè nodus cuiusdam amicitiæ, dulcis mihi super omnes dulcedines illius vitæ meæ. Sapiebant ista, placebant ista, sed tu magis. Attendens enim singula ista, vidi amaris dulcia, lætis tristia, aduersa prosperis esse permixta. Placebat amicitiæ grata cõnexio, sed semper timebatur offensio, & certa erat futura quandoque diuisio. Considerabam jucũditatum illarum initia, attendi processus, finem prospexi. Vidi nec initia reprehensione, nec media offensione, nec finem carere posse damnatione. Mors suspecta terrebat, quia talem animam post mortem certa pœna manebat. Et dicebant homines, attendentes quædam circa, sed nesciẽtes quid ageretur in me. O quàm bene est illi! O quàm bene est illi! Ignorabant enim, quia ibi mihi malè erat, vbi solum poterat bene esse. Valde enim intus erat plaga mea, crucians, terrens, & intolerabili fœtore omnia interiora mea corrumpens; & nisi cito admouisses manum, non tolerans meipsum, forte pessimum desperationis remedium adhibuissem. Cœpi ergo conjicere, quantum inexpertus potui, imo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione jocunditas, quanta cum jocunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate securitas. Non ejus qui te amat errat electio, quia te nihil melius: *In dilectione Dei iucunditas, & trãquillitas.* non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius, non modi excessus timetur, quia in tui dilectione nullus modus præscribitur; non mundialis amicitiæ diremptrix mors formidatur, quia vita non moritur. In tui dilectione non timetur offensio, quia nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio; non interuenit vlla suspicio, quia judicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic jocunditas, quia timor excluditur: hic tranquillitas, quia ira compescitur; hic securitas, quia mundus contemnitur. Cępisti interim paulatim sapere palato meo, quanquam minus sano, & dicebam, O si sanarer! Et rapiebar ad te; sed iterum recidebam in me. Et tenebant me quasi compeditum ea, quæ per carnem delectabiliter sentiebam, vi quadam cõsuetudinis: sed magis placebant ea, quæ animus conijciebat vi rationis. Et dicebam sæpe in auribus etiam aliorum, Vbi rogo, modò sunt omnes delitiæ nostræ, omnes voluptates, omnes jocunditates, quibus vsque in hanc horam vsi sumus? Iam nunc hoc momento temporis, quid inde sentimus? Quicquid jocundum fuit, hoc abijt: hoc solum de his omnibus superest, quod conscientiam pungat, quod timorem mortis incutiat, quod nos æternæ damnationi addicat. Comparetur quæso omnibus diuitijs nostris, omnibus delitijs, omnibus honoribus, id vnum famulorum Christi; quod mortem non timent. Vilui ipse mihi in his verbis, sæpe, & flebam aliquando amarissima contentione animæ. Viluit mihi quicquid aspiciebam, sed carnalis delectationis consuetudo premebat, Sed qui audis gemitus compeditorum, & soluis filios interemptorum, dirupisti vincula mea; & qui meretricibus, & publicanis offers paradisum tuum, me omnium peccatorum primum conuertisti ad te. Et ecce respiro sub jugo tuo, & repauso sub onere tuo, quia jugum tuum suaue est, & onus leue est.

CAPVT XXIX.

Quantùm errent, qui de dominici jugi asperitate causantur, cum quicquid laboris sentitur, ex reliquijs sit cupiditatis, quicquid requiei, ex infusione charitatis

ERrant, Domine, errant; falluntur, qui ignorantes semetipsos; & quid in se agatur non aduertentes, de jugi huius asperitate ac oneris grauitate causantur. Quid ergo, inquis, tu qui videris huic iugo supposuisse ceruices, ac oneri humeros subjecisse, numquam laboras? Imò persæpe. Nam hodie quoque nonnihil laboraui. Cùm enim paulò incauti⁹ mihi verbum exilisset, *Author duriore verbo quempiam offenderat.* ita illud amicissimus quidam meus molestè accepit, vt etiam offensionem suam vultu proderet: & prostratum me ad pedes eius paulò tardiùs erigeret. Nec adhuc plenè exsudauit anim⁹ meus mœrorem illum: Domine tu scis, non ideo quia ego tardè erectus; sed quia ille offensus, & ego incanto sermone præuentus. Et forte ob singularem familiaritatem, qua ei magis nudè loqui cõsueui, hic mihi faciliùs sermo surrepsit: secundùm id quod quod vulgò dicitur, priuatus dominus stultum mancipium facit. Et nunc Domine, inspector infirmitatis meæ, medicus animæ meæ, vnica spes salutis meæ, tibi soli peccaui, etiam quod in ipsum peccaui. Non enim ideo peccatum est, quia illum offendi: sed quia ne offenderem, tu prohibuisti. Tibi Domine, tibi soli peccat, quicumque peccat: quia cùm peccatur, aut non fit quod jubes, aut fit quod prohibes. Homicidium Domine peccatum est; quia tu dixisti, *non occides*. Et ideo cùm tu aliquando dice- *Exod. 20.* res, *occide*, non solum peccatum non fuit occi- *Dei dispensatio in sua lege.* dere, sed scelus maximum te iubente nolle occidere. Fraudem quoque damnat tua lex: & tamē cùm te iubente mutuatis vasis & vestibus Hebræi spoliarent Ægyptum, quoniam tibi parue- *Exod. 15.* runt, non vtique peccaverunt. Dicis nihilominus, non fornicaberis; & idcirco fornicari immanissimum scelus est: nec tamen te iubente dubitavit Propheta tuus sumere sibi vxorem for- *Osee. 1.* nicariam vt faceret filios fornicationis: quod vtique non faceret, si vxorio vinculo sibi eam copulasset. Quanquam dubitetur, vtrum ad literam sit factum sit. *Tibi* ergo *soli peccaui*. Ne- *Psalm. 50.* que occurrit in Scripturis, hoc facile homini dictum, *tibi peccaui*: quanquam dictum sit, in te peccaui. Nescio quid magnum innuit, quod dictum est, *tibi*. Quid est ergo, tibi soli peccaui, nisi, tuo arbitrio æstimandum est peccatum meum: tuo arbitrio judicandum, tuo arbitrio puniendum? Tibi soli peccaui. Vt quid parat lapidem Iudæus? Tibi soli peccaui. Qui sine peccato est inquit, vestrum: primo in illam lapidem mittat. Illi ergo soli peccaui; cui congruit de peccato judicium: cuius judicij est, quod hoc constat esse peccatum. Tu ergo Domine, tu ignosce quod peccaui: quia tibi soli peccaui. Quia tamen & in illum peccaui, projiciam me adhuc ad pedes

ejus: tu autem inspira ei, vt & ipse ignoscat, quod illud offendi: quanquam sicut tu scis, tunc eum offendere non cogitaui, non volui. Sed vt redeā ad priora: numquid hic labor meus de iugo dominico, & non potius de morbo proprio? Sentio profectò quicquid mihi est tranquillitatis, quicquid pacis, quicquid est jucunditatis, hoc totum mihi hoc suavissimum jugum parturire: quicquid verò laboris, quicquid fatigationis, quicquid denique grauitatis; ex reliquijs mundialis concupiscentiæ prouenire. Sub jugo enim illo, quod infelicissimæ ceruici meæ Babilonis, id est, confusionis princeps imposuit, infirmata est virtus mea, contrita sunt ossa mea: & quamvis ex aliqua parte sit soluta captiuitas, restat tamen ex antiqua oppressione nonnulla infirmitas: ex qua plerumque turbatur jam aliquantulum expertæ suauitatis serenitas: donec ille qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, sanet etiam omnes infirmitates meas: redimensque de interitu vitam meam coronet me in misericordia & miserationibus: cùm corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem: & impleatur sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Interim ex jugi huius suauitate non modica consolatio: & contra inditam infirmitatem nonnulla conflictatio.

Labor noster de morbo nostro est, non de iugo Christi.

Psalm. 102.

1. Cor. 15.

CAPVT XXX.

Quod hi, qui de Dominici oneris grauitate queruntur, mundi potiùs onere comprimuntur.

PRoinde qui de jugi huius asperitate causantur, fortè grauissimum mundialis concupiscentiæ jugum, aut non plenè abjecerunt, aut abjectum cum majori confusione resumpserunt; ac à foris jugum dominicum præferentes, sed ab intus humeros sæcularium negotiorum sarcinæ supponentes, labores & dolores, quibus semetipsos addicunt, grauitati Dominici oneris imputant: sicque præcepta Domini, quæ sicut dicit Ioannes, grauia non sunt, fastidientes, & vt canes proprium vomitum repascentes, sub habitu abstinentium, ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias & honores anhelant; sub sacro amictu continentium, carnis sordibus maculantur; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum, ac inexplebili auaritia æstuantes, domū ad domum, agrum agro copulant, viduis nō parcunt, orphanis non miserentur, patrimonia sibi pauperum vendicant, pro his ad lites & contentiones proni, ad iudicia parati: pro his continuis curis euiscerantur, inflammantur odijs, anxij cogitationibus dissipantur: quia iugum non Domini, sed mundi asperum est, & onus mundi graue est. Porrò iugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.

Iugum mundi durissimū

1. Ioan. 5.

CAPVT XXXI.

Quanta sit in charitate perfectio, & quid à cæteris virtutibus distet.

QVid enim suauius, quid gloriosius, quàm mundi contemptu mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistētem, totum mundum habere sub pedibus; nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui inuideat; nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse: dumque in illam hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis, dirigit mētis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi cōtaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud propheticum exultare, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni; exsiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum?* Quid rogo, dulcius, quidue tranquillius, quàm turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendijs nō aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum, sed tepescentem rore pudicitiæ carnem, spiritui habere substratam, non iam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adiutricem? Quid tandem diuinæ trāquillitati tam proximum, quam ad illatas contumelias non moueri, nullo supplicio, nullaue persecutione terreri, vnam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri: ad eius se similitudinem conformare, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos? Hæc simul omnia in charitate, & non nisi in charitate simul omnia; & perinde in illa vera tranquillitas, vera suauitas, quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia iugum Domini suaue est, & onus leue. Denique charitas patiens est, benigna est; non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, & cætera. Proinde cæteræ virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus: at charitas, quæ, licet vt aliæ virtutes virtutes sint, sit oportet in omnibus, specialiùs tamen ipsa & requies fatigato, & viatori mansio, & plena lux peruenienti, & perfecta corona victori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur? quid spes, nisi viaticum nostrum, quo in huius vitæ miserijs sustentamur? quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnam⁹? At vbi charitate, quæ nō nisi in Dei visione perficitur, illis dumtaxat quib⁹ hic in fide inchoatur, mors fuerit pleniùs absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, nō est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachijs charitatis Deum amplectenti nihil restat, ꝙ speretur. Verùm tēperantia pugnat contra libidines; prudentia contra errores; fortitudo contra aduersitates; iustitia contra inæqualitates: sed in charitate perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnat temperantia: in charitate perfecta scientia; ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia: in charitate vera beatitudo; ideo nulla aduersitas, quam fortitudo deuincat: in charitate pacata sunt omnia; ideo nulla inæqualitas, contra quam iustitia vigilet. Sed nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur: nec spes, nisi quod speratur, ametur. Porrò si subtiliùs aduertas, quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit; quid prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit; quid fortitudo, nisi amor fortiter aduersa sustinens; quid iustitia, nisi amor æquus quodam moderamine inæqualitates huius vitæ componens? In fide ergo charitas inchoatur, & in cæteri virtutibus exercetur: in seipsa perficitur.

Isai. 40.

Diuinæ trāquillitati quid in nobis proximū

1. Cor. 13.

Charitas in Dei visione perficitur.

CAPVT XXXII.

Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimi verò diei requies charitati assignetur.

Fides prim⁹ dies. SIt ergo fides nobis quasi primus dies: quo fideles ab infidelibus, quasi lux à tenebris separamur. *Spes secund⁹* Sit spes secundus: per quam in cœlestibus habitantes, & pro fidei meritis sola supercœlestia sperantes: ab his qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento aquarum instar dilabuntur & fluitant, Deo promouente discernimur. *Temperantia tertius.* Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat: in quo membra nostra quæ sunt super terram mortificantibus, ac carnales cócupiscentias quasi aquas amarissimas necessarijs terminis coërcentibus, appareat cordis nostri arida & inaquosa, sitiens Dñm Deum suum. *Prudentia quartus dies* Iam verò prudentia quasi diei quarti lumen erumpat: per quam inter facienda & non facienda, quasi inter diem & noctem, diuidamus: cuius adminiculo lumen sapientiæ velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritualis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat: per quam etiam præcedentium patrum exempla quasi stellarum globos mens deuota suspiciat: per quam inter dies & annos, méses & horas, diuidat: quid distet videlicet inter eos qui ante legem & sub lege: quid inter hos & illos qui sub gratia; quid singulis cóueniat: quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æqua examinatione discernat. *Fortitudo quintus dies* Sit nobis fortitudo quasi dies quintus; per quam huius maris magni & spatiosi, sæculi videlicet huius procellas toleremus; ac pisces spirituales Deo operante effecti, vitam nostram inter vndas tempestatesque seruemus: ac mentis nostræ desideria simul & affectus, quasi volatilia pennata ad cœlestia erigentes, & ea quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus Deo benedicente reddamus. *Iustitia sextus dies.* Porrò diem sextum nobis justitia dictet; per quam diuinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum bestijs, terrenisque desiderijs, quasi reptilibus: corporisque motibus, quasi jumétis, generosa authoritate imperemus: agentes, vt corpus menti, mens Deo subdatur: sicque justitia dictante, cuique quod suum est, tribuatur. Hic iterum benedictio, non jumentis, non reptilibus, sed hominibus. Monemur planè de hac historia licet ad literam facta, spirituales capere fructus: qui piscibus maris & volatilibus cœli Dei benedictionem legimus accessisse: quam tamen bestijs ac jumentis, siue reptilibus terræ, diuinam largitatem non cernimus contulisse: quanquam & ipsa crescant, & multiplicentur; quod muneris & volatilibus præfata benedictione Deus cernitur concessisse. Sic enim *Genes. 1.* scriptum est. ***Benedixit illis Deus dicens. Crescite, & multiplicamini, & replere aquas maris, auesque multiplicentur super terram.*** Bestijs & jumentis nihil horum. Nimirum virtutibus sanctisque affectibus, quos piscibus volatilibusque credimus comparandos, debetur benedictio; debetur multiplicatio: debetur spirituali generatione successio. Verùm sicut homini ad Dei imaginem & similitudinem creato bestiæ & jumenta Deo benedicente subduntur: sic in ipsam imaginem & similitudinem justitiæ meritis reparato, spirituales bestiæ de quibus Psalmista, *Ne tradas*, inquit, *Psalm. 73.* *bestijs animam confitentem tibi*, quibus successio non debetur, Dei imperio substernuntur. Restat septimus dies, id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur; in quo requies vera suscipitur; in quo labori nostro terminus ac finis inditur. *Septim⁹ diei requiei dictus charitas est.* Ipsa est charitas virtutum omnium consummatio; sanctarum animarum suauis refectio; honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint, oriuntur: in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies diuina nos gratia reficit: ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluuium arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit temperantia; prudentia vigilat; militat fortitudo, justitia famulatur.

CAPVT XXXIII.

Quòd in hac vita cætera virtutes charitati famulentur; & post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundenda sint.

CVm enim sit temperantiæ, vt illecebrosos carnis, animiue motus cohibeat ac retúdat, *Officia virtutum moralium.* ne scilicet noxiæ voluptatis dulcedinem germanæ dilectionis suauitati mens illecta præponat: prudentiæque peruigil cura, inter amanda & nó amanda discernat; ne cor incautum charitatis colore cupiditas palliata præueniat: roburque fortitudinis non ob aliud se mundi huius aduersis opponat, nisi vt rebus minùs pro voto cedétibus, vel etiam asperis quibusque conglobatim irruentibus, nequaquam legem charitatis anim⁹ oppressus excedat: patet profectò hæc tria virtutum vocabulo sic esse censenda; si eorum vsus ad charitatem obtinendam vel conseruandam omnimodis dirigatur. Alioqui nec virtus ea téperantia æstimatur; quæ etsi carnis pruritum contegat vel refræner, dum tamen mens nomine castitatis in auaritiam turpis quæstus abutitur: tam perniciosam interioris hominis lasciuiam non coërcet. Sed nec virtus ea est prudentia iudicanda; qua quisque fallere doctus, non inter amanda & non amanda, sed inter lucra téporalia, damnaque discernit: ac charitatis fine relicto, aliorum pernitie sibi commodi quippiã comparare contendit. Absit autem vt fortitudo Catilinæ inter virtutes numeretur; quia licet omnia aduersa incredibili modo ferre sufficeret; pro hac tamen fortitudine non nisi potentiæ mundialis, vel certè propriæ voluptatis pretiũ captans, semetipsum debito virtuti præmio defraudauit. Proinde quantumcumque sibi temperans popularis gloriæ cupidus videatur; quãtumlibet prudens pecuniosus quispiam & astutus vulgi judicio æstimetur: quanquam etiam immani stupore durescens Philosoph⁹ quis nul- *Virtutes Philosophorum charitate destituta, inanes.* lis aduersitatibus moueatur: quicquid de radice charitatis non pullulauerit, à virtutum fructibus sequestrandum nostri Philosophi censuerũt: quicquid structuræ recta linea ad cubitum illum vnum non dirigitur; extra spiritualis arcæ fabricam metiendum subtiliter perviderunt. Agit itaque vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis excedat. Verùm vt sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit: cunctis jam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate cósumptis; cunctis errorum tenebris diuinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate múdi huius succedente molestijs, depositis, vt ita dixerim, quibus hoc belli tempore vtitur, armis, sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese transfun-

dent; vt in illa felicitate nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudoue putetur, quàm charitas: tam casta, vt nullis tentetur illecebris; tam lucida, vt nullis interpoletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur aduersis. Cuius tranquillitatis statum Dominus mystico nobis sermone promittens; & *auferam*, inquit, *malas bestias de terra, & dormire vos faciam fiducialiter*. Atrocissimis namque passionum bestijs à terra nostra, carne scilicet, quam gestam⁹, ablatis, cœlesti nos faciet somno soporari: cũ immenso illius diuinæ claritatis pelago absorpti, ac ineffabiliter extra nosmetipsos elati, perfectè vacabimus, & videbimus, quoniam Dominus ipse est Deus: perenne illud charitatis Sabbatum celebrantes, quod S. Isaias Propheta describit; *Et erit*, inquiens, *mensis ex mense, & sabbatum de sabbato*: cum scilicet ex hoc sabbato, quo quædam charitatis initia degustantes, quantum diei sinit malitia, à negotiosis actibus feriamur, in illud perfectum fuerimus introducti: vbi nulla interpellente molestia, nulla carnis præpediente miseria, diligemus Dominum Deum nostrum ex tota anima nostra, & ex tota virtute nostra, & ex omnibus viribus nostris: & proximos nostros tanquam nosmetipsos. Porrò iustitiam, qua cuique quod suum est tribuitur, secundum illud Apostoli, *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem;* fraternæ dilectionis quoddam dixerim incentivum: cuius quidem initium est, nulli nocere; profectus, sine querela se omnibus exhibere. Plurimùm enim sibi aliorum mentes beneuolentiæ suauitate conciliat; qui quieta sui conuersatione offendit neminem; obtemperans senioribus, contemperans æqualibus, iunioribus condescendens: primis timorem & reuerentiam, medijs honorem & gratiam, posterioribus humilem exhibens compassionem. In re quoque pecuniaria hæc virt⁹ ad charitatis bonum prouocat intuentes; quæ secundum præmissum Apostoli præceptũ non differt debitum, donec exigat importunus exactor: sed cum quadam potius hilaritate præuenit repetentem. Si ergo hæc virtus temporalium tantum dispensationes amplectitur; nec ipsam tranquillitati illius felicissimi stat⁹ vereor abrogare: quo summa illa quiete, singulis secundum merita vel præmia, vel supplicia dispensante: illi irreuocabili damnationis sententia feriuntur; illi æternæ beatitudinis præmio munerantur: vt cùm fuerit vtrobique æternitas, nulla temporalium possit esse varietas. Verùm si altiùs ipsius iustitiæ regulas contempleris: nemo meliùs, nemo perfectiùs vnicuique quod suum est tribuit; quam is qui diligit diligenda: & tantum diligit, quantum sunt diligenda: Deum scilicet supra seipsum, proximum tanquam seipsum: Deum non nisi propter ipsum: se & proximum non nisi propter Deum. Vides, ni fallor, ex charitatis perfectione perfectionem pendere justitiæ: vt nihil aliud videatur esse justitia, quam charitas ordinata: in qua quantum quisque profecerit, tantum & requiescit.

Leuit. 26. — *Sabbatum æternum beatorum.* — *Isai. 66.* — *Rom. 13.* — *Charitas justitiã eminẽter continet.*

CAPVT XXXIV.

Interueniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, & in ejus epitaphium primus hic liber terminatur.

Considerandа quapropter illa tria videntur, quæ in mundo esse sanctus describit Apostolus, Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: ne forte, quicquid minus iocundum sub dominico iugo perferim⁹, ex harum passionum virulenta radice procedat. Sed vlterius progredi dolor prohibet, & ad flendi magis negotium recens mors Simonis mei violenter impellit. Hinc forte timor ille nocturnus, mentem exagitans meam. Hinc terror ille somniorum, necessariam mihi quietem eripiens: quia videlicet dilectissimus meus subitò rapiendus erat è terris. Nec mirandum, si mea mens quadam sui perturbatione eius præsagiebatur excessum, cuius vita tam delectabiliter fruebatur. Ecce iam timor, quem timebam, euenit mihi: & quod verebar, accidit. Quid dissimulo? Cur sileo? fortasse idcirco manet super me ista tribulatio. Procedat ad oculos, procedat ad linguam, quod corde tegitur: si forte lacrymarum guttulis, stillulisque verborum, conceptam intimis præcordijs mœstitiam, cor dolentis exsudet. Miseremini mei, miseremini mei, si qui estis amici mei, quia manus Domini tetigit me. Miramini lacrymantem, imò magis miramini viuentem. Quis enim non miretur Hailredum sine Simone viuere: nisi is, qui nescit quam dulce fuit simul viuere, quã dulce foret simul in patriam redire? Patienter ergo ferte lacrymas meas, gemitum meum, rugitum pectoris mei. Et tu dilecte mi, quanquã introductus in gaudium Domini tui, ad mensã illius summi patrisfamilias delectabiliter epuleris, illoque nouo genimine vitis in regno patris, cum tuo Iesu feliciter debrieris; patere tamen, vt libem tibi lacrymas meas, resoluam tibi affectũ meum, refundam tibi, si fieri potest, totum animum meum. Noli has lacrymas prohibere, quas dulcis memoria tui, mi charissime frater, educit. Non sit tibi onerosus hic gemitus, quem non excitat desperatio, sed affectus; nec cohibeas has lacrymas, quas pietas elicit, non fidei defectus. Et certè si meministi quò veneris, quid euaseris, vbi illum tuum familiarẽ reliqueris: cernes profecto quàm iustus sit dolor meus, quàm flenda plaga mea. Dimitte me ergo, vt plagam paululum dolorem meum. Meum. Neque enim tua mors flenda est, quam tam laudabilis, tam amabilis, tam omnibus grata vita præcessit, quam commendat illa stupẽda conuersio tua, illa prædicanda conuersatio tua, illa beata perseuerantia tua. Verè stupenda conuersio tua! Quis enim non obstupescat, quis non miretur, puerum tenerum & delicatum, clarum genere, forma conspicuum, talem arripuisse viam, & sic arripuisse? Recessisti, mi dulcis frater, scienter nescius, & sapienter indoctus; qui instar primi illius Patriarchæ egressus de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, ibas quã ignorabas, veniebas quò nesciebas. Sed sciebat ille, qui te ducebat, qui tenerum adhuc cor tuum flamma suæ dilectionis succenderat: & tu in odorem vnguentorum illius currebas. Præcessit te ille speciosus forma præ filijs hominum, ille vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnctus spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis: & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit te humilis ille spiritualis per ardua & montuosa, itinera spargens sua aromatibus myrrhę & thuris, & vniuersi pulveris pigmẽtarij: & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit puerum suum puer Iesus, ostdẽens ei præsepium

paupertatis

Simon Monachus Rieuallis Authori coniunctissimus. — *Genes. 12.*

paupertatis suæ, reclinatorium humilitatis suæ, cubiculum charitatis suæ, refertum floribus gratiæ suæ, pinguescens melle dulcedinis suæ, respersum balsamo consolationis suæ; & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Nescio quid magnum, quid ineffabile jam tunc mens illa prægustauerat: quæ corpusculo fame deficienti, quasi jumento lassescenti, fœni pabulum credidit ministrandum. Fugiebat pius puer à facie patris sui: sed magis ad faciem patris sui. Voluit quidem obliuisci populum suum, & domum patris sui, vt concupisceret Rex Regis filius decorem suum, & essent duo in spiritu vno: quatenus eius fieret pater per gratiam, qui illius est per naturam. O mira deuotio; ô mira sui ipsius obliuio! Parum fuit æmulatori venerabilis Patriarchæ

Genes. 39. Ioseph, relicto mulieri Ægyptiæ palliolo quo tenebatur adstrictus, nudum è manibus amplectentis elabi: sed insuper Evangelicæ perfectionis strenu⁹ executor, de crastino non cogitabat.

Simon mundum fugiens herbas carpit. Denique iter laboriosum satis sine viatico arripiens, deficientibus jam jamque præ inedia mébris: audiui, inquit, seruos Christi herbis pasci. Quare non & nos? Diuertensque paululum ab itinere, cœpit carpere. O, inquit, quàm dulce! O bone puer, quid tibi sapiebat? Quid rogo, herba illa, an fides; fœnum, an charitas? Sapiebat planè, sed IESVS in corde; & ideo fœnum in ore. Vnde quæso, vnde ista puero? Tua sunt ista, Domine IESV; qui das, & accipis; præstas, & exigis. Quis enim tibi dat aliquid non tuum? Sed & si quis dare voluerit, quod à te non accepit: non dignaris accipere. Accepit igitur, Domine IESV, puer iste; accepit à te, & reddidit: accepit, & obtulit. Accepit & obtulit hanc mentis deuotioné, hunc fidei feruorem, hunc dilectionis ardorem. Tua ergo omnia, Domine; qui primordia conversionis eius his miraculis dedicasti: qui piæ cóversationis eius gratum postmodum sacrificium suscepisti: qui nunc holocaustum illud acceptissimum in sublime illud templum tuum misericorditer transtulisti. Ibi in sinu Abrahæ requiescit Simon meus, dulcissimus amicus meus, tuus autem pauper, Domine IESV: ibi requiescit, translatus de morte ad vitam; de labore ad requiem; de miseria ad felicitatem. Ecce qui dolere cœperam, inueni vnde gaudeam. Inueni planè, sed in te, mi

Luc. 23. dilecte frater; non in me. *Nolite*, ait, *flere super me; sed super vos ipsas flete*. Tibi, mi dilecte frater, tibi congaudeo: sed mihi condoleo. Tibi gaudédum est: ego flendus, ego dolendus, qui possum sine Simone viuere. Mirum tamen, si viuere dicendus sum, cui ablata est tanta portio vitę meæ; tam dulce solatium peregrinationis meæ; tam

Sancti caros suos fleuerunt. vnicum leuamen miseriæ meæ. Quasi auulsa sunt viscera mea: quasi dilaniata infelix anima mea; & viuere dicor? O miserum, ô dolendum viuere! sine Simone viuere. Fleuit Patriarcha Iacob

Genes. 37. Et 50. filium suum: fleuit Ioseph patrem suum: fleuit

2. Reg. 1. sanctus Dauid Ionathan carissimum suum. Omnia hæc mihi vnus Simon fuit. Filius ætate, pater sanctitate, amicus charitate. Plora ergo miser carissimum patrem tuum: plora amantissimum filium tuum: plora dulcissimum amicum tuum. Rumpantur cataractæ miseri capitis: deducant oculi lacrymas per diem & noctem. Plora inquam, non quia ille assumptus: sed quia tu relictus. Pater mi, frater mi, fili mi, quis mihi det, vt ego moriar tecum? Nollem enim pro te. Hoc enim non esset tibi, sed potiùs mihi consuluisse.

Dicebat quidem hoc de filio parricida sanctus David. *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Numquid hoc dixit de Ionatha amico suo? Numquid hoc Ioseph de patre suo? De parricida dici debuit: de peccatore hoc dici debuit: quia mors peccatorum pessima. Pium erat, velle mori pro impio: vt esset qui pœniteret; esset qui fleret; esset cui misereretur De⁹; ne in æternum periret. At illi trãslati ad requiem non erant vlteriùs in hanc miseriam reuocandi: non erant tot timoribus, tot doloribus iterum subijciendi. Denique *Rachel plorans filios suos, noluit consolari*. Quid plorabat? Affectus. Affectus autem consolaretur, si filius à mortuis reuocaretur: si eius aspectibus mater iterum frueretur. Hoc noluit Rachel. Quare? Quia si ille à mortuis reuocaretur: de beatitudine in miseriam devolueretur. Noluit autem vt filius reuocaretur: sed vt illa ad filium in requiem assumeretur. Affectus filios requirebat: ne reuocarentur, affectui ratio obsistebat: matris verò assumptionem divina prouidentia differebat. Ideo Rachel plorans filios suos noluit consolari. Similis causa mihi. Doleo dilectissimum meum, vnicordem meum mihi ereptum: gaudeo eum in æterna tabernacula assumptum. Quærit affectus dulcem eius præsentiam, qua delectabiliter pascebatur: sed non acquiescit ratio, vt dilecta mihi anima carne soluta iterum carnis miserijs addicatur. Optat anima mea simul cum illa sua portione frui amplexibus Christi: sed obsistit infirmitas mea; obsistit inquitas mea; obsistit etiam diuina prouidentia. Certè qui paratus erat, intrauit cum sponso ad nuptias: mihi misero adhuc clausa est janua: vtinam Domine IESV, vtinam quandoque aperiatur. Spero autem in tua misericordia Domine: quod aliquando aperiatur. Præmisi primitias meas; præmisi thesaurum meum; præmisi non modicam mei portionem. Sequatur ad te, quod mei restat. Vbi est thesaurus meus: ibi sit & cor meum. Sequar hic Domine, itinera ejus: vt in te fruar consortio eius. Et poteram quidem Domine, licet lento pede, cùm oculis hic objiceretur pia conuersatio eius; cùm superbiam meam retunderet conspecta humilitas eius: cùm inquietudinem meam reprimeret considerata tranquillitas eius; cùm levitas mea constringeretur fræno miræ grauitatis eius. Memini, me sæpe, cùm oculis huc illucque discurrerem, ad vnum eius aspectum tanto pudore perfusum; vt subito intra memetipsum receptus, manu grauitatis omnem illam compesceré leuitaté: ac me ad me colligés inciperem mecum aliquid vtile actitare. Simul quidem loqui, Ordinis nostri prohibebat authoritas: sed loquebatur mihi aspectus eius; loquebatur mihi incessus eius; loquebatur mihi ipsum silentium eius. Aspectus pudicus, maturus incessus; grauitas in sermone, silentium sine amaritudine. Denique hoc vltimo anno vitæ suæ, quasi futuræ vocationis suæ non inscius, quanta tranquillitate, quanta pace, quanta circumspectione vitam exigebat! Videbatur quasi omnium exteriorum, etiam mei oblitus, ac infra quasdam suæ mentis inclusus angustias virum illum expressiùs depinxisse: qué sanctus Ieremias Propheta describens, *Bonum est*, inquit, *viro, cum portauerit iugum ab adolescétia: sedebit solus, & tacebit, quia levabit se super se*. Suscepit quidem iugum disciplinæ tuæ, Domine Iesu, florescente ætate: eligens arctam il-

2. Reg. 18.

Cur Dauid optarit mori pro Absalon.

Ierem. 31.

Matth. 25.

Matth. 6.

Aspectu viri sancti reuocatur ad se vaga mens.

Thren. 3.

lam viam quæ ducit ad vitam, in sudore vultus sui vesci pane suo, & alieno iudicio suam subdere voluntatem. Portauit etiam graue iugum infirmitatis ab ipsa adolescentia: qua eum vsque ad extrema eius per octennium, vt reor, sine vlla interpolatione paterno flagellasti affectu. Et ideo exterius nihil penè inueniens quo oblectaretur, in interiorem suæ mentis solitudinem sese recluserat: solus sedens & tacens, non tamen otio torpens. Scribebat enim vel legebat, vel meditationi Scripturarum, quippe cui erat vigil sensus, secretiùs intendebat. Vix cum Priore saltè de necessariis loquebatur. Incedebat tamquam surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum: factus sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones. Verùm siquis eum accepta occasione quolibet conueniret affatu: tanta mox redolebat in eius sermone suauitas, tanta in vultu sine omni dissolutione apparebat hilaritas; vt quàm fuerit silentium eius vacuum amaritudinis, plenum dulcedinis, & modus loquendi, & humilitas proderet audiendi. Ecce quid perdidi: ecce quid amisi. Quò abisti, ô exemplar vitæ meæ; compositio morum meorum? Quò abisti, quò recessisti? Quid faciam? Quò me vertam? Quem mihi iam sequendum proponam? Quomodo auulsus es ab amplexib⁹ meis; subtractus oculis meis; subductus oculis meis? Amplexabar te dilecte frater; non carne, sed corde. Osculabar te, non oris attactu, sed mentis affectu. Dilexi te, qui me ab ipso initio conuersionis meæ in amicitiam suscepisti; qui te mihi præ cæteris familiarem exhibuisti; qui in ipsis visceribus animæ tuæ me Hugoni associasti. Tanta enim tibi erat circa vtrosque dilectio; tam similis affectio, tam vna deuotio: vt sicut mihi videor ex verbis tuis collegisse, neutrum alteri tuus præferret affectus: quamuis eius sanctitatem mihi omnino præferendam certa ratio iudicaret. Cur ergo me absente transijsti? Cur quem solum pro duobus præsentem habuisti, discedens præsentem noluisti? An parcendum vtrique, scilicet & tibi & mihi æstimauisti; ne me conspectus tuus exitus affligeret: & lætum tuum exitum ac tranquillum dolor me⁹ vel modicè contristaret? An fortè, quod magis credo, tibi soli pietas diuina prospexit: vt tranquillam ac pacificam illam animam in desideratam tibi patriam ab hujus vitæ miserijs cum omni tranquillitate transferret: ac corporei habitaculi vinculum, te pene nesciente, tanta solueret facilitate, vt nec modicus mortis timor dilectam sibi animam molestaret? Denique is qui lecto accubabat tuo, nullum in te vicinæ mortis deprehendit indicium: imò vultus hilarior, sermo facilior, spem reuocandæ salutis augebant. Porrò cùm caput tuum suaviter reclinans spiritum reddidisses; obdormisse te credidit, nō obiisse. Tibi ergo, mi dilecte frater, tibi consultum est, qui cum tāta tranquillitate transisti: qui pacifica tua morte, à pacis ministris te fuisse susceptum, manifestissimè prodidisti. Nec mirum. Non enim horam illam horruisti, sed potiùs desiderasti: qui pridie quàm à nobis discederes, visitanti te monasterij nostri præposito, nullas te vlteriùs vitæ inducias optare dixisti. Quid igitur profecisti, ô amara mors, quid profecisti? Inuasisti certè tabernaculum eius, in quo peregrinabatur: sed rupisti vinculum quo tenebatur. Obruisti domicilium, quo interim fruebatur: sed tulisti sarcinam, qua premebatur. *Scimus*, inquit Apostolus, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissoluatur: quod ædificationem habemus domum non manufactam à Deo æternam in cœlis.* Ergo iam illa anima amica virtutibus, quietis cupida, studiosa sapientiæ, victrix naturæ, exuto huius carnis inuolucro, liberioribus, vt ita dixerim, pennis ad illud sublime & purum bonum evolat: ac diu cupitis Christi excipitur amplexibus. Sed caro, inquis, terræ mandata, in cineres soluitur. Ita planè. Sed quid exultas? Mortua est, vt viuificetur: dissoluitur, vt melius reparetur. Seminata est in corruptione: sed surget in incorruptione. Seminata est in ignobilitate: sed surget in gloria. Denique seminatum est corpus animale: surget spirituale. Vbi est mors victoria tua: vbi est mors stimulus tuus? Certè vbi videris in eū aliquid fecisse, inde conuinceris profuisse. In me ergo totum tuum virus euomuisti: & illum appetens dira mihi vulnera inflixisti. Ego ego tuli, quod amaritudinis, quod acerbitatis: cui ablatus est dux itineris mei, magisterium conuersationis meæ. Sed quidnā est, ô anima mea: quod dulce illud funus tandiu sine lacrymis aspexisti? Quid est, quod dilectum tibi corpus illud sine osculis dimisisti? Dolebam miser & rugiebam; & ab intimis præcordijs trahebam longa suspiria: nec tamen flebam. Tantumque mihi dolendum esse pervidebam: vt nec dolere me crederem, etiam cùm vehementer dolerem. Sic postea sensi. Tantus quippe stupor mentem inuaserat meam: vt etiam nudatis iam ad lauacrum mēbris transisse non crederem. Mirabar enim eum, quē arctis dulcissimi amoris vinculis mihi astrinxeram, subito elapsum manibus: mirabar animam illam, quę cum mea vna erat, sine mea corporis exui posse complexibus. Sed iam cessit ille stupor affectui; cessit dolori; cessit compassioni. Nunc quid agitis oculi? Nolite, quæso, parcere: nolite dissimulare. Præbete in exequijs dilecti mei quicquid habetis, quicquid potestis. Quid erubesco? An solus ploro? Ecce quot vndique lacrymæ, quot gemitus, quot suspiria. An hæ lacrymæ reprehendendæ? Sed excusant nos tuæ lacrymæ, Domine Iesu, quas in morte amici tui fudisti: exprimentes quidem nostram affectionem, sed tuam insinuantes charitatem. Induisti Domine, nostræ infirmitatis affectum; sed quādo voluisti: ideo & non flere potuisti. O quàm dulces lacrymæ tuæ; quàm suaues! O quantū sapiunt anxiæ menti meæ, quantum consolantur. *Ecce*, inquiūt, *quomodo amabat eum*. Et ecce quomodo meus Simon amabatur ab omnibus: amplectebatur ab omnibus: ab omnibus fouebatur. Sed fortè iudicant nunc aliqui fortes lacrymas meas; nimis carnalem existimantes amorem meum. Interpretentur eas, vt volēt; tu autem Domine vide eas, respice eas. Vident alij, quid exterius agitur; quid interiùs patiar, non attendūt. Ibi tui oculi Domine. Certè in oculis meis nihil habuit hic seruus tuus, quod vel impedimento ei sit ad tuos transire amplexus. Sed nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Tuus autem, Domine, oculus penetrat vsque ad diuisionē animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum: & est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et vt ait quidam laudabilis seruus, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate discutiatur.* Ecce, Domine, vnde timor me⁹, ecce vnde lacry-

Simonis languentis exterior.

Mors tranquilla Simonis.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

Ioan. 11.


Ibidem.

mæ. Attende eas, ô piissime, dulcissime, misericordissime. Suscipe eas, ô vnica spes mea, vnum & solum refugium meum, finis intentionis meæ, Deus meus, misericordia mea. Suscipe eas, Domine, sacrificium, quod tibi offero pro dilectissimo amico meo, & si quæ in eum maculæ resederunt, aut ignosce, aut mihi imputa. Ego, ego percutiar, ego flageller, ego totum pendam; tantum, quæso, ne illi abscondas beatam faciem tuam, ne illi subtrahas dulcedinem tuã, ne illi differas piam cõsolationem tuam. Experiatur, mi Domine, dulcedinem misericordiæ tuæ, quam tam vehementer optauit, de qua tanta securitate præsumpsit, quam tanto affectu commendauit, quæ ei tam delectabiliter sapuit nocte illa, cùm cæteris sese ad quietem recipientibus, vno ei fratre ad excubias relicto, in hanc vocem gratulabundus erumperet, Misericordiam, Misericordiam, Misericordiã. Conabatur, vt aiunt, versiculum illum ex integro psallere, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*. Verum, vt reor, primi illius verbi dulcedine reuocatus, in eius repetitione familiarius immoratus; denique conuertens se ad eum, qui eius lectulo assidebat, eundem sermonem crebro repetiit. Cernens quoque illum quodam quasi stupore suffundi, velut indignatus tantam eius insensibilitatem, quod videlicet simili non perfunderetur dulcedine, simili sapore frueretur: cœpit manu quasi velle excitare sopitum, & expressiori, arctiorique voce ingeminat, Misericordiam, Misericordiam. Quid est quod intueor, mi Domine? Videor mihi certè quasi oculis cernere mentem illam, ad huius versiculi haustum quodam ineffabili gaudio resolutam, dum cerneret peccata sua, immẽso hoc pelago diuinæ miserationis absorpta, nihil reliquisse quod premeret, nihil quod eius conscientiam vel modicè obfuscaret. Libet intueri animam illam, fonte diuinæ misericordiæ dilutam, deposito pondere peccatorum, ipso naturali impulsu leuissimis quibusdam motibus ad superiora conari, carnisque exuuijs iam iamque exui gestientem, ipsam tantùm Dei misericordiam, cui tota innititur, meditari. Eia cõuertere nunc, ô anima, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; transi ad locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Ego te prosequar lacrymis meis, prosequar te qualibuscunque precibus meis, prosequar te affectu meo, prosequar ipso singulari mediatoris nostri sacrificio. Et tu pater Abraham, etiam atque etiam extende, ad suscipiendum hunc pauperem Iesu, alium quendam Lazarũ, manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinum, & à vitæ huius miserijs reuertentem piè suscipe, foue, consolare. Mihi quoque misero, qualicumque dilectori suo, in ipso sinu tuo cum ipso aliquando locum quietis indulge. Amen.

Moribundi Simonis vltima vox.

Psalm. 100.

Luc. 16.



LIBER SECVNDVS,

IN QVO OBVIAT AVTHOR QVERELIS QVORVMDAM.

CAPVT PRIMVM.

Quid in primo libro proposuerit considerandum: & quòd manifestè vitiosi ab hac sint consideratione remouendi.



SVPERIORE opusculi huius parte de charitatis perfectione differentes, in ea omnium virtutum summam consistere, sicut valuimus, demõstrauimus. Neque enim virtus dicenda est, quam radix ista non protulerit: nec opus perfectum æstimabitur, quod finis iste non concluserit. In hac & legis consummatio & Euangelica probatur esse perfectio: cùm in ea & spiritualis interioris exteriorisque hominis circumcisio, vera mentis sabbatizatio; veritas sacrificiorum, & omnis sit plenitudo præceptorum. Et de circumcisione quidem superiùs pauca perstrinximus: mentis sabbatum nusquam, nisi in charitate esse, aut esse posse, ostendimus. Ipsa est namque jugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Salvatoris inuitat clementia. *Et invenietis*, inquit, *requiem animabus vestris*. Verùm, quia plerique nostrum, qui videmur huic jugo supposuisse ceruices, in multis conuincimur laborare: conati sumus ostendere, captiuitatis iugum hunc parturire laborem. Vnde tria illa proposuimus cõsideranda, in quibus Euangelista Ioannes omnigenam videtur comprehendisse cupiditatem: concupiscentiam scilicet carnis, cõcupiscentiam oculorum & superbiam vitæ. Sed interueniente morte dilectissimi nostri interruptum est opus: aliquodque tempus lacrymis & planctui indulgentes, hanc considerationem alteri exordio reseruauimus. Igitur vt à Pauli verbis sumamus initium, dicimus quia *radix omnium malorum est cupiditas*: sicut à diuerso radix omnium virtutum charitas. Proinde quamdiu in ipsis animæ præcordijs radix hæc virulenta resederit: licet summatim quidam ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa euulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, vlterius non relinquat. Porrò sunt quidam, qui manifestioribus, & vt ita dicam, crassioribus implicati vitijs, confusionis suæ notam prima mox fronte prætendunt: quos à præsenti consideratione æstimo semouendos; quod eorum mentem omni vacuam requie satis superiùs demonstratum sit. At nos qui Euangelico jugo, quod suavissimum Saluatoris sententia manifestat, dominicoque oneri, quod leuissimum ejusdem nihilominus probat authoritas, videmur mentis humeros subiecisse, & tamen conuincimur laborare: nos inquam professores crucis Christi, assumpta claue verbi Dei referentes claustra pectoris nostri, & penetrantes vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, discernamus cogitationes & intentiones cordis; & sine adulatoria pal-

Sine charitate virtus perfecta non est.

Matth. 11.

1. Ioann. 2.

1. Timot. 6.

Concupiscentia radix malorum.

Matth. 11.

patione quid in ipsis animæ recessibus secretiùs latitet peruidentes, ipsas potiùs morborum radices eruere conemur.

CAPVT II.

Quòd labor exterior pro interioris qualitate formetur, & ab illo aliquando minuatur.

SAnè labor iste non carnis, sed cordis est: sicut & requies de qua agimus, cordis constat esse, non carnis: quanquam exterior labor pro interiori qualitate formetur: nec dicendus sit exterior labor vllus, si interior fuerit nullus. Verbi gratia, attende venatores vel aucupes: vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris; quid laboriosius? Si mentis qualitatem; quid delectabilius? Idipsum etiam in laudabilibus indicare facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior! cùm in carcerem traderentur; cùm adstringerentur vinculis; cùm flagris acerrimè cęderentur. Et tamen *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Quàm multis tunc sacrilegis similis pœna! sed quia dissimilis cōscientia, illi vtrobique miseri, & interiùs & exteriùs laborabāt: isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant. Nec mirandum, cùm plerumque interiore labore exterior minuatur: & grauissimi corporis æstus æstibus animi temperentur. Quis enim labor adulteris; quæ pœna latronibus? Illis vt malè cupitis excipiantur amplexibus: istis, vt alienis spolijs perfruantur. Sed ille interiùs face libidinis ardens, quid exteriùs patiatur, ignorat: hunc auaritiæ flamma secretior manifestas facit pœnas corporis non sentire. De quibus Propheta. *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* His igitur diligenter inspectis, patet profectò, nequaquam exteriores corporis passiones interiorem parturire laborem: sed radicem internis visceribus residentem, quicquid exteriùs recidit, pro sui conformare natura. Quid enim est, quod duobus ad eandem mensam residentibus, eisdem appositis cibis, alter exultat, murmurat alter? Quid, quod eisdem exceptis vulneribus alter tristitiæ languore deijcitur: alter mira iucunditate perfunditur? Duo simul orbitatis siue paupertatis infortunio feriuntur: & tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species vtriusque ingeritur oculis: & vnus turpiter commouetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cuiuslibet ambiendi, alter tanta dominandi libidine inflammatur, vt spe culminis potiundi nihil sceleris committere perhorrescat: adeo alter ab hac passione liber existit, vt oblatas quoque dignitatum infulas, aut non, aut vix suscipere acquiescat.

Act. 5.

Latrones & adulteri laborant sed non attendunt.

Ierem. 9.

Duo eadem patientes cōtrarios affectus exhibent.

CAPVT III.

Quòd omnia accidētia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrūpat peruersitate.

NOnne & corporibus idipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vtique qualitate, ea, quæ exteriùs accidunt, aut molesta experiantur, aut grata? Nam cibus, qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati; & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano iocundius illucescit. Sicut ergo in corporibus, pro interioris naturæ modo, ea, quæ exteriùs adhibentur, aut salubria inueniuntur, aut noxia; ita præmissis indicijs facile peruidetur, ex interna mentis qualitate huius requiem, istius pendere laborē. Mentem enim, quam suauissimum ac tranquillissimū Domini iugum, charitas videlicet perfecta possēderit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundet: non sinens eam vllis rerū perturbationibus commoueri, sed ipsas rerum permutationes ad sui profectus vsum prouenire cōpellens. At si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quamdiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies remissa mētitur: sed causa cuiuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessib⁹, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorumpens, dirissimis passionum morsibus miseram animam lacerat & cruentat: nullum paci, nullum ei requiei tempus indulgens. Computrescat itaque iugum à facie olei, iugum scilicet cupiditatis à præsentia charitatis; & statim experitur, sarcina Christi, vt ait quidam, quam sit leuis, quam suauis, quam iocunda, quam in cælum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas & radices sollicitè exquiramus; non affectu tepido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines vehementiori desiderio penetrantes.

Cupiditate expulsa lenis est sarcina Christi.

CAPVT IV.

Quòd à triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.

PVto autem, quia si subtiliùs indagem⁹, quicquid nobis laboris oboritur, vel à carnis cōcupiscentia, vel à concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus deriuari, manifestissimè cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborē mihi concupiscentia carnalis indicit: nec ideo laboro, quia iugum Christi suscepi, sed quia non plenè iugum cupiditatis abieci. Quid si lautioris edulij inflammatus ardore, vilioris appositione conturbor: vel si solito minus, vel si tardiùs, vel negligentiùs præparetur, murmurationis peste cōsumor? Quid mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suauitas charitatis? Quid si monachus quis pro numero nocturnalium lectionum à suo præposito numerum sibi exigat ferculorum: & pro solemnitatis cuiuslibet excellentia dapes esculentiores, ac peregrinos expetat sapores? Quid si, cùm horum aliquid aliqua occasione defuerit, in lites ac contentiones erumpat; ac pessimæ passionis æstus ferre non sustinens, importunis clamoribus, occultis susurrationibus fratrum pacem perturbet? Nonne ei iugum huius miseræ seruitutis, ac vilissimi laboris angustias, concupiscentia mundialis invexit? Quos bene Iacobus redarguens: *Vnde* inquit, *lites & contentiones in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?*

Iac. 4.

CAPVT V.

De eorum sententia, qui exteriores labores charitati & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

SED assiduis, inquis, vigilijs corpus tabefacere; quotidianis laboribus carnē affligere; vilissimis cibis membrorum labefactare vigorem; non solùm non modici laboris; sed & ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium: vt totam mentis suauitatem euacuans, omni eam spirituali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorumdam opinio, qui spiritualem dulcedinem in carnis quo-

dammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui: exteriorisque hominis passiones interioris minuere sanctitatem. Cùm enim, inquiunt, caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas inuicem communicent passiones: ac sic impossibile, vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur: itavt in illud gaudium spirituale mœroris quadam anxietate deiectus spiritus nullatenus valeat respirare. Acutè hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam! secundum regulas Hippocratis gratia quæritur spiritualis. Sic nimirum, sic errant: qui physicis argumentis, magis quàm præceptis Apostolicis innituntur. Planè hæc est sapientia, non desursum descendens, quæ primum quidem pudica est, deinde pacifica: sed prorsus terrena, animalis, diabolica. Hæc est sapientia verbi, quæ cùm suauitatem doceat carnis, crucem Christi euacuare contendit: in qua profectò quantum ad carnem nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potiùs hanc delicatam doctrinam euertit; quam claui sacris inditi membris expugnant: quam lancea illa dulcibus impressa visceribus acumine salutari debellat. Ego prorsus contrà sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit seruata discretio, quā tamen non propria coniectura, sed exemplis majorum capere oportet, ne forte remissio & dissolutio sub colore se discretionis obpallient; sic inquam carnis afflictionem non spiritui contrariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potiùs sentio prouocare: adeo vt hæc duo semper æquari in hac dumtaxat vita existimem; exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. Quid ergo, inquis? Tuæne sententiæ, magis quàm propriæ credam experientiæ? Et quid, si alius longè aliud se testetur expertum? Cui vestrum potissimum credam? Tu arrepta arctiori conuersatione diminutam tibi autumas gratiam spiritualem: ille quò magis affligitur, eò majorem diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Cuius ergo sententiæ accommodanda est fides? An & hic physicis rationibus diuinam gratiam substernendam putabimus? Absit, absit. Planè cui vult miseretur. Fortè ergo huic diuitijs & delicijs affluenti suæ consolationis dulcedinem impertit: quam à pauperculo suo pro se quotidie morienti rigida censura suspendit. Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, pijssimo, compatientissimo sentire. Sed si ego dico, potes dubitare: si autem Christus dicit, hæreticum est non credere.

Sapientia carnis.

Exterior afflictio interiorē auget consolationem.

CAPVT VI.

Apostolica & Prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur.

ACCEDAT ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui pro Christo quotidie moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum & in seruitutem redigit, qui non gratis panē suum manducat, sed in fatigatione nocte ac die operatur, cuius manus & sibi, & qui cū eo sunt, necessaria sub ministrant: qui denique in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, sub signis IESV acerrimus miles insudat: ille, inquam, hanc dirimat quæstionem, & vtrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, cōsolationem ei subtraxerit spiritualem, ostendat. Fortè caput tot vigilijs & laboribus, ab omni humore naturali siccatum, nullam producere lacrymam præualebat; & cor ob tot pressuras marcidum, nihil spiritualis dulcedinis hauriebat. Sed video eum scribentem quibusdam, cum multa tribulatione & angustia cordis, per multas lacrymas; video eum lugentem quosdam, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam; video eum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; audio ingemiscentem, eo quod nolit expoliari, sed superuestiri. De spirituali eius dulcedine quid dicam: cùm ad eius suauissimum gustum, etiam quæ sibi videbantur lucra, arbitratur vt stercora? Nonne mira dulcedine prouocatus, ad ipsos Christi gestit amplexus, *Cupio*, inquiens, *dissolui, & esse cum Christo, multo enim melius*? Nonne mira Christi dilectione debriatus, omnem gloriam prors⁹ abiurat, *Nisi*, inquit, *in Cruce Domini mei Iesu Christi?* Nonne feruore nimiæ charitatis excitus, anathematizat non amātes Dominum IESVM, *Si quis*, inquit, *non amat Dominum nostrum IESVM Christum, anathema sit, Maran Atha?* Ipse tamen dicat, vtrum sine consolatione in sua sit tribulatione relictus, & quid in nostra tribulatione nobis sperandum sit, manifestet: sicque serpētinum caput, quod virus hoc noxium humanis insibilat sensibus, Apostolico mucrone confodiat. Ipsius nāque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terrā comedit, qui sub vmbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis, sub colore actitat sanctitatis. Sic enim faciliùs simplices quosque ab Apostolica paupertate, & Euangelica puritate cogitat exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gratiam, in remissiori vita sibi æstiment affuturam. Si sanctius credent inter epulas & vina, inter regalia fercula & apparata conuiuia, inter otiosas confabulationes & nocturnas potationes, madentia lacrymis ora præferre: quam in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, & propriæ voluntatis mortificatione, in diurna fatigatione, in mundi contemptu, & carnis despectu, pallentia ora siccis præferre obtutibus. Dicat ergo Paulus, vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis; quam Iouiniani videtur, nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui maiorem diuinæ dulcedinis consolationem, in carnis suauitate, quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Siue ergo ieiunijs maceremur, siue affligamur vigilijs, siue laboribus atteramur. Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et si lapidibus obruamur, & si vinculis astringamur, & si cædamur virgis, & si carceris toleremus angustias. Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Fremat mundus, sæuiat mundus, insectetur odijs, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam, Benedict⁹ Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. *Vt possimus*, inquit, *& ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Et hic nō his

Philip. 1.

Galat. 6.

1. Cor. 16.

Iouiniani heresi mollium quorundam sententia perniciosior.

2. Cor. 1.

qui in diuitijs & delicijs; sed his, qui in õni pressura sũt, suã cõsolatiõnẽ promittit. Et, nihil quæstioni relinquẽs, adiecit. *Quoniã sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christũ abũdat cõsolatio nostra.* Quid manifesti? Hoc est planè, quod paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones & interiores consolationes. Quis est ergo tam hebes, tam præsumptuosus, vt contra manifestissimam veritatem, & Apostolicã auctoritatem, physicis rationibus innitens, communicationem passionum Christi contrariã esse spiritui, & spiritualis dulcedinis imminuere gratiam, impudenti vanitate affirmet? Communicare passionibus Christi, est regularibus disciplinis subdi, carnem per abstinentiam, vigilias, & labores mortificare; alieno iudicio suam subdere voluntatem; nihil obedientiæ præferre: & vt breui multa complectar, professionem nostram, quæ secundum regulam beati Benedicti facta est, exequi: hoc est, passionibus Christi participare, teste eodem legislatore nostro, qui ait. *Et ita in monasterio vsque ad finem perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus: vt regni ejus mereamur esse consortes.* Hoc ipsum & Apostolus, *Scientes*, inquit, *quoniam sicut socij passionum estis; sic eritis & consolationis.* Quàm sit autem necessaria exterioris hominis afflictio, manifestissimè perdocemur, eodem Apostolo ita pronuntiante. *Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen is qui interior est, renouatur. Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Denique Salomõ quibus diuina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat, dicens. *Date siceram mœrentibus: & vinum his, amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur ampliùs.* Apertè his verbis vinum illud quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diem in cachinnis & fabulis expendentibus, sed his qui amaro sunt animo, repromittit: siceramque illam, quæ de pomis novis & veteribus, quæ in sponsi delicijs sponsa conseruat, conficitur, non epulantibus & potantibus, sed propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate & dolore laborantibus, pronuntiat esse donandam. Bibant, inquit, & obliuiscantur egestatis suæ; laboris videlicet magnitudinem diuina consolatione asserens minuendam. Cui sententiæ apertissimè concinit Psalmista; *secundum multitudinem*, inquiens, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Nemo ergo arduam illam viam, quæ ducit ad vitã, exhorreat; nemo remissiorem, quam semel abiecit, timida infelicitate repetat: sed sicut ait noster legislator, sustinens non lassescat, nec discedat: sciens quia secundum multitudinem laborum, quos tolerat pro Christo, consolationes lætificabunt animam illius.

2. Cor. 1. — *S. Bened. in Prolog. Regulæ.* — *2. Cor. 1.* — *2. Cor. 4.* — *Prouer. 31.* — *Gratiæ suauitas afflictis propinatur.* — *Psalm. 93.*

CAPVT VII.

Quæstio, cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vita, quàm in arctiori, compungantur.

SEd quid est, inquis, quòd cùm aliquanto remissiùs viuerem; saginatioribus vterer cibis, poculis pauculum relaxarer, plusculo somno indulgerem, nec corpus labore, aut tanta vestium asperitate attererem, nec silentio tanto supprimerer; ita compungebar, ita afficiebar, ita quadam mentis dulcedine resoluebar; at nũc in hac districtione ita aridus & siccus incedo, vt nec vi quidem ab oculis meis lacrymas valeam extorquere? Et ego quæro à te, quid de eo æstimes iudicandum: qui cum immani vitiorum gurgite absorptus omni se spurcitiæ, & immunditiæ traderet; nihil prorsus flagitij perhorresceret, in tali vita sæpius compungebatur; sæpius lacrymabatur; nec solùm timore pœnæ, & peccatorum suorum recordatione, quod fortè nemo miraretur: sed etiam miro affectu in amoris Iesu dulcedinem resolutus, quodam mẽtis osculo ipsum videretur amplecti. Quid ergo? Huiusne æmulãda vita, hi sectandi mores, tradenda caro illecebris, membra subdenda libidini, vt simili dulcedine perfruamur? Quis hoc dementissimus dixerit? Nec ego ista quasi ambigua: sed sicut novit ipse Iesus, vera & certa pronuntio. Novi & ipse fratrem, qui cùm tota die sæcularibus viris ac fœminis immixtus, fabulis & potationi vacauerit, serò rediens monasterium ita in lacrymas ac suspiria erumpit: vt etiam importunis gemitibus multorum aures compellet; nec ideo vel modicùm ab huiusmodi illecebris temperet. Huiusce igitur spe compunctionis regularis districtio deserenda; & similis est sectanda spurcitia? Cuius non hoc abhorret auditus.

Compunctio falsa, vel ad horam.

CAPVT VIII.

Quod triplex sit causa spiritualis visitationis.

NOuerimus ergo, quia huiusmodi visitatio non semper sanctitatem ostendit: nam sæpe prouocat, sępe & conseruat. Est autem, quantũ in præsentiarum occurrit, triplex hujus visitationis causa. Fit enim aliquando ad excitationem, nonnumquam ad consolationem: plerumque etiã ad præmiũ. Ad excitationẽ dormientibus, ad consolationem laborantibus; pro præmio ad cœlestia suspirantib⁹. Prima ergo excitat torpentes, secũda reficit laborantes, tertia suscipit ascendentes. Prima hæc compunctio ad sanctitatẽ prouocat; secũda sanctitatem conseruat; tertia remunerat. Prima terret cõtemnentem, vel illicit timentem; secunda fouet & promouet aduitentem, tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus deuium corrigens; secunda quasi baculus debilem sustentans; tertia lectulus quietum suscipiens. Sicut igitur diuina clementia plerumque verbo, plerumque exemplo, nonnumquam correptione, aliquando etiam flagello, tepidè vel perditè viuentes prouocat ad salutem: ita etiam occulta compunctione, quam vel timor excitat, vel generat affectus, ad melioris vitæ statum inuitat. Huius autem visitationis causa bipertita est. Fit enim electis ad profectum: reprobis ad judicium.

Visitatio Dei fit ad excitandũ, consolandũ, vel præmiãdum.

CAPVT IX.

Quod primum genus compunctionis, sicut aliæ quædam gratiæ, & reprobis ad judicium, & electis proueniat ad profectum.

NEc mirandum, hanc gratiam reprobis & electis plerumque esse communem: cùm excellentiora illa carismata, sermo videlicet scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia miraculorum, etiam reprobis nouerimus impertita. Nam & Saul inter Prophetas, & inter Apostolos Iudas. *Et multi*, inquit, *dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo signa multa fecimus? & tunc confitebor illis, quia non noui vos.* Quod vt similiter de gratia compunctionis videamus; compunctus Balaam,

Matth. 7.

Num. 23. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte iustorum: & fiant nouissima mea horum similia.* Qui propriam quoque peruersitatem deplorans, ait. *Dixit Balaam filius Beor: dixit auditor sermonum Dei: qui cadens apertos habet oculos.* Nihil tamen hac cópunctione profecit: qui docuit Balaac ponere scandalum coram filijs Israël: fornicari,& bibere,& comedere de idolothitis. Quàm sæpe filij Israël in eremo correpti à Moyse fleuerunt coram Domino: quibus nihil illa compunctio profuit, pristinis concupiscentijs denuo resolutis. Sed & introducti in terram repromissionis cùm loqueretur illis Angelus in loco flentium, leuauerunt vocem & fleuerunt: & nihilominus post hæc addiderunt facere malum coram Domino. Quid Iudas? Nonne compunctus ait, *Peccaui tradens sanguinem iustum?* Verum quàm nihil profit suam peruersitatem iterantibus huiusmodi compunctio, testis est sapiens ille qui ait. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum: quid proficit lauatio eius?* Baptizatur à mortuo, qui vitam suam omni calore feruoris expertem, vel certè vitijs fœtidam ac sepultam, compunctus deplorat. Sed nihil proderit talis lauatio, nisi fuerit secuta correctio. Porrò electi, quibus omnia cooperantur in bonum, huiusmodi compunctione excitantur, non ad iudicium sed ad profectum; qui hac cælesti visitatione perciti, nequaquam securiùs in remissiore vita torpescunt, sed quò maiore diuinæ dilectionis dulcedine perfruuntur, eò ardentiùs ad fortiora virtutum exercitia accinguntur.

Ibidem.

Num. 11. & alibi.

Iudic. 2.

Matth. 26.

Eccli. 34.

Compunctio inutilis sine correctione.

CAPVT X.

De duplici ratione secundæ visitationis, & quod de ista ad tertiam, quæ cæteris excellentior est, transitur.

QVI excusso tepore, statim vt sudores & agones pro Christo susceperint, ab illo excellentiori compunctionis genere excipiuntur, quæ infirmos sanat, debiles roborat, alleuat desperatos. Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certè propriæ volútatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contémnens, *Renuit*, inquit, *consolari anima mea.* Quid ergo? sine omni consolatione relictus es? Absit *Memor fui Dei, & delectatus sum* Et huius similiter visitationis ratio duplex. Prouenit enim aliquando tentatis, ne corruant; aliquando tentandis, vt leuiùs ferant. Prima reficiuntur, altera armantur. Nemo ergo secundùm primum illud visitationis genus, suam metiatur sanctitatem, quod & reprobis nonnunquam accidere manifestum est: sed neque secundùm istud, quod licet excellentius sit, sanctitatem tamen præparat, non ostendit. In illo enim quasi parturitur; hic nutritur. Sanè in hoc secundo genere crebra cópunctione assuefactus, crebris sorbitiunculis diuinæ dulcedinis pastus, in illud sublimius gradu excellentiore provehitur, quod non jam debilem corroborat & confortat; sed quasi perfectum victorem gratia abundantiori remunerat.

Psalm. 76.

Ibidem

CAPVT XI.

Quid in singulis his visitationibus Deus operetur.

IN primo igitur statu anima suscitatur; in secundo purgatur: in tertio sabbati tranquillitate perfruitur. In primo statu operatur misericordia, in secundo pietas, in tertio iustitia. Misericordia enim quærit perditum; pietas reformat inuentum: iustitia munerat jam perfectum. Misericordia erigit jacentem; pietas adjuuat pugnãtem; iustitia coronat victorem. Et reuera quod poterit esse maius diuinæ miserationis indicium, quàm vt illa suauitas, illa jucunditas, illa mira serenitas, in qua nihil inquinatum incurrit, animæ inquinatæ adhuc gratiam suæ visitationis impertiat; nec solùm terrore concutiat, sed omnia mentis claustra seris vitiorum obserata sua penetrabilitate perscindens, fœdis adhuc labijs quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suauitate sua blandiatur auertenti; cunctantem alliciat; animet desperantem? O dulcis Domine; quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? O quàm suauis est in omnibus spiritus tuus! Verè Domine misericordia tua magna est super me: qui emisisti manum tuam de alto, eripiens & liberans me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum: qui eripuisti animam meam de inferno inferiori, in quo elinxi quãdam dulcedinis tuæ stillam: & audiui vocem tuam quasi de longinquo. Quid agis indigne & sordide? Vt quid in his sordibus volutaris: in his turpibus delectaris? Ecce quid apud me dulcedinis; quid suauitatis; quid jucunditatis? An scelerũ tuorum immanitate desperas? Sed qui persequor, fugientem: reijciam venientem? Qui auertentem te faciem tuam à me amplector & attraho: sub alas misericordiæ meæ fugientem repellam? Et vox tua Domine, inspiratio tua. Vnde enim animæ desperatæ tanta spes, nisi te Domine donante: qui miris modis curas infirmitates nostras; formas deformia nostra? Sed jam de secundo illo statu quid dicendum, in quo diuina pietas tam mirabiliter operatur in homine, vt ex tentatione proficiat: ex infirmitate ampliùs conualescat? Et cùm omnis anima naturaliter labores, tentationes, & dolores refugiat: tot consolationibus in suis tentationibus animatur: vt non solùm sustineat irruentes, sed etiam retardantes prouocet quodammodo, ac requirat In quem statum sanctus ille profecerat, qui ait. *Proba me Domine, & tenta me.* Et iterum. *Proba me Domine, & scito cor meum.* In hoc statu innumerabilibus cœlestium affectuum incentiuis assuefacta mens, paulatim in illud sublimissimum, ac perpaucis expertum visitationis genus prouehitur: vbi quasdam futuræ suæ remunerationis primitias incipiat prægustare: transiens in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, & effundens super se animam suam, cœlestium secretorum nectare debrietur; futuræque quietis suæ locum purissimis contéplans obtutibus exclamet cum Propheta. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Sicut ergo in illo statu vbi nulla præcedunt merita, sola operatur misericordia: ita in isto, in quo coronat munera sua, quæ tamen esse voluit merita nostra, cum misericordia operatur iustitia.

Quid Deus operetur in prima visitatione.

Quid in secunda visitatione Deus agat.

Psalm. 25. Et 138.

Psalm. 131.

CAPVT XII.

Quòd in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia sit dilectio.

POrrò notandum arbitror, quia licet in prima illa visitatione, nonnunquam timori dulcedinem suauitatis admisceat; in secunda vero, cum suauitate stimulum plerumque timoris adhibeat; propriè tamen illa ad timorem, ista pertinet ad consolationis dulcedinem; nam in tertia perfecta charitas foras mittit timorem. Initium enim sapientiæ, timor Domini; consummatio autem sapientiæ, amor Domini. In timore inchoatio; in dilectione perfectio. Hic labor; ibi præmium. Hoc ad illam ascenditur, nec tamen ad ipsam, nisi per ipsam, peruenitur. Menti etenim, quam plerumque timor afficit, vrget dolor, deijcit desperatio, absorbet tristitia, corrodit acidia; quædam miræ suauitatis gutta descendens à balsamo illius montis pinguis, montis coagulati, quasi quodam placidissimo se superinfundit elapsu: ad cuius radiantis diuini splendorem luminis omnis illa irrationabilium sensuum nebula dissoluitur; ad cuius suauissimũ gustum tota illa amaritudo fugatur, dilatatur cor, mens impinguatur: & ascendendi facultas miro modo præparatur. Sic timore tepor excluditur; timor gustu diuinæ dulcedinis temperatur. Ne mens in infimis torpeat, timor excitat: ne laborando deficiat, pascit affectus. His nimirum alternantibus tamdiu eruditur, donec tota mens illa ineffabili charitate absorpta iam non ex dilectione pinguescat: sed illi⁹ speciosi forma præ filijs hominum desideratissimos ardens amplexus, incipiat velle dissolui, & esse cum Christo: dicens quotidie cum Propheta. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Sic benedictionem dabit legislator, administrans incipientib⁹ vinum compunctionis cum timore eius: proficientibus lac ab vberibus consolationis eius: & cùm auulsi fuerint à lacte, epulabuntur ab introitu gloriæ eius. Igitur prima illa visitatio arguit iniquitatem, secunda sustentat infirmitatem; sanè tertia ostendit sanctitatem. Nemo ergo glorietur in prima, in qua conuincitur iniquus vel tepidus: sed nec in secunda, in qua probatur infirmus: in tertia autem qui gloriatur in Domino glorietur.

Timor initium sapientiæ, charitas consummatio eius.

Psalm. 119

CAPVT XIII.

Quis sit fructus in singulis, & quare quidam secunda visitationis consolatione priuentur.

POrrò fructus primæ visitationis vera est ad Deum conuersio: fructus secundæ propriæ voluntatis & omnium passionum mortificatio: fructus tertiæ perfecta est beatitudo. Denique accepto fructu primæ compunctionis in excellentia perfectæ consolationis; cessante iam illa, quæ suum, vt ita dixerim, expleuit negotium, statim sequitur tentationum & laborum probatio: vt meritò succedat illa, quæ est dulcis in Deum deuotio. Non enim facilè dulcedinis huius affectus sine præcedente vel comitante, vel certè statim subsequente labore, aut tentatione donatur; quæ nequaquam pro vitæ merito, sed pro infirmitate substentanda, vel tentatione alleuianda donatur. Ideoque hi qui ad primas mox tentationes & labores resiliunt, & instar quorumdam discipulorum Domini scandalizati, communicationem dominici corporis & sanguinis, id est passionis illius imitationem abhorrent, dicentes. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* ac sic regno Dei minus apti retro respiciũt, vel certè abiectissimas illas terrenas, & humanas consolationes admittunt: hi, inquam, ab huius consolationis dulcedine semetipsos excludũt, & vbiq; miseri, nec ad sublime illud visitationis genus ascendunt, & virtutum exercitia sine hujusmodi consolatione fastidiunt: ad pristina verò redire, conscientia resistẽte, non præsumũt. Qui meritò fortè de diuinæ consolationis desertione causarẽtur; si pfectè pristinis abrenuntiãtes, ac ꝓpriã voluntatẽ plenè mortificãtes, nequaquã viles & abjectas mundi consolationes Dei consolationi præponerent. Nunc verò, cùm ingressi arctioris ꝓpositi viam, statim incipiant nescio quas dignitatum infulas somniare, ac vanissima præsumptione sui libertatem vsurpare; nec expectent miseri donec dicatur eis, amice ascende superiùs; sed ipsi se quantum possunt, ad altiora impudenter impingant, appetantque, vt euangelicis sermonibus vtar, primas cathedras in synagogis, primos discubitus in cœnis, primas salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, affectantes nimirum esse magistri, qui ne vna quidem die didicerunt esse discipuli: cum ergo talium ineptiarum ipsi sibi cõscij sint; miror qua fronte, quaue irreuerentia diuinam sibi dulcedinem impertiendam, ac animã terrenis affectibus constupratam, suauissimis ac purissimis amplexibus IESV æstiment confouendam. Quibus profectò si qua cœlestis dulcedinis gutta ꝓfluxerit, non ob sanctitatis meritum, nec laboris solatium: sed quasi in infimis positis, ad excitationem certũ sit prouenire. Quanquam post acceptam notitiam veritatis, ac arreptam viam perfectæ puritatis, voluntariè peccantibus, vel inertia torpentibus, aut vix aut numquam huiusmodi gratia largiatur. Hoc sanè dicendum, aliud esse terrenis illis affectibus attentari solùm; aliud vix in aliquem rarissimè cadere: aliud cedere & consentire, vel se eis ex toto dedere; aliud si quid huiusmodi occupationum imponatur, inuitum suscipere.

In secundo statu tentatio nos adoritur, quam sequitur deuotio.

Ioan. 6.

Vana quorumdam recens conuersorum cogitationes.

Luc. 14.

Matth. 23.

CAPVT XIV.

Proponuntur quædam diuina testimonia, secundum quæ statum suum quisque metiatur.

PRoinde si visitationis tuæ causas, ac rationes velis lucidiùs intueri, primò statum, in quẽ profecisti, sagaci inspectione discutito; ac vitæ morumque tuorum qualitatem; non secundùm propriam conjecturam; sed secuundum regulas Scripturarum, & cælestium præceptorum lineas, propriæque professionis normam, teste conscientia, subtili inquisitione examina. Ait nempe Dominus, *Videte, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Et item. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: & qui dixerit Racha, reus erit concilio: & qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et alias, *Qui voluerit inter vos major esse, sit omnium seruus.* Item, *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* Et, *De omni otioso sermone, quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicij.* Ait & Apostolus Paulus. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum nostrum IESVM, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Et ipse, *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* Et ad Galatas. *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Et ad Thessalonicenses, *Rogamus*

Luc 21. *Matth. 5.* *Matth. 20.* *Matth. 7.* *Matth. 12.* *Rom. 13.* *2. Timot. 2.* *Galat. 5.* *1. Thessal. 4.*

1. Thessal. 4. *mus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & vt operemini manibus vestris, & vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* In secunda quoque Epistola ad eosdem,
2. Thessal. 3. *Quia si quis*, inquit, *non vult operari, nec manducet.* Iacobus quoque. *Fratres mei*, inquit,
Iac. 4. *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi.* Item, *Si zelum anima-*
Ibidem *rum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari: vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauũ.* Et paulo post, *Quicunque voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituetur.* Idem in consequentibus, *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.* Veniamus ad
1. Petri 2. Apostolorum Principem, *Obsecro vos*, inquit, *tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs.* Et in eadem Epistola, *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias & omnes detractiones.* Et infra, *Si*
1. Petri 4. *quis loquitur, quasi sermones Dei.* Et post pauca
Et 5. ad Pastores. *Pascite qui in vobis est gregem, non turpis lucri gratia, neque dominantes*, inquit, *in Clero. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate.* Idem
2. Petri 1. in secunda Epistola. *Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Et item, *Sobrij*
Et 5. *estote & vigilate.* Iam nunc ad illum discipulum, quem diligebat IESVS, veniendum est. *Qui di-*
1. Ioa. 2. *cit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Et, *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mũdo sunt.* Et infra, *Omnis qui odit*
Cap. 3. *fratrem suum, homicida est.* Iudas quoque Aposto-
Iudæ v. 11. lus, *Væ illis*, inquit, *qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes.* Et post pauca, *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes.* Et infra, *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Hæc ergo, & his similia, Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ testimonia, tibi quasi quoddam speculum spiritale proponens,
Scriptura sacra speculum est. vultum animæ tuæ sollicitiùs contemplare, & si adhuc inueneris temetipsum fluitare epulis, mero crebriùs incalescere, sæcularibus negotijs implicari; distendi curis mundi, ac carnis desiderijs incubare; litibus & fabulis occupare diem; impuris detractionum morsibus fraternam lacerare carnem; inerti dissolutum otio, quasi quibuslibet stimulis inquietatum, mobili discursione huc atque illuc volitare; & non proprio labore, sed sanguine & sudore pauperum ventris delitias comparare; si denique ira, impatientia, inuidia, inobedientia crebriùs maculari; & sollicitiùs curam ventris, quam mentis agere; metas professionis tuæ sine cessatione transgredi: si igitur in his omnibus nitidus ac crassus incedas, noli quæso de tuis lacrymulis multùm gloriari; quæ fortè vt & nos aliquid secundum Physicos dicamus, tumescentibus mero venis, ac diuersis ciborum saporumue nidoribus, humore capitis succrescente, faciliùs elabuntur: vel certè, si Dei timore, vel affectu in hoc statu compũgaris, noli tanta Dei gratia tam impudenter abuti, vt securiùs in tuis sordibus voluteris: & Deum qui nequaquam te adhuc à calore viscerum suorum hoc videtur indicio penitus abiecisse, tuo tepore compellas ad vomitum, & fiant nouissima tua peiora prioribus. Quod multis euenire, quotidianis experimentis perdocemur.

CAPVT XV.

Quibus modis ad spirituales consolationes trãsitur.

CÆterùm si talibus affectuum aculeis excitatus, sordidas Ægyptiorum ollas abiecisti; ac paupertatem Iesu cunctis mundi opibus prætulisti: si regalia fercula grossioris panis, & vilissimi oleris cõmutasti edulio: si subiectionẽ & abiectionem honoribus compensasti: si mundi curis ac negotijs exutus, non cum rusticorum maledictione, sed proprio tuo, ac communi fratrum tuorum labore victum quærere delegisti: si pro loquacitate silentium, pro crebris litibus fraternæ dilectionis induisti affectum: si iam cœpisti reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua: si inquam his atque huiusmodi indicijs deprehenderis temetipsum exisse de Ægypto, & hui⁹ maris magni & spatiosi, sæculi videlicet huius fluct⁹, quasi verus Israëlita transisse: si non statim cœlestis dulcedinis tibi manna profluxerit; noli aduersus Deum murmurare, noli Deum tentare, & dicere, si Deus est in nobis, an non: cum præceptorum illius executio præsentiæ illius apertissimum indicium sit, ipso dicente. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Noli, inquam, murmurare: incidasque in illam blasphemiam, vt dicas. *Vanus est, qui seruit Deo: & quid emolumenti, qui custodiuimus præcepta ejus?* Et illud psalmistæ, *Ergo sine causa iustificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis: quando quidem ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias*; & quod est summum, diuitias spirituales. Si in amplioribus diuitijs amplior præstatur & gratia, vt quid mortificamur tota die, æstimamur, vt oues occisionis? Nonne melius est manducare & bibere, & frui bonis in ista vita, & in alia? Nonne insulsi hominis est id ingenti corporis quærere cruciatu, quod facile possit, & sine labore conquiri? Sed vbi est, quod ait Paulus, *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei?* Et ad Thessalonicenses, *Nemo*, inquit, *moueatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* Sed miraris, quod non statim te dulcedo cælestis excipiat. Et tamen filij Israel, qui in Ægypto quidem crebriùs diuinorum miraculorũ gloria excitati, ac mystici illius agni sacris sũt carnibus pasti, post maris rubri transitum non statim Angelici pabuli meruere solatium: imò primò ad aquas Mara adducti, ibique tentati sunt, ac inde per duodecim fontes ad secretioris eremi abdita peruenientes, cælesti pane mirabiliter saginantur. Et tu ergo egressus de Ægypto, si intumescentes huius sæculi fluctus sicco vestigio pertransisti: ducendus es primò ad aquas mara, id est amaras, vt te corporalium laborum amaritudo deterreat, experiarisque illud Euangelicum: quia arcta est via, quæ ducit ad vitam. Ibique tentaberis à Domino; si fortè ad illorum merearis transire consortium, quibus dicit. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Inde ad duodecim fontes, ad Apostolicæ videlicet fluenta doctrinæ gradu excellentiore transibis; vt assidua Scripturarum meditatione assuefactus, quodammodo extra mundum efficiaris: & è diuinis eloquijs, quæ sunt nimirum argentum igne examinatum, mutuatis tibi pennis columbæ deargentatis, quasi turtur castissimus ad eremum peruoles spiritualem: vbi si quid tibi stilli-

Marginal notes (right column): *Obseruatio preceptorũ est indicium presentia Dei.* — *Ioann. 14.* — *Malac. 3.* — *Psalm. 72.* — *Act. 14.* — *1. Thessa. 3.* — *Exod. 15.* — *Ægypto egressi ducendi primùm ad mara.* — *Matth. 7.* — *Luc 22.*

cidij spiritualis pietas conditoris effuderit; scito non tui esse arbitrij, quando colligas, aut quantum colligas; aut quamdiu, quod collegeris, serves. Nam si sabbato egressus aliquid cœlestis edulij colligere tentaueris: ne inueniri quidem poterit. Cæteris verò diebus certam tibi quantitatem gomor, id est diuini judicij mensura præscribet. Porrò si quid in crastinum seruare tentaveris, vt sine labore diurno cœlesti pascaris alimento; vermes tibi tua expectatio procreabit. Verùm gustata dulcedine spirituali non statim otio dissoluaris: mox enim à latere spiritualis insurget Amalech, non armis sed orationibus evincendus. Ita succedentibus sibi ex diuina quidem pietate nonnullis consolationibus, ex proprijs autem cócupiscentijs multis laboribus, post innumeros agones ad illud ineffabile visitationis genus munerandus ascendes: vt ex integro charitatis ardore flámescens ab introitu gloriæ Dei, quasi ex fructu terræ repromissionis feliciter satieris: ac igne diuini amoris jugum concupiscentiæ penitus absumente, requiescas in pallore auri, in splendore sapientiæ, in suauitate contemplationis diuinæ: experiarisque ex toto, quia jugum Domini suaue est, & onus eius leue est.

Otium cauendum spirituali.

Matth. 11.

CAPVT XVI.

Quod non sit deserendum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamvis illum dulcem non experiatur affectum.

SED esto, nihil huiusce dulcedinis profluat: nulla te lacrymarum suauitas mulceat. Nec tibi est sic ad pristina redeundum: imò vtriusque conuersationis conferendi sunt fructus, ac librâ conscientiæ æquo examine trutinandi: ne forte in tua æstimatione præponderent minora majoribus; deteriora melioribus comparentur: ne securis dubia, aut pluribus præjudicent pauciora. Nam si aliter non possis: satiùs profectò tibi est, vno membro debilitato, vel si necesse sit, amputato, in cæteris validum ac sanum incedere: quàm omnibus artubus arefactis, vnius sanitati importuniùs inniti.

CAPVT XVII.

Interrogationes cujusdam nouitij, & sua responsiones inseruntur.

CVM ante non multum tempus frater quidam abrenuncians mundo, nostro se monasterio contulisset, traditus à Reverendissimo Abbate nostro meæ paruitati disciplinis regularibus instituendus: cœpit aliquando admirans quærere, quænam mihi causa videretur, quod in sæculari adhuc habitu ac conuersatione positus ita sæpius compúgebatur; ac in quendam diuini amoris resoluebatur affectum; tantaque spiritus suauitate frueretur, quantam, inquit, modò non dicam diutius retinere, sed ne raro quidem degustare sufficiam. Tum ego. Sanctioremne, inquã, illam tuam cõuersationem, Deoq; acceptiorem fuisse existimas? Nequaquã, inquit, id dixerim; præsertim cùm multa iam agam, quorũ si vnum aliquid tunc egissem, non modo sanctus, imò ab omnibus crederer, vt ita dixerim, adorandus. Rogo, inquam, in quantis illud Apostolicum experiebaris: quia *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*: Illudque beati Iob, *Si justus fuero, non lauabo caput meum, saturatus afflictione & miseria?* Nihil, inquit, horum sensisse me memini: sed plerumque expressiùs ac dulciùs me Christum amare persensi. Et ego. Tantane tunc patereris pro Christo; quanta nunc pateris? Ne vna, inquit hora, quanta hic sine cessatione sustineo. Nam vt cætera taceam, nullo modo saltem vna die tanto me sinerer premi silentio: aut me vlla ratione ab otiosis & vanis sermonibus continerem. Quinimò post illas, quas præfatus sum lacrymas, statim ad cachinnos redibam, & fabulas: ac pro impetu animi huc atque illuc mobili discursione ferebar: ac meæ voluntatis possidens libertatem, parentum præsentia gratulabar; sociorum cõfabulationibus arridebam; conviuijs apparatis intereram; potationes non abhorrebam; matutinos somnos pro libito carpebam; cibo ac potu supra metas etiam necessitatis distendebar. Taceo iræ stimulos, quibus nonnumquam vrgebar: lites, contentiones, ac mundialium rerum cupiditates, quibus pro posse intendebam. At nunc, inquam, qui mores tui, quæ vita, qui actus? Et ille subridens, in promptu, inquit, est dicere: non enim ignorari se sinunt. Est quidem cibus parcior, vestis asperior; pot⁹ è fonte, somnus plerumque in codice. Denique fatigatis membris malè mollis matta substernitur: dum somnus suauior fuerit, surgere campana pulsante compellimur. Taceo, quòd in sudore vultus nostri vescimur pane nostro: quod tribus solùm hominibus, & hoc rarissimè, & vix de necessarijs loquimur. Nonne istud Apostolicum manifestissimè impletur in nobis: *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*: Et illud Psamistæ, *Vt jumentum factus sum apud te?* Verè vt iumentum facti sumus: quocumque ducimur sine contradictione euntes: quodcumque imponitur sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus: otio aut dissolutioni nullum tempus. Prætereunda non æstimo quædam: quæ non minùs delectant, quàm ista fatigant. Nusquam lites; nusquam contentio; nusquam rusticorum ob diram oppressionem quærulus planctus; nusquam pauperum iniuriatorum miserandus clamor; placita nulla; sæcularia judicia nulla. Vbique pax, vbique tranquillitas: & à mundialium tumultuũ mira libertas. Inter fratres tanta vnitas, tantaque concordia: vt singula videantur omnium, & omnia singulorum. Et quod me miro modo delectat, nulla est personarum acceptio: nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitatem: sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur ab omnibus, distribuitur singulis; non vt carnalis affectus, aut priuatus amor dictauerit: sed prout cuique opus fuerit. Quàm illud quoque mirandum: quod trecentis, vt reor, hominibus vnius hominis volũtas est lex: adeo vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta cura seruetur ab omnibus, acsi in id omnes conjurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et vt breuiter multa cõprehendam, nihil prorsus perfectionis in Euãgelicis & Apostolicis præceptis; nihil in literis sanctorum Patrum inuenio; nihil in antiquorum monachorum dictis intelligo: quod non huic ordini, & huic consonet professioni. Tum ego. Nouitius, inquam, es: ideo non hoc jactantiæ, sed feruori potiùs assignarim. Volo te tamen cautum esse, ne vllã omnino professionem esse existimes in hac vita, quæ fictos non habeat: ne si fortè quemquam perspexeris aut sermone aut actu excedere; quasi præter æstimationem tuam noui aliquid accidere conturberis. Attamen hæc omnia, quæ tam feruenter

Act. 14.

Iob 10.

Religionis austeritas.

Coloss. 3.

Psalm. 72.

Commoda Religionis.

In omni professione quidã ficti sunt.

enumeras, illisne lacrymis tuis æstimas comparanda? Absit, inquit, vt securam mihi conscientiam numquam illa lacrymarum profusio reddiderit; numquam metu mortis exuerit. At nunc non multùm curo, imò & opto plurimùm: vt post modicum tollat me factor meus. Quod licet fortè pusillanimitatis sit, vt exprobare mihi soles: quod videlicet malim bis laboribus eximi: nullo modo tamen sine certa spe diuinæ miserationis id possem. Vnde satis miror, cur ampliori amore Deum amabam: quando minori securitate fruebar. Rogo, inquam, si duo tibi essent servi, quorum alter præceptis tuis non solùm obedientissimè pareret; imò nonnullos labores tui causa sustineret: alter præceptorum tuorum quotidianus transgressor, nihil prorsus aduersi pro te ferre consensisset: dicentibus vtrisque, diligo Dominum meum, cui potiùs credere deligeres? Quis, inquit, non videat hunc copiosissimè munerandum: illum non modo transgressionis, sed & nimiæ impudentiæ arguendum? Sic te, inquam, inter hos duos status tuos oportet te iudicare. Sed vt propriæ, inquit, experientiæ non credam, quæ mihi ratio persuadere poterit? Si quis, inquam, quærat abs te, quisnam sit melior, qui ampliùs, an qui minus Deum diligit: nonne sine omni cunctatione eum pronuntiabis meliorem, quem plus noueris diligentem? Insani capitis est, inquit; saltem hinc hæsitare. Quæso nunc, inquam, semoueas, si quid tibi adhuc, vt pote nouitio, de sæculari suauitate blanditur, si quid expertæ delectationis alludit; nec attendas quid caro suggerat, sed quid ratio dictet: respondeasque mihi secundum regulas veritatis, ac conscientiæ tuæ testimonium, vtrum malles te in illo statu nũc esse, quàm in isto, quo nunc es. Prorsus inquit, si non velim fallere meipsum, nec agere, vt sit mihi proprium os oleum peccatoris, ad impinguandum caput meum, necesse habeo confiteri, quia si illum statum prælegissem, esset planè hoc non propter Christũ, sed propter mundum, nec desiderio maioris perfectionis, sed fastidio præsentis laboris, vel certè appetitu maioris delectationis. Iam nunc inquam, quasi feruoris tui conscius, non cunctor affirmare, nolle te nunc in eo esse statu. Non falleris, inquit. Sed si in eo inquã statu Deum magis amabas, profectò melior eras. Si tunc melior, quare nunc securior? An eligis securior esse, quã melior? Sed & si quis dixerit meliorem illum, qui amplius, quàm qui minus præceptis Domini adimplẽdis institerit, puto quia nõ abnues. Coarctor inquit vndique, & quasi de scopulo ad scopulum impulsu rationis allidor, nec inuenio exitum. Nam quod tunc Deum magis amauerim, & dulcibus quibusdam lacrymis in eius amorem sæpius respirauerim, quasi de re experta dubitare non debeo; at quin is melior sit, qui in Dei amore fuerit feruentior, negare non audeo. Porro ne vitam illam huic conuersationi prępponam, omnis sanctarum scripturarum repugnat authoritas, obsistit ratio, ipsa conscientia nostra reclamat. Vnde eum dubitare meliorem, cuius moribus magis scripturæ concordat auctoritas, insanissimum iudico. Sed cum in his non parua repugnantia sit, considerandum mihi est, vnde dubitare minus sit periculosum, de scripturarum veritate, an de manifestissima ratione, an potius de conjectura propriæ experientiæ. Sed contra scripturam, inquã, nemo catholicus, contra manifestam rationem nemo pacificus; verum in sui æstimatione cui nõ facilè subrepat fallacia? Denique experimẽtum fallax, & sicut scriptum est, *Non omni spiritui credendum est, & aliquando Satanas transfigurat se in Angelum lucis*. Verumtamen licet inquit tunc fortè Deum magis amauerim; quia tamen nunc eius voluntati magis obtempero, magis præceptis eius adimplendis insisto, amplius pro ei⁹ nomine memetipsum affligo: hinc mens securior, hilarior conscientia, & tot laborum conscius animus, ad ipsam subeundam mortem, spe præmiorum promptior. Duo inquam valde sibi cõtraria asseris, quod scilicet an plus Deum amaueris, & minus eius voluntati parueris. Quam opinionem tuam, sententia ipsius Saluatoris euacuat, ita dicentis. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit*. Sed & iterum. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me*. Et iterum. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat*. Hinc discipulus ille, quem diligebat Iesus, cuius reclinatorium capitis sacrum illud pectus factum est. *In hoc est charitas Dei, vt mandata illius custodiamus*. Proinde vt ait quidã sanctus. Quicumque dictu, vel actu, vel etiam cogitatu improbo Dei mandata violauerint, frustra se Deum diligere credunt. Vnde etiam beatus Gregorius. *Amor Dei numquam est otiosus; aut enim operatur magna si est; aut si operari contẽnit, amor non est. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis*. Quid ergo inquit? Vanusne fuisse dulcissim⁹ ille affectus credendus est, deceptoriasq; illas lachrymas iudicabimus? Minimè inquam. Imò maximus earum fructus: si tamẽ intelligas. Noueris ergo primò, quod nequaquam secundùm momentaneum illum, & vt ita dicam, horarium affectum, Dei pẽsandus sit amor: quod ex contrarijs exemplis perspicuum est intueri. Cùm enim in tragędijs vanisue carminibus quisquam iniuriat⁹ fingitur, vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicetur affectus; si quis hæc vel cùm canuntur audiens, vel cernens si recitentur, vsque ad expressionem lacrymarum quodam moueatur affectu: nonne perabsurdum est, ex hac vanissima pietate de amoris eius qualitate capere coniecturam: vt hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cuius ereptione, etiam si hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis profectò ineptiæ est, imò multò maioris insaniæ; si quisquam luxuriosus aut tepidus, occulta Dei dispensatione ob quosdam internos compungatur affectus, de eius dilectione ferre sententiam: vt hinc Deum plus illo credatur amare, qui adeo se diuinæ seruituti subiecit, vt quicquid eius voluntati nouerit esse contrarium, omni detestetur horrore: quicquid fuerit laboris impositum, pro eius nomine omni amplectatur feruore. Ad hæc verba quodã ille pudore perfusus, demisso capite, fixisque in terram luminibus, verissimè, inquit, verissimè. Nam & in fabulis, quæ vulgo de nescio quo finguntur Arcturo, memini me nonnũquam vsque ad effusionem lacrymarum fuisse permotũ. Vnde non modicùm pudet propiæ vanitatis, qui si forte ad ea quæ de Domino piè leguntur, vel cãtantur, vel certè publico sermone dicuntur, aliquam mihi lacrymã valuero extorquere, ita mihi statim de sanctitate applaudo, vt si magnum aliquid ac inusitatum mihi miraculum contigisset.

Magis diligit, qui Domini seruat mandata.

Ioann. 14.

1. Ioan. 5.

Grego. hom. 30. in Euangelia.

Ob compunctionem aliquam de amore iudicare non licet.

Et reuera vanissimæ mentis indicium est, pro his affectibus, si fortè pro pietate contingant, vana gloria ventilari: quibus in fabulis & mendacijs solebat compungi. Sed quia non modicum fructum his inesse affectibus paulò antè dixisti: rogo, vt & quæ cœperas, prosequaris. Libentissimè, inquam. Neque enim tibi deneganda est cognitio veritatis: pro qua nec tibi ipsi existimas esse parcendum. Nam plerique si fortè audiant aliqua cõtra inertiã disputari; sophisticas quasdam ratiunculas, quibus veritati resistant, reclamante etiam conscientia, moliuntur: ac declinãtes cor suum in verba malitiæ, amant excusationes in peccatis. Melius est profectò cõfiteri Domino; & dicere; *Miserere, mei, quoniam infirmus sum*: quàm dicere, *Diues ego sum, & locuples, & nullius egeo, cum sit miser, miserabilis; cœcus, & pauper, & nudus*. Sed ad propositum veniamus.

Psalm. 6.
Apocal. 3.

CAPVT XVIII.

In quibus amorem Dei stare credendum sit.

IGitur, vt diximus, non secundum hos momẽtaneos affectus, quos minimè nostræ subesse voluntati, nullus spiritualis ignorat, Dei æstimandus est amor, sed potiùs secundum continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere; vt quælibet voluntas diuina præscribat, his volũtas humana consentiat: vt nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deũ velle cognoscit: hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud, quàm amor: nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ volũtates, quàm boni vel mali amores. Denique ipsa Dei voluntas amor est eius; qui nihil est aliud, quàm Sanctus Spiritus eius: per quem diffunditur caritas in cordibus nostris. Quæ caritatis diffusio diuinæ est & humanæ voluntatis coniunctio. Quæ tunc fit, cùm Spiritussanctus, qui vtique Dei voluntas & amor est, & Deus est, humanæ se voluntati ingerit & infundit: eamque ab inferioribus ad superiora sustollens, totam ipsam in sui modum qualitatemque transformat: vt ei indissolubili glutino vnitatis adhærens, vnus cum eo spiritus efficiatur; Apostolo hoc idem manifestiùs intimãte. *Qui adhæret*, inquit, *Domino, vnus spiritus efficitur*. Sanè hæc volũtas secundum duo quædam iudicanda est; passionem scilicet, & actionem: si videlicet ea quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patiẽter sustineat: & ea quæ iusserit feruẽter adimpleat. Cæterùm vt ait B. Gregorius, nemo credat; quicquid sibi mens sine operibus de Dei amore respondeat. Eius est enim sententia, qui non mentitur. *Qui habet mãdata mea, & seruat ea: hic est qui diligit me*. Quocumque igitur modo insuetos hos affectus, internasque visitationes, iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa, dispensent: quibuscumque etiam causis, his non quærentibus nec pulsantibus, nonnumquam, vt ita dixerim, subitò infundantur: illis omni licet conatu in earum acquisitione laborantibus subtrahantur: cuiuscumque voluntas Dei voluntati concordat; eaque quæ Deus intulerit, sustinet patienter; & ea quæ iusserit, exequitur feruenter: Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Alioqui, si secundum hos affectus noster metiendus est amor: vt tunc solùm Deum vel hominem quemlibet amare dicamur, cùm huiusmodi affectum experimur: non vtique continuè, sed per rarissima quædam interualla amare dicendi sumus. Dicendum sanè, quod si forte homo iustus aliquando velit, verbi gratia salutem alicuius, quod tamen nolit Deus; non tamen eius voluntas à Dei voluntate discordat: quandoquidem vt hoc velit, Dei vtique operatur voluntas, qui ideo vult omnes homines saluós fieri; quia à suis id facit optari. Habet præterea amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam. De quibus omnibus enucleatiùs disserere, nec huius temporis forte, nec nostræ est facultatis. Proinde affectus illos sentire, non ita vt autumas, Deum amare est: sed oblatam, imò infusam menti quandam dulcedinis illius guttã, interioris palati quasi præsentem, suaui præsentire attactu. Nam aliud est melleæ dulcedinis cupidum in eius acquisitione pro viribus laborare: aliud si cuiuslibet non quærentis nec amantis infusa fuerit labijs, sensum dulcedinis illius non posse effugere. Ille non gustat, amat tamen: iste non amat, tamen gustat. Vt ergo simplicioribus verbis vtar, quò facilius intelligas; qui quantumcumque potest, insistit, vt Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando: & secundum Apostolica & Euangelica præcepta sobriè, & iustè, & piè viuendo; etsi nihil huius dulcedinis gustet; Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante, qui ait. *Qui mandata mea custodierit: ille est qui diligit me*. Qui verò quotidie hunc experitur affectum, & nihilominus diuinæ voluntati sua desideria præponit; non quidem Deum diligere, sed ingestum suæ menti diuina dispensatione spiritualem saporem non nisi sentire posse, credendus est.

Quid sit, Deum amare.
1. Cor. 6.
Grego. hom. 30. in Euangelia.
Ioann. 14.
Non ex affectu dei amor indicandus est.
1. Timot. 2.
Amor habet sua incrementa.
Ioan. 14.

CAPVT XIX.

Quis sit diuersarum compunctionum fructus, nouitio interroganti exponitur.

HÆc tamen dulcedinis experientia, negligentibus quidem, ad bona opera magna excitatio; in bonis operibus desudantibus, necessaria consolatio; in culmine perfectionis consistentibus, suauis, & secura refectio est. Operatur ergo ille mirè misericors, miris & ineffabilibus modis salutem nostram; ipse sapientia illuminans, ipse iustitia terrens, ipse dulcedo suauitatis illiciens. Velut si quemlibet ignarum mellis ad eius velles appetitum accendere, sed cernens eum alijs speciebus, minus licet sapientibus, delectatum, nec sermone, nec eius qualibet laude in illius desiderium inflammari, sumpta modica liquaminis illius gutta, eius faucibus instillares; illeque sumpto gustu, ita in eius æstuaret appetitum, vt pro eius acquisitione, ne immensos quidem labores aggredi perhorreret, quoties, tamen immanitate laboris cerneres fatigatum à cœpto feruore tepescere, simili eum dulcedinis stilla mulceres: sic clementia pijssimi Saluatoris nostri, illecebris carnis immersos, quos nec lumen rationis, nec futuri examinis timor, à malè blanda præualet suauitate compescere, quodam internæ dulcedinis gustu allicit ad salutem; donec propria voluptate paulatim attracti secundum illud, Trahit sua quemque voluptas, iugum eis suæ seruitutis imponat. Sed quia accedens quis ad seruitutem Dei, audit scripturam dicentem, *Sta fortiter & præpara animam tuam ad tentationem*, necesse est, vt quoties labor tentationis oppresserit, nutanti iam, pæneque desperanti, spiritalis quidam sapor interfluat; cuius recreatus aspergine, vitiorum colluctationem acriori mentis æstu suscipiat, magnanimiter toleret, fa-

Deus quosdam allicit dulcedinis gustu.
Eccli. 2.

ciliùs superet. vel euitet. Teipsum diligentius intuere. Nonne post illam dulcissimi affectus experientiam, ad ludicra vanaque reuersus, cum iterum redires in te, confundebaris, ac quodam (vt ita dixerim) odio salutari contra teipsum accendebaris? Hinc meditari arctiorem vitam arripere, tantamque tibimet opponere necessitatem; vt si etiam talibus consentiret volūtas, nulla tamen foret ad talia redeundi facultas. Omnino inquit, ita est. Vides ergo, quia illa feruens cōuersio tua, ista districta admodum conuersatio tua, quasi illarum lacrymarum fruct⁹ est? Ad hoc enim datæ sunt, hoc paulatim operabantur, imo per illas Deus. Quid ergo mirum, si suo (vt ita dixerim) negotio consummato cessarunt? Nunc quidem labores tibi pro Christo subeundi sunt, virtus patientiæ exercenda, carnis insolentia crebris vigilijs, ac ieiunijs castiganda, perferendæ tentationes, & ab omni terrena sollicitudine animus auocandus: præcipuè autem virtute obedientiæ propria mortificanda voluntas: quoties verò in his animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum deuotione, ad materna vbera IESV properandū, ex quorum abundantia, lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Apostolo. *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione* Et *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christū abundat consolatio nostra.* Sic affectus ille pius, qui prius torpentem excitauerat ne periret, consolabitur laborantem ne deficiat; donec post innūeras victorias, quasi emeritus iam miles effectus, his tentationibus, quibus nunc quasi nouitius fatigaris, penitus consopitis, in virtutum suauitate repauses: ad illud quoque sublimissimum consolationis genus gratia diuinæ pietatis admissus, quod quasi præmium constat esse iustorum, dicas cum Propheta, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Tum ille obortis lacrymis, Placet inquit, & valde placet, quod dicis: quia non solùm hæc ita esse ratione magistrante conijcio: verùm in me ipso luce clarius perspicio. Nam primum illud visitationis genus, sic prorsus, vt asseris, expertus sum; secundum vero, quod in me iam incipiat actitari, te instruente persentio; at sublime illud & ineffabile, quandoque me adepturum confido.

Adquid lacryme dantur peccantibus.

2. Cor. 1.

Psalm. 30.

CAPVT XX.

Novitius ille vnde Deum se magis amasse probat, inde minùs amasse convincitur: & quibus lacrymarum profusio proficiat, ostenditur.

VIDE igitur, inquam, quàm præter opinionem tuam res acta sit. Quomodo, inquit? Ne fortè, inquam, vnde te Deum magis amare credebas: hinc minùs conuincaris amasse. Aliquantisper, inquit, & mihi hæc ratio interlucet: velim tamen pleniùs eam, te disputante, cognoscere. Nonne, inquam, quanto quisque negligentior fuerit, vel mente infirmior; tantò in Dei amore probabitur imperfectior? Negari, inquit, non potest. Sed sicut, inquam, temetipsum dicis clariùs intueri, primus ille affectus arguebat errantem: secundus iste sustinet infirmātem. Prorsus, inquit, ita. Conuincunt igitur, inquam, imperfectiùs amantem. Tum ille suspirans, ô inquit, quàm miserabiliter falluntur, quàm sunt suæ salutis proditores, qui vitijs innumerabilibus ac damnabilibus implicati, si parum quid huius, de quo loqueris, experiantur affectus; non solùm sibi veniam de præteritis pollicetur; imò ad eadem securiùs quodammodo reuertuntur: nec aliquid hoc spirituali incitamento proficiunt; sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantes, in suis sordibus vel negligentijs impudentiùs volutantur. Fortè de talibus ait Apostolus. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant; & aures, vt non audiant.* Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos; aures obturat: illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus paucis his lacrymis æstimant abluendas? Est profectò, inquam, gratissimum & acceptissimum Deo sacrificium profusio lacrymarum, pro omnibus admissis sufficiens holocaustum; si pœnitentibus & confitentibus; sed ea vnde pœnituerint, non iterantibus; sed cum spiritu humilitatis & animo contrito ad pia viscera IESV fugientibus: sed dignis pœnitentiæ fructibus pro posse insistentibus. Quocirca tibi, omnique suæ salutis sollicito elaborandum est; quatenus hæc carnis mortificatio, hæc vigiliarum ac laborum sollicitudo, hæc vestium vilitas, hæc ciborum asperitas, hæc silentij grauitas, hæc inquam omnium membrorū interioris & exterioris hominis quasi acceptissimum holocaustum, sagimine, vt ita dixerim lacrymarum, ac deuotissimorum affectuum suauitate pinguescat: vt in arca cordis igne charitatis admisso suaue redoleat: & sic secundum Prophetam holocaustum tuum pingue fiat. Cæterum si vtrumque non possis, satius est, sine lacrymis in Apostolica paupertate, & Euangelica viuere puritate: quàm cum quotidianis lacrymis quotidie diuinis obuiare mandatis. Nam licet mortuos suscitent, dæmonia eijciant, cœcos illuminent: nihilominus tamen audient à Domino, *Discedite à me*; quicumque fuerint operarij iniquitatis.

Nonnullorum deceptio

Rom. 11.

Compunctio aliquorum excæcat oculos.

Psalm. 19.

Matth. 7.

CAPVT XXI.

Quòd ex his quæ inserta sunt, quid charitas, quid cupiditas in proficiente operetur, possit aduerti.

HActenus hæc fortè non inutiliter inseruimus: quæ omnia si attentè, si diligenter, postremò si humiliter inspiciantur; erit, ni fallor, perfacile intueri, conuersum quemlibet ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac leuissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli: sed cupiditate deorsum premente, & omne cui inhæserit naturali pondere ad ima semper vrgente, in ipso suo conatu, nonnihil laborare. Et quantò frutex perniciosa altiùs in ipsis animæ recessibus radices infixerit; tantò in earum auulsione major difficultas: proinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus, agrum suum parua licet ex parte tribulis ac spinis obsitum, tardiùs euacuat & emundat: impiger autem ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupauerit, vepri um densitatē citiùs eradicat, ac de sterili & infœcundo pinguē reddit & vberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minùs fuerit curiosus; quanquam in sæculo minùs existit inquinatus, tardiùs in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem: at si feruens spiritu, si diligens, sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritualium

exercitiorum instrumentis, vitiorum genimina ab agro sui cordis potenter euellat; in auras conscientiæ purioris citiùs respirabit: ac jugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inueniet, quia jugum Domini suaue est, & onus ejus leue.

CAPVT XXII.

Quanta sit in voluptatum contemptu victoriaque jucunditas.

SIcque probabit expertus, non modo nullius laboris, imò summæ esse iocunditats, pudicitiæ suauitate perfundi: quanquam onerosum sit naturalia incentiua immundaque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperantiæ cohibere. Similiter non solùm jucundum, sed insuper gloriosum, cùm gulæ fuerit cócupiscentia superata, non se seruum sui ventris, sed dominum intueri: illa mira exultatione tripudians. *Ego autem didici in quibus sum, sufficiens esse: scio humiliari, scio & abundare: vbique & in omnibus institutus sum, & ejurire, & satiari; & abundare, & penuriam pati.* Sed & amor carnis si fuerit perfectè sopitus, vel certè igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor: quia non poterit mens eius afflictione turbari, cuius non potest dilectione dissolui. Illecebris sanè odorum licet nonnulli turpiter abutantur; quia tamen hi, de quibus nunc sermo est, vel parum vel nihil in eorum appetitu vel amissione laborant: hinc plura loqui supersedeo. Porrò oculorum auriumque voluptas plurimis non modicum laboris importat: qui nequaquam rectè jugo Saluatoris adscribitur: cùm totum peruersa potiùs pariat consuetudo. Quam quia abscindere sentiunt onerosum, de Dominici jugi, cuius non experti sunt lenitatem, malunt asperitate causari; quę cùm in voluptatum contemptu consistat, non minorem profectò contemnentibus confert libertatem, quàm vana illa & ludicra damnosa pariunt suauitatem.

Philip. 4.

CAPVT XXIII.

De vana aurium voluptate.

SEd quia apertè malos ab hac consideratione putauimus remouendos, de his nunc sermo sit, qui sub specie religionis negotium voluptatis obpalliant: qui ea, quæ antiqui patres in typis futurorū salubriter exercebant, in vsum suæ vanitatis vsurpant. Vnde quæso, cessantibus iam typis & figuris, vnde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suauitatem? Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, ille discinit; alter medias quasdam notas diuidit & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur: nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur; aliquando virili vigore deposito, in fœmineæ vocis gracilitates acuitur: nonnumquam artificiosa quadam circumuolutione torquetur & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore quasi intercluso halitu expirare, non cantare; ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium: nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant, ludunt humeri: & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio: & vbi hæc frequentiùs agitantur, ibi Deo honorabiliùs seruiri clamatur. Stās interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens attonitusque miratur: sed lasciuas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes & infractiones non sine cachinno risuque intuetur: vt eos non ad oratorium, sed ad theatrum; nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes cōuenisse. Nec timetur illa tremenda maiestas, cui assistitur; nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur: vbi Christus mysticè pannis inuoluitur; vbi sacratissimus eius sanguis calice libatur; vbi aperiuntur cœli; assistunt Angeli; vbi terrena cœlestibus iungūtur; vbi Angelis homines sociantur. Sic quod sancti Patres instituerūt, vt infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in vsum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus; sed sonus cum sensu ad incitamentum maioris affectus plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tā moderatus, tam grauis, vt non totum animum ad sui rapiat oblectationem: sed sensui maiorem relinquat portionē. Ait nempe Beatissimus Augustinus. *Mouetur animus ad affectum pietatis diuino cantico audito: sed si magis sonum quàm sensum libido audiendi desideret, improbatur.* Et aliàs. *Cùm me, inquit, magis cantus quàm verba delectant, pœnaliter me peccasse confiteor, & mallem non audire cantantes.* Cùm igitur aliquis spretā ridiculosā illā & damnosa vanitate, antiquæ Patrum moderationi sese contulerit: si ad memoriam nugarum theatricarum prurientibus auribus immane fastidiū grauitas honesta intulerit; sicque totam Patrum sanctitatem quasi rusticitatem contemnat ac iudicet; modo cantandi, quem Spiritussanctus per sanctissimos Patres quasi per organa sua, Augustinum videlicet, Ambrosium, maximeque Gregorium, instituit: Hiberas, vt dicitur, nænias, vel nescio quorum scholasticorum nugas vanissimas anteponens: si ergo hinc crucietur, hinc doleat, hinc ad ea quæ evomuerat, anxius anhelet: quæ rogo huius laboris origo, iugum charitatis, an onus concupiscentiæ mundialis?

Minùs probatur Authori musica in Ecclesia.

August. 10. Cōfess. c. 33.

Si te delectat magis cant⁹ quam verba peccas.

CAPVT XXIV.

De concupiscentia oculorum in curiositate sitâ, quæ ad viam perfectiorem conuersos affligit.

SED iam de concupiscentia oculorum pauca dicenda sunt, quam, Curiositatem sancti patres viderunt appellandam: nam eam non solùm ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ergo ad exteriorem pertinet curiositatem omnis superflua pulchritudo, quam amant oculi in varijs formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificijs, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsum necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras expetunt oculorum: foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris monachorum grues & lepores, damulæ & cerui, picæ & corui: nonquidem Antoniana & Machariana instrumenta; sed muliebria oblectamenta: quæ omnia nequaquam monachorū paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt. Si quis ergo paupertatem Iesu, his oculorum illecebris

Superflua in claustris monachorum.

præferens infra metas necessitatis sese recluserit; & pro superflua illa ædificiorum amplitudine, ac superuacua altitudine, pauperum quorumdam fratrum cubilia expetierit: cùm fortè ingrediens oratorium impolito constructum lapide, nihil pictum, nihil sculptum, nihil occurrerit pretiosum, non marmora strata tapetibus, non vestiti parietes ostro, historias Gentium, pugnas Regũ, vel certe scripturarum seriem præferentes, non ille cereorum attonitus fulgor, non in diuersis vtensilibus radiantis metalli splendor; cum ergo nihil horum occurrerit intuenti, si incipiant ei cuncta sordere quæ cernit, ac se quodam paradiso excussum, ac carcerali quodam squalore queratur immersum: vnde hæc mentis angustia, vnde totus hic labor? Rogo si didicisset à Domino IESV esse mitis & humilis corde, ac contemplari secundum Apostolum, *Non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna:* si interioris illius gloriæ vel modicum degustasset, de qua scriptum est, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus:* illudque Apostoli, *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero:* quod si non in homine altero; quãtò minùs in muto insensibilique metallo? Si inquam interiori ceruice iugo diuinæ dilectionis supposito, ibi intus IESVS ille dulcis dulciter sapuisset: multùmne quæso gloriolas has exteriores affectasset? Nunc de interiori illa curiositate pauca dicenda sunt, quæ maximè in tribus cõstat; in appetitu videlicet noxiæ vel inanis scientiæ; in peruestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad inuidendum, si bona est, vel insultandum si mala, vel certè sola curiositate tantum, vt sciatur, siue mala sit, siue bona: postremò in curiosa quadam pro sæcularium rerum vel actuum agnitione, inquietudine. Ex quibus omnibus mentibus captiuatis non modicus labor innascitur: cùm vel intemperatè exercentur, vel libenter exercẽtibus prohibentur. Hinc est, quod plerique, qui inani Philosophiæ dedere animum, quibus etiam moris est, cum Euangelijs bucolica meditari, Horatium cum Prophetis, cum Paulo Tullium lectitare, tunc etiam metro ludere, laciniqsisque carminibus amatoria texere, vel inuectionibus inuicem prouocare: cùm eò sese contulerint, vbi hæc omnia quasi seminaria vanitatis, vel initia iurgiorum, vel libidinis incentiva, regulari districtione damnantur: incipiunt contristari, irasci; & cùm non habeant, quibus semina conceptæ vanitatis effundant, in illa Heliu verba videntur prorumpere. *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncula nouas dirumpit.* Vnde ergo labor iste nascatur, in promtu est judicare. Inde est etiam quòd cùm tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti à nobis quodam modo exierimus; reuertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus: & cor plenum simulacris ad locum quoque quietis nostræ ferentes, pro ineptissima vanitate noctes ducim⁹ insomnes; regum prælia, victorias ducum, quasi sub oculis stultissima præsumptione depingimus: omniaque regni negotia in ipsa psalmodia vel orationib⁹ nostris otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur: exploratio scilicet suæ sanctitatis per miraculorum exhibitionem: quod est Deum tentare. Quod curiositatis gen⁹ lege Mosaica ita prohibetur. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Vnde etiam Apostolus. *Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt: & à serpentibus perierunt.* Cui pessimo vitio si quis consenserit; ex nimia mentis angustia cùm compos non fuerit voti, vel laqueos desperationis, vel sacrilegium incurret blasphemiæ.

2. Cor. 4.

Psalm. 44.

Galat. 6

Interior curiositas in tribus sita.

Iob 32.

Lectio prophana quid conferat.

Deuter. 6.

1. Cor. 10.

CAPVT XXV.

De superbia vitæ, ac primò de vanitate.

RESTAT noxia radicis tertius ramus: quem superbiam vitæ sanctus Apostolus nominavit. Cuius cùm multa sint genera: ad præsentẽ quæstionem de duobus pertinet disputare. Et primum quidem est, quod amorem vanæ laudis infundit: secundum libidinem inserit dominandi. Ex his ergo quantus oriatur labor; quanta mentis angustia; quis facile dixerit? Quoties planè correctus vel injuriatus conturbor, vel qualibet detractione vel oblocutione confundor; aut, quod est lugubrius, tristitiæ peste consumor: si velim laboris huius causas expressiùs indagare: inuenio in ipsis animæ recessibus radicem vanitatis altiùs latitantem; qua animus magna de se præsumens, talem se delusus depingit; qui non modo non corripi, vel obiurgari, sed insuper laudari ab omnibus & honorari debuerit. Vel certè, cùm mente veneno huius nefandæ pestis infectâ, in aliorum existimatione sanctum se finxerit, & mirandum: statim vt à sua vanitate alios dissentire perspexerit, gloria sua gaudioque frustratus, quod videlicet in aliorum æstimatione falsa opinione locauerat: necesse est tristitiæ stimulis corrodatur. Ex hoc quoque pessimo morbo primæ cathedræ, salutationes primæ, prima vox in concilijs, primæ in conuentu sedes appetuntur: quæ omnia quantum oblata vel acquisita delectant: tantum negata vel ablata conturbant.

Amor laudis humanæ

CAPVT XXVI.

De dominandi libidine.

AT si mentem libido dominandi corruperit, quantum ei laboris imponit, solus ille nosse potuerit, qui huius pessimæ passionis expertus tyrannidem, Dei tandem auxilio ab eius est dominio liberatus. Statim enim vt noxium hoc virus mens insana conceperit, ei à quo desiderij sui aucupatur affectum, degeneri vilitate substernitur; & antequam ille alijs præferatur, ipse omniũ, quos sibi obesse vel prodesse posse perspexerit, abiectissimus seruus efficitur. Inde ob eorum timorem veritatis suppressio, ob eorum fauorem turpis adulatio; itaque ei tota vocis libertas adimitur; vt laudare cogatur, quæ conscientia viderit arguenda; arguere, quæ ipsa indicauerit approbanda. Denique si quemlibet eius, cui innititur, familiaritati, propiùs accedere perspexerit, mox suspitionum iaculis mens captiua confoditur, ne is ad eos, quos ipse ambit, honores citiùs assumatur; ægritudine timoris afficitur: itaque inuidiæ virgis ferreis cæditur, vt nec cibus ad vtilitatem, nec ei somnus proueniat ad quietem. Tunc ad detractiones susurrationesque conuertitur, ac quicquid in eo perspexerit arguendum, prodit & publicat; quicquid publicè arguere non potest, sinistra interpretatione commaculat. Verum si tota sua

Seruitus eius, qui dominari appetit.

spe frustrato, alius prouehatur; quæ tunc illi animæ cruces, quæ tormenta? Confunditur, conteritur, conturbatur, dissipatur, internosque æstus ferre non sustinens, aut è congregatione, tot passionum ictibus arietatus, excutitur; vel si humano pudore deuinctus in congregatione resederit, totus in contrarium vertitur, conceptamque semel ambitionis flammam ferre non valens, anhelat, æstuat, cruciatur: ita vt in silentio eius amaritudo appareat, & in verbis indignatio: & vasis testei instar ad vim fornacis occultæ per exterioris hominis motus infeliciter crepat: mordaciter loquens, truculenter aspiciens, & ad omnia quæ obijciuntur, torgida inflatione respondens. Tunc quibus priùs turpiter adulabatur, aperta fronte resistit, contradicit, obloquitur, clam malitiosa detractione corrodens: palam sine omni reuerentia & honestate objurgans. Tunc omnia seniorum suorum verba malè curiosus attendens, singulis insidiatur syllabis; explorat facta; & omnes, vt ita dixerim, motus & itinera impudicis oculis perlustrans, enumerat omnia; de omnibus judicat; ac pro malitiæ suæ liuore omnia interpretatur. Quod si fortè, vt se habet humana infirmitas, excessu aliquo præuentus senior fuerit; jam tunc ille nactus locum suæ, vt sibi videtur, injuriæ vlciscẽdæ, erigit supercilium, rugat frontem, labia importunis dilatat clamoribus. Verùm vt se Dei zelo agi intuentibus mentiatur, quasdam sibi aliquando extorquet guttulas lacrymarum, dolosa producit suspiria, querulis satis vocibus charitatem deseri queritur; puritatem transgredi, conculcari iustitiam, ingemiscit. Dicas, si nescias, eo spiritu agi eum, quò quondam Ieremias Propheta flammescens; *Factus est*, inquit, *sermo Domini quasi ignis æstuans in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.*

Ambitiosus vt se gerat circa alios.

Ierem. 20.

Sic ille igne zeli Dei interiora sua depasci proclamans: se pro iustitia erigi, certare pro Ordine, pro charitate etiam odia subijsse mentitur. Quid plura? Ita tandem rebellis ac contumax experitur, vt vel expelli eum extrema necessitas vrgeat, aut certè aliqua propriæ voluntatis libertate leniri. Hinc mira quædam orta abusio est. Cum aliquando status religionis purè admodum tractaretur, sicut se habet regula veritatis; quicunque humiliores, quietiores ad obedientiam, ad opprobria promptiores, in omnibus bonis ferventiores, qui honores maximè non appeterent; hi tales vel ad alios regendos, vel ad aliquas administrationes, non dico promouebãtur, sed compellebantur: nunc contrariò, dum quorundam timetur insolentia, vel cauetur rebellio, vel improbitas formidatur, quia querulosi, quia iracundi, quia leues & acediosi, non valentes in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc intus; quia denique timentur, promouentur; & quæ illis debuit esse causa deiectionis & humilitatis, fit fomes tumoris. Sed de trimoda hac cupiditate hæc satis sint. In quibus omnibus si quis animæ suæ vultum, quasi in quodam speculo diligenter attenderit; inueniet, ni fallor, non modò quid habeat deformitatis, sed & ipsiꝰ deformitatis causas occultas sub veritatis luce cognoscet: ac sic non Dñici iugi asperitatem, quæ nulla est, sed propriam arguet peruersitatẽ. His ergo passionum radicibus, quasi totius laboris nostri causis, euulsis penitus, ac mentis nostræ humeris charitatis iugo suppositis; discemꝰ à Dño Iesu, quia mitis est, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris, sabbatizantes, non cum Iudæis sabbatum carnale, sed in dulcedine charitatis æternum & spirituale.

Abusio in Religionibꝰ.



LIBER TERTIVS.

IN QVO, QVOMODO SIT EXHIBENDA CHARITAS, MONSTRATVR.

CAPVT PRIMVM.

Lex de Sabbatorum distinctione proponitur.

LEGIMVS in veteri testamẽto quasdam sabbatorum distinctiones: quorum cõsiderationi libri huius dedicamꝰ exordium. Habes nempe in lege tria tẽpora sabbati requiei cõsecrata: septimũ videlicet diem, septimũ annum, & post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immeritò dicitur sabbatum sabbatorum. Constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno; vt septenarius numerus in vnitate concludatur: qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritussancti munere promouetur, vt ad ipsum, qui verè vnus est, veniatur: vbi totum quod sumus vnum cum ipso efficiatur. Et quia in vnitate nulla est diuisio, nulla sit ibi per diuersa mentis effusio: sed sit vnum in vno, cum vno, per vnum, circa vnum: vnum sentiens, vnum sapiens; & quia semper vnum, semper requiescens: & sic perenne sabbatum sabbatizans. Interim habes sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodam prægustu sabbatum sabbatorum. Quis ita illuminatus est Dei spiritu, vt has sabbatorum distinctiones, non ex aliorum verbis mutuet, memoria mediãte; sed in se ipso agi sentiens, loquatur non solùm ex memoria, sed etiam ex sententia? Adesto, tu bone IESV, adesto huic pauperculo tuo, mendicanti non micas diuitis purpurati: sed instar catuli, micas, quæ cadunt de mensa dominorum meorum filiorum tuorum. Magnus enim ille filius tuus; & quia filius tuus, Dominus meus, sanctus scilicet Moyses, admissus nimirum ad mensam tuam, epulatus est in ferculo Salomonis panem tuum. Et scio, mi dulcis Domine, dixisti enim. *Non est bonum sumere panem filiorum; & mittere canibus.* Sed quia catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, tu frange catulo tuo panem istum, vt micas colligat,

Leuit. 23.

Sabbata dierum, annorum, & sabbatorum.

Matth. 15.

colligat, qui non sufficit ad crustulam.

CAPVT II.

Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio: & quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio.

AVdiamus ergo frangentem. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Si igitur credimus, imò quia credimus veritati, necesse est in his duobus præceptis has sabbatorum quæram⁹ distinctiones, nã & ipsæ ex lege sunt. Porrò hæc duo præcepta si diligenter inspicias, tria quædã inuenis diligenda, te videlicet, proximum, Deũ. Vbi enim dicitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, manifestum est quia diligere debes & teipsum. Hoc tamen non est preceptum: quia naturæ est insitum. *Nemo enim vnquã carnem suam*, teste Apostolo, *odio habuit.* Et si non carnem, multò minùs vtique mentem: quã quilibet homo, etiam nesciens, magis diligit quàm carnem. Nemo est enim, qui non malit infirmus carne, quàm insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui sabbatum primũ: dilectio proximi sit secundum, Dei autem dilectio sabbatum sabbatorum. Est autem, vt suprà diximus, sabbatum spirituale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur; aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur: in Dei autem dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sane prouidendum, vt homo, sicut oportet, diligat semetipsum; proximum verò tanquam seipsum; Deum autem supra seipsum: quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Sed hæc dilectio quemadmodum vel proximo adhibenda sit, si Dominus voluerit, postea adnotabimus. Nunc verò considerandum est, quia licet in hac trina dilectione manifesta sit distinctio: inest tamen eis mira quædam complexio: ita vt singulæ in omnibus, & omnes inueniantur in singulis: nec vna sine omnib⁹ habeatur; & vna vacillante ab omnibus recedatur. Nã neque se diligit; qui vel proximum, vel Deum non diligit: nec proximum diligit tanquam seipsum, qui nõ diligit semetipsum. Porrò Deum non amare cõuincitur: à quo proximus non amatur. *Qui enim non diligit fratrem quem videt: Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Præcedit ergo quodammodo dilectionẽ Dei dilectio proximi: dilectionem verò proximi dilectio sui: præcedit inquam, ordine, non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam, de qua dictum est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; & ex tota mente tua.* Nam profectò quædam huius dilectionis portio, & si non plenitudo, & sui & proximi dilectionem præcedat, necesse est: sine qua vtraque illa mortua est, ac proinde nulla est. Videtur enim mihi, Dei dilectionem quasi aliarum dilectionum animam esse: quæ & in seipsa plenissimè viuit; & alijs sui præsentiã essentiam vitalem impertit; absentiã mortem inducit. Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, vt diuinus ille ignis paulùlum calescens, cæteras tandem quasi scintillulas in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionem ad illud sublime & ineffabile bonum abducens; vbi nec ipse à se, nec proximus diligitur; nisi inquantum vterque deficiens à se, totus transfertur in Deum. Interim hi tres amores & ab inuicem concipiuntur, & ab invicem nutriuntur, & ab inuicem accendũtur: porrò simul omnes perficiuntur. Agitur autem miro & ineffabili modo, vt quãquam hi tres amores simul omnes habeantur, neque enim aliter potest, non tamen semper æquè sentiantur: sed nunc requies illa, illa jucunditas in propriæ conscientiæ puritate sentiatur; nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur; nunc in Dei contemplatione pleniùs acquiratur. Sicut enim Rex aliquis diuersas aromatum possidens Apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur; nunc huius, nunc illius odore perfunditur: ita mens cellaria quædam referta spiritualibus diuitijs intra conscientiæ suæ septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat: ac jucunditatis suæ materiam pro diuitiarum diuersitate diuerso modo compensat.

Matth. 22.

In duobus dilectionis preceptis sabbatorum distinctiones quærenda.

Ephes. 5.

1. Ioan. 4.

Matth. 22

Dei dilectio aliarum dilectionum quasi anima est.

Amor Dei, proximi & sui ad inuicem accenduntur.

CAPVT III.

Quomodo sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.

CVM enim homo ab hoc exteriori tumultu intra secretarium suæ mentis sese receperit, & contra circumstrepentium turbas vanitatum clauso ostio, interiores gazas perlustrauerit; nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia iocunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimæ cuiusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba, ipsi animo, quasi, patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subitò mira securitas, ex securitate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidam, eo deuotiùs in Dei laudes erumpens, quo perspicaciùs conspicit, eius esse muneris, quicquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei iocunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio; vt primùm in bonis operibus desudemus, & sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur, secundum quam sui dilectio iudicatur. Sicut enim is qui operatur vel diligit iniquitatem, non diligit, sed odit animam suam; ita profectò qui diligit & operatur iustitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius sabbati iocunda solemnitas, in qua seruilia mundi opera minimè exercentur: in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

Perfectio operum debet sabbatum præcedere.

CAPVT IV.

Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, & quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.

PORRO si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc sabbatum celebrauit, ad illud pectoris sui diuersorium sese contulerit, vbi solet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis; senserit que ibi animam suam, cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri, nullis inuidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari, non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicque ad quendam tranquillissimum men-

tis suæ sinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac secum vnum cor, & vnam animam faciat: ad huius mox dulcedinis suauissimum gustum omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit, & fit ibi intus ab omnibus noxijs absoluta vacatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata & iocunda pausatio. Nam quod in huius sabbati quiete, nullum prorsus vitium residere charitas fraterna permittat, testis est huius ipsius sabbati continuus feriator Apostolus Paulus; sic enim ait. *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Huius sabbati requie ac dulcedine perfusus propheta Dauid, in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit dicens, *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Vere bonum, vere iocundum. Bonū plane, quia nihil vtilius; iocundum, quia nihil sapidius. Sicut autem primo illi sabbato vnus tantum dies dedicatur, quia videlicet singulare est, quod in propriæ cuiusque conscientiæ tranquillitate consistit; ita non immeritò huic ann⁹ integer consecratur: quia sicut ex multis diebus annus efficitur, ita ex multis animabus vnum cor, & vna anima charitatis igne cōflatur. Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Sicut autem annus multos dies complectitur: ita in singulis illis generibus multi nobis homines dilectionis copulâ conjunguntur. Primò ergo dilectio nostra naturali ordine ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. Quæ dilectio vt habeatur, quia ipsi naturæ est insitum; si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit: & est infideli deterior.* Nec hanc Apostolicam sententiam Dominicis verbis quisquam æstimet esse contrariam, quibus dicit. *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus.* Sed de his in consequentibus videbimus. Igitur quia sunt nonnulli, qui immaniores bestijs, nec domesticos attendunt: iam aliquantulum ad sabbatum hoc spirituale procedit; qui suos, ita vt oportet, diligit. Hæc autem dilectio quoniam ab ipsa natura proficiscitur: in præceptis quæ ad dilectionem pertinent proximi primo loco sancitur, ita Deo potestante. *Honora patrem tuum & matrem.* Hinc ad eos qui nobis spiritualis amicitiæ fœdere, vel officij vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur: & quodammodo sinu ampliori laxatur. Sed hæc dilectio Pharisæorum iustitiam non trāscendit: quibus dictum est. *Diliges amicum tuum; & odio habebis inimicum tuum.* Sanè vtraque hæc dilectio quanquam parum præmij seruata conquirat; quippe cùm ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos prouocet: neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in Evangelio. *Si diligitis, inquit, eos qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum: quid amplius facitis?* Vt ergo in aliquid amplius dilectio nostra tendatur: amplectatur & eos qui nobiscum eodem iugo professionis subduntur. Hæc planè dilectio præmio non fraudabitur: quia Deus causa est, cur exhibetur. In hoc statu mens vestimētis agglutinata IESV, aliquid sibi vnctionis elingit: quæ descendens à capite, etiam barbæ influit veri Aaron, & ad orā vsque vestis attingit, cuius vncta pinguedine aliquantisper extēditur: & primùm omnes ad quos vnctio ipsa pertingens, participium illis nominis IESV, vt ab vncto vncti, id est à Christo Christiani vocentur, impertit, laxiori sinu recipit diligendos. Restant adhuc duo hominum genera; quæ si pectori nostro amoris vinculis adstringātur: nihil profectò obstabit, quin veri illius sabbati requie perfruamur. Nam & eorum qui foris sunt, Gentilium videlicet & Iudæorum, hæreticorum & schismaticorum, necesse est vt ignorantiam doleam⁹, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamus: vt & ipsi inueniantur nobiscum in Christo IESV Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit; in quo homo Dei filius efficitur; in quo diuinæ bonitatis similitudo pleniùs reparatur: sicut ait Saluator in Evangelio. *Diligite inimicis vestros, & benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus; & calumniantibus vobis: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Exinde quid supererit, nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimur: in quo seruus libertate donatur? Qui enim nouit etiam inimicos simplici oculo intueri: ille est, qui veraciter dicere potest. *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Omnis enim qui facit peccatum: servus est peccati. Cui deplorandæ seruituti tandiu quisque addicitur; donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur: de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur. Verè tempus pacis, tempus quietis, tempus tranquillitatis, tempus gloriæ & exultationis. Quid enim molestiæ, quid perturbationis; quid mœroris, quid anxietatis eius poterit interpolare lætitiam, qui à primo illo sabbato, in quo laborum suorum fructibus pascitur, ad hujus diuinæ similitudinis statum gratia pleniore progreditur: vt omne hominum gen⁹ vno mentis amore complectēs, nullius injuria moueatur: sed sicut indulgentissimus aliquis pater erga carissimum sibi filium phrenesi laborantem, ita ille erga suos afficiatur inimicos: vt quo magis ab eis iniuriatur; eò profundiori charitatis affectu inferentibus sibi molestiam compatiatur? Hac igitur virtute possessus tunc maximè sabbatum hoc celebrare dicendus est: cum ingrediens cor suum in fraternæ dilectionis dulcedinem intendit animum: & erga carissimos sibi in quendam suauissimum resolutus affectum, gustat quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in vnum.

CAPVT V.

Quomodo vtraque hac dilectio Dei dilectione seruetur.

VErùm, quia, vt superiùs diximus, vtrūque hunc amorem, quo vel propriæ saluti comsulimus, vel quo proximis puro affectu vnimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari: sciendùm quia ad hanc geminam dilectionem Dei nos dilectio mouet & promouet, secundum id, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Siquidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quā in duobus constare manifestum est. Innocens quippe est,

Marginalia: Sabbatum spirituale mentis. — Rom. 13. — Psalm. 132. — Sex hominum diligendorum genera. — 1. Timo. 5. — Luc. 14. — Exod. 20. — Matth. 5. — Ibidem — Psalm. 132. — Iudæi & hæretici diligendi. — Matth. 5. — Matth. 6. — Ioan. 8.

qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicuius aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem quia maxime voluptas, ac delectatio carnis impellit, sic eam facile quilibet respuit vel euitat, si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritalibus oculis intueri Dominũ maiestatis, vsque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis, felicibus labijs osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quàm mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis & miseris condescendens, quòd mira benignitate nec meretricis attactum, nec Publicanorum refugit conuiuium, quod vnius adulteræ suscipit causam ne lapidetur, quod alteri confabulatur, vt de adultera Euangelista quodammodo efficiatur. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fœtentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaues quædam lacrymæ facilè oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur. Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, vt illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filijs hominum, venustam faciem suam impijs præbuit conspuendam; qui oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput, tremendum principatibus & potestatibus spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobrijs ac contumelijs addixit: qua tandem Crucem, Clauos, Lanceam, Fel, Acetum patienter sustinuit; in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique tanquam ouis ad occisionem ductus, est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Considera ô humana superbia, ô supeba impatientia; quid sustinuit, quis sustinuit, quomodo sustinuit. Cogitentur, rogo, non scribantur. Quis est, cuius ad hunc mirabilem intuitum non statim ira deferueat? Quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam immutabilis, tranquillitatis, *Pater ignosce illis*, non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? Pater inquit ignosce illis. Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare; voluit & excusare. Pater inquit ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Sunt quidem magni peccatores, sed pusilli æstimatores, ideo Pater, ignosce illis. Crucifigunt; quem tamen crucifigant nesciunt, quia si cognouissent numquam dominũ gloriæ crucifixissent; ideo pater ignosce illis. Putant legis præuaricatorem; putant diuinitatis p æsumptorem; putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meã, non agnouerunt maiestatem meam: ideo Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Igitur, vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat. Vt verò carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatẽ Dominicæ carnis extendat. Porro vt perfectius, ac suauius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachijs veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarum flatu tepescat, dilecti Dñi ac Saluatoris sui tranquillam patientiã oculis mentis semper aspiciat.

Pius affect⁹ erga carnem Saluatoris, quãtum valeat.

Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 8. Ioann. 4. Isai. 53. Luc. 23. 1. Cor. 2.

Remedium aduersus carnis illecebras

CAPVT VI.

Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperitur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

VErum hac gemina dilectione purgata mẽs, tanto deuotiùs, quanto securiùs, ad ipsius diuinitatis felices gestit amplexus; ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, intransque in illud sanctuarium, vbi spiritus sit ante faciem suam Christus Iesus, ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitatã dulcedine penitus absorbeatur; factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnib⁹ mutabilibus, in id quod est, & sic semper est, & ipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitũ; vacans & videns quoniam Dominus ipse est De⁹; & inter charitatis ipsius suaues amplexus, sabbatizans sine dubio sabbatum sabbatorum Hic annus iubileus, in quo homo ad suam possessionẽ reuertitur, ipsum videlicet auctorem suum, vt nimirũ possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio, amore hominis diffluente ab eo, à quo factus est, & inhærente rei, quæ, facta est. Huic sabbato nõ immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo seruilis timor expellitur, carnis non solum concupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus concipitur. *Ante*, inquit, id est ante Pentecosten *spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profectò in sabbato primo, datur & in secundo, sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo. In gemino enim illo sabbato Iesus cernitur paruus, non magnus: humilis, non sublimis; iniuriatus, non glorificatus. Ideo spiritus nondũ erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Verum quia charitas diffunditur in cordib⁹ nostris, non alias nisi per Spiritum Sanctũ qui datus est nobis, vbi septenarius numerus custoditur, sed in ipsius septenarij multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritualis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiæ; deinde in multarum mentium dulcissima coniunctione; postremò in ipsius Dei contemplatione. In primo sabbato vacatur à crimine; in secundo à cupiditate; in tertio ab omni prorsus distentione. In primo gustat mens, quam dulcis est Iesus in humanitate, in secundo videt quam perfect⁹ in charitate, in tertio quam sublimis in deitate In primo colligitur ad se; in secundo extenditur extra se; in tertio rapitur supra se.

Annus Iubileus mysticus

Ioan. 7.

Rom. 5.

Sabbatorum mysterium.

CAPVT VII.

Quid sit amor, quid charitas, quid cupiditas.

LOcus & tempus exigit, vt quod superiùs distulimus, quemadmodum videlicet charitas sit exhibenda, paulò latiùs exequamur. Quod vt manifestius fiat; quidnam sit charitas, enucleatiùs video ostendendum. Et manifestum quidem est, quòd charitas amor sit; quanquam non minùs manifestum, quòd non omnis amor charitas sit. Quocirca subtiliori indagatione opus est, vt primò quid sit amor, pateat intuenti: quatenus genere agnito species non lateat inquirentem.

Non omnis amor charitas.

Dupliciter igitur amorem dici, animadversa loquendi consuetudo demonstrat. Dicitur enim amor, animæ rationalis vis quædam siue natura; qua ei naturaliter inest ipsa amandi aliquid, non amandiue facultas. Dicitur & amor ipsius animæ rationalis quidam actus vim illam exercens, cùm eâ vtitur vel in his quæ oportet, vel in his quæ non oportet: qui quidem actus cum additamento amor appellari solet: verbi gratia amor sapientiæ, amor pecuniæ; quem vtique amorem vel bonum necesse est esse, vel malum. Nam vis illa animæ, siue natura, qua hic amor, siue bonus siue malus exercetur, bonum quiddam animæ est: & in bono & in malo numquam potest esse non bonum. Pertinet quippe ad ipsius naturam substantiæ, quæ ab ipso summo bono est: qui fecit singula quidem bona, vniuersa autem bona valde. Sed homo libero muneratus arbitrio, sicut cæteris naturæ suæ bonis, sic & hoc aut bene vtitur, adiutus per gratiam: aut malè, relictus per justitiam. Quia igitur, vt quidam ait, bonos aut malos mores non faciunt, nisi boni aut mali amores; præmissi boni bonus vsus bonum hominem facit, quia bonum amorem facit: abusus autem, quia malum amorem facit, vtique malum hominem facit. Quid ergo dubitamus charitatem dicere ipsius amoris rectum vsum, abusum autem cupiditatem?

Amor dupliciter sumitur.

Liberum arbitrium.

CAPVT VIII.

Quomodo in electione, in motu, in fructu, amoris rectus vsus constet, siue peruersus.

IAM nunc inter eius vsum rectum siue peruersum, aliquantò subtiliùs discernamus. Constat autem, vt mihi videtur, vsus eius in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione; motus in desiderio & actu; fructus in fine: Rationalis quippe creatura sicut beatitudinis capax condita est; ita ipsius beatitudinis auida semper: sed ad beatitudinem nequaquam ipsa sibi sufficiens est. Propria autē infelicitate, quòd ad beatitudinem sibi non sufficiat, consequenter edocta, vt cupita beatitudine potiatur, re aliqua sibi videt esse fruendum, quæ ipsa non sit. Proinde vnusquisque vel pro modo suæ fidei & intellectus, vel pro erroris fallacia, vel pro experientia sensus, primò sibi beatitudinem in rei cuiuslibet, vel certè rerum quarumlibet fructu constituit. Deinde quicquid illud est, cuius se fructu beari posse confingit: sine omni ambiguitate sibi eligit ad fruendum. Quam vtique electionem amor facit: nam eâ vi suâ, siue naturâ, quam superiùs amorem diximus, anima rationalis id facit. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet: sed qua, ea quæ eligit, ab his quæ reprobat, viuaci circumspectione discernat. Denique rationis est inter creatorem & creaturam, inter temporalia & æterna, inter amara & dulcia, inter aspera & delectabilia discernere: amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Porrò & ipsa electio amor dicitur, & est quidam actus animæ: sed cùm amor ipse quo eligit, semper bonum sit, hæc tamen electio, quæ & amor nihilominus appellatur, necesse est vt bona vel mala sit, ac per hoc bonus vel malus amor sit. Nam si experientia cujuslibet delectationis illecta, vel certè quolibet errore decepta mens, ea quibus minimè fruendum est eligat ad fruendum: profectò infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione & gaudio vti. Ipsam sanè electionem statim sequitur, vel etiam comitatur ipsius amoris motus occultus: excitans quodam modo & mouens animum in illius rei desiderium, quam eligendam putauit. Et hic similiter motus animi actus est, & ex amore est, & amor dicitur: & si sit ad id quod debet, & sicut debet, amor bonus est: si verò ad id quod non debet, vel aliter quàm debet, malus amor est. At si eam rē quam ad fruendum elegerit, electā desiderauerit, actibus opportunis pro voto adeptus fuerit: in illius mox vsu cum gaudio ac delectatione quiescit. Quem vsum, vt vno verbo appelletur, fructum vocamus. In his igitur tribus charitas siue cupiditas constare videtur: in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio amoris siue boni siue mali est inchoatio: motus amoris ipsius cursus; fructus ipsius amoris est finis. Si itaque mens ad fruendū eligat quod oportet: si ad id sic moueatur vt debet; vel eo fruatur vt decet: & tam salubris electio, & tam vtilis fructus non immeritò charitatis censeri vocaculo iudicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur; motu extenditur; in fructu verò perficitur. At si animus eligat insipienter; moueatur indecenter; turpiter abutatur: his quasi gradibus cupiditatē consummari facile aduerti potest. Hi sunt duo fontes, bonorum scilicet & malorum origines: quoniam quidem radix omnium malorum est cupiditas; & radix omnium bonorum charitas.

Vsu liberi arbitrij in tribus spectatur.

Vsus fructus dicitur.

CAPVT IX.

Quid nos oporteat ad fruendum eligere.

QVoniam igitur inter bonum malumque amorem distinximus: superest nunc, vt quid ad fruendum eligere debeat animus; quemadmodum ad id quod elegerit, moueri oporteat; sicut ipse, in cuius manu sumus, & nos & sermones nostri, inspirare voluerit, ostendamus. Sic quidem & quid diligendum, & quemadmodum diligendum sit, agnoscemus. Hoc sanè dicendum, quia non omne quod in vsum nostrum eligimus, diligere dicendi sumus: sed solum id quod ad fruendum eligimus. Ea quippe mens quæ sterquilinio carnis immersa, ad nihil subtile quod crassitudinem sensus excedat, nititur aspirare; vel fallaces diuitias, vel inutiles honores, aut corporeas voluptates, mundive favores, vel horum aliquid, vel simul omnia, quasi destinatum intentionis sibi eligit finem: in talium perfunctione felicitatem falsa opinione depingens. Ad horum tamen fructum non eodem omnes calle nituntur. Alius enim negotiari, militare alius, quamlibet artem alius eligit exercere: ad destinatum finem alius rapinis ac latrocinijs tendit. Ex his omnibus id solùm amare quis dicendus est, ad quod fruendum tota eius festinat intentio; cæteris autem quasi quibusdam adminiculis vti, quò faciliùs ad desideratæ rei perfunctionem valeat peruenire. Sed peruersa mens quandiu quidem non potitur optatis, in eorum fructu felicitatis pingit imaginem; aut voti compos effecta cùm se solita indigentia senserit laborare; vel certè ab his quibus abusa est, quodam quasi fastidio resilire: in alterius cuiuslibet rei succenditur appetitum, non quidem satianda, sed eadem iterum vanitatis ineptiā turpiter deludenda. Hic est circuitus impiorum; de quorum misera indigentia in prima huius operis parte satis superque disputatum est. Porro is cui mens

Quid amare censendus sit homo.

sanior, oculus purior, vita est defæcatior, altiori sensu rem investigans: cùm manifestum sit neminem sibi ad beatitudinem posse sufficere, videt profectò id quod sit inferior abiectiorque natura, deijcere posse hominem sui amore, non extollere altiùs; miserijsque magis involuere, quàm veræ felicitatis conferre solatium. Hinc semetipsum metiri aggrediens, ac suæ priuilegium æstimare naturæ: cernit profectò, quàm dignè, quàm magnificè, quàm denique iustè homini lex diuina præcipiat. *Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli seruies.* Quod nullomodo dixisset; si esset quælibet natura sublimior, cui humana natura singulare illud deberet obsequium: vel à qua posset beatitudinis præmium expectare. Ipse igitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur, quod est amoris inchoatio: ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam atque promotio: in cujus adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. Meritò igitur primum mandatum & maximum de Dei dilectione lex diuina contradidit: *Diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum.* Verùm, quia hoc beatifico bono, cùm adepti fuerimus, quisque pro sua capacitate fruetur; capaciores autem erunt omnes simul, quàm singulus quisque: erit sine dubio ipsa beatitudo cumulatior, si hoc quod quilibet minus capax habere non poterit in seipso, habere incipiat vel in altero. At alterius bonum suum non erit: nisi hoc ipsum bonum in altero dilexerit. Quod æquè impossibile erit, nisi alterum ipse dilexerit. Congruentissimè ergo secundum præceptum diuina sanxit authoritas, *Diliges proximum tuum.* Sed quoniam summum bonum nostrum Deus erit, & in seipso, & in nobis, & in altero: ipse ex toto præcipitur diligendus. Diliges itaque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni virtute tua. Quia verò tantundem gaudij nobis conferet proximi bonum, quantum proprium; meritò dicitur, diliges proximum tuum tanquam teipsum. Patet igitur, duo nobis eligenda, vt his fruamur; Deū scilicet & proximum: quanquam dissimiliter. Nam Deū, vt eo fruamur in seipso, & propter seipsum: proximum vt ipso fruamur in Deo, imò & Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc *frui* districtiùs soleat accipi, vt videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur: ad hominem tamen loquens Paulus, *Ita frater*, inquit, *ego te fruar in Domino.* Cùm igitur hæc duo & ratio, vt diximus, eligenda perspexerit, & cæteris omnibus horum contemplatione contemptis mentis consensus elegerit, inchoata est profectò Dei proximique dilectio: quia ad id quod debet fit ipsius amoris conuersio.

Deuter. 6. Matth. 4. — *A solo Deo beatitudo expectanda.* — *Deuter. 6.* — *Deo & proximo fruendum.* — *Ad Philem.*

CAPVT X.

Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.

HÆc de electione dixisse sufficiat, vt deinceps ide psi᷒ amoris motu, quæ dicēda sunt, prosequamur. Fit autem motus eius ad duo, vel interius ad desiderium, vel exterius ad actū. Ad desiderium, cum ad id quo fruendum iudicauerit, animus se motu quodam interno, & appetitu extendit. Ad actum, cum mentem ad aliquid etiam exteriùs agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit. Proinde investigandum arbitror, quænam sint illa, quibus quasi incentiuis, amor ipse ad hæc duo excitetur ac moveatur, quæque ei cursum suum ordinent quodammodo atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat; quidue respuere, quid admittere, quid minuere, quid augere oporteat, vt ipse motus cōpetens sit, subtilius inquirendum. Sunt autem duo, vt mihi videtur, quibus animus ad duo illa quæ præmisimus, mouetur quodammodo ac excitatur, id est affectus & ratio. Aliquando enim affectu tantū, aliquando tantū ratione amor noster vel ad publicum actum, vel in occultum succenditur appetitum: quocirca de singulis his quantum necesse videbitur, disputare conabimur. Hoc sane dicendum; cùm superius duo quædam ad fruendum, Deus scilicet & proximus, ratio docuerit eligenda, cæteris omissis, quemadmodum ad hæc duo amor noster moveri oporteat, deinceps esse tractandum. Igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit, videamus. Sed primo de bifaria ipsius motus origine, quæ cœpimus exequamur.

Deo & proximo fruimur.

CAPVT XI.

Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur, & quod spiritalis affectus multipliciter accipiatur, ostenditur.

EST igitur affectus spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem aut spiritualis est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certè carnalis. Spiritualis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spirituali quidem affectu animus excitatur; cùm occulta & quasi improuisa Spiritus sancti visitatione in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suavitatem mens compuncta resoluitur. Cuius visitationis modum & causas, quàm lucidè à nobis fieri potuit, superiùs memini demonstratas. Huic affectui ille contrarius est, qui ex diaboli immissione generatur. Quo illos ad turpia quæque constat illectos, de quibus Propheta, *Spiritus*, inquit, *fornicationis decepit eos.* Gemino enim tormento sanctorum pudicitiam immundissimus hostis insequitur; nunc carnem intolerabili flamma succendens: nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissoluens. Ni fallor, Amon filius David ex immissione callidissimi hostis noxiæ suauitatis resolutus affectu, in illicitos propriæ sororis exarsit amplexus: ac tanti patris domum incestu commaculans, fratris in se gladium prouocauit: ac futuri parricidij quo patrem infelix Absalon regni cupidus infestauit, occasiones quasdam præseminauit & causas. Nemo sane exhorreat, quòd hunc affectum dicimus spiritualem, pro eo quod à spiritualibus vitijs generatur; nec causetur de nomine, cùm res ipsa manifesta sit.

Spiritualis affectus duplex. — *Ose. 4.* — *2. Reg. 13.* — *Ibid. c. 15.*

CAPVT XII.

De affectu rationali & irrationali.

RAtionalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur: videlicet cùm oculis nostris cuiuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama divulgante, vel certè lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus, qui nos, audita triumphali martyrum passione, suauissima deuotione compungit: ac memorabiles præ-

cedentium act⁹ quasi sub oculis delectabili meditatione depingit. Hinc vox illa, qua admirabilis athleta Iesu, Paulū dico, fortia sua gesta cōmdat: conceptæ gratulationis indices ab oculis audientium plerūq; lacrymas elicit: animumq; ad eius iā iamq; gestientē amplexus infusa subito pietate perstringit. Quis enim audiēs pericula illa fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, illam in super vocem virtutis, *Vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat:* quis inquam, hæc audiens vel legens, in talem virum non mirabili moueatur affectu? Hic affectus inter David & Ionathan sacratissimi amoris primitias consecrauit: ac socialis vinculum gratiæ ne paterna quoque authoritate soluendum, fœdere gratissimæ charitatis innexuit. Visa namque immutabili pectoris illius constantia, qua loricatum gigantem puer inermis prostrauerat, quod alteri foret inuidiæ seminarium, optimo adolescenti virtutis extitit incrementum: dum virtutis amicus in virtuosi iuuenis excitatur affectum, dicente Scriptura. *Anima Ionathæ colligata est animæ Dauid: quia dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Hunc ipse mitè misericors misericorditer in se transformans affectum, intuitus adolescentem qui ei suas virtutes prodiderat: vt ait Euangelista, dilexit eum. Huic affectui contrarius est irrationalis, qui quolibet erga aliquem comperto eius vitio, quadam mētis inclinatione mouetur. Multi enim ob vanissimam Philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciā, quorumdam sibi animos inclinarunt. Et quod lugubrius est, multi quia prodigi, quia luxuriosi, quia pudicitiæ proditores & insecutores; quia turpissimorum hominum fautores & fauttores, quia inanium spectaculorum vanissimi, sed intentissimi spectatores, aliquorum sibi alliciunt & inclinant affectum.

2. Cor. 11.
Philip. 4.
1. Reg. 18.
Marc. 10.

CAPVT XIII.

De affectu officiali.

Porrò officialem eum dicimus affectum: qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Moyses sanctus cùm Pharaonis declinaret insidias, Sacerdotis Madian officio memorabili sibi comparauit affectum: cuius dum filias virgines à pastorum improbitate constantissimè, licet alienigena, protexisset; admiratus adolescentis beneuolentiam homo, non solùm amicum eum sibi, sed & generum postulauit. Berzellai quoq; Galaadites, Regis David, quem fugiētem à facie Absalon officiosissima deuotione susceperat, muneribus nihilomin⁹ paratum excitauit affectum: qui viri constantissimi animo tam perseueranter inhæsit: vt inter hæreditaria præcepta tantæ munificentiæ recōpensationem filio Salomoni Rex statim moriturus indixerit.

Exod. 2.
2. Reg. 17.
3. Reg. 2.

CAPVT XIV.

De affectu naturali.

EST præterea affectus naturalis cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. Nemo enim carnem suam odio habuit, &, Non potest mater obliuisci infantis sui, vt non misereatur filio vteri sui, &, Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior. Primus horum etiam viros sanctissimos non effugit, qui eo affectu, quo nemo carnem suam odio habuit, de sepultura solliciti, narrātur sacramentis posteros obligasse, ne in alieno, sed in sepulchris patrum mortui conderentur. Secundum sapientissimus Salomon, cum pro superstite puero, nam alterum mater oppresserat, meretrices feminæ in eius præsentia disceptarent, credidit explorandū. Denique allato ense, cum diuisionem pueri Regia sublimitas iudicasset, matrem affectus prodidit naturalis, & cessit affectui, quæ non cesserat improbitati: & quæ laborauerat ne vera mater proprio pignore frustraretur, laborare cœpit vt alteri traderetur. *Obsecro,* ait, *date huic infantem viuum & non occidatur,* Econtra, quæ ad aliena viscera expers pietatis obdurùit, *nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.* Porrò tertius in pectore sanctissimi Ioseph, etiam fratricidali præponderauit iniuriæ, qui cùm fratribus fratricidis dispensatoria seueritate explorationis crimen inureret: cernens eos non mediocriter fatigari, ac sera satis pœnitentia de fratris proditione torqueri; cedens affectui, vt scriptura ait, auertit se parumper; & fleuit. Hunc affectum à pijs visceribus Patriarchæ David nec filij parricidalis abrasit immanitas: à quo cùm quæreretur ad mortem, mittens qui eius obuiarent insaniæ, oblitus injuriæ, memor naturæ, vt sciret patrem, dissimulans nosse persecutorem: *seruate,* inquit, *mihi puerum Absalon.* Hunc in se Saluator ipse mirabili compassione trāsfundens, videns ciuitatem, quæ ei secundùm carnem metropolis fuit; ex qua illi Patres secundùm carnem; naturali pietate commotus, cum infusione lacrymarum futurum ei deplorauit excidium. Cujus imitator Paulus naturali, vt reor, compunctus affectu, optabat aliquando anathema esse à Christo pro fratrib⁹ suis secundùm carnem.

Ephes. 5.
Isai. 49.
1. Timot. 5.
Genes. 47.
Antiqui de sepultura soliciti.
3. Reg. 3.
Genes. 42.
2. Reg. 18.
Rom. 9.

CAPVT XV.

De affectu carnali duplici.

CArnalis deinde affectus duplex occurrit origo. Plerumque enim cuiuslibet non quidē virtus aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo animum sibi intuentis inclinat. Facilè quippe alicujus & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus: etiam ignorantis, qualis ipse homo sit, prouocat & perstingit affectum. Hæc adeo in Moyse puero adhuc gratia relucebat: vt contra tyrannicum Pharaonis imperium, quo masculos Hebræorum neci destinauerat, à parentibus tribus mensibus, seruaretur, vt ait Apostolus, eo quod vidissent elegantem infantem. Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit: cui adoptatus in filium magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharaonis. Porrò quem ad noxiæ voluptatis memoriam in quamlibet speciem suauitas malè blanda compungit: carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic affectus ambulantem in solario domus suæ David ad speciem Bethsabee prænenit incautum; præuentum dissoluit; obruit dissolutum. Contrarioque modo quem in alienæ vxoris eneruauit amplexum: in proprij militis crudelem armauit interitum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit: & carnali libidine dissolutum in spiritualis fornicationis baratrum nefandissima idolorum cultura dejecit.

Hebr. 11.
Exod. 2.
2. Reg. 11.

CAPVT XVI.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

HI affectus interim meditanti occurrunt: quos amoris origines quasdam dixerim, siue radices, non amores. Non enim his affectibus excitari vel pulsari valde laudabile existimamus, si boni sunt: nec exitiabile, si mali. Nam & eo quem primo loco posuim⁹, quanquam optimo, plerique in sui perniciem, vt superiori libello docuimus, abutuntur: & hoc vltimo, qui cæteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed secundum hos affectus moueri, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animum, aut visitatio est, aut tentatio: quando secundum hos affectus mouetur, plena est ipsi⁹ voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut etiã manifesta. Occulta cùm ex consensu desiderij agitatur interiùs: manifesta, cùm ipsum desiderium ad actum prorumpit exteriùs. Vtrum autẽ secundum hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantum moueri debeat, inuestigare conabimur: si tamen priùs de ratione, quam aliam ipsius motus causam diximus, pauca præmiserimus.

Non est bonum vel malum pulsari affectibus, sed consentire.

CAPVT XVII.

Quomodo mens ad Dei & proximi dilectionem ratione moueatur.

NAm animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus mouet affectus, plerumq; mouet ratio, tantò vtique sacratiùs, quantò securiùs, quanto defæcatius; tantò autem defæcatius, quanto rationabili amore nihil vtilius potest esse, vel purius. Igitur ratio vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati, vel vtilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum: quia necessariũ hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignũ, quia ipse prius diligens nos meritò ipsius dilectionis exigit compensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suũ, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo nõ potest nisi beatissimus esse: qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse. Huic igitur rationi si mens consenserit; & si non ex affectu, ex voluntate tamen in Dei desideriũ se excitauerit: prosequitur statim ratio negotiũ suum, necessarium probans illius præceptis adimplendis gnauiter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. Sic internum internis visceribus desiderium ratione compellente procedit ad actum. Quia verò inter eius præcepta id maximum inuenitur, vt homo proximo suo consulat sicut sibi: instat ratio, vt ad beneficium proximo impendendum animus moueatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non amicus; vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit: non inimicus, quia non nocet nec nocuit: inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus ex sanguine vel gratia; non inimicus ex innocentia; inimicus ex iniuria. Igitur vt amico se impẽdat homo, tria quædam proponit ratio: vt non inimico, duo: vt inimico, vnum. Amico debetur beneficiũ ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est: ex officio, quia amicus est: ex præcepto, quia proximus est. Non inimico verò ex natura, quia homo est: ex præcepto, quia proximus est. Inimico tantum ex præcepto: quia vt inimicus diligatur, præceptum Domini est. His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solùm amico, sed etiam inimico sese parauerit: etsi non sentiat affectum, charitatis tamen meritum non amittet.

Ratio mouens ad Deum diligendum tribus innititur.

CAPVT XIIX.

Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis.

DIstinguendi sunt igitur duo amores isti; vnus ex affectu, alter ex ratione. Inter hos duos amores sæpe animus proficientis, & ordinatum amorem habere cupientis, timet & fluctuat; dum putat se minus amare eum, qui amplius amandus est; aut amplius amare eum, qui minus amandus est. Hic est enim amor ordinatus, vt nec diligat homo quod diligendum non est, diligat autem quicquid diligendum est, amplius tamen non diligat quam diligendum est; nec æque diligat, quæ dissimiliter diligenda sũt; nec dissimiliter, quæ æque diligenda sunt. Constituamus igitur duos homines ante oculos nostros, quorum alter sit lenis, blandus, tranquillus, suauis, & omnium bonorum aptus consortio, inuitans ceteros ad familiaritatem sui, dulcis eloquio, moribus temperatus, in quibusdam tamen virtutibus minus perfectus. Porro alter, licet in summa virtute perfectior, vultu tamen tristior, aspectu seuerior, & fronte austeris moribus irrugata; qui omnibus benefaciat, præstet quod poscitur, non sit tamen suauis consortio nec sua cunctos inuitet beneuolentia. Vt igitur illum diligat, animus quodam spontaneo mouetur affectu; vt istum, vrget ratio & ordinata regula charitatis. Sentiens itaque homo animum suum, illum quadam amplecti dulcedine, erga istum omni vacuum suauitate durescere, anxiatur, dolet, timet regulam excedere charitatis, dum putat se amare illum quidem supra quam oportet, istum nec quantum oportet.

Amor ex affectu; & amor ex ratione.

Austerus homo non tam facilè diligitur, vt lenis & blandus.

CAPVT XIX.

Quid sit quod homo beneuolus ac suauis, quamuis minus perfectus, majore quam austerus & perfectior, & dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, & quomodo vtriusque amor non sit periculosus ostenditur.

VOlo nunc primò latebras propriæ explorare conscientiæ, vt non me fallat affectus iste, si eius causam & originem contigerit ignorare. Cùm igitur iste, cui animus meus dulci quadam inclinatione mouetur, etsi minus perfectus, non sit tamen vitiosus, imò multis virtutibus adornatus; cur non iste affectus ex virtute credatur habere principium, ac proinde non timendus sit, sed potiùs amplectẽdus? Sed si eius originem vel causam dixerim esse virtutem, cur non erga istum, quem magis virtuosum agnosco, faciliori vel saltem simili motu dirigitur? Ergone carnalis iudicandus est affectus iste, qui quadam exterioris hominis competentia generatur? Sed si ita est, cur alium æquè exterioribus adornatum moribus, quia tamen æstimo vitiosum, non eiusdem dulcedinis suauitate complector? Contigit enim mihi aliquando, vt alicuius exterior habitudo, quamdiu in eo vel virtus sperabatur, vel vitium ignorabatur, plurimum sibi animum in-

clinauerit meum: proditum autem eius vitium totum illum affectum absorbuerit: ac non modicum menti horrorem ingesserit. Quid ergo? Forte virtus aut vitium quasi animæ cibus vel vtilis vel noxius æstimanda sunt: exterioris verò hominis vel austeritas vel benignitas, quasi vasa quædam vel rusticana vel vrbana iudicanda. Et vtilis quidem cibus in vasis deformibus plerumque sumitur: noxius autem nec in pretiosis admittitur. Contingit autem, & quidem persæpe, vt cibus aliquantò vilior ob vasis decorem iucũdiùs admittatur: pretiosissimus autem ob vasis horrorem insuauiùs assumatur. Sic nonnunquam euenit, vt homo vitiosus, & in summo corporis ornatu displiceat: virt⁹ autem etiam in quadam exterioris hominis duritia & austeritate plurimum placeat. Nihilominus & id contingere manifestum est, vt minorem virtutem in homine beneuolo quis ac iucundo libentiùs videat: major autẽ in homine duro & aũstero insuaviùs sapiat. Sed erit elegãtior, puto, quia & expressior similitudo; si virt⁹ veritas, falsitas vitium æstimetur: nimia autem morum seueritas, quasi sermo durus & rusticus; exterioris autem hominis grata suauitas, quasi sermo compt⁹ & eloquens. Sicut ergo in suauiloquio non est falsitas admittenda: sic in duro rusticoque sermone veritas nõ spernenda. Simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat: nec in homine quanquã duro & austero virtus displiceat. Denique si duo homines incipiant aliqua persuadere, quorum alter obtusè, deformiter, frigidè id faciat; alter acutè, ornatè, suauiter, vehementer: donec nescitur, quis eorum veritati innitatur; quis diffluat falsitate; non est mirum, si in eius sermone magis delectatur auditor, qui nouit ope sermonis conciliare aduersos, remissos erigere; beneuolum, intentum, docilem auditorem proœmio reddere: nescientibus quò eius tendat oratio, quid expectare debeant, intimare. Quod si vterque æquè vera, æquè magnifica persuadere cognoscitur: in huius verbis cum quadam amaritudine salubritas sumitur; in istius & suauis salubritas, & salubris suauitas gratiùs auidiusque percipitur. Quantò enim magis in vera assertione appetitur jucunda suauitas: tantò faciliùs salubritas prodest. Verùm si vterque vera, sed ille minùs eloquens magnificentiora ac profundiora conetur asserere: illa quidem quæ dicuntur suauiter, quanquam minora, suauiùs auribus illabuntur: non modica autem vi opus est, ne illa potiora ob sermonum quibus proferuntur ineptiam audire animum tædeat; intelligere non placeat; credere postremò non libeat. Non secus si duo homines proponantur; quorum alter beneuolus, affabilis, gratus aspectu, jucundus affatu, quadam exterioris hominis suauitate in corda intuentium sese refundat; alter durus, austerus, nimia quadam grauitate intuentib⁹ quasi metum incutiat: quandiu vtriusque virtus latet, vel vitium, quis reprehendat, si illum dulciùs interior sensus accipiat: istum non voluntas aut ratio, sed affectus reijciat? Si verò in cæteris virtutibus pares vtrosque cognouerit; vel si etiam illum jucundiorem in aliquibus imperfectiorem inuenerit: non mirum, nec ratione vacuum, si cui virtus interior in exteriori oblata suauitate quasi veritas in pulchro sermone jucundiùs sapiat: virtutem in morum austeritate nimia, quasi veritatem in duro rusticoque sermone, cum quadam mentis anxietate, vel etiam coactione suscipiat. Sed sicut est quædam eloquentia, quæ iuuenilem decet ætatem, quædam autem quæ senilem, & quæ in iuniori ætate feruor & viuacitas, in maturiori leuitas arbitratur; ita profectò in adolescente si sit beneuolentia hilarior, promptior, pronior ad obsequium, agilior ad actum, in seniore vero honesta, grauis, sine omni dissolutione, hilaris, vacua leuitatis, plena maturitatis: nec ille leuitatis, nec iste debet argui austeritatis. Quomodocunque ergo varietur, istius amatoris affectus, si isti, quem animus eius affectuosè complectitur, nec sui copiam, nec aliud quid præter rationem præbuerit, illi nihil, quod ratio impendendum esse monstrauerit, præbere omiserit, charitatis vtique regulam non excedit. Nam cum affectus isti nequaquam in nostro arbitrio collocentur, cùm quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam, etiam si velimus, experiri valeamus; nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum mens ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

Virtus veritas, vitiũ falsitas æstimandum.

Plus mouet affabilis quàm durus & austerus.

CAPVT XX.

Quòd tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.

Quid sit amore ex affectu, &c.

EST ergo amor ex affectu, cùm affectui animus consenserit: ex ratione, cùm se voluntas rationi coniunxerit: potest & tertius amor ex his duobus confici, cùm scilicet hæc tria, ratio, affectus, & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus: secundus durus, sed fructuosus: tertius prærogatiua perfectus. Ad primum sensus expertæ dulcedinis illicit: ad secundum ratio manifesta compellit: in tertio sapit. Differt autem hic vltimus à primo; quia licet illo & quod amandum est, aliquando ametur; magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur: hoc autem amatur, non quia dulce est; sed quia amore dignum, ideo dulce est.

CAPVT XXI.

Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, & quomodo vera Dei cognoscatur dilectio.

IGitur ex his omnibus quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris breuiter colligamus. Primò si mens aliquid ad fruendũ elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremò id agat, quo ad desideratum peruenire valuerit, hoc sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruentius instantiusque peregerit, tanto magis & diligit: quod si ex affectu id fecerit, dulciùs vtique diligit, ac proinde faciliùs agit. Si autem totum hoc quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione; minus quidem dulce diligit, sed non tardius, quod desiderat, obtinebit. Porro si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oportet eligat ad fruendum, & illa quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit, cupiditatis non charitatis vocabulo censendus. Sed sicut superiùs docuimus, quicquid aliud mens ad fruendum præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas veræ dilectionis excedit. Potest præterea ipsa electio sana esse, motus tamen vterque peruersus. Potest & electio, & sequens motus in desiderio, ex ratione consistere, alter autem

Si electio sit peruersa, quæ illam sequuntur, sunt peruersa.

autem motus, qui in actu est, totam dilectionem corrumpere; quod exemplis manifestius fiet. Si quis igitur Deum ad fruendum elegerit: sana est ista electio. Si verò in ipso fructu carnale aliquid desiderauerit, existimans cùm ad Deum peruenerit, quod ibi, vt Iudaïcæ fabulæ ferunt, & epulis effluere, & voluptatibus habeat incubare: nihil proderit electionis integritas; quam sequitur desiderij tanta perversitas. Sed & si Deum ad fructum sibi felicitatis elegerit; nec in Deo quidquam, nisi Deum desiderauerit: si tamen alijs quàm oportet actibus, verbi gratia, aut Iudaïcis cæremonijs, aut Gentilium sacrificijs, vel alia aliqua superstitione ad tantum bonum ambierit: totum vtique dilectionis fructum euacuabit. Sit ergo electio sana, desiderium competẽs, actus rationalis: & sic non excedet limites charitatis. Interest sanè quantùm fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus, vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod elegit in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra peruersas dulcedines; discretio contra deceptiones, fortitudo contra persecutiones. Si quis autem in tribus his noscitur esse perfectus: non solùm feliciter, sed & suauiter amat. Sanè si non poterit affectuosus; sit tamen discretus & fortis: & si non ad præsentem, non minùs tamen proficiet ad futuram felicitatem.

Dilectio debet esse affectus discreta, & fortis.

CAPVT XXII.

In proximi dilectione quæ consideratio habenda.

HÆc eadem in proximi dilectione consideremus. Si ergo proximum ad ipsius fructus societatem, qui in Deo est, elegerimus, sana est ista electio. Sed hanc electionem, si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur: tota electionis sanitas maculatur. Verùm in Dei dilectione nobis, non ipsi consulimus: Deus enim noster est, & bonorum nostrorum non indiget: in mutua autem dilectione, quoniam mutuo indigemus, necesse est vt nobis inuicem consulamus. Quocirca desiderium ipsum ad duo debet extendi: & actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse; vt sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo: & vt Deo invicem fruamur in ipso. Quia verò homo & ex corpore constat, & ex anima: actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quantò quisque feruentior & prudentior: tantò vtique & in charitate perfectior. Quantò autem affectuosior: tantò charitas ipsa cõstat esse suauior. Sicut autem ad hæc aliquando vt diximus, affectus; aliquando mouet ratio: ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est: vt de ipsis affectibus, quis sequendus sit, & inquantum sequendus sit, videamus.

Delectione Dei nobis consulimus, non Deo.

CAPVT XXIII.

Qui affectus admittendi non sunt, & quantum spiritualis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus.

IGitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationalis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium, tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admitendi quidem sunt, imo quantum fieri potest, à cordibus nostris radicitus eruendi. Porro spiritalis qui ex Deo est, non solum admittendus, sed & omnibus modis excitandus est, & augendus: quem desiderium nostrum saluberrimè sequitur, vt quanto dulcius se nobis innotescit tanta excellentia, tanto feruentius eius desiderabilis desideretur præsentia. Sane hoc affectu etiam actus noster excitari habet, sed secundum hunc ordinari non debet. Excitari habet, vt numquam voluntas bene, imo perfectè operandi tepescat; ordinari autem secundum affectum operatio ipsa non debet, ne metas corporeæ possibilitatis excedat. Corpus enim hoc quoddam est instrumentum, quo ipsum exerceri habet, quod cum luteæ qualitatis sit, innumerabilibus obnoxium passionibus, vim feruentis spiritus ferre non sustinens, nisi quodam moderamine actus exterior temperetur: infecto negotio proculdubio deficiet ac succumbet. Habet autem hoc affectus proprium, vt plerumque modum nesciat; humanas non metiatur vires; corporeas passiones absorbeat; ac impetu quodam cœco irruens in amatum, solùm id meditetur, quod appetit; despiciat quidquid extra est: & quod grave, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris injurias præ interni affectus delectatione non sentiat. Proinde vt voluntas ingi feruore calescat: vt illatas extrinsecus passiones patienter quis, imò gaudenter sustineat: vsque ad ipsius desiderij motum affectus huius est perferendus, ad voluntarios verò actus progrediens ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coërcendus. Quam mensuram vitæ quidam ignorantes, ac totum affectus sui impetum importunè sequentes, debiliores fiunt, quàm sanctiores: ac sic affectu ob actus immoderationem tepescente, ipsa quoque voluntas immoderatiùs oppressa tepescit. De ipsa sanè actus moderatione, quã secundum rationem fieri necesse est, si quid vtile ipse affectuum bonorum inspirator & ordinator, malorum tantum ordinator Spiritus suggerere voluerit, suo loco adnotabimus. Nunc de ipsorum affectuum distinctione quæ cœpimus, exequamur.

Discretione moderãdus affectus bonus.

CAPVT XXIV.

De rationali affectu inquantũ & ipse sequendus sit.

RAtionalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, ceteris, quibus ad proximi dilectionẽ accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui vtillimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium: nihil enim obest, imo & prodest plurimum, si eius desideremus præsentiam, cuius exemplo corrigamur, si mali sumus; si boni, promoueamur; si æque perfecti, mutua collatione firmemur. Est autem præsentia Sanctorum temporalis & ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis. Licet autem in vtriusque desiderium simili excitemur affectu, non tamen simili actu ad vtramque pertingimus. Nam ad corporalem Sanctorum præsentiam, si forte absunt, aliqua

Præsentia Sanctorum temporalis optanda.

terrarum spacia peragrando; ad æternam tendimus, sanctè, & iustè, & piè viuendo. Si ergo ad vtrumque hunc actum eodem incitemur affectu, iste vltimus, quantum ad interiorem exercitationem, eius impetum sine cunctatione sequatur, neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio de qua dictum est, *Noli esse nimiū iustus*, rationis est moderamine temperanda. Porro Sanctorum præsentia corporalis, etsi vtiliter desideretur, nō tamen semper quæritur: vnde in actu hoc ratio consulenda est, non sequendus affectus. Quàm grata fuit fratribus Antiochenis Pauli ac Barnabæ præsentia corporalis! quorū scientia instruebantur, quorum firmabantur exemplo, disputationibus contra diuersa sentientes tuebantur. Audientes tamen à Spiritu Sancto, *Segregate mihi Barnabam & Paulum in ministerium, quo vocaui eos*, quanquam repugnaret affectus, imponentes tamen eis manus & orantes, dimiserunt eos. Nonne Paulus ex profusione lacrymarum Timothei probauit affectum; cui si vir tantus consensisset, vtique irrationabiliter Pauli vestigijs inhæsisset. *Gratias inquit ago Deo meo, memoriam tui faciens, memor lacrymarum tuarum vt gaudio implear.*

Eccle. 7. — *Presentia corporalis sanctorum vtiliter desideratur.* — *Act. 13.* — *2. Timot. 1.*

CAPVT XXV.

Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus

SEquitur officialis affectus, ceteris qui admittendi sunt periculosior: siquidem admittendus est, sed permaximè cauendus est. Quid enim tam dignum, tam consonum rationi, quàm vt vicem rependas amanti, obsequenti officium, gratiam munera porrigenti? Quid deinde cauēdum magis, quam ne delinitus obsequijs vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitioso? Nec de his mihi sermo est, qui diligunt munera, sequuntur retributiones; qui iustitiam venalē habentes, non homini sed muneribus fauent: sed de his qui obsequijs vel muneribus prouocati, non iam munera, sed ipsum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus est inquam iste affectus, sed & cauendus; admittendus, ne sit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur quàm vitio. Proinde quamuis in muneribus vel obsequijs suscipiendis, magna sit habenda discretio, hoc attendendum, vt cùm erga eum, cuius beneficijs vtimur, vel obsequijs adiuuamur quodam mouemur affectu: ipsius personæ dignitas diligentiùs inspiciatur: vt si forte eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem: & quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus. Euenit aliquando, vt vir optimus ob exteriorem quandam austeritatem, vt superiùs diximus, non facili affectu in cor influat intuentis: quem si aliqua occasione oblata munificum nobis senserimus, insensibiliter ipse, quem austeritas illa oppresserat quodammodo & obruerat, erigitur, vt ita dicam, & excitatur affectus: & virtus quæ priùs placebat, sed non sapiebat, ipsi affectui quasi cordis palato, licet ad aliud adhibito, sua se suauitate ingerat & infundat: sic mirabili modo delectetur & sapiat. Quòd si talis forte fuerit, in quo non sit virtus quæ placeat: quantùm quidem eius desiderari potest correctio, affectus admittendus est: simplex autem affectus ille, qui quamvis certis quibusdam causis moueatur & moueat; hominem tamen sine alterius respectu causæ complectitur, per omnia temperandus. Ipsa sanè obsequiorum vel munerum redibitio: vtrique secundum affectum impendatur. Sic & desiderium, quo eorum præsentia desideratur, vel actus quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectum.

Cauendum ne vitio faueatur.

CAPVT XXVI.

De affectu naturali; & quid sit diligere in Deum, quid propter Deum.

IAM nunc in naturali affectu quis modus seruandus sit, diligentiùs inquiramus. Hunc sanè affectum sicut non admittere impossibile est: ita non sequi, summæ virtutis est. Nemo enim seipsum odio habuit: & tamen, *Qui venit ad me*, ait Saluator, *& non odit animam suam: non potest meus esse discipulus.* Similiter qui venit, inquit, ad me, & non odit patrem & matrem: non potest meus esse discipulus. Et contrà Apostolus. *Qui suorum, maximè autem domesticorum curam non habet, fidem negauit: & est infideli deterior.* Quid ergo? Contraria sensisse æstimandi sunt magister & discipulus, seruus & Dominus, ipsa veritas & amicus veritatis? Absit. Distinguendi sunt ergo duo illi amores, de quib⁹ superiùs locuti sumus: alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quòd homo erga se & suos affectum habet, sed amorem secūdum affectum habere non debet; secundum rationem verò habere debet. Affectus ipse ostenditur: cùm per Apostolum dicitur. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Amor autem secundum affectum, ipsius Saluatoris authoritate interdicitur, qui ait. *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus.* Amor secundùm rationem indicitur: cum idem dicit Apostolus. *Qui suorum, maximè autem domesticorum curam non habet, fidem negauit: & est infideli deterior.* Amor secūdum affectum arguitur; cùm futura mala prænuntians idem Paulus, ait inter cætera. *Et erunt homines seipsos amantes.* Quod verò hic amorem secundum affectum intellexerit, docent sequentia, *Erunt enim*, inquit, *homines seipsos amantes, cupidi, elati; voluptatum amatores magis quàm Dei.* Semper etenim affectus iste mollia suggerit & suauia; quod jucundum & tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur: quod verò arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit, & euitat. Quocirca affectus huius executio amor peruersus est, hominem exuens homine, formam induens bestialem: quod rationis, quod honestatis, postremò quod vtilitatis obruens quodam modo & abscondens. Hic amor propriè conuenit bestijs; excusatur in pueris: nam illis ratio non infunditur; in istis sopitur. Denique vtrumque hunc amorem breuiter satis Salvator ipse distinguens; *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* Proinde, vt ait Sanctus ille, *Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti.* Qui enim amat secundum affectum; vtique odit: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui verò odit secundum affectum; secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit, *In hoc mundo*; quia quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut su-

Affectum naturalem non sequi summa virtutis est. — *Luc. 14.* — *1. Timo. 5.* — *Ephes. 5.* — *Luc. 14.* — *1. Timot. 5.* — *2. Timot. 3.* — *Amor secūdùm affectū mollia suggerit.* — *Ioann. 12.* — *Aug. tract. 51. in Ioan.*

perbia vitæ. Qui itaque animam suam secūdum affectum amat, in hoc mundo amat: quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Hac distinctione id quoque soluitur, quod quærunt quidam: quid videlicet distet inter amorem qui in Deo, & illum qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum assumitur: sed in ipsa anima aut carnaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur: iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potiùs propter se amatur. Si verò is quem affectus iste complectitur, in Dei dilectionem pariter assumitur: amor quia ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat: huius vtique amor non primò propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porrò ei quem affectus ipse respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos, vt oportet, exhibuerimus; ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit, impenderimus: iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus qui non potest non diligi, diligatur in Deo: inimicus qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum. Ille ex affectu: iste ex ratione. Hic itaque modus in naturali servetur affectu, vt habeatur quidem & sentiatur: sed in omnibus & per omnia rationis moderamine temperetur. Denique Ioseph sanctus priùs lacrymis naturalem erga fratres protestatur affectum, quem si vir sanctus ratione postposita sequeretur, nequaquam fratres salubri dolore à proditionis crimine purgarentur. Salvator quoque pium erga suos indutus affectum, ruituram ciuitatem compassione mirabili deplorauit, nihilominus tamen eiusdem ciuitatis scelera, summæ calamitatis iniuria ex rigore iustitiæ castigavit. Ad quam regulam vtinam Rectores Ecclesię suum castigarent affectum, quorum multi domesticos sanguinis sui nimis carnaliter amplectentes, non solùm eos à mundi vanitate & voluptate nullo rigore compescunt, imò ex ipso pretio sanguinis Christi, vnde suas expleant libidines, damnabili præsumptione prospiciunt. Prohdolor! Sic est ingredi domos quorumdam Episcoporum nostrorum, & quod magis pudet, cucullatorū, quasi quis ingrediatur Sodomam & Gomorrham. Procedunt quidam capillati & effeminati seminudis natibus, cultu meretricio, de qualibus scriptura, *Et posuerunt*, inquit, *pueros in prostibulo*. Et in talium libidines tuus sanguis assumitur, Domine IESV, erigitur crux tua, panduntur vulnera tua, insumitur pretium mortis tuæ. Vt isti habeant currentes canes, aves volantes, equos spumantes, nudantur in pauperibus latera tua, ridentur verbera tua, effunduntur viscera tua. Vides ista IESV, meus, vides ista & taces; sed numquid semper tacebis? *Imo*, inquis, *vt parturiens loquar*. Sed ad propositum redeamus.

Qui differant amare in Deo, & propter Deū

Genes. 42.

Luc. 19.

Inuehitur in Prelatos.

Ioel 3.

Isai. 42.

CAPVT XXVII.

De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plenè sit admittendus.

IGitur carnalis affectus, quem parturit quidam hominis exterioris ornat⁹, nec omnino respuendus est; nec ita vt se profuderit, admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; & nisi iste prudentius caueatur, ille sine sensu penè patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspensè & temperatè quodammodo admittatur; vt videlicet si virtus in eo claruerit, faciliùs amplectatur; si vero vitium, correctioni eius vehementiùs insistatur. Quicquid enim de officiali affectu diximus, de hoc quoque sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitijs appetuntur, consultè affectus iste respuitur, à quibus rarissimè sine vitij titillatione sentitur.

CAPVT XXVIII.

Quod affectum non solum origo, sed etiam processus & finis scrutetur, & quod affectus transeat in affectum, exemplis ostenditur.

POrrò horum affectuum nō solùm origo scrutanda est, sed & processus ipse ac finis sagaciter attendendus. Subtilissimè enim aliquando vnus oritur, & in aliū terminatur, vel certè mutatur. Quod de duobus vel tribus ostendisse satis sit. Fama cuiuslibet virginis excitus quis, quæ & sancta corpore & spiritu, fide sincera, discretione præcipua, vsque ad perfectum contemptum sui humilitatis virtute fundata, præclaræ abstinentiæ, summæ prædicatur obedientiæ: ob tantarum admirationem virtutum summo eam veneratur affectu. Quem quidem affectum superiùs rationalem nominavimus. Huius ergo si incipiat familiaritate potiri, venerari obsequio, recreari colloquio, eulogijs vel literis, vel certè quibusdam munusculis frequentare, rationalis iste affectus penè insensibiliter transit in officialem: & quæ cœperat amari ob meritum sanctitatis, frequentari incipit ob gratiam mutuæ liberalitatis. Deinde affectus iste dum ad quædam blandimēta se porrigit: etiam carnalis ille qui cæteris perniciosior est, vitio tentante, subrepit. Noui ego viris pudicissimis & cōtinentissimis, omnemque spurcitiam summo horrore detestantibus, accidisse, vt dum quasdam in tenera adhuc ætate sūmis virtutibus cernerent accessisse, ac mirabili morum grauitate ac vitæ sanctitate in quosdam canos, vt ita dixerim, spirituales incredibiliter profecisse; deuotissimo eas ac dulcissimo colerēt simul & amplecterentur affectu. Quibus dum sui copiam proniùs indulgerent, ac in eorum aspectus, vt ita dicam; amplexu suauiùs requiescerent, vitioso quodam affectu subtiliùs irrepente plurimùm fatigati sunt: & qui alios eius criminis consciosnon dico non aspicerent, imò à nauseantis animi sinu summo horrore reijcerēt: istos pudicissimos, grauissimos, fortè etiam virgineo decore serenos, quos & impudicus quis ob ipsam desperationem non nisi pudicè conspiceret; vix sine quadam vitij titillatione frequentari potuerint. Cur hoc? Profectò quia officialis affectus faciliùs in carnalem affectum mutatur, quàm vel pectore pudico impudicus amplectatur: vel in impudico quis manifestæ pudicitiæ appetatur. Proinde cùm affectus noster quanquā rationalis, vel etiam spiritualis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit; consultissimum est, vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur: nec ad inania quædam blandimēta mollesque teneritudines patiatur effluere: nisi fortè ob id aliquando maturè ac temperatè progrediatur, vt virtus amata & laudata feruentiùs exerceatur.

Affectus initio sanctus quandoque degenerat.

Officialis affectus in carnalem facilè transit.

CAPVT XXIX.

Diuersos affectus sæpe in eadem mente luctari; & quis cui præponendus sit.

DIcendum adhuc de his affectib⁹, quod plures aliquando in vna mente compugnent: ac quodam modo inuicem se expugnare contēdant. Quod cùm contigerit; magna discretione opus est, vt quis cui præponendus sit, agnoscatur: virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham proprium filium immolare iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit: sed cùm naturalis, quo filium, spiritualis, quo Deū amplectebatur, in sancti viri pectore cōpugnarent, superiorem inferiori præposuit: imò ob superiorem inferiorem contempsit. Optimus quoque adolescens Ionathas, non in patris iniuriam consilium, quo David neci destinauerat, eidem sacro fœdere copulatus prodidit: sed rationalem affectum naturali legitimo iure præposuit. Nec mirum, si amici gratia in eius sacratissimo pectore patris obliterauerit affectum: ob quā propriam, vt putabatur, iniuriam immutabili virtute contēpsit. Denique David fugienti à facie Saul cùm in secretioribus locis vir inuictæ charitatis occurreret, patris ei consilia proditur⁹, inter amplexus & oscula cùm se mutuis lacrymis perfudissent, ac pio fletu pium protestarentur affectum, renouato rursus fœdere intulit Ionathas. *Tu quidem eris rex, ego autem ero secundus post te.* O virum summis laudibus efferendum. Virum expertem inuidiæ, cupiditatis vacuum, qui amicum regno prætulit: qui quod videbatur suum esse, voluit alienum. Ego, inquit, ero secundus post te. O summæ humilitatis pectus. Vir regij seminis, cui ex successione sperabatur hereditas; cui spem auxerant culminis potiundi genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipsius etiam mirabilis fama triumphi, quo vno tantum fulcitus comite armatos cuneos agminis hostilis inuasit, ac suæ genti insperatā victoriam reportauit: infra servum semet deijciens. *Ego*, inquit, *ero secundus post te.* Hic, inquam, in cuius laudibus adhuc canitur, *Sagitta Ionathæ numquam abijt retrorsum, & gladius eius non est reuersus inanis*: quasi seipsum nesciens vt sciret amicum, Tu, inquit, eris Rex, & ego ero secundus post te. Quis rogo hæc, etiam de vterino suo fratre sine immani saltem cogitaret inuidia? Quis amici causa totam spem in desperationem deduceret? Filij Patriarchæ Iacob, paternæ gratiæ, qua vnus cæteris dulciùs fouebatur, immoderatiùs inuidentes; seruitutem fratri, patri summam inuexere tristitiam. Primus ille Pōtificum cum sorore Prophetissa præuentus, ni fallor, inuidiā, fratri mansuetissimo detrahens, vix ipso orante Moyse diuinam vltionem euasit: sapientissimus Salomon fratrem æmulum regni accepta qualibet occasione deleuit: Ionathas solus infra amicum, patrem, patriam, regnumque despiciens. *Tu*, inquit, *eris rex: & ego ero secundus post te.* Qui si dixisset, Ego ero rex, tu autem eris secundus post me: nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violasset. *Flebant autem ambo*, vt ait Scriptura, *sed David ampliùs.* Instabat nimirum illa amarior morte diuisio, qua indiuidua illa pectora mutuo frustrarentur aspectu: qua cessare habuit illa dulcis confabulatio, illa periculorum omnium alleuiatrix consolatio: illa quoque vitæ ipsi præferenda mutui secreti reuelatio: ideo flebant ambo. Cerne quæso ordinatissimæ dilectionis hominem. Debebat quippe Ionathas amico affectum: sed patri obsequium. Amico gratiam: sed paternæ senectuti custodiam. Si secutus affectum inhæsisset amico: paternæ dilectionis iura læsisset. Sed si monente, imò etiam compellente patre, amico gratiam subtraxisset; initi fœderis ac sacratissimæ amicitiæ legem violasset. Ex affectu itaq; vtriq; placebat coniūctio: sed ex ratione placebat diuisio. Flendo igitur soluebāt ꝙ debebant affectui: sed diuidendo, coacti licet, cedebant rationi. Vterque flebat: quia vterq; diligebat. Cur igitur David ampliùs? Prædixerat nimirum Ionathas suum quodam modo defectum, amici profectum; se regno priuandū, David assumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compassione amici fleret iniuriam: iste ne amici videretur dolere successus, aliquantisper lacrymis temperaret. Affectum igitur naturalem rationali præposuit: actum verò secundum rationem ordinauit. David quoque ipse cū fidelis ei exercitus de filio parricida victoriam reportasset; naturali cedens affectui, filij sui lugebat interitum: sed correptus à milite officialem naturali præposuit: depositoque luctu victori populo gratulabundus occurrit. Saluator etiam noster, cùm iam ex affectu naturali, quo nemo vnquam carnem suā odio habuit, proclamasset, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste:* spirituali, quo semper Patri inhæsit, rationis eum iure submisit. Verumtamen, inquiens, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Proinde in his affectibus hæc ratio seruanda est: vt is quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur: deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

Gens. 22. In Abrahā duo affectus contrarij. In Ionatha quoque. 1. Reg. 20. 2. Reg. 1. Genes. 37. Num. 12 Inuidia Aaronis & sororis eius in Moysen. 3. Reg. 2. 1. Reg. 18. 2. Reg. 19. Matth. 26. Duo item in Christo affect⁹ cōtrarij.

CAPVT XXX.

In affectibus quæ sit quærenda vtilitas.

HIs itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis sit quærenda vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium, quæ diligēda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur; vt ipsum amorem, ipsorum affectuum infusa dulcedine suauiùs, ac proinde diligentiùs teneamus; vt actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quantò affectuosiùs, tantò delectabiliùs; quantò autem delectabiliùs, tantò ferventiùs exerceamus. Ipsum sanè desiderium etsi affectum excitare habet; rarissimè tamen ipsum affectum sequi debet, sicut superiùs monstratum est. Similiter ad bonorum operum exercitia affectū excitari, in ipsis operibus ex affectu teneri, vtillimum est: sed ipsa opera secundum affectum ordinare, præter ordinem est. Restat igitur, vt quémadmodum ipsa sint opera secundum rationem ordinanda, pro modulo nostro paucis dicamus. Nam ipsum desiderium secundum rationem vniforme est, quod in eo tamen amore, qui ex affectu est, sentitur; in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

CAPVT XXXI.

Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere.

SVnt itaque actus quidam, quibus spiritualiter ad illud summum bonum, quod summè diligendum est, summeque desiderandum contendimus; sunt & alij, quibus vel nostræ necessitati,

proximorum autem necessitati simul & saluti consulimus, quæ tamen prouidentia, ad illum æquè finem referenda non ambigitur. Videtur autem Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis insinuasse sermonibus; *Sobriè*, inquiens, *& justè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & regia via inter dextram & sinistrâ cursum nostrum deducens. Hanc virtutem sæculi hujus sapientes frugalitatê nominant, cuius excellentiam illorum omnium eloquentissimus lucidè satis exponens. Vt volet, inquit, quisque accipiat, ego frugalitatem, id est modum & temperantiam virtutem maximam puto. Cùm enim ille, ad quem summè tendimus, quidam modus sit, cui nihil deest, nihil obest, nihil superfluit, nihil deficit; ad quem cum pervenerimus, nihil erit exteriùs quod appetamus, nihil interiùs quod fastidiamus: necesse profectò est, vt nosmetipsos in quadam mensura modoque seruemus, nec infrà quàm necesse est dilabamur; nec suprà, quàm oportet pestifera præsumptione feramur. Iustitiam sanè ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati siue saluti consulentes, & in ipsis beneficijs quid cui conueniat, quis cui præferendus sit discernentes, quod justum est cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus, sobrietati scilicet & iustitiæ, ne de eis Philosophi, vel quilibet à Christi fide alieni glorientur, consultissimè addidit pietatem, quæ in fide sincera, & pura intentione consistit. Porrò ipsa intentio in amoris electione, de qua jam disputatum est, cōstare videtur. Hic fortasse lector exiget, vt ipsum viuendi modum, quem periculosum imò pernitiosum videtur excedere, manifestiùs euoluamus. Quod quàm sit arduum, difficileque tractatu, quis non videat? cùm tot sint hominum qualitates, quot homines, nec rarò saltem duo simul inueniantur, quibus cuncta æquæ conueniant: dum quod vni satis est, hoc alteri parum est; & quo iste proficit, ille deficit; & quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur quod cōueniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, & vtrum necessarium viuendi modum excedat, ductrice possit ratione conijcere.

Tit. 2.

Temperantia frugalitas dicitur.

Quid per iustitiam ab Apostolo indicatur.

CAPVT XXXII.

De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine seruanda sobrietas ostendit.

IGitur tres ordines humanæ conuersationis occurrunt, primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Sed de singulis, quàm lucidè possumus, quæ dicenda videntur, exequamur. Est autem ordo naturalis; vt qui nulla commisit illicita, si velit ipse licitis vtatur, licitè tamen. Est autem licitus, verbi gratia, esus carnium, vini potus, vsus conjugij, diuitiarum possessio. Vt enim ait Apostolus, *Omnia munda mundis; & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur.* Nam & hæretici ab ipso Apostolo iudicantur, qui prohibent nubere, & jubent, *abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Verùm vt horum vsus licitus sit, modus seruandus est, tempus, locus, genus diligentiùs attendêda. Modum sanè quendam seruãdum omnib⁹, nec à quolibet pacto quolibet excedendum, Saluator ipse præscribens, *Videte*, inquit, *ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Et de vsu conjugij ait Paulus. *Sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij.* Vestium quoque vsum describens Petrus, *Non in veste*, inquit, *pretiosa.* In licitorum igitur vsu hic modus seruandus est: vt quis in cibi potusque perceptione infra crapulam & ebrietatem sese contineat: in diuitijs seruandis anxiam sollicitudinem tollat: in vsu coniugis ignominiosas passiones euitet: in vestium cultu non pretium, sed necessitatem requirat. Sed & tempus congruum cuiuslibet vsui seruandum est; ne, verbi gratia, his temporibus, quibus traditio Ecclesiastica à cibis præcipit abstinere, ieiunium sine rationabili necessitate solvatur; ne temporib⁹ quibus orationi vacandum est, nuptialis vsus exerceatur: ne diebus quos salubri vacationi ad audiendum verbum Dei Christiana sacrauit authoritas, curis mundialibus insistatur: ne diebus, quibus dolorem vel penitentiam vestium mutatione præferre religio sacra constituit, solemnibus quis vestibus abutatur. Locus itidem in omni vsu necessario prouidetur. Nam in Ecclesia vacare epulis, vel vti conjuge, vel exercere negotia, quis non sacrilegium iudicet? Corinthijs scribens Apostolus, in cibi potusque perceptione tempus legitimum eos arguit non seruasse, *Conuenientibus*, inquiens, *vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare; vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Nō enim tempus congruum obseruabant, qui ante perceptam Eucharistiam, communes cibos contra scita Apostolica præsumebant. De modi quoque transgressione, eosdem ipsos inculpans, subjecit. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Deinde loci cōtemptum improperans. *Nunquid domos*, inquit, *non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Postremò earum rerum, quibus vti licitum est, genus subtilius discernendum, non quod aliquid creaturarum Dei immundum, sine sacrilegâ impietate credatur: sed quia his, quæ in dæmoniorum sacrificijs noscuntur exhibita, vel alijs furto, vel rapina probantur ablata, ne eorum vsus impijs, vel infirmis, impietatis videatur esse consensus, sacra nos abstinere compellit auctoritas. Vnde Apostolus. *Si quis dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite comedere.* Tobias quoque sanctus cū balatum pecoris, quod pro mercede operis vxor aduexerat, oculis quidem captus, sed mente integra aduertisset, timens ne ciui iniuriam, sibi maculam illicitus esus inueheret. *Videte*, inquit, *ne furtiuus sit.* Hæc de naturali ordine dicta sint, in quibus licet non omnia, quibus licitè vtuntur homines, adnotauimus; ex his tamen quis modus in cæteris seruandus sit, diligens inquisitor inueniet. Iam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

Tres ordines humanæ cōuersationis.

Tit. 1.

1. Timot. 4.

Luc. 21.

1. Thessal. 4.

1. Timot. 2.

Modus in vsu licitorū seruandus.

Tempus seruandum est.

Locus etiā seruandus.

1. Cor. 11.

Ibidem.

1. Cor. 10.

Tit. 2.

CAPVT XXXIII.

Modus satisfactionis in ordine necessario, purgationisque describitur.

EST quippe ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu quoque licitorum sese restringat. In qua restrictione duo consideranda sunt; modus scilicet satisfactionis, & necessitas pur-

gationis. Modus satisfactionis, vt secundũ modum culpæ rigor continentiæ extendatur: quatenus secundum Baptistæ vocem, dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Sed de ipsa satisfactionis qualitate cùm ad pastoralem curã pertineat, & à sanctis patribus libri scripti, ac sententiæ præfinitæ sint; plura dicere supersedeo. Verùm non satisfactionis modus tantùm conseruandus est: sed etiam purgationis necessitas perquirẽda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendũ: sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta; quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, faciliùs absciduntur: & interioris faciei sordes, quasi confectione quadã asperiori pleniùs diluuntur. Proinde suæ purgationis sollicito primò necesse est, vt passiones quibus impugnatur attendat: deinde quæ sint, quibus maximè fatigatur, inspiciat: postremò quæ instrumenta quibus passionibus magis obvient, sagaci circumspectione perquirat. Quibus inspectis congruum cuilibet passioni objiciat: & quæ magis impugnat, feruentiori instantia vt ipsa obruatur, insistat. Denique passionem libidinis facile comprimit ventris restrictio; vagũ cor & instabile vigiliarum infirmat afflictio; iram silentium mitigat; tædium mentis operis illicitudo castigat. Nec sic tamen vnius passionis extinctioni tota vehementia insistendum est, vt ad cetera comprimenda instrumentum corporale deficiat: nec importuniùs laborandũ, vt non quælibet passio sentiatur; sed cum surrexerit, vt secundum rationis iudicium compescatur. Hæc de modo purgationis breuiter tetigisse sufficiat. Ceterũ qui vitiorum impugnationem atq; remedia pleniùs nosse desiderat: legat librum Ioannis Cassiani, quem de instituendis abrenuntiantibus intitulauit: in quo eorum origines, impugnationis modum, expulsionis remedium, luculento stilo digessit.

Non ob solã satisfactionem à vitiis abstinẽdum.

CAPVT XXXIV.

Quis sit ordo voluntarius, & quis in eo seruandus sit modus.

SEquitur ordo voluntarius à nobis deinceps inspiciendus: de quo Psalmista. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Est quippe holocaustum gratuitũ, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cùm quis ab his quæ concessa sunt, per ea quæ præcepta sunt, ad ea quæ potioris gloriæ prẹmia suspirantibus proposita sunt, spiritus libertate contendit. Ad quod perfectionis culmen ferventiores quosque Saluator inuitans, *Si vis,* inquit, *perfectus esse; vade & vende quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me.* Et alias. *Sunt spadones,* inquit, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Itaque sæculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cujuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Nam licet post sæculi abrenuntiationem retro respicienti regni cœlorum non patescat ingressus; post votum castitatis illicita sit quælibet carnis corruptio; post arctioris vitæ propositum ruina sit ad remissiora delabi: absit tamen, vt ista vitæ perfectio, quam voluntariè subijt quis, non coactus, inter necessaria & coactitia, & non potiùs inter voluntaria numeretur: cùm & ipsa necessitas, quam inuito nullus imposuit, sed cui ipse se desiderio perfectionis sponte subjecit, voluntaria dicenda sit, non coactitia. Qui igitur ad hæc excelsa & sublimia sese contulerit, primò voti vel propositi sui normam; in quibus, & in quantis constet, diligenter inspiciat: deinde interioris & exterioris hominis vires experientiæ libra trutinet & discernat. Vires dico interiores, quibus contrà tentationum bella exercitatione qootidiana confligat: vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti necessarius sit & interioris & exterioris hominis labor: corporalia tamen ipsam animam specialiter à passionum sordib9 diluunt; spiritualia autem exercitia, quasi quædam celestia aromata spiritualium eam odoramentorum suauitate perfundũt. Proinde quoniam vitiorum squalore sordenti non congruit vnctionis illa dulcedo: profectò ei quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare: ipsa autem spiritualia instantiùs & ferventiùs exercere. Nec sic tamen, vt professionis suæ normam præsumptuosus excedat, nec temporum distinctiones, quæ in regula cui se subdidit præscribuntur, destruat vel confundat: sed seruato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatiùs vel ferventiùs, sicut vtile sibi norit, exerceat.

Psalm. 53.

Quod holocaustum gratuitum.

Matth. 19.

Ibidem.

Observatio voti non coactitia, sed voluntaria.

CAPVT XXXV.

Disputatio contra cuiusdam epistolam, de Monachorum regula & professione.

POrrò licet ad materiam non omnimodis pertinere videatur, consultum tamen arbitror, quatenus nobis, qui Monachi dicimur, consulentes, ipsius regulæ nostræ vim diligentiùs inspiciamus; & cũ ibi multa de spiritualibus, multa de corporalibus differantur, in quibus maximè ipsius regulæ vis, ac professionis nostræ norma cõsistat, diligentiori inquisitione vestigem9. Legi cuiusdam literas, qui super hanc quæstionem, cuidam sciscitanti ita respondit. Non timeo dicere, monasticæ conditionis regulam esse, sed virtutem monastici ordinis imò substantiam monasticæ professionis ea, quæ alijs cessantibus monachum faciunt; & sine quibus cætera, non dico non faciunt, sed nec sapiunt. Sed quæ sunt hæc? Illa quæ iurauimus, in quorum stabilitatẽ & obseruantiam, Deum & sanctos eius attestati sumus. Et quæ sunt hæc? Stabilitas, inquit, in nostro monasterio; Conuersio morum nostrorum, & Obedientia secundum regulam Sancti Benedicti. Et infra. Cupio Beati Benedicti volumen ad monachos reuoluere, & quæ eius, quã nostræ regulæ, imo monasticæ professionis substantiam præscripsimus, in eo esse cognouero, vt necessaria mente complectar; vt vota, & in quæ juraui, reddere, prout mihi Dominus dederit, tota deuotione contendam. Cætera verò, non vt Regulæ nostræ corpus, sed tanquam ipsam juvantia, ipsam nutrientia, opere complere tentabo. Dubitaremus fortè quæ essent ista cætera, nisi postmodum ipse insinuasset. Claustrum scilicet non exire, opus manuum exercere: quantitas vel multiplicitas, vel certè varietas cibi & potus, lecti stratura, fœminalium vsus non nisi in viam directis. Quid enim, inquit? Numquid si de substantia monasticæ professionis essent, vel

Opinio de substantia monastica professionis.

ad momentum in ea aliquid liceret dispensari, vel aliquid ex eis permutari? Alioqui non existente substantia, nec monachus invenior: qui monachi substantiam in me destruxero. Et in fine tractatus. Sic, inquit, frater diligede, sic quia in his dispensari licet, vt & ipse Beatus Benedictus dispensat in esu carnium omnino debilibus; in fœminalium vsu saltem in viam directis: sic inquam, quia in his dispensari & mutari potest, ergo non sunt de substantia professionis. Hæc ille. Verùm, quod de vsu fœminalium, de vsu carnium dixit: vtrum Beati Benedicti dispensatio vel institutio dici debeat, ipse videris. Sanè senibus & infantibus misericordiam impendendam, non ex dispensatione, sed ex regulæ authoritate præcepit. Regulæ, inquit, authoritas eis prospiciat. Sed ad priora redeamus. Manifestum est, quid dixerit Regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam: loci scilicet stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam secundum Regulam sancti Benedicti. Sed miror, quod cùm de his, quæ non tam Regulam, quàm ipsam juuantia asserit, loqueretur; de lectione tacuerit. Nam cùm ipsa dispensationem admittat, manifestum est secundum ipsum ad Regulæ corp⁹ non pertinere. Cùm igitur opus manuum, panis potusque quantitas; pulmentariorum numerus, modus induendi, quantitas vigiliarum, lectisternij qualitas, silentij grauitas, lectionis prolixitas, psalmorum modulatio, ieiunij protelatio, hospitum susceptio, & siqua alia huiusmodi sunt; nec Regulæ corpus, monasticæ professionis substantia habeantur: quippe cùm in eis dispensations & mutationes multæ inueniantur; ita vt per plura monasteria nihil horum per omnia secundum quod in Regula præfinitum est, exerceant: vbi quæso in Regula Regulæ corpus inueniam, monasticæ professionis substantiam? Nonne de his omnibus, imò penè his solis Regula tota compacta est? Sed enim inquies, ea sola quæ profitemur, Regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam dico: tria videlicet illa quæ præscripsimus. De loci ergo mutatione nulla fieri potest dispensatio. Quid est igitur, quòd jam Regulâ factâ & promulgatâ, ipse Pater Benedictus Maurum misit in Gallias? Quod si eiusmodi mutationem descriptam in Regula legissem: vtique non eam dispensationem, sed potiùs Regulæ institutionem nominandam arbitrarer. Nunc verò, cum eam non Regulâ præscriptam, sed post Regulæ institutionem factam inuenio, cur non eam liberè dispensationem appellem: cùm ille esum carnium, quem omnino debilib⁹ Regulæ concedit authoritas, dispensationi assignet? Nonne huiusmodi dispensationes quotidie ab Abbatibus nostris fieri cernimus? Quàm sæpe non dico de monasterio ad monasterium, sed & de regionibus ad regiones Abbatum suorum dispensatione monachi transferuntur. Quomodo ergo ad Regulæ nostræ corpus, ac monasticæ professionis substantiam, quæ dispensationem non admittit, loci stabilitas tam multiplici dispensationi obnoxia pertinebit? Quid quod plerumque in clericatum assumptinon dico à loci illius stabilitate, sed & ab ipsius Abbatis sui obedientia authoritate Ecclesiastica absoluuntur? Tantane permutatio, monachi substantiam destruit? Quæ est igitur dispensatio; quæ si de loci stabilitate fiat, monachum destruet? Dicet fortasse, si de monasterio ad monasterium sine Abbatis sui consensu nullo salutis suæ periculo compellente transmigraret. Hæccine est dispensatio: & non potiùs præuaricatio? Quod si prævaricatio non est: constanter dico, quia nec talis mutatio monachum destruit. Forte ergo pœnitebit eum argumenti sui: nec ideo tria hæc monasticæ professionis substantiam, ꝙ dispensationem non admittant: sed quòd ea sola monachus profiteatur, affirmabit. Interim & nos hoc ipsum concedamus. Sit ergo Regulæ corpus ac monachi substantia loci stabilitas, morum conversio, obedientia secundum Regulam S. Benedicti. Rogo, demus interim dextras, & qualis sit hæc loci stabilitas, hæc morum conuersio, hæc obedientia, diligentiùs inquiramus. Vellem tamen scire, vtrum sicut hoc vltimum, ita duo illa priora secundum Regulam: an simpliciter sine determinatione monachum profiteri existimet. Quod nullo modo quæsitu dignum arbitrarer: nisi quosdam comperissem, qui sic se professos dicant: vt scilicet solam obedientiam secundum Regulam, duo autem priora, non secundum Regulam, sed sine aliqua determinatione se promisisse affirment. Sed cùm alia sit Regula B. Augustini, cui Canonici; alia S. Benedicti, cui Monachi interposita se professione submittũt: quæro inter horum professiones quæ habeatur distinctio. Vtriq; enim & loci stabilitatem, & morum conuersionem, & obedientiam profitentur. Sed si duo illa priora sine determinatione promittuntur: videtur quòd in obedientiæ tantùm professione, à cæteris Regulis Regula discrepet S. Benedicti. Ergone alia erit obedientia secundum Regulam Benedicti; alia secundum Regulam Augustini? Commendat beatus Benedictus obedientiam, quam nec tardam vult esse, nec tepidam; non tristem, nec murmurantem; non injurijs vel contrarijs lassescentem, nec ante mortem deficientem. Aliane erit illa secundum Regulam S. Augustini? Aliane erit illa, quam Clericus Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Episcoporum debet Episcopo? Illane aut tarda potest esse vel tepida, aut tristis, aut murmurans, aut in iniurijs contrarijsue lassescens, aut ante mortem deficiens? In quibus ergo istarum professionum constat diuersitas? An forte obedientia secundum Regulam est, ipsius Regulæ præceptis subdi: quibus aliarum Regularum professores non sunt obnoxij? Quæ sunt igitur ista pręcepta? Si ea quæ de charitate, de humilitate, de patientia ceterisque virtutibus differit; quis non dico Canonicus, sed etiam Christianus his præceptis non est obnoxius? An aliam charitatem in sua Benedictus, aliam in sua commendat Augustinus? An non potius vterque illam, quã commendat in lege & Euangelio Christus? Quod de ceteris virtutibus similiter queri potest. Quis enim sani capitis ad virtutes cohortans, sua hæc, & non potius Christi dicat esse præcepta? Quæ ergo erit in diuersis regulis præceptorum diuersitas? Profectò sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere & corripi, & cetera huiusmodi, quæ in diuersis regulis diuersa inueniuntur. Quæ idcirco vel Augustini, vel Benedicti specialiter dicuntur, quia non Euangelica auctoritate Christianis omnib⁹ imponuntur, sed proponuntur, ipsis autem regularum professoribus non iam proponuntur, sed etiam inponuntur. Aut si ista non sunt, quæ sunt? Profectò quicquid in suis regulis de Charitate,

Opinio de corpore Regulæ, & substantia professionis.

Non probatur opinio prædicta.

An morum conuersio cum determinatione promittatur.

Aliane obedientia juxta Regulam S. August. quàm sancti Benedicti.

de Humilitate, ceterisque virtutibus ponunt, nō hoc quasi sua, sed quasi Dominica pręcepta cōmendant; nec ad ea, quasi ad sua, (quis enim illis crederet,) sed quasi ad Christi præcepta, non solum monachos, sed quoslibet Christianos inuitant. Si ergo obedientia secundum regulam sancti Benedicti est ipsius regulæ præceptis obedire; ipsius autem pręcepta regulæ, in his quæ supra commemorauimus constant, cùm illa quam profitemur obediētia, monasticę sit professionis substantia, quomodo substantiam monasticæ professionis seruat, qui non illa seruat? Sed dicat fortasse, quod vtique dici debet, etiam priora illa duo nos secundū regulam profiteri, affirmetque quod non in loci stabilitate, vel obedientia, quæ monachis, Clericis, Canonicis, Episcopis eædem iniunguntur, regularum constet ista diversitas, sed in morum tantum conuersione.

Stabilitas in loco per professionē promissa.

Nā de loci stabilitate nonne omnibus vna incumbit necessitas? ne videlicet sine eius, qui sibi præest consensu, temeraria præsumptione locum mutet. Porro si morum cōuersionē non secūdum regulam, sed simpliciter sine determinatione profitemur; hoc & hi, qui in Ecclesia dicuntur pænitentes, hoc ad coniugij portum de fornicationis naufragio fugientes. Quis enim horū non profitetur morum conuersionem?

Morum cōuersio qualis promissa.

Restat ergo inquirere, quæ sit secundum regulam sancti Benedicti morum conuersio. Si autem hic ad virtutes confugimus, vt verbi gratia, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus, deinceps lenis inueniatur; dicim⁹ profectò quia hęc morum conuersio, non tam ex regula sancti Benedicti monachis, quam ex Euangelio omnibus indicitur Christianis. Proinde vt inter conuersiones morum quæ secundum regulas diversas, diuersæ profitentur, aliqua inueniatur diversitas, non est quo fugiamus nisi ad illa, quę sola in diuersis regulis diuersa constituuntur, de quibus iam satis dictum est Quomodo ergo professionem suam seruat, qui ista non seruat? Sed dicet aliquis, Si ergo quis superbus, contumax, impatiens fuerit, omnia tamen illa, quæ supra commemorata sunt, seruauerit, regulam sancti Benedicti seruare dicendus est? Constanter dico quia si quælibet ista contra Dei regulam monachus commiserit, si secundum modum in regula præscriptum ista correxerit, professionis suæ re⁹ non erit. Sed quid si quis regulam sancti Benedicti, quasi quoddam instrumentum intelligat, quo uitia faciliùs resecentur, præcepta Euangelica sollicitiùs impleantur; posseque contingere vt optimo hoc instrumento abutens quis, non eo vitia sua resecet, nec virtutes adquirat, ideoq; in sui perniciem regulam quidem habeat, Christi tamen præcepta non impleat? Nonne ipse beatus Benedictus hoc ipsum insinuat? [Constituenda est inquit à nobis dominici scola seruitij, in qua nihil asperum, nihil graue nos instituturos speramus. Quod si quid districtius?] &c.

S. Bened. in fine Prologi.

Hic primum quæro, quę sit districtio, quam ne incipientes formident, hortatur. Profectò in hac districtione institutionem suam esse confirmat. Si patientia, si humilitas, si cæteræ virtutes cogitētur; hæccine instituturum quasi noui aliquid diceret? Profecto non est, quo fugiamus, nisi ad illa, quæ ipse noua instituit; non lex, aut Propheta, aut ipse Christus præcepit. His nimirum incipientibus non modica videtur inesse districtio, cōsiderantibus cibi potusque paruam, vilemque quantitatem, vestium asperitatem, ieiuniorum ac vigiliarum afflictionem, quotidiani operis cōtritionem, & cætera talia, quæ in ipsa Regula ab eo instituta inueniuntur.

Regula propria quæ sint.

Si quis autem Regulā in solis his constare non acquieuerit, saltem concedat, ꝙ non nisi obstinatia pertinaci negatur, professionē nostram & Regulā in vtrisque, virtutibus scilicet, obseruantijsq; constare, ac proinde vtraque à nobis necessario seruanda non neget. Quanquam ipse Regulæ institutor in illis verbis, quæ considerare cœpim⁹, aliud probare videtur. *Quod & si quid*, inquit, *districtius, dictante æquitatis ratione, propter custodiam charitatis, & emendationem vitiorum, processerit.* Rogo, quid tenebras in luce querimus? Quid nodum in scirpo? Quid in meridie, quasi in nocte palpamus? Nonne in omni institutione aliud est ipsa institutio; aliud causa institutionis?

Aliud institutio, aliud finis institutionis.

Nonne ipse hic manifestissimè inter institutionem, causamque institutionis, diuisit? Nonne hic custodiā charitatis, ac vitiorum emendationem, suæ institutionis causam testatur? Sed ecce alius è latere surgens, quid mihi, inquit, de Regula objicis? Habe charitatem, & fac quicquid vis. Ergo mādu cemus & bibamus, non quia cras moriemur: sed quia charitate pleni sumus. Charitate, rogo, an vanitate? Quid ergo, inquis? Qui charitatem habet, Regulam non implet? Quàm multi Canonici sancti, Sacerdotes sancti, Episcopi sancti, sed & coniugati sancti, charitatem se habere sentiūt: qui tamen se Monachorum Regulam & professionem nec promisisse, nec seruare non nesciunt. Si autem de ipsius Regulæ professoribus dicitur, verum dicitur: si tamen intelligatur quod dicitur. Quid ergo, inquis, me ad illa aspera Regulæ authoritate compellis? Imò si charitatem habes, non est necesse, vt compellaris reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Quòd si ea quæ vouisti inscriptione interposita Deo & Sāctis in testimonium vocatis, reddere contemnis: profectò charitatem non habere conuinceris.

Qui Regulam nō seruat charitatem non habet.

Quomodo enim eum diligis, quem irrides? Vt si aliter, inquit, fecerit, videlicet quàm promisit: à Deo se damnandum sciat, quem irridet. Quid igitur? Dispensationes quæ in ipsa Regula à patribus factæ sunt, vel fiunt, dānamus? Imò hinc eas rationabiliter fieri posse: quòd de hominis, non de Dei præceptis fiunt, adstruimus. Non enim de diuinis præceptis, aut mutare aliquid aut minuere, vlli hominum fas est. Hoc sanè prouidendum est, vt ipsa mutatio vel variatio, dispēsatio sit, nō destructio. Cùm enim custodia charitatis, vitiorum emendatio, ipsius institutionis causa sit: sic profectò ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis quàm institutione nutriuntur vitia, charitas violatur: si forte non damnosa, certè periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

CAPVT XXXVI.

Item modus in ordine voluntario seruandus describitur.

ERgo qui ordine voluntario adculmen perfectionis aspirat: primò charitatem, qua Deo maximè propinquamus, imò qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit, quasi destinatum finē, quo totum cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat: deinde via quam ei voti vel professionis suæ nor-

suæ norma præscribit, ad eius plenitudinem infatigabili spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quòd si aliquo horum charitas, cuius causa instituta sunt, violari cognoscitur: tunc demum ei cui dispensatio credita est, incumbit necessitas, vt sic omnia temperet ac disponat, quatenus nō horum causa charitas deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen vt aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora certis quibusque exercitijs attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas; alioqnin non erit dispensatio sed destructio: sed vt certis temporibus certa exercitia, pro cuiusque qualitate ac mentis statu modificentur. Hoc est quod ipse sanctus, cum de opere manuum legem poneret. *Sic*, inquit, *omnia temperet atque disponat, quatenus animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque murmurratione faciant.* Et alias; *Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes.* Numqud dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes? *Imo & infirmis*, inquit, *& delicatis talis ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, ad quod etiā infirmos & delicatos compellit? Hunc sanè modū, in ipsis exercitijs, quélibet seruare vtile est, quatenus sic se in vno habeat, vt in cæteris non deficiat: illud tamen in quo se magis proficere sentit, maiori feruore exerceat. Habeo ad manum de hac re cuiusdam verba sapientis, & congruentius arbitror, quæ præsto sunt inserere, quam de eadem sententia noua verba componere. Meditatio, inquit, in moribus primo considerat quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto, & ea primùm agenda indicat, quæ sic facta habēt meritum, vt non facta generent reatum. Hæc ergo primùm facienda sunt, quæ sine culpa dimitti nō possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, vt debitū non impediatur. Alij volunt quod non debent, qui non valent id quod debent: alij etsi valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipuè cauenda sunt: afflictio scilicet & occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur: per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet, per impatientiam vritur: occupatio, quando in his quæ valet agendis per intemperantiam agitur. Ne igitur malè amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat: ne autem malè occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

Quomodo charitatis causa instituta sint peragenda.

S. Bened. in Regul. c. 48. Ibidem.

CAPVT XXXVII.

Quid homo sibi, quid proximo debeat, ostenditur, & vtrum se proximo, an proximum sibi preferre debeat, declaratur.

HÆc de modo in singulis servando gradib᷒ dicta sunt: quò ad eum quem summè diligendum cernimus, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum æquè vt nos ipsos à nobis diligi diuina tradit authoritas: primò necesse est, vt cui quis ordo conveniat, intelligētiam nostram non lateat: deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse, manifestum est: cùm à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere; par parem corripere; superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sanè suggestio, siue correptio, siue compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur: vt & in suggestione subjectio; & in correptione dilectio; & in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitimè obuersatur, vt ad superiora conscendat moneri potest: cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet; ad arctiora verò compelli ejus inconsulta voluntate non debet. Ita sanè sit de proximi dilectione sollicitus, quem diligere debet sicut seipsum; ne modum dilectionis excedat, qua diligere debet seipsum: quod tunc fit, cùm ipse negligitur, quem diligere debet supra seipsum. Neque enim audiendi sunt, qui sic arbitrantur accipiendum quod dicitur, diliges proximum tuum sicut teipsum, vt vnumquemlibet diligere debeat tanquàm seipsum, duos autem aut plures supra seipsum: idoque magis suam, quàm aliorum debeat velle perditionem. Sed *quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei, si lucretur vniuersum mundum*, etiam ad salutem: *animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Animaduertendum quoque est, quia quicquid præmissa ratione fraternæ dilectioni adijcitur, totum profectò diuinæ dilectioni subtrahitur. Cùm enim secundum modū quo Deum diligit, sui dilectio metiatur: tunc solùm minùs diligit seipsum, quando minùs diligit Deum. Porrò seipsum qui diligit: cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum: qui non diligit nec seipsum? Nam & Apostolus cùm ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis secundum carnē*: vt eos proposita mirabili charitate sua traheret ad salutem, affectum quidem prodidit; consiliū non expressit. At quàm diuersa in vna mēte suggerant affectus & ratio, superiùs satis ostendimus. Vnde Apostolus cùm diceret, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, verum quidem dixit: quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quàm me solùm à Christo separari, verū nihilominus dixisset: quia rationis consilium prodidisset. Nam & ipse Salvator ex affectu, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit, quem à nobis & pro nobis voluntariè suscepit, vt transiret hora passionis optauit: sed ex consilio rationis, ipse ne transiret, effecit. Sed & Scriptura consultè non ait, Diliges proximum tuum, quātum teipsum: sed sicut teipsum. Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio; vt primò animæ suæ, quæ potior sui pars est, consulat ad salutem: deinde corpori ad necessitatem. Quòd si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi, etiam corporis patiatur interitum: dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire: sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione numquam recedat: sed ipsa constanter & perseveranter retenta, ad consulendum proximo securus accedat. Modum autem consulendi ex ea,

Falsa quorumdam opinio.

Matth. 16.

Rom. 9.

Quo sensu optarit Paulus anathema esse à Christo.

Matth. 26.

Matth. 22.

qua sibi consulit, regulâ accipiat. Agat ergo cum proximo quantum potest: vt & salvus corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit: profectò proximum, qui ex vtroque constat, non diligit. Si verò talis fuerit proximus, qui sine quodam detrimento ad salutem animæ non accedat: cum quadam cōpassione ac cordis contritione carnis eius patiatur interitum; vt spiritus salvus sit in die Domini. Nulla sanè ratione vel præcepto compellitur suæ animæ perditione animæ fraternæ comparare salutem: nec sui corporis interitu fraterni coporis interitum propulsare. Nam quòd præcipimur animas pro fratribus ponere; ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem: sed potiùs ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponere, ipsi vtique animæ consulere est. Porrò hi qui temporalium dominorum suorum mortem temporalem morte sua temporali propulsant; qui rectè id faciunt, non tam pro alieni corporis, quàm pro suæ animæ salute id faciunt. Sic enim habet eorum conscientia, dominis suis fidem esse seruandam; vt in tali periculo eorum vitam suæ æstiment præferendam. Qui autem non pro fide seruanda, sed pro gloria capessenda, opprobrioque vitando id faciunt, stultè quidem id faciunt: nec tamen pro corpore alieno; sed pro suæ famæ pretio id faciunt. Sed hoc fortè laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis pro alterius corpore suum corpus objiciat: vt autem, non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ detrimentum sustineat, saluo veræ dilectionis ordine fieri non potest: est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summè diligendus est, dilectione recedere. Quod aliquando laudabiliter vel saltem culpabiliter fieri posse, quis dicat? A Dei sanè dilectione receditur, cùm vel aliquid dignum damnatione committitur: vel aliquid sine quo non est salus, omittitur. Sunt præterea media quædam, vt lectio, meditatio, labor corporis, ieiunium ventris, suauitas orationis, cæteraque huiusmodi: quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquā etiam sunt prætermittenda. De quibus Apostolus. *Non quæ sua sunt*, inquit, *singuli quærentes; sed quæ aliorum*. Et item. *Sicut ego per omnia omnibus placeo: non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant*. Denique quod ait, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, sic quoque non inconuenienter potest intelligi: vt ab illo orationum suarū secreto, quo inter amplexus Iesu suauiter quiescebat, ab illa ineffabilis contemplationis eminentia, qua cœlestium mysteriorum secreta purissimis oculis perlustrabat: ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine, quæ animam illam cœlestia sitientem spiritualium affectuū suauissimis stillulis perfundebat: ad mundi strepitum ob fratrum salutem optauerit euocari. Quam euocationem, à Christo separationem ille non ambigit nominandā, qui pro modulo suo vacat, & gustat quàm dulcis est Dominus: quàm beatus omnis qui sperat in eo. Porrò qui sic à Christo separari, fraterna dilectione prouocatus elegit: vel superiorum authoritate coactus consentit: prouidendum sibi est, ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas. Verùm quod de lectione vel oratione diximus; etiā de commodis corporis, imò de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute contemnendum, impendendum, variandūque perspexerit, pro salute quoque proximi id ipsum faciendum agnoscat.

Proximus non est diligendus cum animæ nostræ detrimēto.

1. Ioan. 3.

Quando à Dei dilectione recedatur.

Philip. 2.

1. Cor. 10.

Rom. 9.

CAPVT XXXVIII.

Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur.

QVONIAM igitur de Charitate tractantes, secundum eius leges quid homo sibi, quid proximo debeat, ostendimus, cùm omnibus ad corporalem necessitatē sufficere tanta nos multitudo non sinat: restat, vt inter ipsos, quis cui præponendus sit, ratio consulta discernat. Consideremus itaq; cordis nostri latitudinem, quasi arcam quandam spiritalem, lignis imputribilib⁹, moribus scilicet bonis virtutibusq; compactam; in qua mansiunculas, & tristegas, spiritalia videlicet receptacula collocantes, singulis singula, pro cuiuslibet dignitate vel ordine, deputemus. Igitur bestias, bestiali scilicet more sæuientes, ac sanguinem nostrum ferali rabie sitientes, inimicos videlicet nostros, in inferioribus includam⁹: quibus & orationis solatium, & post cæteros, communis huius vitæ præbeamus subsidiū. Sed quia sunt mansiunculæ interiores & exteriores, de hoc hominum genere his, qui foris sunt, exteriora sufficiant; illos vero qui, specietenus licet, communem nobiscum sortiuntur fidem, interior mansio non repellat. Superior his locus reptilibus, iumentisque conceditur, qui terrena licet sapientes, ac semetipsos ventris sordibus, ac libidinis spurcitia maculantes, infra hominem sese deijciunt; nihil tamen inhumanum, nihil crudele, nihil in nos moliuntur aduersum. His & orationis remedium, & adhortationis auxilium, & correptionis cauterium, & præ inferioribus, sed post superiores, necessitatis præbeamus supplementum. Inter quos, qui vel sanguinis communione, vel officij humanitate nobis viciniores sunt, in isto gradu intima sortiantur; ab exterioribus ceteri non excludantur. Iam vero in superioribus homines collocemus: illos nimirum, qui etsi supra hominem perfectionis desiderio non vehuntur, nō tamen in bestias feritate, non in pecudes voluptate, non in reptilia sordibus deuoluuntur. Est in hoc quoque gradus; quantò quis nobis aut carne propinquior, aut amicitiā gratior, aut beneficiorum fuerit largitione propensior: tantò sit & in pectoris mansione interior. Porrò locus excelsior volatilibus cedat: qui supra hominem virtutum pennis spiritualibus vecti, quātò Deo sunt propinquiores, tantò in arca hac spirituali esse deben superiores. Inter quos quicunque dulcissimo nobis spiritualis amicitiæ vinculo copulantur; in interioribus ac secretioribus pectoris nostri locis suauiùs recondantur, adstringantur arctiùs, dulciùs foueātur. Est præterea locus cæteris omnibus eminentior, cuius spiritualis huius arcæ fabricator simul ac reparator Iesus solus sine comite speciosus insidens, ac inferiora omnia sua suauitate componēs, in omnibus sapiat, in omnibus fragret, in omnibus luceat; in omnibus splendeat: totamque inferiorem latitudinem ad vnum suæ dilectionis cubitū linea rectiore traducat. Ipse solus in omnibus, ipse solus præ omnibus, & affectum nostrum afficit, & amorem exigit: ipse sibi sedem, non solum potiorem, sed & superiorem; nec solùm superiorem, sed & interiorem in pectoris nostri māsione requirit. Hæc itaque ratio in hac distinctione seruetur, vt seruata omnibus consulendi

Ordo in dilectione seruandus per mansiones arcæ designatus.

Iesus supremum in corde locum teneat.

voluntatem, cùm ad omnes præsens indigentia sufficiat, inferiori gradus superior præponatur: in singulis autem gradibus interiori potius consulatur.

CAPVT XXXIX.

Qui sint quibus in hac vita frui valeamus.

VNVM adhuc restat, de quo ratio diuisionis nostræ deinceps tractare compellit. Diximus enim in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet; moveatur vt decet; competenter vtatur. De electione & motu, quantum ad præsens opus, satis egimus. Sed si electio sana, motus integer fuerit: numquid vsus perversus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, & motus variari potest, & æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, & competenti motu, eius quem ad fruendum elegit præsentiam comparare: in ipso tamen fructu & intentione mutare & variare motum, & modum excedere. Verùm, quia in diuersis gradibus meritisque diversis paulò superiùs proximos ordinauimus: dicendum sanè est, vtrum omnibus, vel certè aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo inuicem in hac vita frui possimus; sicut Paulus fruitus est Philemone: & est fructus æternus, quo inuicem fruemur in cœlo; sicut se fruuntur Angeli pura mentium vnitate. Proinde cùm frui sit cum gaudio & delectatione vti; manifestum arbitror in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse; sed admodum paucis. Nam vt mihi videtur, vti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem; magistris ad eruditionem; senioribus vtimur ad consolationem; necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationē; solis autem his quos suaui quodam affectu complectimur, de quocumque horum genere sint, ad vitæ dulcedinem, ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, idest cum gaudio ac delectatione vti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem & motum qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest: quantum verò ad fructum, à paucis, vel certè à nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, à quibus omne hominum genus non solùm rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur. Denique ipsi Deo à multis & electione & motu charitas exhibetur, quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita comeditur: sed post hanc vitam in eius beatissima visione seruatur. Nam & hi quibus in contemplationis lumine, in compunctionis dulcedine, quidam huius dulcedinis fructus inchoatur: si ad futura gaudia spectes, nec ipsi Deo frui dicendi sunt, sed potiùs vti. Nam illius dulcedinis suavissimum gustum non tam pro fructu dilectionis, quàm sustentatione infirmitatis, pleri{s}que largiri, satis superiùs monstratum est. Porrò non modicum vitæ huius solatium est, habere quem tibi affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris vnite possis amplexu: habere in quo requiescat spiritus tuus; cui se refundat animus tuus; ad cuius grata colloquia, quasi ad cōsolatoria quædam carmina inter tristia quæque confugias: ad cuius amicitiæ gratissimum sinum inter tot sæculi scandala securus accedas; cuius amantissimo pectori, ac si tibi ipsi omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas: cuius spiritualibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis languores tumultuantium curarum exsudes: qui tibi collacrymetur in anxijs, collætetur in prosperis: tecum quærat in dubijs: quem vinculis charitatis in illud secretariū tuæ mentis inducas, vt licet absens corpore spiritu tamen præsens sit: vbi solus cum solo conferas; ac quiescente mundi strepitu, in somno pacis, in amplexu charitatis, in osculo vnitatis, interfluente Spiritussancti dulcedine, solus cum solo repauses: imò ita te ei adjungas & applices, & animum animo misceas, vt de pluribus vnum fiat. His igitur in præsenti frui possumus, quos non solùm ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus: inter quos his maximè, qui nobis spiritualis amicitiæ gratissimo fœdere cæteris familiariùs, arctiusque iunguntur. Cuius charitatis sacratissimum genus ne cui improbandum videretur, ipse IESVS noster per omnia nobis condescendēs, per omnia nobis patiens & compatiens, suæ dilectionis exhibitione transformans, vni, non omnibus, suauissimi pectoris sui reclinatorium in signum præcipuæ dilectionis indulsit: vt virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur: ac thalami cœlestis odorifera secreta fragrantiam spiritualium vnguentorum virgineis affectibus quantò viciniùs, tantò copiosiùs instillarent. Hinc est, quòd licetà pijssimo magistro discipuli omnes summæ charitatis dulcedine foverentur: huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogatiua concessit, vt diceretur discipulus ille, quem amabat IESVS.

Ad Philemo vers. 20.

Frui quid sit

Non omnes in hac vita fructum charitatis comedunt.

Ioannē virginem Christus specialius dilexit.

Ioan. 20.

CAPVT XL.

Quomodo inuicem frui debeamus

QVi igitur amico frui dulce habet, videat vt fruatur in Domino, non in sæculo; non in carnis voluptate, sed etiam in spiritus iocunditate. Sed quæris, quid sit frui in Domino. Dicit de Domino Apostolus. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Cùm igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, & iustitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in iustitia. Sapientia vanitas sæcularis excluditur; Sanctificatione spurcitia carnis abscinditur, Iustitia assetatio omnis, adulatioq; compescitur. Tunc enim charitas est, si sit, vt ait Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Purum cor suscipit sapientiam, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat justitiam. Sunt qui se fruuntur, in vanis & ludicris, in sæculi pompis & mundi spectaculis, in studio vanitatis & gaudio falsitatis. Hi non se fruuntur in sapientia, ac proinde non in illo, qui Dei virtus est, Dei sapientia. Alij etsi nō deteriores, certè sordidiores, quibus penè de homine nihil est, quos obscœna turpitudo transformauit in bestias; qui se in luxuriosis cōuiuijs, & immundis fruuntur desiderijs, quia se non in sanctificatione, quæ in castitatis suauitate consistit, fruuntur, vtique in Domino, qui factus est nobis à Deo sanctificatio, non fruuntur. At hi qui se assentatoriè fruuntur, inuicem palpantes, invicem consentientes, qui dum alterutram canent offēsionem, mutuam incurrunt perniciem, quia non se in libertatè fruuntur iustitiæ, in Domino non fruuntur. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de scripturis: nunc de m{i}serijs huius vitæ conge-

I. Cor. I.


Quid sit frui aliquo in Domino.

miscamus; nunc in spe futurorum bonorũ congaudeamus; nunc mutui secreti reuelatione recreemur; nunc simul ad illam beatam visionem Iesu, ac bona cælestia suspiremus. Si vero, quod nonnunquam vtile est, tensum animum ad inferiora quædam ac jocũda laxemus, sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua leuitatis; etsi careant ædificatione. Fruamur inuicem in sanctificatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere, id est proprium corpus, in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. Fruamur in iustitia, vt in spiritu libertatis mutuo cohortemur, mutuo corripiamus, scientes quia meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula. *Prouer. 27.*

CAPVT XLI.

Epilogus totius operis, & Auctoris excusatio sui.

HÆ sunt, amantissime Pater, de Charitate meditationes meæ; in quibus si excellentia eius, si fructus eius, si competens modus exhibitionis eius, quasi imago quædam illius ostenditur; liber ipse, vt scripsistis, Charitatis Speculum nominetur. Obsecro tamen ne Speculum illd efferatis in publicum, ne fortè in, eo non charitas luceat, sed potius auctoris imago sordescat Quod si illud in meam, vt vereor, confusionem emiseritis, per illud dulce nomen Iesu obtestor lectorem, ne me ex præsumptione ad hoc opus æstimet accessisse, ad quod & paterna auctoritas, & fraterna charitas; & propria me coegit necessitas. Nam Superiori non obedire, periculosum; cum absente charissimo meo de huiusmodi in spiritu fabulari, dulce ac iucundum; vagos & inutiles luxuriantis animi mei excursus harum meditationum vinculis alligare necessarium duxi. Si quis autem horum lectione aut affectu, aut cognitione profecerit, sudoribus meis hanc vicem rependat, vt pro innumerabilibus peccatis meis, apud iustum & misericordem iudicem intercedat.



DIVI AELREDI

RIEVALLIS ABBATIS

Præcedentis operis, scilicet Speculi charitatis.

COMPENDIVM.

Aduerte ex Reuerendissimo Angelo Manrique Tomo 2. Annal. Cisterciens. ad annum 1166. cap. 3. & ex Reuer. D. Carolo de Visch Dunensis Cœnobij Priore, lib. De Scriptoribus Ordinis Cisterc. *hoc opus priùs Authorem scripsisse; & eius occasione postea hortatu amicorum fusiùs de eadem materia disseruisse, ac majus Speculum charitatis tribus libris distinctum edidisse: sicut idem cùm Homiliam vnicam, in Onera Isaiæ scripsisset, postea rogatus ac monitus de ijsdem alias triginta & vnam Homilias vulgauit.*

CAPVT PRIMVM.

Vt Creator ametur à sua Creatura.

NIHIL dignius, quàm vt Creator à sua ametur creatura. Igitur ratio, vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati vel vtilitati; illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessariũ hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prius diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo non potest nisi beatissim⁹ semper esse: qui bonorum nostrorũ non indigens, pro nobis voluit miser esse. O Domine Deus, quanta in tui dilectione iocũditas! quanta in iocunditate tranquillitas! quãta in tranquillitate securitas! non eiũs qui te amat errat dilectio, quia te nihil mélius; non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius; non excessus timetur, quia nec modus amandi præscribitur; mundialis amicitiæ direptrix mors formidatur. In tui dilectione nõ timetur offensio, quæ nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio: non interuenit vlla suspicio, quia iudicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic iocunditas, qua timor excluditur: hic tranquillitas, qua ira compescitur: hic securitas, qua mundus contemnitur. Comparetur quæso omnibus diuitijs, omnibus delitijs mundi, omnibus honoribus hoc vnum famulorum Christi, quod mortem non timent. Quid quæso in mundo iocundum; cum ipsa eius iocũditas conscientiam pungat, cum timorem mortis incutiat, cum amatores suos æternæ damnationi addicat?

Deum diligere ob tria debemus.

CAP. II. *Quòd charitati nihil desit perfectionis*

Diliges Dominum Deum tuum, &c. O verbum cõsummans & abbrevians in æquitate! verbum charitatis, verbum amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis. Verbum consummans, cui nihil potest deesse: verbum abbreviãs, in quo pendet tota lex & Prophetæ. O Iudæe, quid tantis opus est? Hic circumcisio, hic sabbatum, hic hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium, hic totius suavitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum deerit. Charitatem neglige, & nihil horum proderit. Hic planè non carnalis vnius membri amputatio, sed totius exterioris, interiorisque hominis vera & perfecta circumcisio, resecans voluptatem, extinguens libidinem, coërcens gulam: cohibens iracundiam, inuidiam penitus inuertens; omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spirituali quadam suauitate cõtemperans, sequacis acediæ occurrit languori. Hæc avaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idolatriæ vitio animam liberat ac conseruat. Quid rogo hac circumcisione perfectius: qua vitiorum membra resecantur,

Matth. 22.
Speculum lib. 1. cap. 16
In charitate sacrificia, hostia, &c.

corpus peccati destruitur, protoplastorum exuuies villosa deponitur, totaque antiquæ vetustatis tabes squalorque deijcitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis cõpleuerit; non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia eleuat, non cænodoxiæ inanis fumus euentilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis euiscerat, non auaritia contrahit, non deijcit tristitia, non inuidia tabefacit. Charitas quippe non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate. Vides hanc spiritualem circumcisionem omnium vitiorum esse peremptoriam; quæ omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat, oculorum abscindẽs petulantiam, aurium pruritum eradens, gustus superfluas suauitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus pernitiosam mollitiem eradicans.

1. Cor. 13.

Specul. lib. 1. cap. 10.

CAPVT III. *Quòd amor noster adversum se ex charitate & cupiditate contrario appetitu diuidatur.*

Galat. 5.

Apostolus ait. *Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus adversus carnem: hac enim sibi invicem adversantur, vt non qua vultis illa faciatis.* Quia charitatis, siue etiam cupiditatis ea sola animæ nostrę portio capax est, quæ vsitatiùs amor nuncupatur: ipse est, qui ex noua infusione charitatis, & ex reliquijs vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu, aduersus semetipsum constat esse divisus. Vnde intelligendum est, Apostolum spirit⁹ carnisque nomine nequaquam contrarias in homine vno, vt impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas; sed spiritus appellatione, mentis ex charitatis infusione exprimens nouitatem, carnis quoque vocabulo ex reliquijs vetustatis miseram animæ insinuans seruitutem, inter vetus nostrum inolitum, novumque insolitum, continuum in vna mente asserit oboriri conflictum. Hac itaque concupiscentia, quã carnis esse dicit Apostolus, non quòd omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cùm ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent, hæc inquam concupiscentia mala congruentissimè cupiditas appellatur. Carnis verò concupiscentia dicitur, eo quod non ex Deo, sed ex homine fit; quem carnem in Scripturis appellari non est ambiguum. Concupiscentia autem spiritus non immeritò charitas appellatur, quæ quidem in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum.

Manichæorum error.

Galat. 5.

Rom. 5.

Speculum lib. 1. cap. 21. & 22.

CAP. IV. *Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit: & quare cùm beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mira infelicitate refugiat.*

IPSIS animantibus irrationabilibus magnus labor est, tueri salutem, vitare perniciem, carnalium appetituum quærere satietatem: qua adepta cùm nihil habeant vltra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt. Tibi enim ô anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur, quòd te à carnis sensibus abstrahens, ad altiora contendas, nec aliquando saties appetitum, donec ad id, quod summum est, id quod est optimum, id quo nihil superius, quo nihil excellentius; felici curiositate peruenias. Vbicumque infrà subsistis, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi iucundum iudicetur; misera proculdubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas, restat ad quod anheles; restat postrema ipsa beatitudo; ad quam appetendam animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Sed deploranda satis est miseri hominis cœca peruersitas; qui cùm beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit, quibus adipiscatur optata: verùm proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Non secus quàm si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiã refugiat sectionem, adustionemue exhorreat, ac pręsenti quadam suauitate pellectus olei fomenta requirat: quamquam morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate feruescat, nec sine adustionis, sectionisue dolore lentescat. Sic miser homo, sic vel decept⁹, dum putat esse felicitatem, quæ non est, vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est, & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit: ac proinde infelici circuitu laborans, numquam quiescit. Enimuero cùm animæ rationali solus sit superior Deus, par Angelus, cetera omnia iudicentur inferiora; quid dementiæ tam vicinum, quàm relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari? quod, vt mea fert opinio, nequaquam ageret, nisi hinc eam falsa quędam imago felicitatis deluderet, hinc veræ miseriæ similitudo terreret. Nã pauperiem, famem, sitim, & talia sustinere, miseria iudicatur: quibus tamen plerumque vera miseria præcauetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati* enim, *pauperes*, ait IESVS; *quoniam vestrum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc esuritis; quoniam saturabimini.* Pauperies ergo æternis diuitijs muneratur, luctus æterna iucunditate mutatur; esurienti satietas æterna seruatur. Hæc enim omnia, diuitias scilicet, iucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet. Verùm, quia reprobum quemque in qualiscumque voluntatis suæ affectu, species quædam iucunditatis eludit, & in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit; ignorans miser, quanta sit electis & in pressuris consolatio, & in spe congratulatio; perhorrescit quidem eam, quæ in facie paret, infelicitatis effigiem: sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem; falsam iucunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit.

Prærogatiua creaturæ rationalis.

Apta similitudo.

Matth. 5. Luc. 6.

CAP. V. *Quòd requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in diuitijs quærenda sit.*

Speculum lib. 1. cap. 23. & 26.

O mirabilis creatura, solo creatore inferior, quò te deijcis? mundum amas? sed ipsa es mundo superior. Solem miratis? sed ipsa es sole lucidior. De cœli huius volubilis situ philosopharis? sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? Sed te nulla natura secretior. Dubitas cùm tu de his omnibus iudices, de te autem nihil horum? Sed si velis iudicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt his tu beatior; sed vt esset, quo tu esses superior: subijciens tibi omnia ad cumulũ honoris, se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitiuas pulchritudines: cùm tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quæris, vt voluntati

tuæ nihil desit, & sic requiescas; hoc ergo quære. Vbi inquis? noli in salute corporis, noli in voluptate carnis, noli in potentia, noli in diuitijs. Quid enim peruersius, quã rationalis mentis bonum in ventris ingluuie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere: maximè cùm se in his à stolidissimis belluis nihil videat posse differre? Denique & fames cruciatum, & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est: si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum: ita profectò nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nã de eius fœditate quid dicendũ? cum hæc sordissima lues & carnem contaminet, & mentem effeminet, ac quidquid in animo honestum, quicquid decorum, quicquid denique virile est, obruat pariter & euertat? Et quidem cum cetera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis oppalliet, ac proinde non modo ad humanos non erubescant, imo & intumescant aspectus; hæc sola in prima fronte tantũ sui præfert horrorem, vt ea maximè hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vendicat, oculos vehementer refugiat. Quid ergo his agendum, qui Virginis Filium, ac virginitatis colunt authorẽ? Cauendum est profectò, ne cuiquam id eueniat, quod de quibusdam ait propheta: *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quibus verbis propriè satis finem, modumque huius spurcissimæ passionis expressit; eum, quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluuione, quin proprij stercoris egestione asserens esse corruptum; vt eum non modo extinctum æstimes, vel absorptum, sed instar sepulti cadaueris, immũdissimi pruritus sanie profluente, putrescentem sentias & fœtentem. Necesse est ergo mentẽ cui nequam hic spiritus insederit, quibusdã furijs agitari, & ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam & vagabundam, soluto fræno totius honestatis, impelli: restinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succendi.

Sola luxuria oculos hominum fugit.

Ioël 1.

Cap. VI. *De suaui jugo charitatis.*

Specul. lib. 1. cap. 27.

Matth. 11.

Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Iugum istud fraterna dilectio est. Iugum istud non premit, sed vnit; onus istud pennas habet, non pondus. Prorsus qui de huius asperitate causantur, iugum cupiditatis nondum radicitus abiecerunt. Forsitan enim sub habitu religionis ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias & honores anhelant; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum, inexplebili auaritia æstuant. Vnde nimirum continuis curis euiscerantur, inflammantur odijs, anxijs cogitationibus dissipantur; quia iugum vtrique mundi asperum est, & onus mundi graue est. Porrò jugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.

Cap. VII. *Quanta sit in charitate perfectio.*

Specul. lib. 1. cap. 31.

Quid enim suauius, quid gloriosius, quàm mundi contemptu mundo se cernere celsiorem: ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus: nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui inuideat; nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse: dumque in illam hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis, dirigit mentis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud propheticum exultare: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum?* Quid rogo dulcius, quidue tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendijs non aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum; sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam, nõ iam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia excercitia obedientissimam adiutricem? Quid tandem diuinæ tranquillitati tam proximum, quàm illatis contumelijs non moueri, nullo supplicio, nullaue persecutione terreri, vnam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos? Hæc simul omnia in caritate, & non nisi in caritate simul omnia: ac proinde in illa vera tranquillitas, vera suauitas; quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia iugũ Domini suaue est, & onus leue. Proinde ceteræ virtutes sunt nobis aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus; at caritas, quæ, licet vt aliæ virtutes sint, sit oportet in omnibus; specialiùs tamen ipsa est requies fatigato, & viatori mansio & plena lux peruenienti, & perfecta corona viatori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriã vehimur; quid spes, nisi viaticum nostrum, quo in huius vitæ miserijs sustentamur; quid quatuor illæ virtutes, temperantia, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? At vbi Charitate, quæ non nisi in Dei visione perficitur, illis dumtaxat, quibus hic in fide inchoatur, mens fuerit plenius absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, non est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachijs charitatis Deum amplectenti nihil restat, quod speretur. Verùm temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra aduersitates, iustitia contra inæqualitates: sed in charitate illã perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia: in charitate perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia: in charitate vera beatitudo, ideo nulla adversitas, quam fortitudo deuincat: in charitate pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam iustitia vigilet. Agit itaque modò vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis excedat. Porrò si subtiliùs aduertas, quid est temperãtia, nisi amor, quẽ nulla voluptas illicit? Quid est prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit? Quid fortitudo, nisi amor fortiter aduersa sustinens? Quid

Isai. 40.

Matth. 11.

Quatuor virtutes Cardinales arma nostra sunt.

Contra quæ vitia pugnent virtutes.

iustitia, nisi amor, æquo quodam moderamine inæqualitates huius vitæ componens? In fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur. Verùm vt sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit, cunctis iam carnis illecebris cũ ipsa carnis mortalitate consumptis, cunctis errorum tenebris diuinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate mundi huius succedẽte molestijs; depositis, vt ita dixerim, quibus hoc belli tempore vtitur armis, sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc ceteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, vt in illa felicitate, nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudoue putetur, quàm charitas: tam casta, vt nullis teneatur illecebris; tam lucida, vt nullis interpoletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur adversis.

CAP. VIII. *Quod opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimæ vero diei requies charitati assignetur.*

Lib. 1. Speculi cap. 32.

Est ergo Fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelib⁹, quasi lux à tenebris, separamur. Sit Spes secundus, per quam in cælestibus habitantes, & pro fidei meritis sola supercælestia sperantes; ab his, qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar dilabuntur & fluitant, Deo promouente discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram, mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessarijs terminis coërcentibus, appareat terra cordis nostri arida & inaquosa, sitiens dominũ Deũ suum. Iam vero Prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda & non facienda quasi inter diem & noctem diuidamur: cuius adminiculo lumen sapientiæ, velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquib⁹ deficit, quasi lunæ decus appareat: per quam etiam præcedentium patrũ exẽpla, quasi stellarum globos, mens deuota suspiciat; per quam inter dies & annos, menses & horas diuidat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, & sub lege; quid inter hos, & illos qui sub gratia, quid singulis conueniat; quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æqua examinatione discernat. Sit nobis Fortitud[o] quasi dies quintus, per quã huius maris magni & spatiosi, sæculi videlicet hui⁹ procellas toleremus: ac pisces spiritales, Deo operante effecti, vitam nostram inter vndas tempestatesque seruemus: ac mentis nostræ desideria, simul & affectus, quasi volatilia pennata, ad cælestia erigentes, & ea, quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorũ operum fructus, Deo benedicente, reddamus Porro diem sextum nobis Iustitia dictet, per quam diuinam similitudinem reinduti atrocissimis vitiorum bestijs terrenisque desiderijs, quasi reptilibus; corporisque motibus, quasi iumentis, generosa auctoritate imperemus; agentes vt corpus menti, mens Deo subdatur, sicque, iustitia dictante, cuique quod suum est, tribuatur. Restat septimus dies, id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummentur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est Caritas virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suauis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint, oriuntur; in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies diuina nos gratia reficit: ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluuium, arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit Temperantia, Prudentia vigilat, militat Fortitudo, Iustitia famulatur.

Virtutes spirituales dies sunt.

Charitas sabbatũ est.

CAP. IX *De Distinctione trium sabbatorum*

Lib. 3. Speculi cap. 1.

Tria sabbatorum genera in scriptura.

Legimus in veteri testamento quasdam sabbatorum distinctiones. Habes nempe in lege tria tempora sabbati requie cõsecrata; septimum videlicet diem, septimum annum, & post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immeritò dicitur sabbatũ sabbatorũ. Constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno; vt septenarius numerus in vnitate concludatur; qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritussancti munere promouetur, vt ad ipsum, qui verè vnus est, veniatur; vbi totum quod sumus, vnum cum ipso efficiatur. Habemus interim sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodã prægustu sabbatum sabbatorum.

CAP X. *Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio.*

Deuter. 6.
Matth. 22.
Lib. 3. Speculi cap. 12.

IN lege sic scriptum est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua: & proximum tuum tanquam teipsum. In his duob⁹ præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Necesse est ergo, vt in his duobus præceptis, has sabbatorum quæram⁹ distinctiones: nã & ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta, si diligenter inspicias, tria quædam inuenis diligenda, te videlicet, proximum, & Deum. Vbi enim dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* manifestum est, quia debes diligere & teipsum. Hoc tamen non est præceptum, quia naturæ est insitum. Nemo enim vnquã teste Apostolo carnem suam odio habuit: & si non carnem, multò minus vtique mentem, quã quilibet, etiam nesciens, magis diligit quàm carnẽ. Nemo est enim qui non malit infirmus carne, quam insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui sabbatũ primum; dilectio proximi, sit secundũ; Dei autẽ dilectio, sabbatum sabbatorum. Est autem, vt superi⁹ diximus, sabbatũ spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquã in propria dilectione sentitur; aliquãdo ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur; in diuina dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sanè prouidendũ, vt homo, sicut oportet, diligat semetipsum, proximũ verò tanquam seipsum, Deum supra seipsum; quia nec se, nec proximũ, nisi propter ipsum. Porro Deũ nõ amare conuincitur, à quo proxim⁹ non amatur. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi; dilectionem verò proximi dilectio sui. Præcedit inquam ordine, non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam; de qua dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam profectò quædam huius dilectionis portio, etsi non plenitudo, & sui, & proximi dilectionem præcedat necesse est: sine qua mortua illa vtraque est, ac proinde nulla est Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi aliarum dilectionum animã esse, quæ & in seipsa plenissimè

Ephes. 5.

Dei dilectio sabbatum sabbatorum

Matth. 22.

viuit, & alijs sui essentiam vitalem impertit, absenti mortem inducit. Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, vbi diuinus ille ignis paulolum coalescens, ceteras tandem, quasi scintillulas quasdam, in sui plenitudinē miro modo absorbeat: totam animi dilectionē ad illud sublime, & ineffabile bonum abducens, vbi nec ipse à se, nec proximus diligatur, nisi inquantum vterque deficiens à se, totus transfertur in Deum. Interim tres hi amores & abinuicē concipiuntur, & abinuicem nutriuntur, & abinuicē accenduntur, porrò simul omnes perficiuntur. Agitur autē miro & ineffabili modo, vt quanquam hi tres amores omnes simul habeantur, neque enim aliter potest: non tamen semper æquè sentiantur: sed nūc requies illa, illa iocunditas in propriæ conscientiæ puritate sentiatur: nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur; nunc in Dei contemplatione pleniùs acquiratur. Sicut enim rex aliquis diuersas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur: nunc huius, nunc illius speciei odore perfunditur: ita mēs, cellaria quædam spiritualibus referta delicijs, intra suæ cōscientiæ septa retentans, nunc hoc nunc illud inambulat, ac iocunditatis suæ materiam, pro diuitiarum diuersitate, diuerso modo compensat.

Tres amores se mutuò fouent.

CAP. XI. *Quomodo sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.*

Specul. Lib. 3. cap. 3.

CVM enim homo ab exteriori tumultu intra secretarium mētis sese receperit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia iucunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimę ac pacatissimæ cuiusdam familiæ, omnis cogitationum sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subitò mira securitas, ex securitate mira iucunditas, ex iucunditate autem iubilus quidam, eò devotiùs in laudes Dei erumpens, quo perspicaciùs conspicit, eius esse muneris, quidquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei iucunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio: vt primùm in bonis operibus desudemus, & sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur, secundùm quam sui dilectio iudicatur. Sicut enim is qui operatur vel diligit iniquitatem, non diligit, sed odit animam suam; ita profectò qui diligit, & operatur iustitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius sabbati iucūda solemnitas; in qua seruilia mundi opera minimè exercentur; in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

Solemnitas septimæ diei, scilicet charitatis.

CAP. XII. *Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, & quomodo sex anni, qui precedunt septimum, charitati coaptentur.*

Specul. Lib. 3. cap. 4.

Porrò si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc sabbatum celebrauit, ad illud pectoris sui diuersorium sese contulerit, vbi solet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis: senseritq; ibi animā suam cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri; nullis inuidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflāmari, non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitię morsibus consumi; sicque ad quendam tranquillissimum mentis suæ sinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac secum vnum cor & vnam animam faciat: ad huius mox dulcedinis suauissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit; & fit ibi intus ab omnibus noxijs absoluta vacatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata, & iocunda pausatio. Huius sabbati requie ac dulcedine, Propheta Dauid in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit dicens. *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Verè bonum, vere iocundum. Bonum plane, quia nihil vtilius; iocundum, quia nihil sapidius. Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine, ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. Quæ dilectio vt habeatur, quia ipsi naturæ est insitum, si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* Hæc autem dilectio, quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in præceptis, quæ ad dilectionem pertinent proximi, primo loco sancitur; ita Deo protestante, *Honora patrem tuum & matrē.* Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiæ fœdere, vel officij vicissitudine copulātur, dilectio nostra progreditur, & quodammodo sinu āpliore laxatur. Sane vtraque hæc dilectio, quanquā parum pręmij seruata conquirat, quippe cùm ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos prouocet, neglecta tamen cumulū damnationis importat. De his Dominus in Euangelio, *Si diligitis*, inquit, *eos, qui vos diligunt, quam mercedē habebitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?* Vt ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiscum eidem iugo professionis subduntur. Hæc planè dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus causa est, cur exhibetur. Restant adhuc duo hominum genera, eorum qui foris sunt, Gentilium videlicet, & Iudæorum, hæreticorumque vel schismaticorum: quorum necesse est vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamur, vt & ipsi inueniantur nobiscū in Christo IESV Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinæ bonitatis similitudo plenius reparatur, sicut ait Saluator in Euangelio: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Exinde quid supererit, nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimur, in quo seruus libertate donatur? Qui enim nouit etiā inimicos simplici oculo intueri, ille est qui veraciter dicere potest, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus, *Omnis* inquit *qui facit peccatum, seruus est peccati*: cui deplorandæ seruituti tamdiu quisque addicitur, donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur: & de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur.

Psalm. 132.

Sex genera hominum diligendorum.

1. Timo. 5.

Exod. 20.

Matth. 5.

Matth. 5.

Ioan. 8.

CAP. 13

Cap. XIII. *Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperiatur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.*

Spec. lib. 3 cap. 6.

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tantò deuotiùs, quantò securiùs ad ipsius diuinitatis felices gestit amplexus: ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, jamque ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur; factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, & sic semper est, & id ipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitum, vacans & videns, quoniam Dominus ipse est Deus: & inter charitatis illius suaues amplexus sabbatizans sine dubio sabbatũ sabbatorum. Hic annus Iubilæus, in quo ad suã possessionem reuertitur, ipsum videlicet authorem suum; vt nimirum possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio, amore hominis defluente ab eo, à quo factus est; & inhærente rei, quæ facta est. Huic sabbato non immeritò quinquagenarius numerus dedicatur; in quo seruilis timor expellitur, carnis non solùm concupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur. *Ante*, inquit, id est ante Pentecosten, *Spiritus non erat datus, quia IESVS nondum erat glorificatus:* non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profectò in sabbato primo, datur & in secundo; sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo. Verùm quia charitas diffunditur in cordibus, non aliàs, nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, vbique septenarius numerus custoditur: sed in ipsius septenarij multiplicatione profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritualis quædam sabbatizatio. Primò requies in puritate conscientiæ, deinde in multarum mentiũ dulcissima coniunctione, postremò in ipsius Dei contemplatione. In primo sabbato vacatur à crimine, in secundo à cupiditate, in tertio ab omni prorsus distensione. In primo mens colligitur ad se, in secundo extenditur extra se, in tertio rapitur supra se. In primo gustat, quàm dulcis est Iesvs in humanitate; in secundo videt, quàm perfectus in charitate; in tertio, quàm sublimis in deitate.

Annus iubilæus spiritualis quis.

Ioann. 7.

Cap. XIV. *Quomodo vtraque dilectio, sui videlicet & proximi, Dei dilectione seruetur.*

Lib. 3. c. 5.

Qvoniam, vt superius diximus, vtrũque amorem, quo vel nobis ipsis consulimus, vel quo proximis vnimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari, sciendum, quod ad hanc geminam dilectionem Dei nos dilectio mouet, & promouet; secundum id quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Si quidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quæ in duobus est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicui⁹, aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem, quia maximè voluptas ac delectatio carnis impellitur, sic eam facilè quilibet respuit vel euitat: si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritualibus oculis intueri Dominum maiestatis vsque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis felicibus labijs osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quã infirmis & miseris condescendens. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fœtentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaues quædam lachrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur. Porrò ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, vt illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filijs hominum, venustã faciem suam impijs præbuit cõspuendam; qua oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus & potestatibus, spinarũ asperitati submisit; qua semetipsum opprobrijs ac contumelijs addixit; qua crucem, clauos, lãceam, fel, acetum, patienter sustinuit, in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Considera, ô humana superbia, ô superba impatientia, quis sustinuit, quare sustinuit, quomodo sustinuit. Cogitentur rogo hæc, non scribantur. Quis est, cuius ad hunc mirabilem intuitum, statim ira non deferueat? quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenã charitatis, plenam tranquillitatis, Pater ignosce illis: non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? *Pater*, inquit, *ignosce illis.* Quid lenitatis, quid charitaits huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare, voluit & excusare. *Pater*, inquit, *ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt.* Putant legis præuaricatorem, putant diuinitatis præsumptorem, putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meam, non agnouerunt maiestatem meam. Ideo pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Igitur vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrũpat; vt vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatem dominicæ carnis extendat. Porrò vt perfectiùs ac suauiùs in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiã inimicos brachijs veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarum flatu tepescat, Domini ac saluatoris sui tranquillam patientiam, oculis mentis semper aspiciat.

Ioann. 1.

Sibi nocet, qui se peccato corrupit.

Luc. 2.

Charitas Christi diligendis inimicis incentiuum.

Isai. 53.

Luc. 23.

Cap. XV. *In quibus amorem Dei constare credendum sit.*

Devs in Euãgelio ait. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Non enim secundùm momentaneos affectus Dei æstimandus est amor; sed potiùs secundùm continuam ipsius voluntatis humanæ qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere; vt quælibet voluntas diuina præscribat, his voluntas humana consentiat; vt nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle, cognoscit, hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud, quàm amor; nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ voluntates, quàm boni vel mali amores. Sanè hæc voluntas secundùm duo quædam iudicanda est, passionem videlicet & actionem: si videlicet ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat; & ea quæ

Quid sit Deum amare.

iusserit, ferventer adimpleat. Ceterum, vt ait beatus Gregorius, nemo credat quidquid sibi mens sine operibus de Dei amore respondeat. Cuiuscumque ergo voluntas Dei voluntati concordat, eaque quæ Deus intulerit, sustinet patienter, & ea quæ iusserit exequitur ferventer, qui quantumcumq; potest insistit, vt Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, sobriè, & iustè, & piè viuendo, Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Eius enim est sententia, qui non mentitur. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Habet siquidem amor iste inchoationem suam, profectũ suum, perfectionem suam. Interest sanè, quantùm fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis, vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod elegit, in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra perversas dulcedines, discretio contra deceptiones, fortitudo contra persecutiones. Si quis autem in his tribus noscitur esse perfect⁹, non solùm feliciter, sed & suauiter amat. Sanè si non poterit affectuosus, sit tamen discretus, & fortis; & si non ad præsentem suauitatem, non minùs tamen ad futuram proficiet felicitatem.

Greg. ho. 30. in Euang.

Ioann. 14.

Dilectio debet esse affectuosa, discreta, & fortis.

CAP. XVI. *In quibus constet amor rectus, siue perversus.*

Spec. lib. 3. cap. 8. & 9.

Constat autem amor iste in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione, motus in desiderio & actu, fructus in fine. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet, sed qua ea, quæ eligit, ab his, quæ reprobat, viuaci circumspectione discernat. Denique rationis est, inter creatorem & creaturam, inter temporalia & æterna, inter amara & dulcia, inter aspera & delectabilia discernere: amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Nam si experiẽtiâ cuiuslibet delectationis illecta, vel certè quolibet errore decepta mens, ea, quibus minime fruendum est, eligat ad fruendũ, profectò infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione ac gaudio vti. Ipsam sanè electionem statim sequitur, vel etiam comitatur ipsius amoris motus occult⁹, excitans quodammodo & mouens animum in illius rei desiderium, quam eligendam putauit: at si eam rem, quam ad fruendum elegerit, electam desiderauerit, pro voto adeptus fuerit, in illius mox vsu cum gaudio ac delectatione quiescit, quem vsum fructum vocamus. In his igitur tribus charitas, siue cupiditas constare videtur: in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio, amoris siue boni, siue mali est inchoatio; motus amoris ipsius cursus; fructus amoris ipsius est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, si ad id sic moueatur vt debet, vel eo fruatur vt decet; & tam salubris electio, & tam cõpetens motus, & tam vtilis fructus, non immeritò charitatis censeri vocabulo iudicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu vero perficitur. At si animus eligat insipienter, per desiderium moueatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facile aduerti potest. Hi sũt duo fontes, bonorum scilicet & malorum origines, quandoquidem radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum charitas. Hoc sanè dicendum, quia non omne quod in vsum nostrum eligimus, diligere dicendum sum, sed solum id quod ad fruendum eligimus. Deus igitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam, atque promotio: in cuius adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. Patet igitur duo nobis eligenda ad diligendum, Deum scilicet & proximum, quanqam dissimiliter. Nam De⁹ diligendus, vt eo fruamur in seipso, & propter seipsum. Proximus, vt ipso fruamur in Deo, immo & Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc frui districtiùs soleat accipi, vt videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur, ad hominem tamen loquens Paulus, *Ita frater* inquit *ego te fruar in Domino.* Cũ igitur hæc duo ratio eligenda perspexerit, & ceteris omnibus horum cõtemplatione cõtemptis, mentis cõsensus elegerit, inchoata est profectò Dei proximiq; dilectio, quia in quod debet, fit ipsius amoris cõuersio.

Boni vel mali inchoatio electio est.

Proximis frui debemus in Deo.

Ad Philemon v. 20.

CAP. XVII. *Quòd ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quòd aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.*

Spec. lib. 3. cap. 10.

FIT autem motus amoris ad duo, vel interiùs ad desiderium, vel exteriùs ad actum: ad desiderium, cùm ad id quo fruendum iudicauerit animus, se motu quodam interno & appetitu extẽdit: ad actum, cùm mentem ad id etiam exteriùs agendum, amoris ipsius vis quædam occulta cõpellit. Proinde inuestigandum arbitror, quænã sint illa, quibus quasi incentiuis amor ipse ad hæc duo excitetur ac moueatur: quæque ei cursum suum ordinent quodam modo, atque præscribãt. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantùm sequi debeat; quid respuere, quid admittere, quid minuere, quid augere oporteat, vt ipse motus competens sit, subtiliùs inquirendum. Sunt autem duo, vt mihi videtur, quibus anim⁹ ad duo illa, quæ præmisimus, mouetur ac excitatur, idest affectus & ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantùm ratione amor noster vel exteriùs ad actum, vel in occultũ succenditur appetitum. Vt igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maximè sequendus sit, videamus, primò de bifaria motus ipsius origine, idest de affectu & ratione breuiter exequamur.

CAP. XVIII. *Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur, quòd spiritualis affectus dupliciter accipiatur, ostenditur.*

Spec. lib. 3 cap. 11.

EST igitur affectus spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem aut spiritualis est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certè carnalis. Spiritualis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spirituali quidem affectu animus excitatur, cùm occulta & quasi improuisa Spiritus sancti visitatione in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suauitatem mens cõpuncta resoluitur. Item spiritualis affectus dici potest, qui ex diaboli immissione generatur. Hoc affectu Amnon filius Dauid in propriæ sororis exarsit amplexus. Hoc quoque affectu ad quàm turpia constat illectos, dequibus Propheta, *Spiritus*, inquit, *fornicationis decepit eos.* Gemino enim tormento sanctorum pudicitiam immundissimus hostis insequitur: nunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissoluens.

Affectus est spontanea inclinatio ad aliquid.

Osea 4.

Spec. lib. 3 cap. 12. CAP. XIX. *De affectu rationali & irrationali.*

RAtionalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cùm oculis nostris cuiuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama diuulgante, vel certa lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus, qui nos audita triumphali martyrum passione suauissima deuotione compungit, ac memorabiles præcedentium act⁹ quasi sub oculis delectabili meditatione depingit. Huic affectui contrarius est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto eius vitio, quadam mentis inclinatione mouetur. Multi enim vel ob vanissimam philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, vel ob quali-bet nequitiam, aliquorum sibi illiciunt & inclinant affectum.

Spec. lib. 3 cap. 13. CAP. XX. *De affectu officiali.*

Officialem affectum dicimus, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Multi enim vel vtilitate munerum impensorum, vel obsequiorum exhibitione, quorundam sibi animos conciliarunt.

Lib. 3. c. 14. CAP. XXI. *De affectu naturali.*

NAturalis affectus inest cuilibet ad carnem suã, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. Nemo enim carnem suam odio habuit, &c. Non potest mater obliuisci infantis sui, & Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. *Ephes. 5. Isai. 49. 1. Timo. 5.*

Lib. 3. c. 15. CAP. XXII. *De affectu carnali dupliciter accipiendo.*

CArnalis affectus duplex est. Plerumque enim non quidem virtus aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat. Facilè quippe alicuius & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, prouocat & perstringit affectũ. Hęc adeo in Moyse puero gratia relucebat, vt contra Pharaonis imperiũ, à parentibus tribus mensib⁹ seruaretur, vt ait Apostolus, ꝙ vidissent elegantẽ infantem. Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharaonis. Porrò quem ad noxiam voluptatem in quamlibet speciem suauitas male blanda compungit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic carnalis affectus ambulantem in solario domus suæ David, ad speciẽ Bethsabee præuenit incautum, præuẽtum dissoluit, obruit dissolutum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum, in spiritualis fornicationis barathrum, nefandissima idolorum cultura deiecit. *Hebr. 11. Exod. 2. Exempla carnalis affectus. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11.*

Lib. 3. c. 16. CAP. XXIII. *Quid de his affectibus sentiendum sit.*

Hi affectus interim meditanti occurrunt; quos amoris origines quasdam dixerim, siue radices, nõ amorem. Non enim his affectibus excitari vel pulsari valde laudabile existimam⁹, si boni sunt; nec exitiabile, si mali. Nam etiam carnali affectu, qui cæteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed his affectibus informari, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animũ, aut visitatio in bonis est, aut tentatio in malis: quando secundùm hos affectus disponitur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut manifesta. Occulta, cùm ex cõsensu desiderij agitatur interiùs: manifesta, cùm ipsum desiderium ad actum prorumpit exteriùs. Vtrùm autem secundùm hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantùm moueri debeat, inuestigare conabimur: si tamen priùs de ratione, quam aliam amoris causam diximus, pauca præmiserimus.

CAP. XXIV. *Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moueatur.* *Lib. 3. c. 17. & 18.*

NAM animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus mouet affectus, plerumque mouet ratio, tanto vtique sacratius, quanto securius, quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationali amore nihil vtilius potest esse vel puri⁹. Suadet ergo ratio primo, vt à rationali creatura creator ametur, sine quo necesse est eã semper miseram esse: cum quo non potest nisi beatissima semper esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, & Dei desiderium sese excitauerit, prosequitur statim ratio negotium suum, necessarium probans, illius præceptis adimplendis grauiter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. Sic innatum internis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actũ. Quia vero inter Dei præcepta id maximum inuenitur, vt proximus diligatur; instat ratio, vt ad beneficium proximo impendendum animus moueatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit; non inimicus, quia nõ nocet, nec nocuit; inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratia; non inimicus, ex innocentia; inimicus, ex iniuria. Igitur vt amico se impendat homo, tria quædam proponit ratio; vt non inimico, duo; vt inimico, vnum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia inimicus est; ex præcepto, quia proximus est. Non inimico vero, ex natura, quia homo est; ex præcepto, quia proximus est. Inimico, tantum ex præcepto, quia vt inimicus diligatur, præceptum Domini est. His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficiũ impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese parauerit, etsi non sentiat affectũ charitatis, tamen meritum non amittet. Distinguendi igitur sunt duo amores isti, alter ex affectu, alter ex ratione. Qua distinctione id quoque soluitur, ꝙ quærũt quidam, quid videlicet distet inter amorem qui in Deo est, & illum qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur; iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si verò is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectione pariter assumitur, amorque ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat; huius vtique amor non primò propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei, quem affectus iste respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos, vt oportet, exhibuerimus, ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit, impenderimus, iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. *Matth. 22. Cur quilibet homo diligi debeat. Matth. 5. Amor alter ex affectu, alter ex ratione.*

Igitur amicus, qui non potest non diligi, diligatur in Deo: inimicus, qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione.

Spec. lib. 3. cap. 19.

CAP. XXV. *Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi.*

DIcendum adhuc de his affectibus, quia nequaquam in nostro arbitrio collocantur, cùm quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam etiā si velimus, experiri valeamus. Proinde nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

Spec. lib. 3. cap. 20.

CAP. XXVI. *Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.*

EST igitur amor ex affectu, cum affectui animus consenserit: ex ratione, cum se voluntas rationi coniunxerit; potest & tertius amor ex his duob⁹ confici, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus, & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secund⁹ durus, sed fructuosus; tertius vtriusque prærogativa perfectus. Ad primum sensus ex parte dulcedinis illicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic vltimus à primo, quia licet illo, & quod amandum est, aliquando ametur; magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur. Hoc autē amatur, non quia dulce est: sed quia amore dignum, ideo dulce est.

Spec. lib. 3. cap. 21.

CAP. XXVII. *Quid sit amare.*

IGITUR ex his omnibus, quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris, breuiter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat, quo ad desideratū peruenire valuerit; hic sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruētius, instantiusque peregerit, tanto magis & diligit. Quod si ex affectu id fecerit, dulcius vtrique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc, quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione: minus qnidem dulce diligit, sed non tardius quod desiderat obtinebit.

Spec. lib. 3 cap. 21.

CAP. XXVIII. *In dilectione proximi quæ sit habenda discretio.*

SI igitur proximum, ad ipsius fruct⁹ societatem, quæ in Deo est, elegerimns, sana est ista electio. Sed hanc electionem si desideriū turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Porro si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oportet, eligat ad fruendum, & illa, quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit, cupiditatis, non caritatis censendus vocabulo. Sed quicquid aliud mens ad fruendum, præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit; metas veræ dilectionis excedit. Sit ergo electio sana, desideriū competens, actus rationalis; & sic non excedet limitem charitatis. Sanè desiderium ipsum ad duo debet extendi, & actus nihilominus dupliciter exerceri Debet quippe desideriū ad hoc esse, vt sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo: & vt Deo inuicem fruamur in ipso. Quia homo ex corpore constat & anima, actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quātò quisque feruētior & prudentior, tantò vtique & in charitate perfectior: quanto autē affectuosior; tanto charitas ipsa constat esse suauior. Sicut autem ad hęc aliquado, vt diximus, affectus, aliquando mouet ratio; ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti cōsideratione opus est, vt de ipsis affectib⁹ quis sequendus sit, & inquantum sequendus sit, videamus.

Proximus in Deo diligendus.

Spec. lib. 3 cap. 13.

CAP. XXIX. *Qui affectus admittendi non sint, & qui sequendi.*

IGITUR spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationabilis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitiū; tres isti affectus non solùm non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt: imò, quātùm fieri potest, à cordibus nostris eruendi. Porrò spiritalis affectus, qui ex Deo est, non solùm admittendus, sed & omnibus modis excitand⁹ est, & augendus Habet autem hoc affectus iste proprium, vt plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas affectiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatū, solum id meditetur, quod appetit; despiciat quidquid extrà est: etiam quod graue, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris injurias, præ interni amoris delectatione non sentiat. Proinde vt voluntas jugi feruore calescat, vt illatas extrinsec⁹ passiones patienter quis, imò gaudenter sustineat, vsque ad ipsius desiderij motum, affectus huius est impetus perferendus; ad voluntarios verò actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coërcendus Neque enim timēda est in interiori sanctitate nimietas, exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est, *Noli esse nimis iustus*, rationis est moderamine temperanda. Semper enim in actu ratio consulenda est, non sequendus affectus.

Proprium affectus qui ex Deo est.

Eccle. 7.

Spec. lib. 3. cap. 24.

CAP. XXX. *Inquantum rationalis affectus sequendus sit.*

Rationalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, cæteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium, est ipse amor virtutis. Denique huic cōsentire affectui vtilissimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu faciliùs excitatur; tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium. Nihil enim obest, imò & prodest plurimum, si eius desideremus præsentiam, cuius exemplo corrigamur, si mali sumus; si boni, promoueamur; si æquè perfecti, mutua collatione firmemur. Est autem præsentia sanctorum temporalis & ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis; ad quā tendimus, non terrarum spatia peragrando, sed sanctè, & iustè, & piè viuendo.

Amor virtutis index est virtutis.

Spec. lib. 3. cap. 25.

CAP. XXXI. *Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus.*

Sequitur officialis affectus, cæteris, qui admittendi sunt, periculosior. Siquidem admittendus est, sed permaximè cauendus. Admittendus, ne sis ingratus officio: cauendus, ne non tam homini impertiatur, quam vitio. Quid enim cauendum magis, quam ne delinitus obsequijs, vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitioso? Proinde, quamvis in muneribus vel obsequijs suscipiendis, magna sit habenda discretio, hoc attendendum, vt ipsius personæ dignitas

diligentius inspiciatur, vt si fortè eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem; & quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiat, quia virtutibus adornatus. Ipsa sanè obsequiorum, vel munerum redibitio, secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sed & desiderium, quo amati præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectum. Ipse quoque affectus, qui hominem, sine alterius causæ respectu, sponte complectitur, per omnia temperandus.

Spec. lib. 3. cap. 26.

CAP. XXXII. *Quis modus in naturali sit servandus affectu.*

IAM nunc in naturali affectu quis modus servandus sit, diligentiùs inquiramus. Hunc sanè affectum, sicut non admittere impossibile est, ita non sequi, summæ virtutis est. Semper etenim affectus iste mollia suggerit, & suauia: quod jocundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur: quod verò arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit, & euitat. Quocirca huius affectus exequutio, amor peruersus est. Hic amor Saluatoris auctoritate interdicitur, cum dicit. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* Proinde, vt ait sanctus ille. *Si malè amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti.* Qui eam amat secundum affectum, vtique odit: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui verò odit secundum affectum, secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit, *In hoc mundo*, quia quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Qui itaque animam suam secundum affectum amat in hoc mundo, amat quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Distinguendi sunt ergo illi amores, de quibus superiùs loquuti sumus, alter secundùm affectum, alter secundùm rationem. Naturale quidem est, quòd homo erga se & suos affectum habet; sed amorem secundùm affectum habere non debet, secundùm rationem verò habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit* Amor autem secundum affectum, ipsius Saluatoris voce interdicitur, qui ait; *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Amor secundùm rationem indicitur, cum idem Apostolus dicit. *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Amor secundùm affectum arguitur, cum futura mala prænuncians idem Paulus, ait inter cætera, *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quàm Dei.* Hic itaque modus in naturali seruetur affectu, vt habeatur quidem, & sentiatur, sed in omnibus, & per omnia, rationis moderamine temperetur.

Naturalis affectus mollia semper suggerit.

Ioan. 12.

Augu. trac. 51. in Ioan.

Ephes. 5.

Luc. 14.

1. Timo. 5.

2. Timot. 3.

Spec. lib. 3. c. 27 & 28.

CAP. XXXIII. *De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plenè sit admittendus.*

Carnalis affectus, quem parturit quidam exterioris hominis ornatus, nec omnino respuend⁹ est, nec ita vt se profuderit, admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia, & nisi prudentiùs iste caueatur, ille sine sensu penè patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspensè & temperatè quodam modo admittatur; vt videlicet si virt⁹ in eo claruerit, faciliùs amplectatur; si verò vitium, correctioni eius vehementer insistatur. Sicut enim in suauiloquio non est falsitas admittenda, sicut in duro rusticoque sermone non est veritas aspernenda; simili modo nec in homine exteriùs ornato vitium placeat, nec in homine duro & austero virtus displiceat. Quidquid enim de officiali affectu diximus, de carnali quoque sentiendum arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitijs appetuntur, consultè affectus iste respuitur, à quibus rarissimè sine vitij titillatione sentitur. Proinde cùm affectus noster, quamquam rationalis, vel etiam spiritalis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese prodiderit; consultissimum est, vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere: nisi fortè ob id aliquando maturè ac tẽperatè progrediatur, vt virtus amata & laudata feruentiùs exerceatur

CAP. XXXIV. *Quòd diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur.*

Spec. lib. 3. cap. 19.

Dicendum adhuc de his affectibus, quòd plures aliquando in vna mente compugnent, ac quodãmodo inuicem se expugnare contendant. Quod cùm contigerit, magna discretione opus est, vt quis cui præponendus sit agnoscatur, virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham propriũ filium immolare iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit; sed cùm naturalis quo filium, spiritalis, quo Deũ amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit: imò ob superiorem inferiorem contempsit. Ipse etiam Apostolus, cùm ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis secundùm carnem*, vt eos, proposita mirabili charitate sua, traheret ad salutem, affectum quidem, quem sentiebat, prodidit, consilium non expressit. Verum vtique dixit, quia quod affectu sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari, verum nihilominus dixisset, quia rationis consiliũ prodidisset. Saluator etiã noster cùm ex affectu naturali, quo nemo vmquam carnem suam odio habuit, proclamasset, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*; spiritali, quo Patri semper inhæsit, rationis eum sub iure submisit; *Veruntamen*, inquiens, *non sicut ego volo.* Ipse itaque ex affectu, quem à nobis, & pro nobis, voluntariè suscepit, vt transiret hora passionis, optauit: sed ex consilio rationis ipse, ne transiret, effecit. Proinde his affectibus hæc ratio seruanda est, vt is quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur: deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

Rom. 9. Affectus naturalis, & rationalis in Paulo contrarij.

Matth. 26.

CAP. XXXV. *De vtilitate horum affectuum.*

Spec. lib. 3. cap. 30.

His itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis quærenda sit vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium, quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur, vt ipsum amorem ipsorum affectuum infusa dulcedine, suauiùs ac perinde diligentiùs teneamus: vt actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quantò affectuosiùs, tantò delectabiliùs, quantò autem delectabiliùs, tantò feruen-

tiùs exerceamus. Ipsum sanè desiderium, etsi secundùm affectum excitari habet, rarissimè tamen ipsum affectum sequi debet. Similiter ad bonorum operum exercitia affectu excitari, & in ipsis operibus ex affectu teneri, vtilissimum est: sed ipsa opera secundùm affectum ordinari, præter ordinem est. Nam ipsum desiderium secundum rationem vniforme est; quod in eo tantùm amore, qui ex affectu est, sentitur: in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

Spec. lib. 3. cap 39.

CAP. XXXVI. *De vsu amoris.*

In quo consist charitas

Patet ex præmissis, in hoc constare charitatem, si mens ad fruẽdum eligat quod oportet; moueatur, vt decet; competenter vtatur. De electione & motu satis ad præsens egimus: sed de vsu adhuc aliquid dicamus. Si ergo electio sana, motus integer fuerit, numquid vsus peruersus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, & motus variari potest, & æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, & competenti motu, eius, quem ad fruendum elegit, præsentiam comparare, in ipso tamen fructu, & intentionem mutare, & variare motum, & modum excedere. Verùm quia in diuersis gradibus, meritisque diuersis proximi ordinantur, dicendum sanè est, vtrum omnibus, vel certè aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo inuicẽ in hac vita frui possumus; sicut Paul⁹ fruitus est Philemone: & est fructus ætern⁹, quo inucem fruemur in cælo, sicut se fruuntur Angeli pura mentium vnitate. Proinde cùm frui sit cũ gaudio ac delectatione vti, manifestum arbitror, in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Nam, vt mihi videtur, vti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, magistris ad eruditionem, senioribus ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem: solis autem his, quos suaui quodam affectu complectimur, de quocumque modo horum genere sint, ad vitæ dulcedinem, ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est cum gaudio ac delectatione vti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem, & motum, qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest; quantum verò ad fructum, à paucis, vel certè à nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, à quibus omne hominum genus non solùm rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur. Denique ipsi Deo, à multis, & electione, & motu charitas exhibetur; quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita conceditur, sed post hanc vitam in ejus beatissima visione seruatur. Nam & hi, quibus in contemplationis lumine, compunctionis dulcedine, quidam huius dilectionis fructus inchoatur, si ad futura gaudia spectes, non ipsi Deo frui dicendi sunt, sed potius vti. Nam illius dulcedinis suauissimum gustum, non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis, plerisque largiri satis manifestum est. Porrò non modicum huius vitæ solatium est, habere cui affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris vniri possis amplexu; habere in quo requiescat spiritus tuus; cui se refundat animus tuus; ad cuius grata colloquia, quasi ad cõsolatoria quædam carmina, inter tristia quæque confugias; ad cuius amicitiæ gratissimum sinum, inter tot sæculi scandala securus accedas; cuius amantissimo pectori, ac si tibi ipsi, omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cujus spiritualib⁹ osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis languores tumultuantium curarum exsudes: qui tibi collacrymetur in anxijs, collætetur in prosperis, tecum quærat in dubijs; quem in secretarium tuæ mentis inducas, vt licet absens corpore, spiritu tamen præsens sit; vbi solus cum solo tanto dulcius, quanto secretius fabuleris; solus cum solo conferas, ac interfluente Spiritus sancti dulcedine, solus cum solo repauses; imò ita te ei adiungas & applices, & animum animo misceas, vt de pluribus vnum fiat. His igitur in præsenti frui possumus, quos non solùm ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus: inter quos his maximè, qui nobis spiritualis amicitiæ gratissimo fœdere cęteris familiariùs arctiusque iunguntur. Cuius charitatis sacratissimus gustus, ne cui improbãdus videatur, ipse IESVS noster, per omnia nobis condescendens; vni, non omnibus, suauissimi pectoris sui reclinatorium, in signum præcipuæ dilectionis indulsit: vt virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cœlestis odorifera secreta, fragantiam spiritualium vnguentorum virgineis affectibus, quantò viciniùs, tantò copiosiùs instillarent. Hinc est, quod licet à pijssimo magistro discipuli omnes summæ charitatis dulcedine fouerentur; huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogativa concessit, vt diceretur discipulus ille, quem amabat IESVS.

Ad Philemon. v. 20.

Quid sit frui & quibus fruendũ.

Spirituale fœdus quàm vtile.

Ioann. 13.

CAP. XXXVII. *Quomodo inuicem frui debeamus.*

Lib. 3 c 40.

Qui igitur amico frui dulce habet, videat, vt fruatur in Domino, non in sæculo; non in carnis voluptate, sed in spiritus iucunditate. Sed quæris, quid sit frui in Domino. Dicit de Domino Apostolus Paulus. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Cùm igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, & iustitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in iustitia. Sapientiã vanitas sæcularis excluditur, sanctificatione spurcitia carnis absciditur, iustitia assentatio omnis, adulatioque compescitur. Tunc enim charitas est, si fit, vt ait Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Purum cor suscipit sapientia, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat iustitiam. Sunt, qui se fruuntur in vanis & ludicris, in sæculi pompis & mundi spectaculis, in studio vanitatis, & gaudio falsitatis. Hi non se fruvntur in sapientia; ac proinde non in illo, qui Dei virtus est; & Dei sapientia. Alij, quibus penè de homine nihil est, quos obscœna turpitudo transformavit in bestias; qui se in luxuriosis conuiuijs, & immundis fruvntur desiderijs; qui se non in sanctificatione, quæ in castitatis suavitate consistit, fruvntur, vtique in Dño qui factus est nobis à Deo sanctificatio non fruvntur. At hi qui se assentatoriè fruũtur, inuicem palpantes, inuicem consentientes; qui dum altervtram cavent offensionem, mutuam incurrũt pernitiem; quia non se in libertate fruuntur iustitiæ, in Domino non fruuntur. Fruamur itaque inuicem in sanctificatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere, id est proprium corpus in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. Fruamur in iustitia, vt in spiritu libertatis mutuò cohortemur, mutuo corripiamus: sciẽtes

Quid sit frui proximo in Domino.

1. Cor. 1.

Qui malè se fruantur.

quia meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta inimici oscula. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de Scripturis, nunc de miserijs huius vitæ congemiscamus, nunc in spe futurorum bonorum cõgaudeamus, nunc mutui secreti reuelatione recreemur, nunc simul ad illam beatam visionem Iesu, ac bona cælestia suspiremus. Si verò, quod nonnunquam vtile est, tensum animum ad inferiora quædam ac iocunda laxemus, sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua leuitatis: & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione.

Spec. lib. 3. cap. 31. CAP. XXXVIII. *Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, proximisque consulere.*

Restat, vt de actib⁹ nostris, quibus vel specialiter ad Deũ tendimus, vel nostræ necessitati, vel proximorum necessitati simul & saluti consulimus, quemadmodum secundùm rationem ordinandi sint, pro posse nostro breuiter dicamus. Videtur Apostolus omnem perfectæ vitæ statũ paucis insinuasse, *Sobriè*, inquiens, *& iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* (Tit. 2.) Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & viâ regiâ inter dextram & sinistram cursum nostrũ deducens. Cùm enim ille ad quẽ summè tendimus, summus quidam modus sit, cui nihil deest, nihil superfluit, nihil deficit: ad quem cùm peruenerim⁹, nihil erit exteriùs ꝙ appetamus, nihil inferiùs, ꝙ fastidiamus: necesse profectò est, vt nosmetipsos in quadam mensura modoq; seruemus; nec infrà quàm necesse est, dilabamur, nec suprà quàm oportet, pestifera præsumptione feramur. Iustitiã sanè ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati siue saluti consulentes, & in ipsis beneficijs quid cui conveniat, quis cui præferendus sit, discernentes, quod iustum est, cuique tribuimus. (*Apostolus quid per iustitiam intelligat.*) His autem duabus virtutibus sobrietatis & iustitiæ, ne de his Philosophi, vel quilibet à Christi fide alieni glorientur, consultissimè addidit pietatem, quæ in fide sincera, & pura intentione consistit. Porrò ipsa intentio in amoris electione, de qua iam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse lector exiget, vt vivendi modum vnicuique præscribamus Quod quàm sit arduum, difficileque tractatu, quis nõ videat; cùm tot sint hominum qualitates, quot homines: nec saltem duo inueniantur, quibus cuncta æquè cõueniant? Nam quod vni satis est, hoc alteri parum est: quo iste proficit, ille deficit: & ꝙ alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. (*Quod vni necessariũ, alteri sæpe superfluum est.*) Dicendum tamen aliquid videtur, quod conueniat omnib⁹, quod quisq; sibi possit aptare; & vtrum viuendi modum excedat, districta possit ratione conijcere.

Spec. lib. 3. cap. 32. CAP. XXXIX. *De tribus ordinibus humanæ conuersationis, & primò de naturali ordine.*

Igitur tres ordines humanæ conuersationis occurrunt; primus naturalis, secundus necessarius, tertius volũtarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Est autem ordo naturalis, vt qui nulla commisit illicita, si velit ipse, licitis vtatur, licitè tamen. Est autem licitus verbi gratia, esus carnium, vini potus, vsus coniugij, diuitiarũ possessio. Modum sanè quemdam seruandum omnibus, nec à quolibet pacto quolibet excedendũ, Saluator ipse præscribit, dicens. *Videte, ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* (Luc. 21.) In vsu igitur cibi & potus hic modus seruandus est, vt in eorum perceptione, infra crapulam & ebrietatem, se quisq; contineat. In vsu cæterorum, quibus licitè vtũtur homines, quis modus seruandus sit, diligens inquisitor per se inueniet. Iam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

CAP. XL. *De necessario ordine.* (Spec. lib. 3. cap. 33.)

Est quippe ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu licitorum sese restringat. In qua restrictione duo consideranda sunt, modus scilicet satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfactionis, vt secundùm modum culpæ rigor continentiæ extendatur: quaten⁹ secundũ Baptistæ vocẽ, dignos pœnitentiæ fructus faciamus. (Matth. 3.) Verùm nõ satisfactionis modus tantùm seruandus est, sed etiã purgationis necessitas perquirẽda. Nec pro sola satisfactione à licitis abstinendum: sed etiam pro expellendis, vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescũt, sic sæpe ab laboriosis operibus insistendum. (*A licitis duabus de causis sæpe abstinendum.*) Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsã inficiunt animam, faciliùs absciduntur, & interiores faciei sordes, quasi confectione quadã asperiore pleniùs diluũtur. Proinde suæ purgationis solicito primò necesse est, vt passiones, quibus impugnatur, attendat: deinde quæ sint, quibus maximè fatigatur inspiciat; postremò quæ instrumenta quibus passionibus magis obuient, sagaciter perquirat. Quibus inspectis congruum instrumẽtum cuilibet passioni obijciat; & quę magis impugnat, feruẽtiori instantia, vt ipsa obruatur, instat. Deniq; passionem libidinis facilè comprimit ventris restrictio, vagum cor & instabile vigiliarum confirmat afflictio, iram silentium mitigat, tædium mentis operis solicitudo castigat. Nec sic tamen vnius passionis extinctioni tota vehementia insistendum est, vt ad cetera comprimenda instrumendum corporale deficiat nec importuniùs laborandum est, vt non quęlibet passio sentiatur: sed cùm surrexerit, vt secundùm rationis iudicium compescatur.

CAP. XLI. *De ordine voluntario, & quis in eo seruandus sit modus.* (Specul. lib. 3. cap. 33.)

Sequitur ordo voluntarius, à nobis deinceps inspiciendus, de quo Psalmista. *Voluntariè* inquit *sacrificabo tibi.* (Psalm. 53.) Est quippe holocaustum gratuitũ, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cũ quis ab his, quæ concessa sunt, per ea, quæ præcepta sunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus proposita sunt, spiritus libertate conscendit. (*Consiliorum obseruatio holocaustum est gratuitũ.*) Ad quod perfectionis culmen feruentiores quosque Saluator inuitans, *Si vis* inquit *perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* (Matt. 19.) Et alias. *Sunt spadones* inquit *qui se castrauerunt propter regnum cælorum Qui potest capere, capiat.* (Ibidem.) Itaque sæculi abrenunciatio, castitatis propositum, cuiuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Absit enim vt ista vitæ perfectio, quam voluntariè subijt quis, non coactus; inter necessaria & coactitia, & nõ potius inter voluntaria numeretur: cùm & ipsa necessitas, quam inuito nullus imposuit, sed cui ipse se, desiderio perfectionis, sponte subiecit, voluntariè dicẽda sit, non coactitia. Qui igitur ad hæc excelsa & sublimia sese contulerit, primo voti vel propo-

siti sui normam, in quibus & in quantis constet, diligenter inspiciat; deinde interioris hominis vires, experientiæ libra trutinet & discernat. Vires dico interiores, quibus tentationũ bella, exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autẽ in quẽlibet statum proficienti necessarius sit & interioris, & exterioris hominis labor: ei tamen, quem adhuc carnis passiones impugnãt, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare; ipsa autem spiritalia instantius, & feruentius exercere Nec sic tamen, vt professionis suæ normam præsumptuosus excedat; nec temporum distinctiones, quæ in regula, cui se subdidit, præscribuntur, destruat vel confundat; sed seruato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius, vel feruentius, sicut vtile sibi norit exerceat.

Exterioris hominis afflictio cui necessaria magis.

Cap. XLII. *Item modus in ipsis exercitiis describitur.*

Hunc sanè modum in ipsis exercitijs, quemlibet servare vtile est, quatenus sic se in vno habeat, vt in cæteris non deficiat: illud tamen, in quo se magis proficere sentit, majori fervore exerceat. Habeo ad manuum de hac re cuiusdam verba sapientis. *Meditatio*, inquit, *in moribus primo considerat quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto, & ea primum agenda judicat, quæ sic facta habent meritum, vt non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc, si quid voluntariè superadditur, sic faciendum est, vt debitum non impediatur.* Alij volunt quod non debent, qui non valent id quod debent: alij & si valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debẽt. Item duo mala in bona actione præcipuè cavẽda sunt, afflictio scilicet & occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur, per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet, per impatientiam vritur. Occupatio quando in his, quæ valet, agendis, per intemperantiam agitatur. Ne igitur malè amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat, ne autem malè occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

Cap. XLIII. *Quid homo proximo suo debeat, ostenditur.* Lib. 3. c. 37.

Hæc de modo, in singulis servando gradibus, dicta sint: quo ad eum, qui summè diligendus est, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum, æque vt ipsi, à nobis diligi diuina tradit auctoritas, primò necesse est, vt, cui quis ordo conueniat, nos minime lateat: deinde summopere elaborandũ, ne quis in quolibet ordine præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdã coësse manifestum est, cum à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sane correptio siue compulsio, secundũ qualitatem singulorum temperetur; vt in suggestione subiectio, & in correptione dilectio, & in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitimè cõuersatur, vt ad superiora conscendat, moneri potest, cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet, ad artiora vero compelli, eius inconsulta voluntate, non debet.

Cap. XLIV. *Quomodo sibi & proximo exhibenda sit dilectio.*

Scriptura ait. *Diliges proximum tuum sicut teipsũ.* Lib. 3. c. 27. Matth. 22.
Consultè non ait, Diliges proximum tuum, quãtum teipsum, sed sicut teipsum. Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autẽ sua sibi exhibeatur dilectio, vt primò animæ suæ, quæ potior sui pars est, consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quòd si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi; etiam corporis patiatur interitum, dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nũquam recedat, & ad consulendum proximo securus accedat. Agat ergo cum proximo, quantum potest, vt & salv9 corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horũ negligit, profectò proximum, qui ex vtroque constat, non diligit. Nulla sanè ratione vel præcepto compellitur; suæ animæ perditione animæ fraternæ comparare salutem; nec sui corporis interitu fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipimur animas pro fratribus ponere, ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem, sed potiùs ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponere, ipsi vtique animæ consulere est. Sed & illud fortè laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis pro alterius corpore, suum corpus objiciat: vt autem non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ detrimentum sustineat, saluo veræ dilectionis ordine fieri non potest. *Quam enim dabit homo commutationẽ pro anima sua? Quid prodest ei, si vniuersum mundum lucretur, etiam ad salutem, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summe diligendus est, dilectione recedere. A Dei dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur; vel aliquid, sine quo nõ est salus, prætermittitur. Quicquid autem, præmissa ratione, fraternæ dilectioni adijcitur, totum profectò diuinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum, quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit seipsum, quando minus diligit Deum. Porrò seipsum qui diligit, cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum, qui non diligit nec seipsum? Nam & Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo, pro fratribus meis,* affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diuersa in vna mente suggerant affectus & ratio, superiùs satis ostendimus. Vnde Apostolus cum illud diceret, verum quidem dixit, quia affectũ, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari: verum nihilominus dixisset: quia rationis consilium prodidisset. Illud tamen quod ait, Optabam anathema esse à Christo, pro fratribus meis, sic quoque non inconuenienter potest intelligi, vt ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus IESV suauiter quiescebat: ab illa ineffabili contemplationis eminentia, qua cælestium mysteriorum secreta, purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctio-

Anima in dilectione corpori præferenda.

1. Ioan. 3.

Non est salus animæ prodigenda pro totius mũdi salute. Matth. 16.

Rom. 9.

compunctionis dulcedine, qua animam illa cælestia sitientem, spiritualium affectuum suauissimis stillulis perfundebat; ad mundi strepitum, ob fratrum salutem, optauerit euocari. Quam euocationem, à Christo separationē, ille non ambigit nominādam; qui pro modulo suo gustat & videt, quoniam dulcis est Dominus: quàm beatus ōnis qui sperat in eo. Porro qui sic à Christo separati, vel fraterna dilectione prouocat' elegit, vel superiorum auctoritate coactus consensit; prouidendum sibi est, ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas.

CAP. XLV. *De quibus dispensatio fieri possit.*

SVNT itaque media quædā, vtpote Lectio, Meditatio, Labor corporis, Ieiunium ventris, Suauitas orationis, ceteraque huiusmodi; quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquam etiam sunt prętermittenda: de quibus Apostolus, *Non quæ sua sunt*

Philip. 2. inquit *singuli quærentes, sed quæ aliorum.* Et item

1. Cor. 10. *Sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Verum quod de lectione, vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, imò de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute cōtemnendum, impendendum, variandumque perspexerit; pro salute quoque proximi, idipsum faciendum agnoscat. Hoc sane prouidendum, vt ipsa mutatio vel varitatio, dispensatio sit, nō omnimoda destructio. Cùm custodia charitatis, vitiorū emendatio, vt ipse beatus Benedictus insinuat, ipsius institutionis causa sit: sic profectò ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis, quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur; certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

CAP. XLVI. *De modo dispensationis.*

ERGO qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maximè propinquamus, imò qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit; quasi destinatum finem, quo

In charitate plenitudo perfectionis. cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat: deinde via, quam ei voti, vel professionis suæ norma præscribit, ad eius plenitudinē infatigabilis spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulētur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cuius causa instituta sunt, violari cognoscitur; tunc demum ei, cui dispensatio credita est, incumbit necessitas, vt sic omnia temperet ac disponat, quatenus non horum caussa charitas deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen vt aliqua eorum quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora, certis quibusque exercitijs attributa confundatur, nisi extrema cogat necessitas; alioquin non erit dispensatio, sed destructio: sed vt certis temporibus certa exercitia, pro cuiusque qualitate ac mentis statu, modificentur. Hoc est quod ipse Sanctus, cum de opere manuum legē

S. Bened. in Regula. poneret, *Sic* inquit *omnia temperet atque disponat quatenus animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant.* Et alias. *Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes* Nūquid dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes? Imo & *infirmis* inquit *& delicatis talis ars iniungatur; vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, ad quod etiam infirmos & delicatos compellit?

CAP. XLVII. *De optima lege claustralium.*

VT iumentū factus sum apud te. Vere vt iumentum *Psalm. 72.*
facti sumus, quocunque ducimur sine contradictione euntes: quodcūque imponitur, sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullum tempus. Est quidē cibus parcior, vestis asperior, pot' è fonte, somnus plerumque in codice. Quàm illud quoque mirandum, quod innumeris hominibus, vnius hominis voluntas est lex? Adeo vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta cura seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et quod miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit.

CAP. XLVIII. *Quare laborent aliqui sub iugo Christi.*

Inuitat nos Dominus ad requiem dicens, *Venite* *Spec. lib. 2.*
ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego *cap. 1.*
vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & *Matth. 11.*
cetera. Sane charitas est iugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Saluatoris inuitat clemētia: *& inuenietis* inquiens *requiē animabus vestris.* Verum quia plerique nostrum, qui videmur huic iugo supposuisse ceruices, in multis cōuincimur laborare, conemur ostendere cupiditatis iugum hunc parturire laborem. Radix enim omnium malorum cupiditas, sicut è diuerso radix omniū virtutum charitas. Proinde quamdiu in ipsis animæ præcordijs, radix hæc virulēta resederit, licet summatim quidem ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa euulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, vlterius non relinquatur.

CAP. XLIX. *Quòd labor exterior pro interioris qualitate formetur.*

Sanè labor iste, de quo causamur, non carnis sed *Lib. 2.*
cordis est; sicut & requies, de qua hic agim', cor- *cap. 2.*
dis cōstat esse, non carnis: quanquam exterior labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor vllus, si interior fuerit nullus. Verbi gratia attende venatores, vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores; si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosiùs? mentis qualitatem, quid delectabiliùs? Idipsum etiam in laudabilibus videre *Affectus laborem tollit aut minuit.*
facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior, cum in carcerem truderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrimè cæderentur! *Act. 5.*
& tamen ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quàm multis tunc sacrilegis similis pœna! sed quia dissimilis conscientia, illi vtrobique miseri, & interius & exterius laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant. His igitur diligenter inspectis, patet profectò nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem parturire laborem, sed radicem internis visceribus residentem, quicquid exteriùs accidit, pro sui conformare natura. Quid enim est, quod duobus ad eandem mēsam residentibus, eisdem appositis cibis, alter

exultat, murmurat alter? Quid quod eisdem exceptis vulneribus, alter tristitiæ languore deijcitur, alter mira jocunditate perfunditur? Duo simul orbitatis siue paupertatis infortunio feriuntur, & tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species vtriusq; ingeritur oculis, & vnus turpiter commovetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cuiuslibet, alter dominandi libidine inflammatur, alter aspernatur.

Spec. lib. 2. cap. 3.

CAP. L. *Quòd omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate; cupiditas omnia corrumpat sua perversitate.*

Nonne & in corporibus idipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vitijve qualitate, ea, quæ exteriùs accidunt, aut molesta experiantur aut grata? Nam cibus qui morbum auget alteriùs, alteriùs proficit sanitati, & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano jocundius illucescit. Sicut ergo in corporibus pro interioris naturæ modo, ea, quæ exteriùs adhibentur, aut salubria inveniuntur, aut noxia; ita perspicuum est ex interna mentis qualitate, huius requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suauissimum ac tranquillissimum Domini jugum, charitas videlicet perfecta possederit; in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundit: non sinens eam vllis rerum perturbationibus cõmoveri, sed ipsas rerum perturbationes, ad sui profectus vsum provenire cõpellens. At si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quãdiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies remissa mentitur; sed causa cuiuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorũpens, durissimis passionum morsibus miserã animã lacerat & cruentat; nullum pacis, nullius ei requiei tempus indulgens. Computrescat itaque iugum à facie olei, iugum scilicet cupiditatis à præsentia charitatis, & statim experitur, sarcina Christi quàm sit leuis, quàm suauis, quàm iocunda, quàm in cælum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas & radices sollicitè exquiramus; non affectu tepido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines, vehementiori desiderio penetrantes.

Spec. lib. 2. cap. 4.

CAP. LI. *Quòd à triplici concupiscentia omnis labor oriatur.*

Puto autem, quia si subtiliùs indagemus, quidquid nobis laboris oboritur, vel à carnis concupiscentia, vel oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdã venenosis fontib[9] deriuari, manifestissimè cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me cõtristat asperior, laborẽ mihi concupiscentia carnalis indicit: nec ideo laboro, quia iugum Christi suscepi; sed quia non plenè iugum cupiditatis abieci. Quòd si lautioris edulij inflammatus ardore, vilioris appositione conturbor, vel si solito minus vel si tardiùs, vel negligentiùs præparetur, murmurationis peste consumor: quis mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suauitas charitatis?

Lib. 2. cap. 24.

CAP. LII. *De Concupiscentia oculorum.*

Concupiscentiam oculorum curiositatem sancti Patres appellant: & eam non solùm ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimãt pertinere. Ad exteriorem curiositatem pertinet omnis superflua multitudo, quam amant oculi in varijs formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificijs, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsũ necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras expetunt oculorum, foras sequentes quod faciunt intus: relinquentes à quo facti sunt, & exterminãtes quod facti sunt. Inde etiam in claustris quorumdam monachorum grues & lepores, damulæ & cervi, picæ & corui; non quidem Antoniana vel Machariana instrumenta, sed muliebria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt.

CAP. LIII. *De interiori curiositate.*

Curiositas interior in tribus consistit, in appetitu scilicet noxiæ, vel inanis scientiæ: in peruestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad invidẽdum; si vana est; vel insultandũ, si mala; vel certè sola curiositate, tantùm vt sciatur, siue bona sit, siue mala: postremò in curiosa quadam sæculariũ rerum vel actuum agnitione. Ex quibus omnibus, mentib[9] captiuitatis non modicus labor innascitur. Inde est etiam, quòd cùm tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti, à nobis quodam modo exierimus, reuertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus; & cor plenum simulacris ad locum quietis ferentes, noctes ducimus insomnes, variaque negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur; exploratio scilicet suæ sanctitatis per miraculorum exhibitionem, quod est Deum tentare. Vnde, *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Circa tria versatur interior curiositas.

Deuter. 6.

CAP. LIV. *De quorumdam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.*

Spec. lib. 2. cap. 5.

Quorumdã falsa opinio.

Sed assiduis vigilijs corpus tabefacere, quotidianis laborib[9] carnem affligere, vilissimis cibis mẽbrorum labefactare vigorem, non solùm nõ modici laboris; sed & ei, quam tantopere niteris cõmendare, adeo charitati constat esse contrarium; vt totam mentis suauitatem euacuans, omni eam spirituali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorumdam opinio, qui spiritualem dulcedinem in carnis quodammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones interioris minuere sanctitatem. Cùm enim, inquiunt, caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est, suas inuicem cõmunicent passiones: ac sic impossibile, vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur; ita vt in illud gaudium spirituale, mœroris quadam anxietate deiectus, spiritus nullatenus valeat respirare. Acutè hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam! secundùm regulas Hippocratis gratia quæritur spiritualis. Sic nimirum, sic errant, qui Physicis argumẽtis magis, quàm præceptis Apostolicis innituntur. Ipsi[9] namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub vmbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis sub colore actitat sanctitatis. Sic enim faciliùs simplices quosque ab Apostolica paupertate, & Euangelica puritate cogitat exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gratiam in remissio

vita sibi æstiment affuturam. Planè hæc est sapiẽtia, non desursum descendens, sed prorsus terrena, animalis, diabolica. Hæc est prudentia verbi, sapientia carnis, quæ cùm suauitatem doceat carnis, crucem Christi euacuare contendit: in qua profectò quantùm ad carnem nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potiùs hãc delicatam doctrinam euertit, quam claui sacris inditi membris expugnant: quam lancea illa dulcibus impressa viscerib⁹ acumine salutari debellat. Ego prorsus contra sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit seruata discretio, quam tamen, non propria coniectura, sed exemplis maiorum capere oportet, ne fortè remissio & dissolutio sub colore se discretionis oppallient: sic, inquam carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potiùs sentio prouocare; adeo vt hæc duo semper æquari in hac dumtaxat vita existimem, exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. Quid enim? Fortè Deus huic divitijs & delicijs affluenti suæ consolationis dulcedinem impertit; quam à pauperculo suo pro se quotidie moriente rigida censura suspendit? Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, cõpatientissimo sentire vel credere. Sed si ego dico, potest forsitan dubitare: si autem Christus dicit, hæreticum est, non credere. Quid ergo, inquis? Tuæne sententiæ magis, quàm propriæ credam experientiæ? Et quid, si alius longè aliud se testatur expertum? Certè ille, quò magis affligitur, eò maiorem diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Planè cui vult miseretur.

1. Cor. 1.

Tribulationẽ consolatio comitatur.

CAP. LV. *Apostolica & prophetica auctoritate, præmissa sententia confutatur.*

Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur: qui quotidie pro Christo moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores; qui castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, qui non gratis panem suũ manducat, sed in fatigatione nocte & die operatur: cuius manus & sibi, & qui cum eo sunt, necessaria subministrant: qui denique in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, sub signis IESV acerrimus miles insudat: ille inquam hanc dirimat quæstionem, & vtrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, consolationem ei subtraxerit spiritualem, ostendat. Dicat ergo Paulus, vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis, quam Iouiniani videtur; nam cùm illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui majorem diuinæ dulcedinis consolationem, in carnis suauitate quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Siue ergo ieiunijs maceremur, siue afficiamur vigilijs, siue laboribus atteramur; benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Etsi lapidibus obruamur, etsi vinculis astringamur, etsi cædamur virgis, etsi carceris toleremus angustias; benedictus Deus, qui cõsolatur nos in omni tribulatione nostra. Fremat diabolus, sæuiat mundus, insectetur odijs, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam; benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus inquit, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. Et hic non his qui in diuitijs & delicijs, sed his qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et nihil quæstionis relinquens, adjecit. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quid manifestius? Hoc est planè, quod paulò ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones, & interiores consolationes. Denique Salomon, quibus diuina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat dicens. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo sunt Bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.* Apertè his verbis vinum illud, quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diem in cachinno, & fabulis expendentibus, sed his, qui amaro sunt animo, repromittit: siceramque illam, quæ de pomis nouis & veteribus, quæ in sponsi delicijs sponsa cõservat, conficitur; non epulantibus & potantibus, sed propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate & dolore laborantibus, pronunciat esse donandam. Bibant inquit, & obliviscantur egestatis suæ; laboris videlicet magnitudinem, diuina consolatione asserens minuendam. Cui sententiæ apertissimè concinit Psalmista. *Secundum multitudinem*, inquiens, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* O consolatio quæ infirmos sanat, debiles roborat, allevat desperatos! Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam cõsolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certè in propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens, *Renuit*, inquit, *consolari anima mea.* Quid ergo? Sine omni consolatione relictus es? Absit. *Memor fui Dei, & delectat⁹ sum* Nemo ergo arduam illam viam, quæ ducit ad vitam, exhorreat. Nemo remissionem, quam semel abiecit, timida infelicitate repetat, sed sicut ait noster legislator, sustinens non lassescat nec discedat, sciens, quia secũdum multitudinem laborum, quos tolerat pro Christo, consolationes eius lætificabunt animam illius. Verum gustata dulcedine spirituali, non statim otio dissoluaris: mox enim è latere spiritualis insurget Amalech, non armis, sed orationibus evincendus. Quoties enim in tentationibus animus plus nimio fatigatur, solicita orationum deuotione ad materna vbera IESV properandum, ex quorum abundantia lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cũ Apostolo. *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* Et, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

2. Cor. 1.

Ibidem

Prover. 31.

Psalm. 93.

Psalm. 76.

S. Bened. in Reg.

2. Cor. 1.

CAP. LVI. *Quomodo charitas & cupiditas in proficiente operentur.*

Hactenus hæc fortè non inutiliter præmisimus; quæ omnia si attentè, si diligenter, postremò si humiliter inspiciantur, erit ni fallor perfacile intueri, conversum quemlibet ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac levissimis quibusdam

mentis suæ motibus ad altiora sustolli: sed cupiditate deorsum premente, & omni, cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper vrgente, in ipso suo conatu nonnihil laborare; & quanto frutex peniciosa altiùs, in ipsis animæ recessibus, radices infixerit, tanto in earum auulsione major difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis, ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus, agrum suum, parva licet ex parte tribulis, ac spinis obsitum, tardiùs euacuat, & emundat; impiger autem ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupauerit, veprium densitatem citiùs eradicat, ac de sterili & infœcundo, pinguem reddit & vberem: sic nimirum abrenuncians quis mundo, si tardus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus extitit inquinatus, tardius in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem: at si feruens spiritu, si diligens ac sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritalium exercitiorum instrumentis, vitiorum germina ab agro cordis sui potenter euellat; in auras cōscientiæ purioris citiùs respirabit, ac iugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inueniet quia iugum Domini suaue est, & onus eius leue est.

Cap. LVIII. *Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaque iocunditas.*

Sicque probabit expertus, non modo nullius laboris, imo summæ esse iocunditatis, pudicitiæ suauitate perfundi; quanquam onerosum sit naturalia incentiua, immundaque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperātiæ cohibere. Similiter non solum iucondū, sed insuper gloriosum, cùm gulæ fuerit concupiscentia superata; non se seruum sui ventris, sed Dominum intueri: illa mira exultatione tripudians. *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abundare; vbique & in omnibus institutus sum, & esurire, & satiari, & abundare, & penuriam pati.* Philip. 4. Sed & amor carnis si fuerit perfectè sopitus, vel certè igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia non poterit mens eius afflictione turbari, cuius non potest dilectione dissolui. Suauitas ergo iugi Dominici, & leuitas oneris eius, in voluptatum contemptu consistit. Nemo ergo æstimet maiorem in vitijs, quam in virtutibus esse delectationem.



EIVSDEM BEATI AËLREDI

ABBATIS RIEVALLIS


OPVS DE SPIRITVALI AMICITIA.

Opusculi huius compendiū inter opera S. Augustini reperitur, tomo 4. adiuncta Erasmi censura, Authorem, quem ignorauit, affectasse Augustinum videri, ineptè existimantis: qui aliàs sæpe de similibus alienis libris, qui in opera Patrum irrepserunt, iudicium facit. Quid enim emolumēti inde sperassent noster Aelredus, aliique viri docti & pij? Lucubrationes alienas sibi tribuere potest quis, ad nomen sibi cōciliandum: Heretici quoque aliquando libros suos erroribus refertos Patribus affinxerunt: at à Catholicis piis, atque à fictione & mendacio abhorrentibus hoc alienum fuit. Errore itaque eorum, qui Patrum opera ediderunt, accidit, vt aliena illis admiscerentur. Sanè hoc Opusculum de Amicitia, *in manuscriptis passim nomen Aelredi Rieuallis Abbatis prafert: imò dialogus est, cuius interlocutores sunt ipse Aelredus, & Iuo ex Monachis eius vnus. Digestum est autē in tres libros, & quadruplo prolixius est, quàm apud Augustinum, apud quem cùm sit mutilum, non mirum, si minus gratum appareat. Quos autem carpit Erasmus flosculos sermonis* ita quod, pro inuicem, *& similes, non adeo deuenustant opus, vt non obtinuerit, sicut idem Erasmus fatetur, vt Augustini esse crederetur. Patres sæpe eloquentiam suam sprenerunt, & Scripturæ phrases nostræ versionis libenter vsurparunt, licet minus elegantes.*

PROLOGVS.


CVM adhuc puer essem in scholis, & sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores & vitia, quibus illa ætas periclitari solet, tota se mens mea dedit affectui, & deuouit amori: ita vt nihil mihi dulcius, nihil iocundius, nihil vtilius, quam amari & amare videretur. Itaque inter diuersos amores & amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc: & veræ amicitiæ legem ignorans, eius sæpe similitudine fallebatur. Tandem venit mihi in manus liber, quē de amicitia Tullius scripsit, qui statim mihi & sententiarum grauitate vtilis, & eloquentiæ suauitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiæ genus me viderem idoneum, gratulabar tamen quandam me amicitiæ formulā reperisse, ad quam amorum meorū & affectionū valerem reuocare discursus. Cum vero placuit bono domino meo corrigere deuium, elisum erigere, salubri contactu mundare leprosum; relicta spe seculi, ingressus sum monasterium: & statim legendis sacris literis operam dedi, cùm priùs nec ad ipsam earum superficiem oculus lippiens, & carnalib⁹ tenebris assuetus sufficeret. Igitur cùm sacra Scriptura dulcesceret, & parum illud scientiæ quod mihi mūdus tradiderat, earum comparatione vilesceret; occurrebant animo, quæ de amicitia in præfato libello legeram: & iam mirabar, quòd non mihi more solito sapiebant. Iam tunc enim nihil, quod non dulcissimi Iesu fuisset

melle mellitum, nihil quod non sanctarum scripturarum fuisset sale conditum, meum sibi ex toto rapiebat affectum. Et iterum atque iterum ea ipsa reuoluens, quærebam, si fortè possent Scripturarum authoritate fulciri. Cùm autem in Sanctorum literis de amicitia plura legissem, volens spiritualiter amare, nec valens, institui de spirituali amicitia scribere, & regulas mihi castæ sanctæque dilectionis præscribere. Opusculum igitur in tribus distinximus libellis; in primo quid sit amicitia, & quis eius fuerit ortus vel causa, commendantes: in secundo eius fructum excellentiamque proponentes: in tertio quomodo & inter quos possit vsque in finem indirupta seruari, prout potuimus, enodantes. In huius igitur lectione si quis profecerit, Deo gratias agat, & pro peccatis meis apud Christi misericordiam intercedat. Si quis autem superfluum aut inutile putat esse, quod scripsimus, parcat infelicitati meæ, quæ fluxū cogitationum mearum, hujus meditationis me compulit occupatione restringere.



LIBER PRIMVS.

De Ortu Amicitiæ.



AELREDVS. Ecce ego & tu, & spero quòd tertius inter nos Christus sit. Non est modò, qui obstrepat; non est, qui intercidat amica colloquia, gratæque huic solitudini nullius vox vel tumultus irrepit. Age nunc carissime, aperi pectus tuū, & amicis auribus quidquid placet instilla, nec ingratè accipiamus locū, tempus, & otium. Nā paulò ante in turba fratrum me residente, cùm omnes vndique circumstreperent, & alius quæreret, alius disputaret; & iste de Scripturis, ille de moribus, alter de vitijs, de virtutibus alter quæstiones ingererent, tu solus tacebas: & nunc caput erigens, parabas aliquid profere in medium: sed quasi vox in ipsis interciperetur faucibus, iterum demisso capite tacebas: nunc paruo interuallo secedens à nobis, & iterum rediens tristem vultum præferebas, quibus omnibus mihi dūtaxat dabatur intelligi, te ad proferendum tuæ mentis conceptum, & horrere multitudinem, & optare secretum. *Ivo*. Profectò ita est, & gratulor plurimùm, intelligens quod cura tibi est de puero tuo; cuius tibi mentē, mentisque propositum non alius quàm spiritus charitatis aperuit. Et vtinam hoc mihi tua concedat dignatio, vt quotiescunq; filios tuos,* qui hic sunt, visitaueris, vel semel mihi liceat, cæteris remotis tui habere copiam, & æstus pectoris mei sine perturbatione proferre. *Aelredus*. Faciam quidem, & libens. Delector enim plurimùm, quòd te pronū ad hæc vana & otiosa non video; sed semper aliquid vtile & profectui tuo necessarium proloqui. Loquere ergo securè, & cum amico omnes curas tuas cogitationesque commisce: vt vel discas aliquid vel doceas, des & accipias, profundas & haurias. *Ivo*. Ego quidem paratus sum, non docere, non dare, sed accipere; haurire, non profundere: sicut mihi ætas præscribit, imperitia cogit, hortatur professio. Sed ne in his tempus ad alia necessarium insipienter insumam, volo, me aliquid de spirituali amicitia doceas, videlicet quid sit, quid pariat vtilitatis, quod eius principium, quis finis: vtrum inter omnes esse possit, & si non inter omnes, inter quos: quomodo etiam possit indirupta seruari, & sine aliqua dissensionis molestia sancto fine concludi. *Ael*. Miror, cur à me hæc æstimas esse quærenda, cùm satis superque ab antiquissimis, excellentissimisque doctoribus de his omnibus constet esse tractatum: maximè cùm pueritiam tuam in huiusmodi studijs triueris, & Tullij Ciceronis librum de Amicitia legeris; vbi copiosissimè de omnibus quæ ad eam spectare videntur iucundo stilo disseruit, & quasdam vt ita dicam, leges in ea ac præcepta descripsit. *Ivo*. Non vsquequaque ipse mihi ignotus est liber, vtpote qui in eo aliquando plurimùm delectabar: sed ex quo mihi de sanctarum Scripturarum fauis aliquid cœpit emanare dulcedinis, & mellifluum Christi nomen sibi meum vendicauit affectum, quidquid sine cælestium literarum sale, ac dulcissimi illius nominis condimento, quamuis subtiliter & eloquēter disputatum legero, vel audiero, nec sapidum mihi potest esse, nec lucidum. Eapropter vel ea ipsa quæ dicta sunt, si tamē sunt cōsona rationi, vel certè alia, quæ disputationis istius poscit vtilitas, velim mihi scripturarum auctoritate probari: & quemadmodum ea ipsa, quam inter nos oportet esse, amicitia, & in Christo inchoëtur, & secundum Christum seruetur, & ad Christum finis eius & vtilitas referatur, plenius edoceri. Cōstat enim Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cùm eius principium finemque, Christum videlicet, penitus ignorauerit. *Ael*. Victus sum fateor, vt quasi meipsum nesciens, nec vires proprias metiens, de his non quidem te doceam, sed tecum potius conferam: cùm tu ipse viam vtrisque aperueris, lumenque illud splendidissimum, in ipsa inquisitionis nostræ ianua accenderis, quod nos non sinat errare per deuia: sed certo tramite ad certum finem propositæ quæstionis perducat. Quid enim sublimius de amicitia dici potest, quid verius, quid vtilius, quam quòd in Christo inchoari, & secundum Christum produci, & à Christo perfici debeat, probetur? Age nunc, & quid primum de amicitia videatur esse quærendum, edicito. *Ivo*. Primum quid sit Amicitia, arbitror differendum; ne videamur in inani pingere, si nesciamus quid sit illud, de quo debeat disputationis nostræ series, tenorque procedere. *Ael*. Nonne satis tibi est hinc, quod ait Tullius, Amicitia est rerum humanarum & diuinarum, cum beneuolentia & charitate consensio? *Ivo*. Si tibi sufficit ista definitio, mihi iudico satisfactum. *Ael*. Ergo quibuscunque fuerit de rebus humanis atque diuinis sententia eadem, eademque voluntas cum beneuolentia & charitate, ad amicitiæ perfectionem eos peruenisse fatebimur. *Ivo*. Quidni? Veruntamen charitatis vel beneuolentiæ nomine, quid Ethnicus ille significare voluerit, non video. *Ael*. Fortè nomine charitatis mentis affectum, beneuolentiæ verò operis expressit effectum. Nam ipsa in rebus humanis atque diuinis, mentibus vtriusque cara, id est sua-

* Videtur Ivo fuisse monachus nō Rieuallis, sed alterius monasterij Rieualli subditi.

Cicero veræ amicitiæ virtutem ignorauit.

Amicitiæ definitio ex Cicerone.

nis & pretiosa debet esse consensio: beneuola etiam & iucunda, in rebus exterioribus, operum exhibitio. *Ivo.* Fateor, placet mihi satis ista definitio, nisi & Ethnicis & Iudæis, iniquis insuper Christianis eam conuenire putarem. Quod autē vera amicitia inter eos, qui sine Christo sunt, esse non possit, mihi fateor esse persuasum. *Aelredus.* Satis nobis in consequentibus elucescet, vtrū definitio minus aliquid habeat, vel superabundet in aliquo: vt vel reprobetur à nobis, vel quasi sufficiens, & extrà nihil recipiens admittatur. Ex ipsa tamen definitione, quamuis fortè tibi minùs videatur esse perfecta, intelligere vtcūque poteris, quid sit amicitia. *Ivo.* Non sim tibi oneri, rogo te, si non ista sufficiant, nisi ipsius vocabuli rationem mihi enucleaueris. *Aelredus.* Geram tibi morem, si tamen parcas inscientiæ meæ, vt me non cogas docere, quod nescio. Ab amore, vt mihi videtur, amicus dicitur, ab amico amicitia. Est autem amor quidam animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit, & appetit ad fruendum: per quem & fruitur eo cū quadam interiori suavitate, amplectitur & conservat adeptum. Cuius affectus & motus in Speculo nostro, quod satis cognitum habes, quàm lucidè potuimus, ac diligenter, expressimus. Porrò amicus quasi amoris, vel, vt quibusdam placuit, ipsius animi custos dicitur; quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi mei oportet esse custodem, vt omnia eius secreta fideli silentio servet; quicquid in eo vitiosum viderit, pro viribus curet & toleret; cui & gaudenti congaudeat, & dolenti condoleat, & omnia sua esse sentiat, quæ amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, qua talis dilectionis ac dulcedinis fœdere ipsi animi copulantur, & efficiuntur vnum de pluribus. Vnde ipsam amicitiam non inter fortuita & caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi huius Philosophi collocarunt, quibus Salomon in Proverbijs consentire videtur, *Omni*, inquiens, *tempore diligit, qui amicus est;* manifestè declarans amicitiam æternam esse, si vera est; si autem esse desierit, nec veram fuisse, cum videretur existere. *Ivo.* Quid est igitur, quod inter amicissimos graves ortas inimicitias legimus? *Aelredus.* De his suo loco vberiùs, si Deus voluerit, disputabimus; hoc volo interim credas, numquam fuisse amicum, qui lędere potuit eū, quem in amicitia semel recepit; sed nec eum veræ amicitiæ gustasse delicias, qui vel læsus desijt diligere, quem semel amauit. Omni enim tempore diligit, qui amicus est; etsi arguatur, etsi lædatur, etsi tradatur flammis, etsi cruci affigatur, omni tempore diligit qui amicus est; & vt ait noster Hieronym⁹, Amicitia quæ desinere potest, numquam vera fuit. *Ivo.* Cùm tanta sit in amicitia vera perfectio, nō est mirum quod tam rari fuerint hi, quos veros amicos antiquitas commendavit. Vix enim, vt ait Tullius, tria vel quatuor amicorū paria, in tot retro sæculis fama concelebrat. Quod si nostris, id est Christianis temporibus, tanta est raritas amicorum, frustra, vt mihi videtur, in huius virtutis inquisitione desudo, quam me adepturum, eius mirabili sublimitate territus, iā penè despero. *Aelredus.* Magnarum rerum, vt ait quidam, ipse conatus magnus est. Vnde virtuosæ mentis est, sublimia semper & ardua meditari: vt vel adipiscatur optata, vel lucidius intelligat, & cognoscat optanda; cū non parum credendus sit profecisse, qui virtutis

Speculum Charitatis

Prouer. 17.

Quod amiquorum raria apud antiquos.

cognitione didicit, quam longè sit à virtute. Quamvis de nullius virtutis acquisitione desperandum sit Christiano, cui quotidie ex Euangelio vox divina resultat. *Petite & accipietis:* &c. Nec mirum si inter Ethnicos veræ virtutis rari fuerunt sectatores, qui virtutū largitorem Dñm nesciebant, de quo scriptum est, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* In cuius profectò fide, non dico tria vel quatuor, sed mille tibi proferam paria amicorum; qui quod illi de Pilade & Oreste pro magno miraculo dicunt vel fingunt, parati erant pro inuicem mori. Nonne, secundum Tullianam diffinitionem, veræ amicitiæ virtute pollebant; de quibus scriptum est, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia?* Quomodo non inter eos rerum diuinarum & humanarum, cum charitate & benevolentia fuit summa consensio, quibus cor erat vnum & anima vna? Quot martyres pro fratribus animas posuerunt! quot non pepercerunt expensis, non laboribus, non ipsius corporis cruciatibus! Credo te multotiens, non sine lacrymis, legisse puellam illam Antiochenam, pulcherrima cuiusdam militis fraude ereptam lupanarib⁹, ipsum postmodum socium habuisse martyrij, quem custodem pudicitiæ invenerat in lupanari. Multa tibi huius rei proferrem exempla, nisi & prolixitas prohiberet, & silentium nobis ipsa copia indixisset. Annunciavit enim Christus IESVS, & loquutus est, & multiplicati sunt super numerum. *Majorem*, inquit, *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* *Ivo.* Ergone inter amicitiam & charitatem nihil distare arbitrabimur? *Aelredus.* Imo plurimum Multo enim plures gremio charitatis, quam amicitiæ amplexibus recipiendos, divina sanxit auctoritas. Non enim amicos solum, sed & inimicos sinu dilectionis excipere, charitatis lege compellimur. Amicos autem illos solos dicimus, quibus cor nostrum, & quicquid in illo est, committere non formidamus; illis vicissim nobis, eadem fidei lege & securitate, constrictis. *Ivo.* Quàm multi sæculariter viuentes, & sibi in quibuslibet vitijs consentientes simili sibi fœdere copulantur, & præ cunctis mundi delitijs gratum, & dulce etiam talis amicitiæ vinculum experiuntur! Non sit tibi molestum inter tot amicitias, illā quam Spiritualem, ad differentiā aliarum credimus nominandam, quæ illis quodammodo involuitur & obscuratur, & illam quærentibus & desiderantibus occurrunt & obstrepūt, ab earum, vt ita dixerim cōmunione, secernere: vt illarum comparatione clariorem eam nobis, ac proinde optabiliorē faciens, ad eius nos acquisitionem vehementius excites & accendas. *Aelredus.* Falsò sibi præclarum amicitiæ nomen assumunt, inter quos est conuenientia vitiorum: quoniam qui non amat, amicus non est; non amat autem hominem, qui amat iniquitatem. Qui enim diligit iniquitatem non amat, sed odit animam suam; qui verò suā non diligit animam, vtique alterius amare non poterit. Vnde colligitur, eos amicitiæ falso nomine gloriari, falliq; eius similitudine, non veritate fulciri. Veruntamen cum in hac tali amicitia, quam vel libido commaculat, vel auaritia fœdat, vel incestat luxuria, tanta ac talis experiatur dulcedo: libet cōijcere, quātum habeat suavitatis illa, quæ quātò honestior est, tantò est securior: quantū casti-

Psalm. 23.

Act. 5.

Ioan. 15.

or, tantò iucundior; quantò liberior, tantò felicior. Patiamur tamen, vt propter quandam, quę in affectibus sentitur, similitudinem, etiam illæ amicitiæ quæ veræ non sint, amicitiæ nuncupentur, dum tamen ab illa quæ spiritualis est, & ideo vera, certis indicijs distinguatur. Dicatur itaque amicitia alia carnalis, alia mundialis, alia spiritualis. Et carnalem quidem creat vitiorum consensus, mundialem spes quæstus accendit: spiritalem inter bonos vitæ, morum, studiorumque similitudo conglutinat. Verum amicitiæ carnalis exordium ab affectione procedit, quæ instar meretricis dinaticat pedes suos omni transeunti, sequens aures & oculos suos per varia fornicantes: per quorum aditus vsque ad ipsam mentem pulchrorum corporum, vel rerum voluptuosarum inferuntur imagines: quibus ad libitū frui, putat esse beatū: sed sine socio frui, minùs æstimat esse iucundum. Tunc motu, nutu, verbis, obsequijs, animus ab animo captiuatur, & accenditur vnus ab altero, & conflantur in vnum: vt inito fœdere miserabili, quidquid sceleris, quidquid sacrilegij est, alter agat & patiatur pro altero; nihilque hac amicitia dulcius arbitrantur, nihil iudicant iustius: idem velle, & idem nolle, sibi existimantes amicitiæ legibus imperari. Hæc itaque amicitia nec deliberatione suscipitur, nec iudicio probatur, nec regitur ratione: sed secundùm impetum affectionis per diuersa rapiatur; non modum seruans, non honesta procurans, non commoda incommodaue prospiciens; sed ad omnia inconsideratè, indiscretè, leuiter, immoderateque progrediens. Idcirco vel quasi quibusdam furijs agitata, à semetipsa consumitur, vel eadem leuitate resoluitur, qua contrahitur. At amicitia mundialis, quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; quippe quæ semper cum fortuna mutatur, & sequitur marsupium. Vnde scriptum est, *Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Tolle spem quæstus, & statim desinet esse amicus. Quam amicitiam quidam versus ita eleganter derisit. *Non est personæ sed prosperitatis amicus, Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.* Attamen huius amicitię vitiosæ principiū quosdam plerumque ad quandam veræ amicitię prouehit portionem: eos scilicet, qui primū spe lucri cōmunis fœdus ineuntes, dum sibi in iniquo mammona fidem seruant, in rebus dumtaxat humanis, ad maximum perueniunt gratumque consensum. Attamen vera amicitia nullo modo dicenda est, quæ commodi temporalis causa suscipitur & seruatur. Amicitia enim spiritalis, quā veram dicimus, non vtilitatis cuiusque mundialis intuitu, non qualibet extra nascente causa, sed ex propriæ naturæ dignitate, & humani pectoris sensu desideratur, ita vt fructus eius præmiumque, non sit aliud quam ipsa. Vnde Dominus in Euāgelio, *Posui vos* inquit *vt eatis & fructum afferatis*, id est, vt inuicem diligatis. In ipsa namque vera amicitia itur proficiendo, & fructus capitur perfectionis illius dulcedinem sentiendo. Amicitia itaque spiritalis, inter bonos, vitæ, morum, studiorumque similitudine parturitur, quæ est in rebus humanis atque diuinis, cum beneuolentia & charitate consensio. Quæ quidem diffinitio, ad amicitiam exprimendam, satis mihi videtur esse sufficiens: si tamen more nostro charitas nuncupetur, vt amicitia omne vitium excludatur; beneuolentia autem ipse sensus amandi, qui cum quadam dulcedine mouetur interius, exprimatur. Vbi talis est amicitia, ibi profectò est idem velle & idem nolle, tanto vtique dulcius quanto sincerius, tanto suauius quanto sacratius; vbi sic amantes nihil possunt velle, quod dedeceat, nihil, quod expediat, nolle. Hanc nempe amicitiam prudentia dirigit, iustitia regit, fortitudo custodit, temperantia moderatur: de quibus suo loco disputabimus. Nunc autem si de eo, quod primum quærendum putasti, videlicet quid sit amicitia satis dictum existimas, edicito *Iuo.* Sufficiunt plane ea, quæ dicta sunt, nec aliquid mihi suggeritur, quod vltra quærā. Sed antequam ad alia transeamus, scire desidero, vnde primum amicitia inter mortales orta est, natura an casu, an necessitate aliqua, vel certè præcepto, aut lege humano generi imposita in vsum venerit, vsus verò eam commendabilem fecerit. *Ael.* Amicitiæ, vt mihi videtur, primum ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremò legis auctoritas ordinauit. Deus enim summè potens & summè bonus, sibi ipsi sufficiens bonum est: quoniam bonum suum, gaudium suum, gloria sua, beatitudo sua, ipse est; nec est aliquid extra ipsum quo egeat, non homo, non Angelus, non cælum, nō terra, nec aliquid, quod in ipsis est. Cui omnis creatura proclamat, Deus meus es, quoniam bonorum meorum non eges. Nec tantum sibi sufficit ipse, sed & omnium rerū sufficientia ipse est, dans alijs esse, alijs & sentire, alijs insuper & sapere, ipse omnium existentium causa, omnium sentientium vita, omnium intelligentium sapientia. Ipse itaque summa natura omnes naturas instituit, omnia suis locis ordinauit, omnia suis tēporibus discretè distribuit. Voluit autem, nam & ita ratio eius æterna præscripsit, vt omnes creaturas suas pax componeret, & vniret societas; & ita omnia ab ipso, qui summè & purè vnus est, quoddam vnitatis vestigium sortirentur. Hinc est, quod nullum genus rerum solitariū reliquit, sed ex multis quadam societate connexuit. Nam vt ab insensibilibus ordiamur, quæ humus, vel quod flumen vnum vnius generis gignit lapidem: aut quæ silua vnam vnius generis arborem profert? Ita inter ipsa insensibilia quasi amor quidam societatis elucet, cùm nihil eorū solum sit, sed cum quadam sui generis societate & creetur, & persistat. Verùm inter ipsa sensibilia quanta amicitiæ species, & societatis amorisque fulgeat imago, quis facile dixerit? Certè cum in cæteris omnibus irrationabilia deprehēdantur, in hac tamē parte ita humanum animum imitātur, vt pene ratione agi æstimentur. Ita se sequūtur, ita colludūt sibi, ita motibus simul & vocibus suum exprimunt & produnt affectum, tam auidè & iucundè mutua societatę fruuntur, vt nihil magis quam ea, quæ amicitiæ sunt, curare videantur. Sic etiā in Angelis diuina sapientia prouidit, vt non vnus videlicet crearetur, sed plures: inter quos grata societas, & amor suauissimus eandem voluntatem, eundem crearet affectum: ne cùm alter superior, inferior alter videretur, locus pateret inuidiæ, si non obstitisset charitas amicitiæ, & ita solitudinem excluderet multitudo, iucunditatem augeret in pluribus charitatis communio. Postremò, cum hominem condidisset, vt bonum societatis altiùs cōmendaret, *Non est bonum*, inquit, *hominē*

Amicitia carnalis origo.


Eccli. 6.

Amicitia spiritalis nō spectat vtilitatem.

Ioan. 15.

Vnde orta sit amicitia.

Genes. 2. *esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* Nec certè de simili, vel saltem de eadem materia, hoc adiutorium diuina virtus formauit, sed ad expressius charitatis & amicitiæ incentiuum, de ipsius substantia masculi feminam procreauit. Pulchrè autem de latere primi hominis secundus assumitur, vt natura doceret omnes æquales, quasi collaterales, nec esset in rebus humanis superior vel inferior, quod est amicitiæ proprium. *Omnes homines natura æquales.* Ita natura mentibus humanis, ab ipso exordio amicitię & charitatis impressit affectum, quem interior mox sensus amandi, quodam gustu suauitatis adauxit. At post lapsum primi hominis, cùm refrigescente charitate cupiditas subintrasset, fecissetque bono communi priuata præponi, amicitiæ charitatisque splendorē auaritia inuidiaque corrupit; contentiones, æmulationes, odia, suspiciones corruptis hominū moribus inuehens. Tunc boni quique inter charitatem & amicitiā distinxerunt; animaduertentes, quòd etiam inimicis, atque peruersis sit impendenda dilectio; cùm inbonos & pessimos esse non possit voluntatum, vel consiliorū vlla communio. *Distinctio inter charitatem & amicitiam.* Amicitia itaque, quæ sicut charitas inter omnes primùm & ab ōnibus seruabatur, inter paucos bonos naturali lege resedit, qui videntes à multis sacra fidei & societatis iura violari, artiori se dilectionis & amicitiæ fœdere constrinxerunt; inter mala, quæ videbant & sentiebant, in mutuæ charitatis gratia quiescentes. Verùm his, in quibus omnem virtutis sensum obliterauit impietas, ratio, quæ in eis extingui non potuit, ipsum amicitiæ & societatis affectum non reliquit; adeo vt sine sociis nec auaro diuitiæ, nec ambitioso gloria, nec voluptas placere posset luxurioso. Compacta sunt itaque etiam inter pessimos quædam societatis fœdera detestanda; quæ amicitiæ pulcherrimo nomine palliata, lege & præceptis à vera amicitia fuerāt distinguenda; ne cùm ista appeteretur, in illa propter quandam eius similitudinem incautè incideretur. Sic amicitiam, quam natura instituit, quam roborauit vsus; legis auctoritas ordinauit. Manifestum proinde est, amicitiam naturalem esse, sicut virtutem, sicut sapientiam, & cætera, quæ propter se, quasi bona naturalia, & appetenda sunt & seruanda: quibus omnis, qui ea habet, bene vtitur, quibus nullus prorsus abutitur. *Iuo.* Nonne, quæso te, sapientia multi abutuntur; qui ex ea hominibus placere cupiunt, vel in seipsis pro collata sibi sapientia superbiunt; vel certè hi, qui eam vænalem habent, & quæstum existimant pietatem? *Aelredus.* Hinc tibi satisfaciet noster Augustinus, cuius verba sunt hæc. *Qui sibi placet, stulto homini placet, quia profectò stultus est, qui sibi placet.* Qui vero stultus est, sapiens non est. Et qui sapiens non est, non habēdo vtique sapientiam, sapiens non est. Quomodo igitur sapientia malè vtitur, qui sapientiā non habet? Sic & superba castitas virtus non est: quia superbia ipsa, quæ vitium est, eam quæ virtus putabatur, sibi conformem facit; ideo iam non virtus, sed vitium est. *Iuo.* Sed pace tua dico, non congruum mihi videtur, quod amicitiæ sapientiam adiunxisti, cùm inter illas nulla sit cōparatio. *Aelredus.* Sæpe minora maioribus, bona melioribus, inferiora fortioribus, etsi non coæquantur, coniunguntur tamen, maximè in virtutibus; quæ licet à se graduum diuersitate discrepent, quadam sibi tamen similitudine vicinantur. *Minora maioribus sæpe comparantur.* Vicina enim est virginitati viduitas, viduitati coniugalis castitas; quamvis inter has virtutes magna sit differētia, in eo tamen, quod virtutes sunt, nonnulla est conuenientia. Neque enim ideo pudicitia cōiugalis virtus non est, quia præcellit continentia vidualis; quibus licet sancta præferatur virginitas, earum tamen gratiam non oblitterat. Quamvis si ea, quæ de amicitia dicta sunt, diligenter aduertas, inuenies eam sapientiæ sic vicinam vel insertam, vt pæne dixerim, amicitiam nihil aliud esse, quàm sapientiam. *Iuo.* Obstupesco fateor, nec facilè id mihi persuaderi posse, existimo. *Ael.* Excidit ne tibi dixisse scripturam, *Omni tempore diligit, qui amicus est*? *Prouer. 17.* Ait etiam, sicut meministi, noster Hieronymus. *Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit*: Amicitiam etiam nec subsistere quidē sine charitate, satis superque monstratum est. Cùm igitur in amicitia & æternitas vigeat, & veritas luceat, & charitas dulcescat, vtrum nomen sapientiæ tribus his debeas abrogare, tu videris. *Iuo.* O quid est hoc? dicamne de amicitia quod amicus Iesu Ioannes de charitate commemorat, Deus amicitia est? *Ael.* Inusitatum quidem hoc, nec ex scripturis habet auctoritatem: quod tamen sequitur de charitate, amicitiæ profecto dare non dubito, quoniam, *Qui manet in* amicitia, *in Deo manet, & Deus in eo.* *1. Ioan. 4.* Quod, cùm de ipsius fructu vel vtilitate cœperimus disputare, manifestiùs peruidebimus. Nunc, si quid sit amicitia, pro simplicitate ingenioli nostri satis diximus, cætera, quæ enucleanda proposuisti, alio tempori reseruemus. *Iuo.* Licet auiditati meæ nimis ista sit molesta dilatio, ad hoc tamen non solū tempus cœnæ, cui deesse non permittimur; sed etiam multorum, quibus debitor tu es, expectatio satis onerosa compellit.



LIBER SECVNDVS.

De fructu amicitiæ, & excellentia eius.



AELREDVS. Iam nunc frater accede: quidnam causę fuerit, quòd paulò antè, cùm carnalibus illis carnalia compararem, solus sedebas, modicum semotus à nobis; & nunc oculos huc illucque vertebas, nunc frontem confricabas manu, nunc capillos digitis contrectabas, nunc iram ipsa facie præferens, aliquid tibi præter votum accessisse, crebra vultus mutatione querebaris, edicito. *Galterus.* Profectò ita est. Quis enim patienter sustineat tota die, nescio quos exactores Pharaonis tui habere copiam: nos autē, quibus specialiter debitor es, nec rarum tecum habere posse colloquium? *Aelredus.* Et illis quoque gerendus est mos, quorum vel optamus beneficia, vel maleficia formidamus. Quibus vel nunc tandem exclusis, tantò mihi gratior est solitudo, quantò molestior inquietudo præcessit. Nam optimum cibi condimentum fames est; nec mel aliaue species vinum sic sapidum reddit, vt sitis vehemens

vehemens aquam. Quocirca erit tibi fortè hæc nostra collatio quasi cibus vel potus quidam spiritualis, eò iucundior, quò æstus præcessit ardentior. Age jam, & quod anxio pectore paulò antè parabas evoluere, in medium proferre non differas. *Galterus*. Faciam quidem, nam si velim de hora causari, quam isti nobis reliquere breuissimam, videbor mihi eam facere breviorem. Dic nunc, rogo te, vtrum elapsum animo sit, an adhuc memoria teneas; quid inter te quondam, & tuum Ivonem de amicitia spirituali conuenerit: quas tibi ipse proposuerit quæstiones: quantùm in earũ enucleatione processeris, quid de hisquoque stilo tradideris. *Aëlredus*. Equidem carissimi mei recordatio, imò continuus amplexus & affectus, ita mihi semper recens est, vt licet humanis exemptus conditioni satis dederit, in meo tamen animo numquam videatur obijsse. Ibi enim semper mecum est; ibi mihi religiosus eius vultus elucet: ibi mihi dulces eius arrident oculi: ibi ej⁹ jocunda mihi verba sic sapiunt, vt vel ego videar cum eo ad meliora transisse; vel ipse mecum adhuc in inferioribus conuersari. Scis autem, quia plures præterierunt anni, ex quo schedula ipsa, cui de spirituali amicitia eius interrogationes, measque responsiones impresseram, nobis elapsa est. *Galterus* Non me latent ista: sed vt verum fatear, hinc tota auiditas & impatientia tota descendit; quod schedulam ipsam ante hoc triduum repertam, & tibi traditam, à quibusdam accepi. Ostende eam, quæso, puero tuo: non enim requiescit spiritus meus, donec conspectis omnib⁹, & quid illi disputationi desit, advertens; ea quæ mihi vel mens propria, vel inspiratio occulta suggesserit esse quærenda, ad tuæ paternitatis examen proferam, aut reprobanda, aut admittenda, aut exponenda. *Aëlredus*. Geram tibi morem; sed solus volo legas, quod scriptum est, nec efferatur in publicum: ne fortè aliqua resecanda, addenda nonnulla, plurima verò corigenda æstimaverim. *Galterus*. Ecce adsum, habens aures ad tua verba suspensas; tantò certè avidiùs, quãtò id quod de amicitia legi, dulciùs sapuit. Quoniam igitur, quid sit amicitia, legi magnificè disputatum; quid cultoribus suis pariat vtilitatis, velim mihi insinues. Cùm enim res tanta sit, vt certis rationibus visus es cõprobasse; tunc primùm vehemẽtiùs appetitur, cùm finis eius, fructusque cognoscitur. *Aelredus*. Non id pro tantæ rei dignitate à me explicari posse præsumo; cùm in rebus humanis nihil sanctiùs appetatur, nihil quæratur vtiliùs, nihil difficiliùs inueniatur, nihil experiatur dulciùs, nihil fructuosiùs teneatur. Habet enim fructum vitæ præsentis & futuræ: ipsa enim omnes virtutes sua ostendit suavitate, vitia sua virtute confodit: adversa temperat, componit prospera: ita vt sine amico inter mortales nihil ferè possit esse iocundum: & homo bestiæ comparetur, non habens qui secũ collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur: cui evaporet, si quid molestum mens conceperit; cui cõmunicet, si quid præter solitum sublimè vel luminosum accesserit. *Væ soli, quia cum ceciderit, nõ habet sublevantem se.* Solus omnino est, qui sine amico est. Atquæ fœlicitas, quæ securitas, quæ jocunditas est, habere cum quo æquè audeas loqui, vt tibi: cui confiteri nõ timeas, si quid deliqueris: cui non erubescas reuelare, in spiritualibus si quid profeceris: cui cordis tui omnia secreta committas, & commendes consilia? Quid igitur jocundius, quàm ita vnire animum alterius, & vnum efficere de duobus, vt nulla jactantia timeatur, nulla formidetur suspicio: nec correptus alter ab altero doleat: nec laudantem alter alterum adulationis notet, vel arguat? *Amicus*, ait sapiens, *medicamentum est vitæ*. Præclarè quidem id. Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris in omnibus temporalibus medicina, quàm habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans: vt jũctis suis humeris, onera sua invicem tolerent, nisi quòd vnusquisque propriam leviùs, quàm amici portet iniuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores, adversas partiens communicansque reddit leviores. Optimum ergo vitę medicamentum amicus. Nam & Philosophis etiam placuit. Non aqua, non sole, non igne pluribus locis vtimur, quàm amico. In omni actu, in omni studio, in certis, in dubijs, in quolibet euentu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consultatione, domi forisque vbique amicitia grata, amicus necessarius, vtilis gratia reperitur. Quocirca amici, ait Tullius, & absentes assunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent: & quod difficilius est dictu, mortui viuunt. Igitur amicitia est diuitib⁹ pro gloria, exulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio. Tantus enim amicos honor, memoria, laus, desideriumque prosequitur, vt & eorum vita laudabilis, & mors pretiosa judicetur: & quod his omnibus excelsius, quidã gradus est amicitia vicin⁹ pfectioni, quæ in Dei dilectione & cognitione cõsistit: vt homo ex amico hominis Dei efficiatur amic⁹, secundũ illud Salvatoris in Evangelio. *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos.* *Galt.* Ita fateor tua me mouit oratio, ita in amicitiæ desiderium totum animi mei succendit appetitum, vt nec viuere me crediderim, quamdiu huius tanti boni, tam multiplici fructu caruero. Sed hoc quod vltimum posuisti, quod me totum rapuit, & pæne abripuit à terrenis, pleniùs mihi enodari desidero; quòd scilicet amicitia optimus ad perfectionem gradus existit. Et opportunè satis hic nunc noster Gratianus intrauit, quem ipsius amicitiæ alumnum iure dixerim: cuius totum studium est amari & amare; ne fortè amicitiæ nimiùm auidus, eiusque similitudine deceptus, falsam pro vera, fictam pro solida, pro spirituali carnalem recipiat. *Gratianus*. Ago gratias humanitati tuæ, frater, quod non vocato, sed se impudentius ingerenti, nunc tandem ad spiritale conuiuium concedis accessum. Nam si me seriò, non ludo alumnum amicitiæ appellandum putasti, debueram in sermonis principio accersiri, nec auiditatem meam posita verecundia prodidissem. At tu Pater, perge quo cœperas, & causa mei aliquid mensis appone: vt, si non satiari vt iste, (qui nescio quot ferculis deuoratis, nunc me quasi ad reliquias suas fastidiosus asciuit,) saltem modicum valeam refocillari *Ael.* Non verearis fili, quoniam tanta restant adhuc de amicitiæ bono dicenda, quæ si quilibet sapiens prosequeretur, nos nihil dixisse putares. Verũ quomodo ad Dei dilectionem & cognitionem, gradus quidam sit amicitia, paucis aduerte. In amicitia quippe nihil inhonestum est, nihil fictum, nihil simulatum, & quicquid est, id sanctum, & voluntarium, & verum est. Et hoc ipsum quoq;

Lib. 1. suprà.

Ivo interlocutor in primo libro iã mortuus.

Eccle. 4.

Eccli. 6.

Amicitia medicamentum est.

Ioann. 15.

charitatis propriū est. In hoc verò amicitia speciali prærogatiua prælucet, quod inter eos, qui sibi amicitiæ glutino copulantur, omnia iocunda, omnia secura, omnia dulcia, omnia suauia sequuntur. Ex charitatis igitur perfectione plerosque diligimus, qui nobis oneri sunt & dolori: quibus licet honeste, non ficte, non simulate, sed vere voluntarieque consulimus, ad secreta tamen eos amicitiæ nostræ nō admittimus. Quocirca in amicitia coniunguntur honestas & suavitas, veritas & iucunditas, dulcedo & voluntas, affectus & actus. Quæ omnia à Christo inchoātur, per Christum promouentur, in Christo perficiuntur. Non igitur videtur nimium grauis vel innaturalis ascensus, de Christo amorem inspirante, quo amicum diligimus, ad Christum, semetipsum amicum nobis præbentem, quem diligamus; vt suauitas suauitati, dulcedo dulcedini, affectus succedat affectui. Itaque amicus, in spiritu Christi adhærens amico, efficitur cum eo cor vnum, & anima vna; & sic per amoris gradus ad Christi conscendens amicitiam, vnus cum eo spiritus efficitur in osculo vno. Ad quod osculū
Cant. 1. anima quædam sancta suspirans. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Consideremus istius osculi carnalis proprietatem, vt de carnalibus ad spiritalia, de humanis ad diuina transeamus. Duobus alimentis vita hominis sustentatur, cibo & aëre. Et sine cibo quidem aliquandiu potest subsistere, at sine aëre ne vna quidem hora. Itaque vt viuamus, ore haurimus aërem, & remittimus. Et ipsum quidem quod emittitur vel recipitur, spiritus nomen obtinuit. Quocirca in osculo duo sibi spiritus obviant, & miscentur sibi, & vniuntur: ex quibus quædam mentis sua vitas nascens, osculantium mouet & perstringit affectum. Est igitur Osculum Corporale, osculum Spiritale, osculum Intellectuale. Osculum Corporale impressione fit labiorum; osculum Spiritale coniunctione animorum; osculum Intellectuale per Dei spiritum, infusione gratiarum. Osculum proinde Corporale non nisi certis, & honestis causis aut offerendum est, aut recipiendum: verbi gratia in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui prius fuerant inimici adinuicem. In signum pacis, sicut communicaturi in Ecclesia, interiorem pacem exteriori osculo demonstrant. In signum dilectionis, sicut inter sponsum & sponsam fieri permittitur; vel sicut ab amicis, post diuturnam absentiam, & porrigitur & suscipitur. In signum catholicæ vnitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut pleriq; aqua, igni, ferro, cibo & aëre, quæ naturaliter bona sunt, in suæ crudelidatis vel voluptatis satellitiū abutuntur; ita peruersi & turpes, etiam hoc bono, quod ad ea significanda quæ diximus, lex naturalis instituit, sua quodammodo flagitia condire nituntur: ipsum osculum turpitudine tanta fœdātes, vt sic osculari nil sit aliud quam adulterari. Quod quàm sit detestandum, quàm abominandum, quàm fugiendum, quàm auersandum, quilibet honestus intelligit. Porro osculum Spiritale proprie amicorum est, qui sub vna amicitiæ lege tenentur: non enim fit oris attactu, sed mētis affectu: non coniunctione labiorum, sed cōmixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cælestem immittente saporem. Hoc osculum non inconuenienter osculum dixerim Christi, quod ipse tamen porrigit non ore proprio sed alieno: illum sacratissimum amantibus inspirans affectum, vt illis videatur quasi vnam animam in diuersis esse corporibus: dicantque cum Propheta. *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum*. Psalm. 132.

Osculū corporale spirituale, & intellectuale.

Huic ergo osculo assuefacta mens, & à Christo totam hanc dulcedinem adesse non ambigens, quasi secum reputans & dicens, ô si ipsemet accessisset; ad illud intellectuale suspirat, & cum maximo desiderio clamans; *Osculetur me*, dicit, *osculo oris sui*: vt jam terrenis affectibus mitigatis, & omnibus, quæ de mundo sunt, cogitationibus desiderijsque sopitis, in solius Christi delectetur osculo, & quiescat amplexu, exultans & dicens, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. *Gratianus*. Amicitia hæc, vt video, non est popularis, nec qualem eam somniare consuevimus. Nescio quid hic Galterus hactenus senserit; ego aliud nihil amicitiam esse credidi, quam inter duos tantam voluntatum identitatem, vt nihil velit vnus, quod alter nolit; sed tanta sit inter vtrosque in bonis malisque cōsensio, vt non spiritus, non census, non honor, nec quicquam, quod alteriùs sit, alteri denegetur, ad fruendum pro voto, & abutendum. *Galt*. Longè aliud in priori dialogo memini me didicisse, vbi ipsa diffinitio amicitiæ posita & exposita, merito ad eius fructum altiùs inspiciendum me vehementiùs animavit. De qua sufficienter instructi, certam nobis metam, quatenus debeat amicitia progredi, cum diversorum diversa sententia sit, petimus præfigi. Sunt namque quidam, qui contra fidem, contra honestatem, contra cōmune bonum vel priuatum, favendum putant amico. Quidam solam fidem detrahendam iudicant, cætera non cavenda. Alij pro amico contemnendam pecuniam, expuendos honores, majorum inimicitias subeundas, exilium etiam censent non fugiendum; seipsum, in quibus non obsit patriæ, nec cōtra fas alium lædat, etiam in inhonestis & turpibus exponendum. Sunt & qui hanc metam in amicitia constituunt, vt vnusquisque, sicut erga seipsum, sic & efficiatur erga amicum. Quidam amico in omni beneficio vel obsequio vicem rependere, satis dare amicitiæ credunt. Mihi sanè nulli horum esse credendū, hac nostra collatione satis persuasum est: vnde aliquam certam mihi in amicitia metam à te opto constitui, maximè propter hunc Gratianum, ne fortè secundum nomen suum, ita velit esse gratiosus, vt incautè fiat vitiosus. *Gratianus*. Haud ingratè hanc tuam pro me accipio sollicitudinē; nisi tamen sitis audiendi præpediret, fortè jam nunc tibi redderem talionem. Sed quid potiùs ad tuas inquisitiones respondere velit, pariter audiamus. *Aelredus*. Certam in amicitia metam Christus ipse præfixit: *Majorem*, inquiens, *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Ecce quovsque tendi debet amor inter amicos, vt scilicet velint pro inuicem mori. Satisne vobis istud? *Gratianus*. Cum major esse non possit amicitia, cur non satis sit? *Galterus*. Quid si pessimi quique vel Ethnici, in consensu facinorum & flagitiorum sic se diligāt, vt velint pro invicem mori, eosne ad summam amicitiæ coscendisse fatebimur? *Aelredus*. Absit, cum inter pessimos amicitia esse non possit. *Gratianus*. Describe nobis, quæso, inter quos vel oriri potest, vel servari. *Aelredus*. Breviter dico: inter bonos oriri potest, inter meliores profice-

Cant. 1.

Cat. 2.

Amicitia an voluntatum identitas.

Ioan. 15.

se, consummari autem inter perfectos. Quamdiu enim quemquam ex studio malum delectat, quamdiu ei voluptas gratior est puritate, temeritas moderatione, adulatio correptione, quomodo ad amicitiam vel aspirare eum fas est, cum ortus eius ex virtutis opinione procedit? Difficile igitur, imò impossibile tibi est, vel initia eius degustare, si fontem, de quo oriri potest, nescieris. Fœdus est enim amor, nec amicitiæ nomine dignus, quo turpe aliquid exigitur ab amico; quod necesse est eum facere, qui necdum vitijs aut sopitis aut depressis, ad quælibet illicita vel illicitur, vel impellitur. Vnde illorum detestanda sententia est, qui, contra fidem & honestatem, pro amico æstimant faciendum. Nulla enim excusatio peccati est, si amici causa peccaveris. Protoplastus Adam salubri' præsumptionis arguisset vxorem, quàm, gerendo ei morem, vetitū vsurpasset. Multò etiam meliùs serui Regis Saul fidem domino seruauerunt, contra eius imperium manum sanguini subtrahentes, quàm Doëg Idumæus, qui regiæ crudelitatis minister, Domini sacerdotes sacrilegis manibus interfecit. Ionadab quoque amicus Amnō laudabiliùs amici prohibuisset incestum, quàm quo potiretur optato, consilium præbuisset. Sed nec amicos Absalon amicitiæ virtus excusat, qui perduellioni præbentes assensum, contra patriam arma tulerunt. Et vt ad hæc nostra tempora veniamus, multò certè feliciùs Otto Romanæ Cardinalis Ecclesiæ, ab amicissimo suo recessit Guidone, quàm Ioannes suo adhæsit in tali schismate Octauiano. Cernitis igitur, nisi inter bonos amicitiam stare non posse. *Gratianus.* Quid igitur nobis cum amicitia, qui boni non sumus? *Aelredus.* Ego bonum non ita ad viuum reseco, vt quidam, qui neminem volūt esse bonum, nisi eum cui ad perfectionem nihil desit. Nos hominem bonum dicimus, qui secūdum modum nostræ mortalitatis, sobriè, & iustè, & piè viuens in hoc sæculo, nihil à quolibet inhonestum petere, nec rogatus velit præstare. Inter tales profectò amicitiam oriri, à talib' perfici posse, non ambigimus. Nam qui vel fidem, vel patriæ periculum, vel alterius contra jus & fas læsionem excipientes, semetipsos amicorum exponunt libidini, eos non tam stultos dixerim, quam insanos: qui parcentes alijs, sibimet non æstimant esse parcendum; & aliorum providentes honestati, suam infeliciter produnt. *Galterus.* Ferè in illorum cado sententiam, qui amicitiam dicunt esse cavendam, rem videlicet plenam sollicitudinis, atque curarum, nec timoris vacuam, multis etiam obnoxiam doloribus. Nam cùm vnicuique satis superque sit, sui curam gerere, incautum dicunt, se sic alijs obligare, vt necesse sit eum multis implicari curis, & affligi molestijs. Nihil præterea difficilius æstimant, quàm amicitiam vsque ad diem vitæ extremum permanere, turpeque nimis sit, post initam amicitiam, rem in contrarium verti. Vnde tutius iudicant, sic quēquam amare, vt possit odire cum velit, sic amicitiæ laxandas habenas, quas vel astringat, cùm velit, vel remittat. *Gratianus.* Frustra igitur tu in loquendo, nos in audiendo laborauimus, si tam facile ab amicitiæ tenuerimus appetitu; cuius nobis fructum tam sanctum, tam vtilem, tam acceptum Deo, perfectioni tam vicinum, tam multipliciter commendasti. Sit illi ista sententia, cui placet sic amare hodie, vt cras oderit; sic amicus omnibus esse, vt nulli sit fidus; hodie laudās, cras vituperans; hodie blandiens, cras mordens; hodie paratus ad oscula, cras ad opprobria promptus; cuius amor vili pretio comparatur, levissima recedit offensa. *Galterus.* Felle putabam carere columbos: verumtamen hæc istorum sententia, quæ sic displicet Gratiano, qualiter refelli possit, edicito. *Aelredus.* Pulchrè de his Tullius. Solem, inquit, è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua nihil à Deo melius habemus, nil jucundius. Qualis sapientia amicitiam detestari, vt solicitudinem caueas, curis careas, exuaris timore! quasi virtus vlla sine sollicitudine vel acquiri possit, vel servari. Itane in te, sine tua magna sollicitudine, aut prudētia cōtra errores, aut tēperantia cōtra libidines, aut justitia cōtra malitiā, aut fortitudo contra ignaviā pugnat? Quis rogo, hominum, maximè adolescentium sine dolore maximo vel timore, tueri pudicitiā, vel lasciuiētem valet refrenare affectum? Stultus Paulus, qui noluit sine aliorum cura & solicitudine viuere: sed intuitu charitatis, quam virtutem maximam credidit, infirmabatur cum infirmis, vrebatur, cum scandalizatis. Sed & tristitia illi magna erat, & continus dolor cordi eius, pro fratribus suis secundùm carnem. Deserenda igitur illi charitas erat, ne sub tot timoribus ac doloribus, nunc quos genuerat, iterum parturiens, nunc fouens vt nutrix, nunc vt magister corripiens; nunc timens, ne sensus illorum à fide corrumperentur; nunc cum multo dolore, multisq; lacrymis ad pœnitentiam prouocans: nunc eos, qui non egerunt pœnitentiam, lugens. Videtis, quomodo virtutes nituntur auferre è mundo, qui comitem illarum solicitudinem ę medio tollere non formidant. Stultè Chusai Arachites amicitiam, quæ erat ei cum David, tanta fide seruauit, vt solicitudinem securitati præferret; malletque amici participare doloribus, quàm parricidæ gaudijs honoribusque dissolui? Ego eos nō tam homines, quàm bestias dixerim, qui sic dicunt esse viuendum, vt nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua alijs peruersitate inferant, amare nullum, amari à nullo curantes. Absit enim, vt eorum quemquam amare concesserim, qui amicitiam quæstum putant: tunc se solis labijs profitentes amicos, cùm spes alicuius commodi temporalis arriserit, vel cùm amicum cuiuslibet turpitudinis ministrum facere tentauerint. *Galterus.* Cùm igitur certum sit, multos amicitiæ similitudine falli, expone quæso, cuiusmodi amicitias cauere, quas appetere, colere, & seruare debeamus. *Aelred.* Cùm dictum sit, eam nisi inter bonos non posse subsistere, facile tibi est peruipere, nullam amicitiam quæ bonos dedeceat recipiēdam. *Grat.* Sed nos fortasse in hac discretione quid deceat, vel non deceat, caligamus. *Aelred.* Geram vobis morem, & quę nobis occurrerint fugiendę, breviter annotabo. Est amicitia puerilis, quam vagus & lasciuiens creat affectus, diuaricans pedes suos omni transeunti: sine ratione, sine pondere, sine mensura, sine alicuius commodi vel incommodi consideratione. Hæc ad tempus vehementer afficit, & stringit, blandiùs allicit. Sed affectus sine ratione motus bestialis est, ad quæque illicita pronus, imò inter licita & illicita discernere non valens. Licet autem amicitiam plerumque affectus præueniat: numquam tamen sequendus, nisi eum & ratio ducat, & ho-

Genes. 3.
1. *Reg.* 22.
2. *Reg.* 13.
2. *Reg.* 16.
Octauianus antipapa cōtra Alexādrum 3.
Galat. 4.
1. *Thess.* 1.
Coloss. 1.
2. *Cor.* 11.
2. *Cor.* 2. & 12.
Solem è mūdo tollunt, qui solicitudinē tollunt.
2. *Reg.* 16.
Amicitia puerilis quę.

nestas temperet, & regat justitia. Igitur hæc amicitia, quam diximus puerilem, eo quod in pueris magis regnet affectus, vt infida, & instabilis, & impuris mixta semper amoribus, ab his quos spiritualis amicitiæ dulcedo delectat, omnimodis caveatur; quam non tam amicitiam, quam amicitiæ dicimus esse venenum; cum in ea amoris nunquam modus possit servari legitimus, qui est ab animo ad animum; sed honestam ejus venam, ex carnis concupiscentia fumus quidam emergens, obnubilet & corrumpat; & neglecto spiritu, ad carnis desideria trahat. Eapropter primordia amicitiæ spiritualis, primùm intentionis habeant puritatem, rationis magisterium, temperantiæ frænum; & sic suavissimus accedens affectus ita profectò sentietur dulcis, vt esse nunquã desinat ordinatus. Est & amicitia, quam pessimorum similitudo morum conciliat: de qua dicere supersedeo, cùm nec amicitiæ nomine digna, vt superius diximus, habeatur. Est præterea amicitia, quam consideratio alicujus vtilitatis accendit, quam multi ob hanc causam & appetendam, & colendam, & conservãdam existimant. Quod si admittimus, quàm multos omni amore dignissimos excludemus: qui cùm nihil habeant, nihil possideant, profectò nihil commodi temporalis ab eis vel adipisci poterit quis, vel sperare. Si verò inter commoda duxeris consilium in dubijs, consolationem in adversis, & cetera huiusmodi: hæc vtique ab amico expectanda sunt, sed sequi debent ista amicitiam, non pręcedere. Necdum enim quid sit amicitia didicit, qui aliam ej⁹ vult esse mercedem, quàm ipsam: quæ tunc plane merces erit colentibus eam, cùm tota translata in Deum, in eius contemplatione sepelit quos vniuit. Nam cum multas & magnas vtilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas procedere non ambigim⁹. Neque enim à beneficijs, quibus Berzellai Galaadites David parricidam filium fugientem & suscepit, & fouit, & muneravit amicum, inter tantos viros partam credimus amicitiam, sed ab ipsa potius tantam gratiam processisse non dubitamus. Nam quod Rex viri illius priùs eguerit, nemo qui cogitet. Verum quod ipse vir magnarum opum, nihil pro his mercedis à Rege speraverit, hinc advertere perspicuum est, quod omnes delitias diuitiasque ciuitatis proniùs offerenti, nihil suscipere adquieuit, suis volens esse contentus. Sic & fœdus illud veuerabile, quod inter David & Ionathan non spes futuræ vtilitatis, sed virtutis contemplatio consecrauit, multũ vtrisque novimus contulisse; cùm istius industria vita sit alterius conseruata; illius beneficio, huius non sit posteritas delata. Cum igitur in bonis semper præcedat amicitia, sequatur vtilitas; profectò non tam vtilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Vtrum igitur de fructu amicitiæ satis dixerimus, vtrum etiã certas psonas, inter quas oriri, & servari possit, & pfici, lucidè dixerimus; vtrum præterea assentationes, quæ falso amicitiæ nomine palliantur, manifestè prodiderimus; vtrum quoquę certas metas, quousque tendi debeat amor inter amicos, ostenderimus; vos judicate. *Gratianus.* Hoc vltimum non satis recordor enodatum. *Aelredus.* Recolitis, vt credo, eorum me refellisse sententiam, qui metas amicitiæ in flagitiorum & facinorum consensu constituunt; illorum quoque, qui vsque ad exilium progrediendum putant, & sine alterius læsione, quamlibet turpitudinem. Nihilominus & illorum, qui secũdum speratæ vtilitatis modum, quantitatem amicitiæ metiuntur. Nam duas earum, quas proposuit Galterus, nec mentione dignas existimaui. Quid enim ineptius esse potest, quam amicitiam hactenus extendi, vt in officijs vel obsequijs vicem rependat amico: cùm omnia illis debeant esse cõmunia, quibus nimirum esse debet & cor vnũ, & anima vna? Quàm turpe & illud, vt non aliter afficiatur quis erga amicum, quam erga seipsum! cum vnusquisque de se humilia, sublimia sentire debeat de amico. His igitur falsis amicitiæ finibus explosis, finem amicitiæ ex verbis Domini proferendum putauimus: qui mortem ipsam pro amicis sanxit non esse fugiendam. Verum ne fortè, si quilibet turpes sic affecti vellent pro inuicem mori, ad amicitiæ summam crederentur euecti, diximus inter quas personas oriri possit, & perfici amicitia; deinde illos, qui ob multas solicitudines & curas, quas generat, cavendam eam existimant, ineptiæ credidimus arguendos. Postremò, quæ amicitiæ bonis omnibus sunt cavendæ, quàm breviter potuimus enodavimus. Patet proinde ex his omnibus certa, & vera spiritualis amicitiæ meta; nihil scilicet negãdum amico, nihil pro amico non sustinendum, quod minus sit quam ipsa pretiosa corporis vita: quam ponendam pro amico diuina sanxit auctoritas. Quocirca cùm vita animæ corporis sit multo præstantior, hoc omnino negandum censemus amico, quod mortem inferat animæ, quod nihil aliud est quam peccatũ, quod Deum separat ab anima, animam à vita. Verum in his, quæ vel exhibenda sunt amico, vel pro amico toleranda, quis servandus sit modus, quæ cautio adhibenda, non est temporis huius evolvere. *Gratianus.* Non parum mihi Galterum nostrum fateor cõtulisse, cuius interrogatione provocatus, summam omnium, quæ disputata sunt, brevi comprehendens epilogo, quasi præ oculis in ipsa memoria depinxisti. Age jam precor, & in ipsis officijs amicorum quis servandus sit modus, vel quæ cautio adhibenda, nobis expone. *Aelredus.* Et hæc, & alia quædam de amicitia restant dicenda; sed hora jam pręterijt, & ad aliud negotium isti, qui modo venerunt, sua vt cernitis importunitate compellunt. *Galterus.* Inuitus certè recedo, cras profectò cùm se tempus obtulerit, rediturus. Videat autem Gratianus, vt præsto sit mane, ne ipse nos incuriæ, aut nos eum tarditatis arguamus,

Puerilis amicitia cauenda.


Amicitia vtilitatem non debet spectare.

2. Reg. 20.

1. Reg. 20.

De amico sublimiter, De se humiliter sentiendum.

Meta spiritalis amicitiæ.



LIBER TERTIVS.

Quomodo, & inter quos, possit amicitia indirupta servari.



AElredvs. Vnde, & quò? *Gratianus.* Non te latet aduent⁹ mei causa. *Ael.* Num adest Galterus? *Grat.* Videat ipse, certè tarditatis non potest arguere nos hodie. *Ael.* Vis, ea quæ proposita sunt prosequamur? *Grat.* Habeo ei fidem: nam & præsentiam eius mihi reor necessariã, cui & sensus est acutior ad intelligendum, & lingua eru-

ditior ad interrogandum, & memoria tenacior ad retinendum. *Ael* Audisti Galtere? Amicitior tibi est Gratianus, quàm putabas. *Galt.* Quomodo mihi amicus non esset, qui nullius non est? Sed quia vtrique assumus, promissi tui non immemores, otio huic non simus ingrati *Ael* Fons & origo amicitiæ amor est: nam amor sine amicitia esse potest: amicitia sine amore numquam.

Amor amicitiæ fons vnde procedat.

Amor vero ex natura, aut ex officio, vel ratione sola, vel ex solo affectu, nonnumquam ex vtroque simul procedit. Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati & accepti, quidam speciali affectu coniunguntur: ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus. Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia, pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorumdam inclinat affectum. Ex ratione simul & affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suauitate, & vitæ laudandæ dulcedine in alterius influit animum: & sic ratio iungitur affectui, vt amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu. Quis horum vobis amicitiæ videtur commodatior? *Galt.* Hic vltimus sanè, quem & virtutis contemplatio format, & morum suauitas ornat. Sed vtrum omnes, quos sic diligimus, ad illud amicitiæ admittendi sint dulce secretum, scire desidero. *Ael.* Primò ponendum est solidum quoddam ipsius spiritalis amoris fundamentum, in quo eius sunt collocanda principia: vt sic recta quis linea ad eius altiora conscendens, ne fundamentum negligat vel excedat, maximam cautelam adhibeat.

Amor Dei fundamentũ amicitiæ spiritualis.

Fundamentum illud Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit vel affectus; omnia, quæ vel occulte aliquis spiritus, vel palam quilibet suadet amicus, referenda sunt: diligenterque inspiciendum, vt quicquid astruitur, fundamento conveniat, & quicquid illud excedere deprehenditur, ad eius formam revocandum, & secũdum eius qualitatem omnimodis corrigendum, non dubites. Nec omnes tamen, quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi, quia nec omnes ad hoc reperiuntur idonei. Nam cùm amicus tui consors sit animi, cuius spiritui tuum conjungas & applices, & ita misceas, vt vnum fieri velis è duobus, cui te tamquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, à quo nihil timeas: primùm certè eligendus est, qui ad hęc aptus putetur: deinde probandus, & sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, & quãdam æternitatis speciem præferre, semper perseverans in affectu. Et ideo non puerili modo, amicos mutare vaga quadam debem⁹ sententia. Quoniam enim nemo detestabilior, quam qui amicitiam læserit, nihilque magis animũ torqueat quàm vel deseri ab amico vel impugnari; cum summo studio eligendus est, & cũ maxima cautela probandus: admissus autem sic tolerandus,

Amicus eligendus & probandus.

sic tractandus, sic sequendus, vt quamdiu à pręmisso fundamento irreuocabiliter nõ recesserit, ille ita tuus, & tu illius sis, tam in corporalibus, quam in spiritualibus; vt nulla sit animorum, affectionum, volũtatum, sententiarũue diuisio. Cernitis ergo quatuor gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem conscenditur: quorum primus est electio, secund⁹ probatio, tertius admissio, quartus rerum diuinarum & humanarum cũ quadam charitate & beneuolentiâ summa consensio. *Galterus.* Recordor, te in prima illa tua disputatione, quam cum tuo habuisti Ivone, diffinitionem hanc satis probasse: sed quia de multis amicitiarum generibus disputasti, vtrum omnes comprehendat, scire desidero. *Ael.* Cùm vera amicitia nisi inter bonos esse non possit, qui nihil contra fidẽ vel bonos mores, velle possint, aut facere: profectò non quamlibet, sed ipsam quæ vera est, amicitiam diffinitio ista complectitur

Vera amicitia inter bonos solos.

Grat. Quare non & illa, quæ ante hesternã collationẽ me plurimùm delectabat, æquè probanda est, idem scilicet velle, & idem nolle. *Ael.* Certè inter eos, quorum fuerint emẽdati mores, vita composita, ordinati affectus: nec istam arbitror repudiandam. *Galterus.* Videat Gratianus, vt tam in seipso quàm in eo, quem diligit, ista præcedant; & sic idem velit & nolit cum ipso: nihil sibi volens concedi, nihil ipse præstare rogatus, quod iniustum, vel inhonestum, vel, indecẽs sit. Sed de quatuor his quæ præmisisti, quid sentiendum sit, à te expectamus doceri. *Aelred⁹.* Primùm igitur de ipsa electione tractemus. Sunt vitia quædam, quib⁹ si quis fuerit inuolutus, non diu amicitiæ leges vel jura seruabit. Huiusmodi ad amicitiam non facilè eligendi sunt: sed si aliàs eorum vita moresque placuerint, agendum cum eis summopere est, vt sanati ad amicitiam habeantur idonei: videlicet iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi.

Qui ad amicitiam nõ facile eligendi.

Difficile quippe est, eum, quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere in amicum; sicut in Ecclesiastico scribitur. *Est amicus, qui odium, & rixam, & convitia denudabit.* Eccli. 16. Vnde ait Scriptura. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne sumas scandalum animæ tuæ.* Prove. 22. Et Salomon. *Ira,* iquit, *in sinu stulti requiescit.* Eccle. 7. At cum stulto diu servare amicitiam, quis non credit impossibile? *Galterus.* At nos te vidimus, si non fallimur, cum iracundissimo homine summa religione colere amicitiam: quem vsque ad vitæ eius finem numquam à te læsum, quamquam ipse te sæpe læsisset, audivimus. *Aelredus.* Sunt quidam ex naturali conspersione iracundi, qui tamen hâc ita comprimere & temperare soliciti sunt passionẽ, vt in quinque quib⁹ teste scriptura amicitia dissoluitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant: quanuis nonnunquam amicũ inconsiderato sermone vel actu, vel zelo minùs discreto offendant. Tales si fortè in amicitiã receperimus, patienter tolerandi sunt, & cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis vel actionis excessus, amico id indulgendum est: vel certè sine aliquo dolore iocundè insuper, in quo excesserit, commonendum. *Grat.* Ille tuus, quem præ omnibus nobis, vt multis videtur, tibi probas amicum, aliquid, quod tibi displicere nullatenus potuit ignorare, ante paucos dies, vt nos putabamus, ira præuentus & dixit & fecit: cui tamen nihil prioris gratiæ imminutum nec credimus, nec videmus. Vnde non parum obstupuimus, quod cùm tu, vbi nos mutuo loquimur, nihil velis vel modicum præterire, quod velit ipse; ipse modicum quid, tui causa, non potuerit sustinere. *Galt.* Audacior me multò est iste. Nam & ego ista noui, sed tuum erga eũ animũ non ignorans, nihil tibi de his loqui præsumpsi. *Ael.* Homo certè ille mihi charissimus est, semel à me receptus in amicitiam, à me nunquam poterit non amari. Vnde si fortę in hac parte fortior illo fui, & vbi vtriusque vo-

luntas non concurrebat in vnum, meam mihi facilius fuit, quam illi suam frangere voluntatem; vbi nulla interueniebat inhonestas, nec fides lædebatur, nec minuebatur virtus, cedendũ amico fuit: vt & tolerarem in quo videbatur excessisse, & vbi pax eius periclitabatur, voluntatem eius meæ præferrem. *Galt.* Sed cum prior ille iam in fata concesserit, alter tibi, licet nos non viderim⁹ satisfecerit: illa nobisquinque, quibus amicitia, sic læditur vt dissoluatur, velim nobis enuclees, vt eos, qui nullo modo eligẽdi sunt in amicos, cauere possim⁹. *Aelredus.* Audite, non me, sed scripturam loquentem. *Qui conuitiatur amico dissoluit amicitiam.* *[Eccli. 22.]* *Ad amicum, etiamsi produxerit gladium, non desperes: est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas.* Vide quid dicat. Si fortè ira præventus amicus eduxerit gladium, vel si verbum protulerit triste; si quasi non amans ad tempus tibi sese subtraxerit, si tuo suum aliquando prætulerit consilium, si à te in aliqua sententia vel disputatione dissenserit, non his amicitiam æstimes dissoluendam. *[Quinque amicitiam dissoluunt.]* Est enim ait concordia ad amicum, excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij revelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Diligentius proinde hæc quinque consideremus, ne nos eis amicitiæ vinculs constringamus, quos ad hæc vitia vel iracundiæ furor, vel alia quælibet passio compellere consuevit. *[Conuitium.]* Conuitium quippe lædit famam, charitatem extinguit. Tanta est enim hominum malitia, vt quicquid ira instigante ab amico iaculatum fuerit in amicum, quasi secretorum suorum prolatum conscio, si non credatur, verum esse clametur: multi enim sicut proprijs laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectãtur. *[Improperium.]* Quid scelestius improperio? Quod etiam falsa obiectione innocentis faciem miserando rubore perfundit. *[Superbia.]* At superbia quid minus ferendum? Quæ solũ id quo fractæ amcitiæ subueniendũ fuerat, humilitatis & confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad iniuriam, tumidum ad correptionem. *[Reuelatio secretorum.]* Secretorum reuelatio, qua nihil est turpius, nihil execrabilius, nihil amoris, nihil suauitatis relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis, & odij atque doloris felle cuncta conspergens. Hinc scriptum est. *[Eccli. 24.]* *Qui denudat arcana amici, perdit fidem.* Et paulò post. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* Quid enim infelicius illo, qui perdit fidem, & desperatione languescit? Vltimum illud, quo dissoluitur amicitia, *[Plaga dolosa.]* Plaga dolosa est, quæ non est aliud quam occulta detractio. Plaga certè dolosa; plaga serpentis est & aspidis mortifera. *Si mordeat serpens in silentio*, ait *[Eccle. 10.]* Salomon, *nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Quemcunque igitur in his vitijs assiduum inveneris, cavendus tibi est ille; nec, donec sanetur, ad amicitiam eligendus. Abjuremus conuitia, quorum vltor est Deus. Semei, fugientem à facie *[1. Reg. 16.]* Absalon sanctum Dauid conuitijs impetens, *[3. Reg. 2.]* inter hereditaria verba, quæ pater filio moriens delegavit, auctoritate Spiritus sancti decernitur occidendus. Improperium nihilominus caveamus. *[1. Reg. 25]* Infelix Nabal Carmelus, David seruitutem & fugam improperans, à Domino percuti meruit, & occidi. Quod si fortè contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam, & amici gratiam humilitatis beneficio reperamus. Rex David amicitiam, quam Naas Regi filiorum Ammon exhibuerat, cùm filio *[2. Reg. 10.]* ejus Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus & ingratus amico, contumeliam adjecit contemptui: ob quam causam tam ipsum, quam populum eius & vrbes, gladius simul & ignis absumpsit. Super omnia autem; amicorum revelare secreta sacrilegium arbitremur, quo fides amittitur, & animæ captivatæ desperatio importatur. Hinc est, quod impijssimus *[2. Reg. 17.]* Achitophel, parricidæ cõsentiẽs, cùm ei patris consilium prodidisset, cernens suũ, quod cõtra illud dederat, non mancipatum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremò detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, *[Num. 12.]* quod Mariæ frontem lepra perfudit, & ejectam extra castra sex diebus, populi communione privauit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam instabiles, & suspiciosi in hac electione cavendi sunt. Cum enim amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis & committis amico: quomodo in eius amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cuius affectus molli luto comparatus, diversas & contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit & format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam adinvicem & tranquillitas cordis, cuius semper expers est suspiciosus? Numquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ cõtinuos ei stimulos acuẽs, inquietudinis & perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicũ secretiùs loquentem cum aliquo, ꝓditionem putabit. Si se beneuolum alteri prębuerit, vel iucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur, Sed nec verbosum arbitror eligendum, quia vir linguosus non iustificabitur. *Vides*, inquit sapiens, *hominem promptulum ad loquendum, magis illo spem habet stultus.* *[Prove. 29.]* Is igitur tibi eligendus est in amicum, quem non iracũdiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non cõterat suspitio, non verbositas à debita grauitate dissoluat. Præcipuè vtile est, vt eum eligas, qui tuis cõveniat morib⁹, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores (vt beatus ait Ambrosius) amicitia esse non potest: & ideo cõvenire debet sibi vtriusq; gratia. *Galt.* Vbi ergo talis inuenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nã verbosus quisquis est, latere non potest. *Ael.* Licet non facilè queat reperiri, qui nõ his passionibus moueatur: multi certè sunt, qui his omnibus superiores inueniuntur: qui iracundiam patientia comprimant, leuitatem seruata grauitate cohibeãt, suspiciones dilectionis contemplatione ꝓpellant. Quos maximè in amicitiam quasi exercitatiores assumẽdos dixerim, qui vitia virtute vincentes, tantò securi⁹ possidentur, quantò fortiùs, etiam tentantibus vitiis resistere consuerũt. *Grat.* Ne quæso, irascaris, si loquar. Ille tuus, de quo paulò ante fecimus mentionem, quẽ à te receptum in amicitiam non dubitamus: vtrum tibi iracundus videatur, scire desidero. *Ael.* Est quidem: at in amicitia minimè. *Grat.* Quid est, rogo te, in amicitia nõ esse iracundum. *Ael.* Inter nos contractam amicitiam non dubitatis. *Grat.* Prorsus. *Ael.* Quando inter nos iras, rixas, dissentiones, æmulationes, vel contentiones ortas audistis? *Grat.* Nunquã; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus.

Aelredus. Fallimini. Nullo modo enim irā, quā non refrænat affectus, cuiusquam patientia refrænabit, cùm patientia magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in iurgijs se illi aliquis parem exhibeat. Ille sanè de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ iura conseruat, vt commotum aliquando, etiam iam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, & ea quæ displicent nunquam producat in publicum ; sed ad euaporandum suæ mentis conceptū, semper expectet secretum. Quod si non ei amicitia, sed natura præscriberet, nec ita virtuosū, nec ita laude dignum iudicarem. Si verò, vt assolet, ab eius aliquando meus sens⁹ dissentiat; ita alterutro nobis deferimus, vt aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. *Galt.* Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enuclees, si fortè quis incautiùs in eorum inciderit amicitias, quos cauendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia fortè deteriora corruerint, qualis eis seruanda sit fides, qualis exhibenda gratia. *Aelredus.* Hæc, si fieri pótest, in ipsa electione, vel etiam probatione cauenda sunt; ne videlicet nimis citò diligamus, maximè indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est, cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpunt sæpe vitia, tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est, vt sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel dissolvendam arbitror, sed vt quidam elegāter ait, potius paulatim dissuendam; nisi fortè quædam intolerabilis iniuria exarserit, vt neque rectum, neque honestum sit, vt non statim alienatio vel disiunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus, aut in patrem, aut in patriam, quod subita & festinata egeat correctione; non amicitia lædetur, si perduellis & inimicus prodatur. Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, vt diximus, sed paulatim dissoluendam iudicam⁹; ita tamen vt non vsque ad inimicitias, ex quibus iurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est, cum eo huiusmodi gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe moris est, vt cum ipsi sic vixerint, vt iam non mereantur amari; si fortè eis aliquid euenerit aduersi, culpam retorqueant in amicū, læsam dicant amicitiam, & omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant: & proditi, cùm eorum in palam culpa processerit, non habentes vltra quid faciant, in amicum odia & maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter exaltantes, & alios similiter acusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quamdiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt: & hic honos veteri amicitiæ tribuendus, vt in culpa sit, qui faciat, non is qui patiatur iniuriam. Amicitia quippe æterna est, vnde, *Omni tempore diligit qui amicus est.* Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit, vt illi amicitia subtrahatur, nunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti eius, prospice famæ, nec vnquam amicitię eius prodas secreta, quamvis tua ipse prodiderit. *Galterus.* Quæ sunt, rogo, illa vitia, pro quib⁹ amicitiam paulatim dicis esse soluendam? *Aelredus.* Quinque illa, quæ paulo ante descripsimus; maximè autem reuelatio secretorum, & occulti morsus detractionum. His sextum addimus. Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit; eisque, quorum tua interest prouidere saluti, ruinæ & scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit; maximè vbi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati civium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce, amicitiæ, quam ille fraudulentis consilijs læserat, salutem multitudinis, & charitatem præponens vxoris. Iahel vxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram & domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ præferens, ipsum Sisaram clavo sopivit & malleo. Sanctus Propheta David, cùm de jure amicitiæ cognationi Ionathæ debuerat pepercisse, audiens tamen à Domino, propter Saul & domum eius sanguinum, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis iugiter laborasse, septem viros de cognatione eius, Gabaonitis dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos, quos sapienter electos, & cautè probatos, vera & spiritualis amicitia copulavit, non posse intervenire dissidium. Cùm enim amicitia de duobus vnum fecerit, sicut id quod vnum est, non potest diuidi, sic & amicitia à se non poterit separari. Patet igitur, hanc amicitiam, quæ patitur sectionem, ex ea parte qua læditur, nunquam fuisse veram. In hoc tamen amicitia probabilior, & magis virtus probatur, quod nec in eo qui læditur, desinit esse quod fuit: diligens eum, à quo non diligitur; honorans eum, à quo spernitur, benedicens eum, à quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est, machinatur. *Galt.* Quomodo ergo amicitia soluitur, si excluso talia sunt exhibenda ab eo, à quo soluitur? *Aelredus.* Ad amicitiam quatuor pertinere specialiter videntur : scilicet dilectio, & affectio, securitas, & iocunditas, Ad dilectionem spectat, cum beneuolentia beneficiorū exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore & suspicione omnium consiliorum & secretorum reuelatio. Ad iocunditatem, de omnibus quæ contingunt, siue læta sint, siue tristia : de omnibus quæ cogitantur, siue nociua sint, siue vtilia : de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis & amica collatio. Videsne, in quibus ab his, qui merentur, solvenda est amicitia? Subtrahitur certè illa interior delectatio, quam ex amici pectore jugiter hauriebat; perit securitas, quā sua illi arcana revelabat; seponitur iucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio: & hoc cum quadam moderatione & reverentia, vt si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remāsisse vestigia. *Gratianus.* Mihi certè placent ista, quæ dicis. *Aelredus.* Iam, de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuate. *Galterus.* Vellem, vt eorum, quæ dicta sunt, summa sub breui nobis epilogo traderetur. *Aelredus.* Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium. Nec qualemcumque, sed qui de ratione simul & affectu procedit. Quiquidem & castus est ex ratione, & ex affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponen-

Qui digni amicitia. — *Prouer. 17.* — *Quinque soluunt amicitiam.* — *Ezech. 7.* — *Iudic. 4.* — *2. Reg. 21.*

dum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, & vtrum ei cōveniant, vel ab ea dissideant, explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad eius summam pervenitur, custodiendos putauimus, cùm amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, & sic postea vt decet, tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspitiosos atque verbosos exclusimus: non omnes tamen, sed eos dumtaxat, qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt, aut nolunt. Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, vt non solùm eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus eorum moderatione laudabiliùs augeatur. Nam qui velut infrænes, his passionibus acti semper feruntur in preceps, in ea vitia inevitabiliter dilabuntur & corruunt, quibus amicitia, teste Scriptura, & læditur & dissoluitur: convitia scilicet, & improperium, & secretorum revelatio, superbia, & plaga dolosa. Si tamen hæc omnia patiaris ab illo, quem semel in amicitiam suscepisti, non statim eam rumpendam dicimus, sed paulatim soluendam, talisque servetur antiquæ amicitiæ reverentia, vt licet ipsum à secretis tuis amoueas, numquam tamen ei dilectionem subtrahas, auxilium tollas, neges cōsilium. Quod si etiam ad blasphemias & maledicta eius prorumpat insania, tu tamen defer fœderi, defer charitati, vt in culpa sit qui intulit, non ille qui pertulit iniuriam. Porro si patri, si patriæ, si ciuibus, si subditis, si amicis inventus fuerit perniciosus, statim familiaritatis rumpendum est vinculum, nec vnius amor perditioni multitudinis præferatur. Hæc ne proveniant, in ipsa electione cavendum, vt videlicet is eligatur, quem non ad ista furor impellat, aut levitas trahat, aut verbositas præcipitet, aut abducat suspcio: maximè, qui non nimiùm à tuis dissentiat moribus, nec à qualitate discordet. Quia verò de vera amicitia loquimur, quæ non potest esse nisi inter bonos, de illis, de quibus, quod non sint eligendi, nulla potest esse cunctatio, vt turpes, avari, ambitiosi, criminosi, nullam facimus mentionem. Si vobis de electione satis datum est, ad probationem deinceps transeamus. *Galterus.* Opportunum hoc; nam mihi semper ad ostium oculus est, ne fortè quis irrumpat, qui vel nostris delitijs finem ponat, vel quid amaritudinis misceat, vel aliquid superducat inane. *Gratianus.* Cellerarius adest, cui si concedatur ingressus, non erit tibi facultas vlteriùs procedendi. Sed ecce ego observo januam, tu patet, perge quo cæperas. *Aelredus.* Quatuor probanda sunt in amico: fides, intentio, discretio, patientia. Fides, vt ei te securè cōmittas. Intentio, vt nihil ex amicitia, nisi Deum & naturale eius bonum expectes. Discretio, vt quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandū pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendū, modum, tempus & locum nō ignores. Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, vt eū pro amico quælibet aduersa sustinere non pigeat. Nihil in amicitia fide præstantius, quæ ipsius nutrix videtur & custos. Ipsa se in omnibus aduersis & prosperis, lætis & tristibus, iocundis & amaris, præbet æqualem: eodem intuens oculo humilem & sublimem, pauperem & diuitem, fortem & debilem, sanum & ægrotum. Fidelis propriè amicus nihil in amico, quod extra eius animum, intuetur: virtutē in propria sede complectens, cætera omnia quasi extra eum posita, nihil multum probat si assint, nec cum absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis latet, sed eminet in aduersis. In necessitate probatur amicus. Amici diuitis multi; sed vtrum veri amici sint, interueniens aduersitas probat. Salomon *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Et arguens infidelem, dicit. *Dens putridus, & pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* *Gratianus.* Si prospera nostra nulla vnquam adversitas interpolet, quomodo amici probabitur fides? *Ael.* Multa sunt alia, quibus fides probatur amici, quamvis in sinistris maximè. Nam vt superius diximus, nihil est, quod amicitiam magis lædit, quam consiliorum proditio. Evangelica verò sententia est. *Qui in modico fidelis est, & in multo fidelis erit.* Amicis itaque, quibus adhuc probationem credimus necessariam, non omnia, nec profunda nostra sunt committenda secreta, sed primo exteriora vel modica, de quibus non magnopere curandum est, an celentur an nudentur; cum tanta tamen cautione, acsi plurimum obessent prodita, prodessent autem celata. In quibus si fidelis fuerit inventus, in maioribus experiendum non dubites. Quod si fortè sinistrum aliquid de te fama vulgauerit, si quisquam malitia famam tuam fuerit persecutus, & ille nullius ad credendum adducatur suggestione, nulla moveatur suspicione, nulla dubitatione turbetur: de eius fide vlterius nulla tibi debet esse cunctatio, sed quasi de certa & stabili, non parva exultatio. *Gratianus.* Recordor nunc tui illius amici transmarini, de quo nobis fecisti sępe mentionem, quē ob hoc verissimum tibi ac fidelissimum probasti amicum, quod falsa de te referētibus, non solùm non adhibuerit fidem, sed nec vlla sit hæsitatione pulsatus: quod nec de tuo amicissimo, antiquo scilicet Claræ-Vallis Sacrista, præsumendum putasti. Sed quoniā de probatione fidei satis actum est, ad cetera enucleanda procede. *Ael.* Diximus etiam intentionem esse probandā. Pernecessarium hoc: sunt enim plerique, qui in rebus humanis nihil norunt bonum, nisi quod tēporaliter fructuosum sit. Hi amicos sicut boues suos diligūt, ex quibus aliquid boni sperant capturos: qui profecto germana & spiritali carent amicitia, propter Deum & se expetenda, nec in seipsis naturale contuentur exemplar: vbi facile deprehenditur vis eius qualis sit, & quanta sit. Ipse Dominus ac Salvator noster veræ nobis amicitiæ formam præscripsit, *Diliges* inquiens, *proximum tuum sicut teipsum.* En speculum. Diligis teipsum. Ita planè, si Deum diligis; si nempe talis es, qualem in amicitiam eligendum descripsimus. Aliquam, rogo, à teipso, huius tuæ dilectionis mercedem iudicas exigendam? Minimè profecto, sed quod per se sibi quisque carus est. Nisi igitur & tu hunc ipsum in alium transferas affectum, carus ille tibi, æquè vt tu, esse non poterit. Tunc, enim erit ipse, quem diligis alter tu, si tuam in ipsum transfuderis charitatem. Non enim, vt ait sanctus Ambrosius, vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est, non quæstus, quia pecunia nō potitur, sed gratia: nec licitatione pretiorum, sed concertatione beneuolentiæ. Ejus igitur, quem elegisti, subtiliter est probanda intentio, ne secundum spem commodi cujuslibet tibi velit in amicitia

Quatuor gradus amicitiæ.

Quatuor probanda in amico.

Prove. 17.

Prove. 25.

Intentio in amicitia probanda est.

Matth. 22.

amicitia copulari, mercenariam eam æstimans non gratuitam. Certiores autem plerumque sunt amicitiæ inopum quam diuitum, cùm spem lucri sic tollat paupertas, vt amicitiæ non minuat, sed potius augeat charitatem. Diuitibus itaque assentatoriè gratificatur; erga pauperem nemo simulator est. Verum est quicquid defertur pauperi, cuius amicitia invidia vacat. Hæc diximus, vt in amicis mores probemus, non æstimemus censum. Sic ergo probatur intentio. Si eum videris tuorum magis cupidum, quam tui; aucupari semper aliquid, quod tua sibi conferri possit industria, honorem, gloriam, diuitias, libertatem; in quib⁹ omnibus si dignior illo præferatur, vel certè in tua non sit potestate quod appetitur, qua tibi intentione adhæserit, facilè pervidebis. Iam nunc de discretione videamus. Quidam peruersè satis, ne dicam impudenter, talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Hi sunt, qui leues quoque amicorum transgressiones impatienter ferunt, austerè corripiunt, & carentes discretione magna negligunt, contra minima quæque se erigunt, confundunt omnia; non locum servantes, vbi; non tempus, quando; non personas, quibus quælibet vel publicare coveniat, vel celare. Quocirca illius, quem eligis, est probanda discretio: ne si improvidum quemquam vel imprudentem tibi in amicitia sociaveris, lites quotidianas & jurgia tibi ipse perquiras. Sanè hanc in amicitia necessariam esse virtutem satis facilè est peruidere, qua si quis caruerit, instar navis absque gubernaculo, pro impetu spiritus, instabili & irrationabili semper motu feretur. Sic & multæ causæ deesse non poterũt, quibus illius, quem cupis esse amicum, probetur patientia: cùm necesse sit arguere eum quem diligis: quod aliquãdo quasi ex industria duriùs fieri oportet, vt sic eius vel probetur, vel exerceatur tolerantia. Id sanè attendendum est, vt licet talia reperiantur in eo quem probas, quæ offendãt animum, vel alicuius secreti incauta reuelatione, vel alicuius temporalis commodi cupiditate, vel minus discreta correptione, vel aliqua debitæ lenitatis transgressione, non statim à proposita dilectione vel electione resilias, quamdiu correctionis eius spes vlla relucet. Nec quemquam in amicis eligendis, vel probandis tædeat esse sollicitum: cùm huius laboris fructus vitæ sit medicamentum, & immortalitatis solidissimum fundamentum. Cùm enim plurimi in thesauris multiplicandis, in bobus & asinis, in ouibus & capris nutriendis, eligendis, comparandis, satis periti sint, indiciaque certa in his omnibus cognoscendis non desint: dementiæ res est, eandem in amicis acquirendis, vel probandis non dare operam, & quasdam addiscere notas, quibus hi, quos eligimus in amicos, ad amicitiam probentur idonei. Cauendus sanè est quidam impetus amoris, qui præcurrit iudicium, & probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis sustinere, hunc refrænare impetum, ponere modum beneuolentiæ, paulatim procedere in affectum, donec jam probato se totum dedat, & committat amico. *Galterus.* Fateor, adhuc me movet illorum sententia, qui sine huiusmodi amicis viuere tuti⁹ arbitrantur. *Aelredus.* Mirum hoc, cùm sine amicis nulla prorsus vita jucunda sit. *Galt.* Cur rogo te? *Aelredus.* Ponamus totum genus humanum exemptum mundo, te solum superstitem reliquisse. Et ecce coram te omnes mundi delitiæ & diuitiæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, vrbes muratæ, castra turrita, ampla ædificia, sculpturæ, picturæ. Sed & reformatum te in antiquum cogita statum, omnia habere subjecta, oves & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Dic rogo nunc, vtrum sine socio omnia tibi hæc possent esse jucunda? *Galt.* Minimè. *Ael.* Quod si vnum haberes cuius nescires linguam, ignorares mores, cuius te lateret & amor & animus? *Galterus.* Si non aliquibus signis efficere possem, vt esset amicus, mallem nullum, quàm talem habere. *Ael.* Si autem vnus adesset, quem æquè vt teipsum diligeres, à quo te similiter diligi nõ dubitares, nõne õnia, quæ pri⁹ videbantur amara, dulcia redderentur & sapida? *Galt.* Prorsus ita est. *Ael.* Nonne quanto plures haberes de talibus, tanto feliciorem te judicares? *Galterus.* Verissimè. *Aelredus.* Hæc est illa mira & magna felicitas, quam expectamus, Deo ipso operante, & diffundente inter se & creaturam suam, quam sustulerit, inter ipsos gradus & ordines, quos distinxerit, inter singulos quosque, quos elegerit, tantam amicitiam & charitatem, vt sic quisque diligat alium sicut seipsum; ac per hoc sicut vnusquisque de propria, sic & de alterius felicitate lætetur: & ita singulorum beatitudo omnium sit, & omnium beatitudinum vniversitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera & æterna amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur; quæ hic paucorum est, vbi pauci boni; ibi omnium, vbi omnes boni. Hic necessaria probatio, vbi est sapientium & stultorum permixtio; ibi probatione non egent, quos beatificat angelica illa, & quodammodo diuina perfectio. Ad hanc proinde similitudinem comparemus amicos, quos non secus ac nosipsos diligamus: quorum nobis nuda sint omnia, quibus omnia nostra pandamus secreta, qui firmi sint, & stabiles, & constãtes in omnibus. Putasne quemquam mortalium esse, qui non velit amari? *Galterus.* Non æstimo. *Aelredus.* Si quem videres inter multos viuere, & omnes habere suspectos, quasi insidiatores capitis sui timere omnes, nullum diligere, nec se diligi à quoquam putare, non eum miserrimum judicares? *Galterus.* Miserrimum planè. *Aelredus.* Ergo ipsum felicissimum non negabis, qui in eorum, inter quos viuit, visceribus requiescit, amans omnes & amatus ab omnibus, quem ab hac suavissima tranquillitate nec suspicio diuidat nec timor excutiat. *Galterus.* Optimè ac verissimè *Aelre.* Quid si fortè de omnibus difficile inuentu sit in præsenti, cum id nobis in futurum seruetur, quanto plures nobis abundant huiusmodi, tanto nobis feliciores æstimabimus? Nudiustertius cum claustra monasterij circuirẽ, consedente fratrũ amantissima corona, & quasi inter paradysiacas amœnitates singularum arborum folia, flores, fructusque mirarer; nullum inueniens in illa multitudine, quem non diligerem, & à quo me diligi non confiderem, tanto gaudio perfusus sum, vt omnes mundi huius delitias superaret. Sentiebam qtippe meum spiritũ transfusum in omnibus, & in me omnium transmigrasse affectum, & dicere cum Propheta. *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum!* *Grat.* Num omnes illos, quos sic diligis, & à quibus sic diligeris, te in amicitiam assũpsisse putabim⁹? *Aelred.* Plerosque omni affectu

Sæpe certiores sunt pauperum amicitiæ.

Eius, qui amicus eligitur probanda est discretio.

Sine socio nulla iucunditas.

Probatio amici necessaria.

Psal. 132.

complectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus; quæ maximè in omnium secretorum, & consiliorum nostrorum reuelatione consistit: vnde Dominus in Euangelio, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos*; causamque subiungens, qua amici nomine digni haberentur, *Quia omnia*, inquit, *quæ audiui à patre meo, nota feci vobis*. Et alias, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis*. De his verbis, vt sanctus ait Ambrosius, *dedit formam amicitiæ quã sequamur, vt faciamus amici voluntatem, vt aperiamus secreta nostra amico, quæcunque in pectore habemus, & illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suum. Nihil enim occultat amicus. Si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria patris Dominus Iesus.* Hæc Ambrosius. Quàm multos ergo diligimus, quibus minùs cautum est, sic nostrum propalare animum, & effundere viscera! quorum vel ætas, vel sensus, siue discretio, ad talia sustinenda non sufficit. *Galterus.* Hæc amicitia tam sublimis & perfecta est, vt ad eam aspirare non audeã. Mihi & huic Gratiano illa sufficit, quam tuus Augustinus describit, colloqui scilicet & corridere, & vicissim beneuolè obsequi, simul legere, simul conferre, simul nugari, & simul honestari: dissentire interdum sine odio, tanquam homo sibi, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas: docere aliquid inuicem, aut discere ad inuicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere aduenientes cum lætitia. His atque huiusmodi, à corde amantium & redamantium procedentibus signis per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnũ facere. Hoc est, quod nos diligendum credimus in amicis; ita vt rea sibi nostra videatur conscientia, si non amauerimus redamantem, aut si amantem non redamauerimus. *Ael.* Amicitia hæc carnalium est, & maximè adolescentium, quales aliquando fuerant ipse, & suus, de quo tunc loquebatur, amicus: quæ tamen, exceptis nugis & mendacijs, si nulla intercesserit inhonestas, spe vberioris gratiæ toleranda est, quasi quædã amicitiæ sanctioris principia; quibus, crescente religione, & spiritualium studiorum parilitate, accedente etiam maturioris ætatis grauitate, & spiritualium sensuum illuminatione, purgatiori affectu ad altiora, quasi è vicino conscendant: sicut hesterna die ab hominis ad Dei ipsius amicitiam, ob quandam similitudinem diximus facilius transeundum. Sed iã tempus est, vt, quemadmodum amicitia sit colẽda, deinceps videamus. Firmamentũ igitur stabilitatis, & constantiæ in amicitia fides est; nihil est enim stabile quod infidum est. Simplices quippe, & communes, & consentientes, & qui ijsdem rebus moueantur, esse debent amici ad inuicem: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Non enim fidum potest esse multiplex ingenium & tortuosum: neque qui non eisdem rebus mouentur, nec eisdem consentiunt, nec stabiles esse possunt amicitiæ aut fidei. Præ omnibus autem cauenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum. Non vnquam de amico mala sentiam', nec mala dicenti credamus vel consentiam'. Accedat hinc in sermone iocunditas, hilaritas in vultu, suauitas in moribus, in oculorũ etiam nutu serenitas, in quibus haudquaquam mediocrè in amicitia condimentum. Tristitia namque & seuerior facies habet quamdam honestam grauitatem, sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, & liberior, & dulcior, ad comitatẽ facilitatemque, sine leuitate & dissolutione procliuior. Est præterea illius amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe enim quidem inferioris gradus vel ordinis, vel dignitatis, vel scientiæ, ab excellentioribus assumuntur in amicitiam: quos oportet omnia, quæ extra naturam sunt, contemnere & æstimare quasi nihilum & inane: & in pulchritudinem amicitiæ, quæ non sericis vel gemmis ornatur, non possessionibus dilatatur, non pinguescit delitijs, nec abundat diuitijs, non honoribus extollitur, non dignitatibus inflatur, sẽper attendere: & sic ad originis recurrentes principium, æqualitatem, quam natura dedit, non autem circumpendentia, quæ mortalibus cupiditas præstitit, subtili examinatione considerare. Itaque in amicitia, quæ naturæ simul & gratiæ optimum donum est, sublimis descendat, humilis ascendat; diues egeat, pauper ditescat: & ita vnusquisque alteri suam conditionem communicet, vt fiat æqualitas. Vnde scriptum est. *Qui multum habuit, nõ abundauit: & qui modicum, non minorauit.* Numquam ergo tuo te præferas amico, sed si fortè in ijs quæ diximus superior inueniris, tunc te magis amico submittere non cuncteris, præstare cõfidentiam, extollere verecundum, & tantò plus ei conferre honoris, quantò minus conferendum conditio vel paupertas præscribit. Præstantissimus iuuenum Ionathas, non Regium stemma, nec regni exspectationem attendens, fœdus inijt cum David, & seruum in amicitiam adæquans Domino, sic fugatum à patre, sic latitantem in eremo, sic adjudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit; se humilians, & illum exaltans. *Tu*, inquit, *eris Rex, & ego ero secundus post te.* O præclarissimum veræ amicitiæ speculũ! Mira res! Rex furebat in seruum, & quasi in æmulum regni totam patriam excitabat, sacerdotes arguens proditionis, pro sola suspicione trucidat; lustrat nemora, valles exquirit, montes & rupes armata obsidet manu, omnes se Regiæ indignationis spondent vltores: solus Ionathas, qui solus iustiùs poterat inuidere, patri resistendum putauit, deferendum amico, præbendum in tanta aduersitate consilium, & amicitiam regno præferens, *Tu eris* ait *Rex, & ego ero secundus post te.* Et vide, quomodo pater adolescentis contra amicum excitabat inuidiam, conuitijs vrgens, terrens minis, spoliandum regno, honore priuandum commemorans. Cùm enim in David mortis sententiam protulisset, Ionathas amico non defuit. *Quare morietur David? Quid peccauit? Quid fecit? Ipse posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, lætatus es. Quare ergo morietur?* Ad hanc vocem versus in insaniã Rex, lancea nisus est confodere Ionatham cum pariete, addensque cõuitia minis, *Fili* inquit *mulieris vltro virum rapientis; scio quia diligis eum in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.* Deinde totum virus, quo pectus iuuenis aspergeretur, euomuit, adijciens verbum ambitionis incitamentum, fomentum inuidiæ, zeli & amaritudinis incentiuum. *Quamdiu vixerit filius Isai, non stabilietur regnum tuum.* Quis non moueretur his verbis, non inuideret? Cuius amorem, cuius gratiam, cuius amicitiam non corrumperent, non minuerent, non obliterarẽt? Ille amantissimus adolescens amicitiæ iura conseruãs, fortis ad minas, patiẽs ad conuitia, ꝓpter

Ioann. 15. *Ambros. 3. de Offic. c. 21* *Aug. lib. 4. meditat. c. 8* *Amicitia carnalium.* *2. Cor. 8.* *Amicitia Ionathæ & Dauidis.* *1. Reg. 20.* *1. Reg. 20.* *Ibidem*

amicitiam regni contemptor, immemor gloriæ, sed memor gratiæ. *Tu eris*, inquit, *Rex, & ego ero secundus post te.* Repertos quosdam dicit Tullius, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum æstimarent; illos autem impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes non amicitiæ anteponant; vt cùm ex altera parte proposita hæc sint, ex altera ius amicitiæ, non multa illa malint. Imbecillis est enim natura ad contemnendam potentiam. *Vbi enim*, ait, *inuenies, qui honorem amici anteponat suo?* Ecce inuetus est Ionathas victor naturæ, gloriæ ac potestatis contemptor, qui honorem amici suo præfert. Tu eris, inquiens Rex, & ego ero secundus post te. Hæc est vera, perfecta, stabilis, & æterna amicitia: quã inuidia non corrumpit, non suspicio minuit, non dissolvit ambitio; quæ sic tentata non cessit, sic arietata non corruit; quæ tot cõuitijs pulsata cernitur inflexibilis, tot lacessita iniurijs permansit immobilis. Vade ergo, & tu fac similiter. Verùm, si tibi præferre quem diligis, durum vel etiam impossibile iudicas: vel parem eum tibi facere, si vis esse amicus, non negligas. Non enim amicitia rectè colitur, à quibus æqualitas non seruatur. Defer amico vt æquali, (ait Ambrosius) nec te pudeat vt præuenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ, immortalitatis gratia. Iam in beneficijs, quomodo colenda sit, attendamus, & hinc aliquid de alienis manibus extorqueamus. Hæc lex, ait, quidam in amicitia sanciatur, vt ab amicis honesta petamus, & pro amicis honesta faciamus, nec expectemus vt rogemur; cunctatio semper absit. Si perdenda est pecunia propter amicum, multò magis amici vtilitatibus, vel necessitatibus conferenda. Sed non omnes omnia possunt. Abundat iste pecunia, ille agris & possessionibus; alter in consilijs plus potest, alter magis excellit in honoribus. In his qualem te debeas exhibere amico, prudenter aduerte. Et de pecunia satis dedit scriptura, *Perde* inquit *pecuniam propter amicum.* Sed quia oculi sapientis in capite eius, si nos simus membra & Christus caput, faciamus quod ait Propheta, *Oculi mei semper ad Dominum*, vt ab eo accipiamus viuendi formam, de quo scriptum est, *Si quis indiget sapientia, postulet à Domino, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Sic igitur des amico, vt non improperes, non mercedem expectes, non frontem obducas, non vultum auertas, non deponas oculos: sed serena facie, hilari vultu, sermone iocũdo intercide verba petentis: occurre beneuolentia, vt non rogatus videaris prçstare quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescẽdum çstimat, quàm rogare. Cùm igitur tibi cum amico tuo çsse debeat cor vnum & anima vna, iniuriosum est, si non sit & pecunia vna. Hæc igitur lex in hac parte inter amicos teneatur; vt sic se sibi suáque impendat, vt qui dat, seruet hilaritatẽ; qui accipit, non perdat securitatem. Booz cum Ruth Moabitidis aduertisset inopiam, post messores suos legẽtem spicas alloquitur, cõsolatur, inuitat ad conuiuium puerorum, & verecũdiæ eius ingenuè parcens, iubet messoribus, etiam de industria spicas relinquere, quas illa colligeret absque pudore. Sic & nos debemus amicorũ necessitates subtilius explorare, petiturum beneficijs præuenire, talem in dando modum seruare, vt ille gratiã videatur præstare, qui accepit; magis quàm ille, qui dedit. *Galterus.*

1. Reg. 23.

Lib. 3. de Offic. cap. 21

Eccli. 26.

Psalm. 24.

Iacob. 1.

Praeuenienda petitio amici.

Ruth. 2.

Nobis igitur, quibus nihil accipere, nihil dare permititur, qualis erit in hac parte spiritalis amicitiç gratia? *Aelredus.* Felicissimam vitam, ait sapiens, ducerent homines, si duo hæc verba de medio tolerentur, Meum & Tuum. Magnam certè præstat spiritali amicitiæ firmitatem sancta paupertas, quæ ideo sancta est, quia voluntaria. Cùm enim peremptorium sit amicitiæ cupiditas, tantò faciliùs amicitia parta seruatur, quantò animus ab illa peste purgatior inuenitur. Sunt tamen alia in spiritali amore beneficia, quibus & adesse sibi, & prodesse possunt amici. Primum vt solliciti sint pro inuicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum vt suum lugeat, alterius profectum suum existimet. Quibus modis potest erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic præterea oculos revereatur amici, vt nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod dedeceat, loqui præsumat. Cùm enim quicquid ipse deliquerit, ita redundet in amicum, vt non solum intra se erubescat & doleat; sed etiam is qui videt vel audit, sibi, acsi ipse peccasset, improperet; profectò licet non sibi, amico tamen credit esse parcendum. Optimus itaque comes amicitiæ verecundia est, & ideo maximum ornamentum tollit amicitiæ, qui ab ea tollit verecundiam. Quàm sæpe conceptam ab intus iracundiç flammam, & iam in publicum erumpentem, amici mei nutus compescuit vel extinxit! quoties verbum indecens vsque ad fauces progresũ, austerior illius aspectus repressit! Quàm sæpe incautiùs resolutus in risum, vel in otiosa lapsus, in eius aduentu debitam grauitatem recepi! Præterea quicquid suadendum est, ab amico faciliùs recipitur, & securiùs retinetur; cuius magna in suadendo debet esse auctoritas, cùm nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta. Amicus igitur amico quod honestum est, suadeat securè, manifestè, liberè. Nec solum monẽdi sunt amici, sed si opus fuerit, obiurgandi. Nam cùm quibusdam molesta sit veritas, siquidẽ ex ea nascitur odium, secũdum illud, *Obsequium amicos, veritas odium parit*; obsequiũ tamẽ illud multò molestius est, quod peccatis indulgens, præcipitẽ amicum fieri sinit. Maximè autem culpãdus est amicus, & hinc prçcipuè objurgandus, si veritatem aspernatur, & obsequijs atque blanditijs in crimen impellitur. Non quod debeamus amicis dulciter obsequi, & plerumque blandiri: sed in omnibus seruanda moderatio est, vt monitio acerbitate, & objurgatio cõtumelia careat. In obsequijs verò vel blanditijs, suavis quædam & honesta affabilitas adsit: assentatio verò vitiorum adiutrix procul amoveatur: quæ non solùm amico, sed nec liberoquidem digna est. Cuius autem aures veritati clausæ sunt, vt ab amico verum audire non possit, huius salus desperanda est. Quocirca, sicut ait Ambrosius, siquid vitij in amico deprehenderis, corripe occultè; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correctiones, & plerũque meliores, quàm tacita amicitia. Etsi lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Etsi amaritudo correptionis animum eius vulneret, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quàm adulantium oscula. Errantem igitur amicum corripe. Super omnia tamen cavenda est in correptione ira & amaritudo mentis: ne non tã videatur amicum velle corrigere, quàm suo stomacho satisfacere. Vidi enim aliquos in amicis

Plato.

Beneficia amicitiæ inter Religiosos.

Seruãda moderatio in amicitia.

corrigendis, conceptam amaritudinem, ebullientemque furorem, nunc zeli, nunc libertatis nomine palliare: & secutos impetum, non rationẽ, sua tali correptione numquam prodesse, imò & obesse plurimùm. At inter amicos nulla vitij hujus excusatio est. Debet enim amicus amico compati, condescendere, vitium eius suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eũ vultus tristior, sermo deiectior, intercipiant verba lacrymæ; vt non solùm videat, sed etiam sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore procedere. Si fortè primam correptionem respuerit, recipiet vel secundam. Tu interim ora, tu plora; tristem præferens vultum, pium seruans affectum. Exploranda est etiam animi illius qualitas. Nam sunt, quibus blanditiæ prosunt, & his libentiùs acquiescunt. Sunt, qui pro nihilo eas ducunt, & faciliùs verbo vel verbere corriguntur. Amicus proinde ita se conformet & aptet amico, vt eius congruit qualitati: & cui in exteriori adversitate debet adesse, his quæ sunt aduersa spiritui, multòmagis festinet occurrere. Igitur sicut monere & moneri propriè amicitiæ est; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, in amicitijs nullã pestem esse majorem, quàm adulationem & assentationem: quæ sunt levium hominum, atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Nulla proinde sit inter amicos cunctatio, simulatio nulla, quæ maximè repugnat amicitiæ. Debet quippe amico veritatem; sine qua nomen amicitiæ valere non potest. *Corripiet me*, ait sanctus David, *justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Simulator & callidus prouocat iram Dei. Inde Dominus per Prophetam. *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Simulator* enim *ore*, vt Salomon ait, *decipit amicum suum.* Quocirca sic colenda est amicitia, vt si fortè certis ex causis admittẽda videatur dissimulatio, sed simulatio numquam. *Gal.* Quomodo, quæso, dissimulatio necessaria est, quæ vt mihi videtur, semp vitium est? *Ael.* Falleris, fili, nam & De' dissimulare dicitur peccata delinquentium, nolens mortem peccatoris, sed vt conversatur, & viuat. *Galterus.* Distingue, rogo, inter simulationem & dissimulationem. *Ael.* Simulatio, vt mihi videtur, deceptorius quidam consensus est, contra iudicium rationis, quam Terentius in persona Gnatonis satis eleganter expressit. *Negat quis? Nego. Ait? Aio. Postremò imperaui egomet omnia mihi assentari.* Et fortè hæc Ethnicus ille de nostris mutuauit thesauris, sensum Prophetæ nostri suis exprimens verbis. Nam & hoc ipsum ex persona plebis perversæ dixisse Prophetam, manifestum est. *Videte nobis vana, loquimini nobis placentia.* Et aliàs. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manu, & populus meus dilexit talia.* Hoc vitium vbique detestandum est, semper & vbique cavendum. Porrò dissimulatio dispensatoria quædam est, vel pœnæ vel correptionis dilatio, sine cõsensu interiori, pro loco, pro tempore, pro persona. Neque enim si quis amicus cõstitutus in plebe deliquerit, subitò & palam objurgandus est: sed dissimulandum pro loco, imò & quantum salua veritate fieri potest, excusandum quod fecit, & ad debitam correptionem expectandum familiare secretum. Sic eo tempore,

Amicus vt se habere debeat ad amicum.

Psal. 140.

Isai. 3.

Prouer. 11.

Quid distet inter simulationem & dissimulationem.

Isai. 30.
Ierem. 5.

Non omnis dissimulatio mala.

quo animus intentus pluribus, minùs est ad ea, quæ dicenda sunt idoneus, vel, alijs superuenientibus causis, paululum commotior sensus ei fuerit aliquantulum perturbatus, dissimulatione opus est, donec interiori tumultu sedato, corripientem aure pacatiore sustineat. Dauid Rex, cũ præuentus concupiscentia homicidum adulterio copulasset, correpturus eum Propheta Nathan, Regiæ deferens maiestati, non subitò, nec mente turbata tantæ personæ crimen impegit: sed congrua dissimulatione præmissa, prudenter ipsius Regis, contra seipsum, sententiam extorsit. *Galterus.* Mihi perplacet ista distinctio. Sed scire velim, si amicus potentior fuerit, possitque ad honores vel quaslibet dignitates, quos voluerit promouere; vtrum debeat eos quos diligit, & à quib' diligitur, cæteris in tali promotione præferre, & inter ipsos, quos ampliùs diligit anteferre? *Aelredus.* Et in hac parte quomodo colenda sit amicitia, operæpretium est indagare. Sunt enim nonnulli, qui se putent non amari, quia nõ possunt promoueri; seque contemni causentur, si non curis & officijs implicentur. Vnde non parvas discordias inter eos, qui putantur amici, ortas nouimus, ita vt indignationem divortium sequeretur, diuortium maledicta. Itaque in dignitatibus vel officijs, maximè ecclesiasticis, magna cautio adhibenda est: nec attẽdendum quid possis præstare, sed quid ille, cui præstas, poterit sustinere. Plures quippe sunt diligendi, qui tamen non sunt promovendi; & multos laudabiliter & dulciter amplectimur, quos non sine graui nostro peccato, & illorum summo periculo, curis & negotijs implicaremus. Quocirca semper in his ratio sequenda est, non affectus; nec his imponendus est honos vel onus istud, quos habemus amicitiores, sed quos ad ea sustinenda credimus aptiores. Vbi tamen virtutis inuenitur æqualitas, non multùm improbo, si aliquantisper affectus suas inserit partes. Nec quisquam se idcirco dicat contemptum, quia non promotum; cum Domin' IESVS Petrum Ioanni in hac parte prætulerit, nec ideo subtraxerit Ioanni affectũ, quia Petro dederat principatum. Petro commẽdauit Ecclesiam suam; Ioanni dulcissimam matrem suam. Petro dedit claues regni sui, Ioanni reserauit arcana pectoris sui. Petrus ergo sublimior, Ioannes securior. Petrus licet in potestate constitutus, dicente Iesu; *Vnus ex vobis tradet me*, cum ceteris timet & trepidat; Ioannes ex sinus sui participatione factus audacior, innuente Petro, quisnam ille esset, interrogat. Petrus ergo exponitur actioni, Ioannes reseruatur affectui; quia *Sic*, inquit, *eum volo manere, donec veniam.* Exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Præstemus amico quicquid amoris est, quicquid gratiæ, quicquid dulcedinis, quicquid charitatis: futiles honores & onera illis, quos præscripserit ratio, imponam', scientes quia nunquã verè diligit amicum, cui amicus ipse non sufficit, nisi hæc vilia & contemptibilia adiecerit. Cauendum autem magnopere est, ne tenerior affectus maiores vtilitates impediat: dum eos, quos ampliori charitate complectimur, vbi magna spes fruct' vberioris elucet, nec absentare volum', nec onerare. Hæc est enim amicitia ordinata, vt ratio regat affectũ, nec tam quid illorũ suauitas, quã quid multorũ petat vtilitas, attendamus. Recordor nunc duorum amicorum, qui licet exempti præsentibus, mihi tamen viuunt, semper-

2. Reg. 12.

Non sunt amici praeferendi alijs quo ad officia, &c.

Ioan. 21.

Ioan. 13.

Ioan. 21.

Amici duo singulares Auctoris. que viuent: quorum primum in initijs meæ conversionis, quadam mihi morum similitudine, & studiorum parilitate comparaveram, cùm adhuc essem adolescens: alterum ab ipso ferè pueritiæ suæ tempore à me electum, & multifariè multisque modis probatum, cùm jam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere pressus, nulla rerum temporalium solicitudine distentus, claustralium deliciarum, & spiritualium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium consortemque delegeram: nihil exigens, nihil præstans, præter affectum, & ipsius affectus suaue quoddam, provt charitas dictabat, iudicium. Istum jam invenem in meæ solicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadjutorem. Inter vtramque hanc amicitiam, memoria præeunte discernens, video priorem inniti magis affectui, alteram rationi: quamvis nec illi affectus defuerit, nec illam ratio deseruerit. Denique prior in ipsis amicitiæ nostræ principijs ereptus mihi, eligi potuit, sicut præscripsimus, non probari: alter à puero vsque ad mediam ętatem dimissus mihi, & à me dilectus, per omnes amicitiæ gradus, quovsque talium potuit imperfectio, mecum ascendit. Et primùm quidem virtutum eius contemplatio illi meum inclinauit affectum; quem ego olim ab Australibus partib⁹ in Aquilonarem hanc solitudinem duxi; ego regularibus disciplinis primus institui. Ex tunc ipse victor corporis, laboris etiam & inediæ patiens, plurimis exemplo fuit, admirationi multis, mihi gloriæ & delectationi. Ex jam tunc eum in amicitiæ principijs nutriendum putaui: vtpote quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur & egrediebatur pergens ad imperiũ seniorum, humilis, mansuetus, gravis moribus, sermone rarus, indignationis nescius, murmuris, & rancoris, & detractionis ignarus: incedebat quasi surdus non audiens, & sicut mutús non aperiens os suum. Vt jumentum factus *Psalm. 37.* est, sequens obedientiæ frænum, & jugum disciplinæ regularis mente & corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquãdo adhuc puer cellam infirmorum, correptus est à sancto Patre & prædecessore meo, quod tam citò puer se quieti inertiæq; dedisset: sic erubuit, vt mox egressus tã ferventer corporalib⁹ se subderet exercitijs, vt multis annis nec cum graui ęgritudine vrgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxauerit. Hæc eum mihi inuiscerauerant miris modis, & ita in animum induxerant meum; vt mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico amicissimum facerem. Videns enim eum in quosdam canos virtutis & gratiæ profecisse, fratrum vsus cõsilio, onus ei Supprioratus imposui. Quodquidem inuitus, sed quia obedientiæ se deuouerat, modestè suscepit. Egit tamen mecum secretò, vt dimitteretur, prætendens ætatem, prætendens inscitiam, prætendens amicitiam, qua iam initiabamur: nè fortè hac occasione vel minus diligeret, vel diligeretur minus. Sed his nihil proficiens, cœpit libera voce quicquid timebat vtrisque, quicquid sibi in me minus placebat, humiliter & modestè proferre in medium: sperans, vt postea confessus est, hac me quasi pręsumptione offensum, ad id posse, quod petebat, faciliùs inclinari. Sed hæc eius mentis vocisque libertas, amicitiæ nostrę cumulum addidit: quia volebam eum amicum habere non minimum. Cernens

Promotus amicus ad officium Supprioratus.

tunc ille me gratum habere, quod dixerat, respõdisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, se non modo nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse: cœpit me & ipse ardtiùs solito diligere, habenas laxare affectui, & meo se pectori totum infundere. Ita & mihi eius libertas, & mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione duriùs obiurgandum putaui, nec quibusdam quasi conuitijs parcens, eum libertati meæ nec impatientem reperi, nec ingratum. *Amicitiæ exemplum.* Cœpi deinde consiliorum meorum ei reuelare secreta, & fidelis inuentus est. Ita inter nos amor creuit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, vt esset nobis cor vnum & anima vna, idem velle & idem nolle: essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhonestè blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda & aperta: qui meum pectus quodammodo suum putarem, & eius meum, ipseque similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat. Vnde se amicũ in omnibus probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis objiciebat, scandalis emergentibus obuiabat. Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia iam infirmabatur, præbere solatium: sed ille prohibebat, cauendum dicens, ne amor noster secundùm hanc carnis consolationem metiretur; ne id magis carnali affectui meo, quam eius necessitati ascriberetur, & sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium: cuius amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cuius consilium recreabat tristitia vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratũ. Quicquid minus lætum emergebat, referebam ad eum; vt quod solus non poteram, iunctis humeris faciliùs sustinerem. Quid ergo? Nonne quædam beatitudinis portio fuit sic amare, & sic amari; sic iuuare & sic iuuari; & sic ex fraternæ charitatis dulcedine in illum sublimiorem dilectionis diuinæ splendorem altius euolare, & in scala charitatis nunc ad Christi ipsius complexũ conscendere: nunc ad amorem proximi ibi suauiter repausandum descendere? In hac igitur amicitia nostra, quam exempli gratia inseruimus, si quid cernitis imitandum, ad vestrum id retorquete profectum. Sed vt tandem collationem hanc nostram vel sole ruente claudamus, ab amore profectam amicitiam non dubitatis. Qui verò semetipsum non amat, alium amare qui potest? Et cùm ex similitudine amoris, quo ipse sibi carus est, amorem proximi debeat ordinare: se autem non diligit, qui turpe aliquid vel inhonestum, vel à se exigit, vel sibi imperat. Primum *Vt quis se amare debeat.* igitur est, vt semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens, quod indecens sit: nihil sibi subtrahens, quod vtile sit. Sic verò seipsum diligens, diligat & proximum, eandem regulam sequens. Sed quia hic amor multos colligit, ex ipsis eligat, quẽ ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem suũ copiose infundat affectũ: denudans pectus suũ vsque ad inspectionem viscerũ & medullarũ, cogitationũ & intentionũ cordis,

Eligatur autem non secundùm affectionis lasciviam, sed secundùm rationis pespicaciam; similitudine morum, & cōtemplatione virtutum. Deinde sic se impendat amico, vt levitas omnis absit, jucunditas adsit; nec ordinata desint benevolentiæ & charitatis officia, vel obsequia. Iam exinde probetur fides eius, probetur honestas, probetur patientia. Accedat paulatim consiliorum communio, assiduitas parilium studiorum, & quædam conformatio vultuum. Sic enim conformari sibi debent amici, vt statim cùm alter alterum viderit, etiam similitudo vultus vnius in alterum transfundatur; siue fuerit deiectus tristitia, siue iucunditate serenus. Ita electus atque probat⁹, cùm certum tibi fuerit, nihil eum velle, quod dedeceat vel petere ab amico, vel præstare rogatum: constiteritque tibi amicitiam eum putare virtutē, non quæstum; adulationem fugere, detestari assentationem: inuentusque fuerit liber cum discretione, patiens in correptione, firmus & stabilis in dilectione: tunc illa spiritalis sentitur dulcedo; quàm bonum scilicet, & quàm jucundum, habitare fratres in vnum. *Psalm. 132.* Quàm vtile tunc dolere pro inuicem, laborare pro invicem: cùm vnusquisque pro altero semetipsum negligere dulce habet, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis quàm sui ipsius occurrere, adversis semet opponere, & exponere. Interea quàm dulce habent conferre invicem, sua studia mutuò patefacere, simul examinare omnia, & de omnibus in vnam convenire sententiam! Accedit & pro inuicem oratio, quæ in amici memoria tantò efficaciùs, quantò affectuosiùs ad Deum emittitur, profluentibus lacrymis, quas vel timor excutit, vel affectus elicit, vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, & pro amico volens exaudiri à Christo, ipsum diligenter & desiderāter intendit: cùm subitò & insensibiliter aliquādo affectus transiens in affectum, & quasi è vicino ipsius Christi tangens dulcedinem, incipit gustare, quàm dulcis est, & sentire quàm suauis est. Ita à sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritualem amicitiæ fructum pleno lætus ore carpet, plenitudinem omnium expectans in futurum: quando timore sublato quo nunc pro invicem metuimus & soliciti sumus, omni aduersitate depulsa, quam oportet nunc vt pro invicem sustineamus; mortis insuper aculeo cum ipsa morte destructo, cuius nos punctionib⁹ plerumque fatigari, necesse est, vt pro invicem doleamus, securitate concepta in summi illius boni æternitate gaudebimus; cum hæc amicitia, ad quam hic paucos admittimus, transfundetur in omnes, & ab omnibus refundetur in Deum, cùm Deus fuerit omnia in omnibus.



EIVSDEM BEATI AELREDI,

TRACTATVS SVPER EVANGELIVM.

Cùm factus esset IESVS annorum duodecim.

Luc. 2.

Præfatio seu Epistola Aelredi ad quemdam Monachum, cujus rogatu tractatum istum edidit.

PETIS à me, fili carissime, quatenus ex lectione Evangelica, qua duodennis pueri IESV pia gesta narrantur, aliqua piæ meditationis, & sancti amoris eliciam semina, & sportulis literarum cōmendans, tibi colligenda transmittam. Adhuc nuntius ista loquebatur, & ecce sensi in ipsis medullis cordis mei, ex quāto, ex quali, ex quàm ardenti, ex quàm dulci tua id fraternitas petebat affectu: cùm subitò venit mihi in mentem, vbi aliquando fuerim, quid senserim, quid in me ipsa Evangelica verba nonnumquam egerint, cùm legerentur, vel cantarentur. Respexi miser, respexi, & vidi, quàm longè post tergum meum illa suavia ac iucunda reliquerim, quàm longè ab his delicijs occupationum ac solicitudinum me funes abstraxerint, adeo vt quæ tangere tunc nolebat anima mea, nunc pręangustia cibi mei sint. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, cùm emissa ad me manus Domini tetigit cor meum, & vnxit illud vnctione misericordiæ suæ. Cernis in ipso tuæ inquisitionis modo, quid luminis, quid splendoris tuus instillarit affectus, cùm insinuari tibi flagitares, puer Iesus triduo illo, quo quærebatur à matre; vbi fuerit, quo sit vsus hospitio, quibus cibis alitus, quorum delectatus consortio: quibus negotijs occupatus. Sentio, fili mi, sentio, ea ipsa quàm familiariter, quàm affectuosè, cum quibus lachrimis in orationibus tuis sanctis ab ipso Iesu soleas sciscitari: cùm ante oculos cordis tui illa dulcis pueri dulcis versatur imago: cùm illum speciosissimum vultum spirituali quadam imaginatione depingis: cùm oculos illos suauissimos, simul & mitissimos in te iocundiùs radiare presentis. Tunc, vt videtur mihi, intimo clamas affectu. O dulcis puer, vbi eras? Vbi iacebas? Quo vtebaris hospitio? Quo fruebaris consortio? Vtrum in cælo? Vtrum in terra? An in domo aliqua interim morabaris: vel certè cum aliquibus tuæ ætatis puerulis secreto loco consistens, eis secretorum mysteria perfundebas, secundum tuam in Evangelio vocem, *Sinite paruulos venire ad me: & nolite prohibere illos?* *Marc. 10* Felices, si qui fuerunt illi, quibus tot diebus tam familiariter tuam presentiam indulsisti. Sed quid est, mi dulcis Dñe: quòd sanctissimæ matri tuę querenti, dolenti, suspiranti non compatiebaris? Denique ipsa & pater tuus dolentes quærebant

te. Imò tu, Domina mea dulcissima, cur Dominũ quærebas, quem Deum esse non ignorabas? An ne cruciaretur fame, ne frigore vexaretur: ne ab alio quolibet ætatis suæ puero iniuriaretur, formidabas? Nonne ipse est, qui pascit omnia, omnia nutrit: qui fenum agri quod hodie est & cras in clibanũ mittitur, gloriosiùs à Salomone vestit & ornat? Quin potius Domina mea (pace tua dico) dulcissimum filium tuum cur tam facilè amisisti: tam incuriosè custodisti, tam serò quòd deerat animaduertisti? Vtinam & mihi inspirare dignaretur ipse Iesus: quid sibi sic querenti, sic flagitanti, sic æstuanti, interno & spirituali sermone responderit: vt nota tibi scriberem, & gustata eructare sufficerem. Videamus tamẽ, si placet, quidnam sit quòd Dominus Iesus in Bethleem nascitur; latet in Ægypto; nutritur in Nazareth; & inde duodennis ad templum & metropolim ciuitatem ascendit, nec tamen solus, sed sub parentum disciplina. Vt quia ista omnia? Quia profectò dux est Dominus meus Iesus, quia medicus, quia doctor. Quia vt dux, *exultauit vt gigas ad currendam viam*; quia *à summo cœlo egressio eius*, & vsque ad Bethleem descensus eius. Ibi plena cœlestium odoramentorum relinquens vestigia posuit tenebras, id est Ægyptum, latibulum suũ. Et cùm sedentibus in tenebris & vmbra mortis lucem supernæ gratiæ infudisset, etiã Nazareth sancta sua præsentia nobilitauit. Sicque Nazarenus effectus, in templum ingreditur quasi puer discens, non docens, audiens & interogans: & in his omnibus à patentum disciplina non recedẽs. Sic Domine, sic præcedis miseros, sic sanas ægrotos; hanc viam errantibus, hanc ascendentibus scalam, hunc exulibus reditum præmonstrans. Quis dabit mihi, bone Iesu, tuis inhærere vestigiis, & sic currere post te, vt quandoque apprehendam te? Ego prodigus ille filius, qui accepi ad me substantiam meã, nolens custodire ad te fortitudinem meam; profectus sum in regionem lõginquam, regionem dissimilitudinis, comparatus iumentis insipientibus, & similis redditus illis. Ibi dissipaui omnia bona mea viuendo luxuriosè: & sic cœpi egere. Infelix egestas, cui & panis defuit, & porcorũ cibus non profuit: sequens quidem animalia immundissima, erraui in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi nõ inueniens. Esuriens & sitiens anima mea in malis contabuit, & dixi. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo!* Dũ sic clamarem ad Deum, exaudiuit me, deducens me in viam rectam, vt irem in ciuitatem habitationis. Quam? nisi in illam, quæ abundans panibus, *domus* dicitur *panis*, id est Bethleem? Confiteãtur tibi Domine misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis. Pane vtique illo, qui de cœlo descendit; positus in præsepio spiritualium cibus factus est iumentorum. Et hæc quidem conuersionis, quasi spiritualis cuiusdam natiuitatis sunt initia, vt conformemur paruulo, paupertatis suscipiamus insignia; & facti, vt iumentum apud te Domine, præsentiæ tuæ deliciis perfruamur. Sed quia scriptum est, *Fili accessisti ad seruitutem Dei*, sta fortiter, *& prepara animam tuam ad tentationem*: abscondit modicum faciem suam à nobis Dominus Iesus, non vt discedat, sed vt lateat; & ecce Aegyptus, ecce tenebræ, ecc turbatio. Sedentes quippe in tenebris, & vmbrâ mortis, laborantes ex parte iucunditatis inopiâ, vincti, & compediti ferro, pprij videlicet cordis duritiâ; necesse est vt clamemus ad Dominum cum tribulamur, & ipse de necessitatibus nostris eruet nos. Luce enim suæ consolationis, dissipans tenebras huius ten tationis, & gratiâ internæ compunctionis rumpens vincula duritiæ interioris, serenıori vultu nos præcedit ad Nazareth: vt ibi inter flores scripturarum, & virtutum fructus, sub seniorum disciplinâ nutriti, duodecimi anni delicias sortiamur. Sicut enim Dominus Iesus in nobis nascitur, & concipitur, ita profectò & crescit, & nutritur in nobis: donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Matth. 6. — *Psalm. 18.* — *Homo prodigus fuit suorum bonorum.* — *Luc. 15.* — *Eccli. 2.* — *Ephes. 4.*

Cum ergo factus esset IESVS *anorum duodecim, ascendentibus illis in Hierusalem secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer* IESVS *in Hierusalem.*

PRIMVM itaq;, ne nos prætereat sanctissimę huius historię mira suauitas; sciendum, id moris fuisse Iudæis, vt ascendentes ad diem festum, seorsim viri, seorsim incederent feminæ: ne fortè alquid coinquinationis subreperet, præscribente lege diuinâ, vt mundi tantum sacris solemnijs interessent. Vnde credibile est, puerũ Iesũ in illo itinere nunc patri, & viris adhærentibus ei; nunc matri, & mulieribus comitantibus eam, suæ præsentiæ dulcedinem indulsisse. Cogitemus, rogo, quanta fuit eorum felicitas, quibus datum est tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire sermones, considerare in homine & puero signa quædam cælestis radiare virtutis, & inter confabulationes mutuas mysterium sapientiæ salutaris inserere. Stupent senes, iuuenes admirantur; & suæ tunc ætatis pueri morum grauitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Credo enim, in illo speciosissimo vultu, tantam gratiæ cælestis elegantiam refulsisse, vt omnium in se conuerteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne quæso, quemadmodum à singulis rapitur, à singulis trahitur. Senes osculantur, amplectuntur iuuenes, pueri obsequuntur. Et quæ lacrymæ à pueris, cum diutius à viris teneretur! quæ sanctis mulieribus querimoniæ cùm paulo plus cum patre, & eius socijs moraretur! Credo, singulos intimo proclamare affectu. *Osculetur me osculo oris sui.* Et pueris eius præsentiam suspirantibus, sed sonum contubernijs se inserere non audentibus, illud facillimè coaptatur. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer?* Cum hac igitur iucũditate ingredientibus cunctis sanctã Ciuitatem, contemplare, rogo, inter singulas familias quàm pia fuerit ac sancta contentio, cunctis desiderantibus sibi eius dulcissimam, ac iucundissimam præsentiam indulgeri. Felix qui vicit. Fortè ob hanc causam consummatis omnibus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Arbitrans enim vnusquiq; quòd esset cum altero, vt pote qui amabatur ab omnib⁹, ab omnibus petebatur; non cognouerunt parentes eius quòd abesset, donec itinere diei vnius expleto, per singulas familias, quæ simul ascenderãt, quæreretur inter cognatos & notos. Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem. Post triduum autem inuenerunt eum in templo. Per illud itaque triduum, vbi eras, bone IESV? Quis tibi cibum ministrauit ac potum, quis lectulum stra-

Seorsim viri & feminæ ad festum ibant. — *Cant. 1.* — *Cant. 8.* — *Luc. 2.*

vit, quis detraxit calceamenta, quis membra puerilia vnguentis fouit, & balneis? Scio certè, quia sicut voluntate nostram infirmitatem suscepisti, ita cùm velles, propriam virtutem ostendisti? & ideo, cùm velles, his obsequijs non eguisti. Vbi ergo eras Domine? De his omnibus æstimare, vel conijcere, vel opinari aliquid libet: affirmare autem temerè nihil licet. Quid dicā Deus meus? An vt te per omnia nostræ conformares paupertati, & omnes in te humanæ miseriæ calamitates susciperes, quasi vnus è turbâ pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel saltem diuini illius edulij reliquijs saginari? Sed vt ad sublimioris opinionis secreta veniamus: primâ fortè die paternis se vultibus præsentauit, non vt consederet; sed vt de ordine susceptæ dispensationis paternam voluntatem consuleret.

Quid per triduum Christus egerit.

Nec absurda videtur talis opinio, si æstimetur Dei filius de his, quæ in diuina natura ipse simul cum Patre & Spiritu sancto coæqualis, & consubstantialis vtrisque disposuerat; in forma serui, quam suscepit, homo Deum, paruus magnū consuluerit: non vt disceret, quod ipse cum Patre in forma Dei æternaliter noverat; sed vt Patri per omnia deferret, obedientiam offerret, præferret humilitatem. Ibi igitur in illo secreto cubiculo Patris de baptismate suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo Evangelio, de miraculis faciendis, postremò de tolerantia passionis, & resurrectionis gloria, cunctis divino modo dispositis: altera jam die angelicis, & archangelicis choris suavitatem sui vultus indulsit, referensque antiquam ciuium supernorum ruinam post modicum reparandam, vniversam lætificat civitatem Dei. Iam tertia die cuneos Patriarcharum & Prophetarum inuisens, ea quæ à S. Simeone sene jam dudum audierant, proprij vultus manifestatione probat: sicque expectationis illorum moras, instantis jam redēptionis promissione consolans, animæquiores & alacriores reddit vniuersos. Meritò igitur post triduum inuenitur in templo in medio Doctorum & Seniorum, vt paternæ pietatis de hominū reparatione consilium, sicut Angelis & Sanctis carne exutis, quantum videbatur, propalauerat; ita in omnium locorum sacratissimo templo Hierosolymitico, & his primò qui preciosissimum huius promissionis thesaurum in sacris literis conseruabant, paulatim inciperet reserare; primum audiens & interrogans; deinde sacratissima mysteria prodens. Denique *mirabantur omnes super prudentia & responsis eius.* Luc. 2. Data est hæc pueris & adolescentibus humilitatis & reuerentiæ forma, vt in medio seniorum taceant, vt audiant, interrogent, & discant. Indica mihi, ô dilectissima Domina mea, Mater Domini mei, quid tibi tunc fuerit animi, quid stuporis, quid gaudij, cum dulcissimū filium tuum Dominum Iesum inuenires, non inter pueros, sed inter Doctores: cum omnium oculos in ipsum intentos, omnium cerneres aures ad ipsum erectas: cum de prudentia eius & responsis, pusilli & magni, docti pariter & indocti loquerentur. *Inuenit*, inquit *quem diligit anima mea: tenebo illum, nec dimittam.* Cant. 3. Tene, ô dulcis Domina, tene quem diligis, rue in collum eius, amplectare, osculare, & triduanam eius absentiam multiplicatis deliciis recompensa. *Fili, quid est, quod fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. Iterum dico tibi, ô Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras: sed tantum subtractas tibi vel ad modicum ineffabiles præsentiæ eius delicias querebaris. Tam enim dulcis est Dominus Iesus gustantibus eum; tam speciosus videntibus; tam suauis amplectentibus; vt breuis eius absentia, maxima doloris materia sit. *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. Iam hic cœlestium mysteriorum, in quibus per triduum fuerat obuersatus, incipit reserare secretum; vt humilitatis & obedientię, simulque proprię voluntatis deserendę, seniorumque præceptis, etiam vtilibus prætermissis, obtemperandi expressius & excellentius commendaret exemplum; cum his sublimibus, tam vtilibus, tam denique necessariis prætermissis, seniorum se subdiderit volūtati, vt ait Euangelista: *Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Luc. 2. Sed quid est, quòd ait Euangelista, scilicet quòd *ipsi non intellexerunt verbum quod locutus fuerat?* Non hoc de Maria dictum arbitror, quæ ex quo Spiritus sanctus superuenit in eam, & ei virtus Altissimi obumbrauit, nullum filij sui potuit nescire consilium: sed ceteris non intelligentibus quæ dixerat, Maria, vt sciens & intelligens, *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Memoria conservabat, meditatione ruminabat, & hæc cum cæteris, quæ de eo viderat, & audierat, conferebat. Ita beatissima Virgo etiam tunc nobis misericorditer prouidebat: ne tā dulcia, tā salubria, tam necessaria, aliqua negligentia laberentur, & propterea nec scriberentur, nec prædicarentur: & sic sequaces huius spiritualis mannæ delicijs fraudarentur. Omnino igitur hæc Virgo prudentissima fideliter conservauit, verecundè tacuit, opportunè prodidit, & sanctis Apostolis & discipulis prædicanda commisit. De his quæ sequuntur, *IESVS proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & apud homines*, multi multa dixerunt, & diuersi diuersa senserunt; de quorum sententijs non est meum iudicare. Alij animam Christi, ex quo creata est, & assumpta in Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse putarunt: alij quasi creaturam creatori adæquare timentes, sicut ætate, ita eum & sapientia profecisse dixerunt, Evangelicæ innitentes authoritati, quæ ait. *IESVS autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia.* Luc. 2. Nec mirum, inquiūt, si minor dicatur fuisse sapientia; cùm mortalis, atque passibilis, ac per hoc beatitudine minor tunc fuisse veracissimè prædicetur. De horum sententijs judicet quisque, vt volet: mihi sufficit scire, & credere, Dominum IESVM, ex quo in vnam cum Deo etiam est assumptus personam, perfectum fuisse Deum, ac per hoc perfectam sapientiam, perfectam iustitiam, perfectam beatitudinem, perfectam insuper fuisse, & esse virtutem: & quidquid de Deo secundum substantiam dici potest, de Christo potuisse dici, etiam cùm in vtero esset matris, non ambigo. Nec ideo ante resurrectionem, aut mortalitatem ei, aut passibilitatem abrogamus, cùm eum non phantasticè, sed verè hominem fuisse confiteamur, & veram hominis habuisse naturam, in quā potuit proficere ætate.

An Christus proficere potuerit sapientia.

Vtrum autem sapientiâ, ipsi viderint, qui de hujusmodi contendere norunt. Tu autem, fili mi, non quęstiones quæris, sed deuotionem, nec vnde lingua acuatur, sed vnde affectus excitetur. Ea propter his, quæ ad historiam pertinent interim prætermissis,

prætermissis, ad spiritualem intelligentiam enucleandam, sicut ipse, de quo loquimur, inspirare dignabitur, transeamus. Dominus Deus noster, Deus vnus est: non potest variari, non potest
Psal. 101. mutari, dicente David *Tu semper idem es, & anni tui non deficient*. Hic igitur Deus noster æternus, intemporalis, incommutabilis, in nostrâ factus est naturâ mutabilis, & temporalis: vt mutabilib⁹ ad suam æternitatem & stabilitatem, viam faceret eam, quam pro nobis assumpsit mutabilitatem: vt in vno eodemque Salvatore nostro; & via esset quâ ascenderemus, & vita ad quam veniremus, & veritas quâ frueremur, sicut ipse ait. *Ego*
Ioan. 14. *sum via, veritas, & vita*. Magnus itaque Dominus in suâ naturâ persistens, parvulus natus est secundùm carnem, per certa temporum spatia profecit, & crevit secundùm carnem, vt nos mête parvuli imò pænè nihili, spiritualiter nasceremur, & per spiritualium ætatum distinctiones cresceremus, & proficeremus.

Vt nascamur spiritualiter, & crescamus.

Ita eius profectus corporalis, noster est profectus spiritualis, & ea, quæ ab eo cunctis ætatibus acta describuntur, in nobis per singulos profectuum gradus spiritualiter agi, à bene proficientibus sentiuntur. Sit igitur corporalis eius natiuitas spiritualis nostræ natiuitatis, idest sanctæ conversionis exemplum: persecutio quam passus est ab Herode, illius, quâ in initio nostrę conversionis sustinemus à Zabulo, tentationis indicium: educatio eius in Nazareth, nostrum exprimat in virtute profectum. In primo prodig⁹ filius fame tabescens, ad domum panis inuitatur, vbi non similagineus sed subcineritius inuenitur, vt cinerem cum pane manducet, & potum suum cum fletu temperet. Est enim panis similagineus purus, mundus, sine cinere, sine fermento, sine paleis. *In principio erat ver-*
Ioann. 1. *bum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Sed ad hæc quis idoneus? Panis est Angelorum, quorum palatum ad gustum vuæ acerbæ non obstupuit: ideo plenè, & perfectè gustant, & vident quoniam dulcis est Dñs. Sed vt panem Angelorum manducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis; panis Angelorum factus est homo, magnus factus est parvulus, diues pauperculus: vt tu magnus in oculis tuis humilitate fias parvulus; diues cupiditate, facultatum abiectione fias pauperculus: nec, vbi spiritualiter nasceris, locum habeas in diuersorio; dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ scientiæ, tuæ industriæ, sed alieno iudicio inniteris. Tunc cinerem cum pane man-
Psalm. 79. ducabis, quando cibabit te Dominus pane lacrymarum, & potum dabit in lacrymis in mensurâ. Sic tu nasceris in Christo, sic in te nascitur Christus. Turbatur Herodes, scilicet diabolus, quod
Matth. 2. suum Christus inuasit imperium: nec æquis aspicit oculis, suum domicilium in Christi hospitium cômutatum. Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat vasa mortis, vt sagittet in obscuro rectû corde.

Diabolus in star Herodis turbatur nostra nativitate.

Inflammat carnem naturalibus incentiuis, turbat mentem cogitationibus noxijs, & parvulorum cogitatus priori suauitate lactentes, multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Christus defuisse: donec Herode, non tuis viribus, sed gratiâ diuinæ miserationis extincto, cum ampliori tranquillitate redeat, tuumque in Nazareth præstoletur occursum. Post tentationem namque necesse est, vt virtutum studia, spiritualiaque exercitia mentis alacritate consce-

das, quasi ad Nazareth, id est, florem: quia sicut flos non quidem fructus est, sed ex eo fructus producitur; ita exercitia hęc, non quidê purę virtutes sunt, quamvis ex eis veræ virtutes, Deo operante, nascantur. Inde ascendendum est Ierosolymam, sed modo congruo, & tempore opportuno. Cùm enim factus esset IESVS annorum duodecim, ascendit Ierusalem. Planè secundum leges allegoricas, Christus de Nazareth ascendit Ierusalem: quando relicta Synagoga, Ecclesiæ gentium præsentiam suæ pietatis exhibuit. Meritò tunc duodennis erat, quia qui legem non venerat solvere, sed adimplere, denarium legis binario auxerat Evangelicæ perfectionis: verbum abbreuiatum, sed consummans, & côsummatum faciens super terram, & legem & Prophetas bipartito charitatis præcepto concludens. *Remansit*, itaque, *puer IESVS in Ierusalem, & non cognoverunt parêtes eius*. Est adhuc in Ecclesia Christus: & Iudæi, parentes scilicet eius secundùm carnem, ignorant. Est adhuc in Ægypto Ioseph, & lingua Ægyptiaca non Iudaica dicitur Saluator mundi, & ipso frumêta sapientiæ suæ Ægyptijs, id est, gentibus diuidente, fratres eius inter Chananæos, immundos videlicet spiritus, verbi Dei fame tabescunt. *Existimantes*, inquit, *eum esse in comitatu*. Quid est hoc? Adhuc, ô Iudæi, Christum in vestro comitatu præsumitis: cùm iam, secundum Ieremiam vestrum, reliquerit domum suam, dimiserit hereditatem suam: quoniam facta est ei hereditas eius quasi spelunca leænæ? Quibus indicijs, quibus mysterijs, quibus sacramentis, in vestro est comitatu? Vbi templû, vbi iuge sacrificium, vbi Sacerdotium, vbi altare illud, quod solum vobis in sola Ierosolyma concessum est? Vbi ignis ille perpetuus, quo extincto, omnia pariter holocaustomata perierunt, quæ non possunt alieno igne consumi? Ergo aut nihil horum habetis, aut si fortè vos ea habere præsumitis, non secundùm Dei præceptum habetis, ac proinde nec Christum habetis. In his enim omnibus, secundum prophetica mysteria, Christum aliquando habebatis: sed apparente eo, quem prænuntiabant, ipsa prenuncia sublata sunt: de quibus frustra post eius aduentum pręsumebatis. O mira peruersitas! O mira cęcitas! Hęc omnia non attendentes Iudęi, adhuc eum esse in suo ęstimant comitatu, & requirunt eum inter cognatos & notos. Quem quęritis, ô Iudæi, quem quæritis? Iam lapis abscissus de monte sine manibus, vniuersam impleuit faciem terrę, & adhuc quæritis? Ecce vbique terrarum dispersi, vbique Christum ostenditis, & adhuc quæritis? Vbique inter gentes in laudibus Christi vestrum *Amen* resonat, vestrum *Alleluia* cantatur, vestrum *Osanna* resultat, & adhuc quæritis? In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat à calore eius, & adhuc quæritis? Quæritis eum inter cognatos & notos. Quæritis eû apud Isaiam: sed sicut ipse ait, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem non cognovit me: populus meus non intellexit*, ideo non inuenitis. Quæritis eum apud sanctum David, sed & secundum ipsum, Facta est mensa vestra coram vobis in laqueum: ideo non inuenitis. Obscurati sunt enim oculi vestri ne videant, & dorsa vestra incurvantur. Quæritis eum apud Ieremiam, sed ipso teste, Sacerdotes ignorât legem, nesciunt videntem, ideo non inuenitis. Quæritis eum apud Moysen, sed

Iudæi falso putant Christum in suo esse comitatu. Ierem. 12. Daniel. 2. Isai. 1. Psal. 68. Ierem. 2.

vsque hodie cum legerint Moysen, velamen positum est super cor vestrum: ideo non inuenitis. Reuertere itaque reuertere Sanamitis, reuertere in Ierusalem,& inuenies. Nunciatur certè IESV quod mater eius,& fratres foris stent,quærantes eum. Numquid egreditur? vos potius ingredimini, & inuenietis. *Et regredientes*, inquit, *invenerunt eum post triduum in templo* Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris,reliquiæ cōvertentur,reliquiæ inquam Iacob,ad Deum fortem. Quando? vtique post triduum. O tempus desiderabile! quādo cognoscet Israel Deum suū, & pavebit ad Dauid regem suum, quando vtraque gens faciet sibi caput vnum, & ascendent de terra. Quando hoc erit? IESV bone, quando respicies carnem tuam,domesticos sanguinis tui, cum nemo carnem suam odio habeat? Frange Dñe esurientibus panem tuum,& egenos vagosque induc in domum tuam. Quādiu miser Cain vagus,& profugus erit super terram tuam: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem tuum, ô noster Abel,de manu eius? Nonne adhuc reddidisti ei septuplum in sinum eius,cum vbique major seruiat minori; cum vbique sit iugum premens, & gladius terrens, nec sit qui redimat, neque qui salvum faciat? Scio quia tandem cōvertentur, & famem patientur vt canes, sed ad vesperam. Post triduum enim inuenerunt eum in templo. Prima dies,qua ingressus nostram Ierusalem Dominus IESVS,abscondit se à matre sua Synagoga,& fratribus suis Iudæis,Apostolica fuit in gentibus prædicatio, sicut ipsis Iudæis Paulus loquitur. *Quia indignos vos judicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes*. Tunc quippe tenebrosis Gentilium cordibus lux cœlestis infulsit,decussaque pristinæ infidelitatis tetra caligine, splendor fidei mentibus perditorum radios suæ claritatis inuexit. Sed huius diei jucundissimum lumen, nox diræ persecutionis interpolat,quando sæuientibus in Christianos mundi principibus,cruces,bestię,equulei,ferreęque manus,ignitæ sartagines,& ardentes laminę,& mille tormentorum genera in eorum exitium præparantur: quæ omnia licet Christianorum pars maxima fidei virtute risisset, non modica tamen multitudo tortoribus cedens, luctum miserabilem sanctis indixit.Secutus est hanc noctem dies diuinæ miserationis luce clarissimus, quando regibus mundi ad Christum conuersis, subvertuntur templa Gentilium, & delubra dæmonum in martyrum memorias consecrantur, & paulatim veritate mortalium pectoribus illabēte,nox perfidiæ cōfusa repellitur. Sed hunc iterum splendidissimum diem, nebula hæresiacæ prauitatis obtexit: donec labore doctorum, error productus in lucem, Christianorum corda deseruit;& in ea jam fides diu examinata,& multis probata rationibus,solem iustitiæ periclitanti mundo revexit. Et ecce nunc aduesperascit, & inclinata est jam dies. O tempora periculosa! Iam tertij diei lucem falsorum Christianorum perdita vita recondit,& noctem superabundanti iniquitate caligantem,senescenti jam mundo refundit. Superabundat enim iniquitas, & refrigescit charitas. Expectamus diem, quā prædicante Henoch & & Eliā, IESVM inueniat mater eius Synagoga, ingressa nimirum templum, id est Ecclesiam: in quā inter seniores & doctores, medius residet Mediator Dei & hominum, homo IESVS CHRISTVS, in parvulis audiens, in adolescentibus quærens, in senioribus docens. Tunc vox letitiæ,& exultationis in tabernaculis Iacob personabit,quando agnitus à fratribus verus Ioseph populo Iudæorum in fine mūdi,quasi senescenti viuus nuntiabitur,dicētibus. *Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti. Fili*,inquit, *quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Quid fecisti,ô Ioseph? Mater moritur, pater perpeti fletu conteritur, periclitantur fratres; tota insuper domus paterna languescit;& tu, tuorum negligens, Ægyptijs consulis ad salutem? *Fili,quid fecisti nobis sic*? Eunt fratres in Ægyptum, & redeunt, cernunt te dominum terræ, nec recognoscunt: & speciosus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur, domesticis tantum tuæ carnis absconditur. *Fili, quid fecisti nobis sic*? Respicis tuos quasi alienos, imponis crimina, minaris supplicia, & quē clementissimum inueniunt alieni,tui te crudelissimum reperiunt. *Fili, quid fecisti nobis sic*? Prodigus ille filius tu⁹, qui dilapidauit omnem substantiam suam cum meretricibus qui fornicatus in ligno & lapide, & mutauit gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atque serpentium:introductus in domum tuam, ecce iam tot annis vituli saginati carnibus pastus, & sanguine vuæ meracissimo debriatus, in nostri David delicijs symphonia lusit, & choro; & nos, quorum erat testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quorum patres,ex quibus tu secundùm carnem,quasi alieni foras stetimus Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tùus,& ego dolentes quærebamus te. Putabamus nouo miraculo templum reædificādum, restaurandum sacerdotium, dispersionem Israël in dilectam tibi Ierosolymam reuocandam, & sic Christum inueniendum in finibus Iudeæ,quem nunc invenim⁹ in campis siluæ. Dolentes quærebamus te: doluimus antiqua sublata miracula, oracula siluisse prophetica, Ducem de femore Iacob nullū,vnctionem Regum & Pontificum nullam: & cùm hæc omnia tuum testarentur aduentum, nō credidimus tamen te, nobis relictis, alienū dignasse hospitium: ideo dolentes quærebamus te. Non putabamus nobis promissum, nobis redditum, ob æmulæ gentis salutem reliquisse quos genuit, spreuisse quos fouit: & his, quibus mare cessit, quos cœlum pauit, quos potauit saxum, quibus aqua murus extitit, quibus murus peruius fuit, quibus paruit sol,quibus luna substitit, immundas idolatriā gentes prætulisse. Ideo dolentes quærebamus te. Et aliquando quidem multis indicijs tuus nobis probabatur aduentus: sed ob Gentium vocationem, & nostram repulsionem rursus desperabatur.Ideo dolentes quærebamus te. Et ille: *Quid est*, inquit *quod me quærebatis? nesciebatis quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* O stulti, & tardi corde ad credendum,in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, nonne ita oportuit pati Christum,& ita intrare in gloriam suam, & prædicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes? Siccine non audistis per os Dauid vocem patris ad filium; *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Quid est,quod me quærebatis,& non statim inter gentes inueniebatis? Nonne Abrahæ dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ? Nesciebatis quia in ijs,quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Audite Patrem per

Luc. 2.

Osee. 3.

Tres dies absentiæ Christi qui sint.

Act. 13.

Genes. 45.

Luc. 15.

Psalm. 2.

Genes. 22.

Isai. 49. Isaiam loquentem mihi. *Parum mihi est, vt sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israil convertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad fines terræ.* Nonne ego sum apud Patriarcham Iacob *Expectatio Gentium*, & apud Malachiam,* *Desideratus earum?* Et sicut idem ait, *A solis ortu vsque ad occasum, magnum nomen meum in Gentibus.* Tumuistis muneribus meis, invidistis visceribus meis; & quia nequam oculus saluti pœnitentis inuidit, livore cœcatus, propriæ salutis authorem videre non potuit. Ideo naturalibus ramis non peperci, sed illis à radice naturalis oliuę decisis, ramos alienos inserui. Sed nunc exurgens miserebor Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Revoco quos abieceram; recolligo quos disperseram; suscipio quos repuleram. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Hæc interim allegoricè dicta sufficiunt. Nunc redeundum est mihi ad te, fili carissime, cui animus est conformari Christo, & vestigijs IESV arctiùs inhærere: si fortè sufficiam Evangelicâ lectione tuum tibi explicare profectum: vt hoc ipsum in his legas schedulis, quod in temetipso abintus suaviùs experitis. Credo enim te de Bethleemitica paupertate ad Nazarenas trãsisse divitias, & jam duodennem effectum, de floribus Nazarenis ad fructus Hierosolymiticos ascendisse, vt non tam in codicibus, quàm in proprijs moribus hæc mystica valeas lectitare. Sicut enim Bethleem vbi Christus parvus, & pauper nascitur, bonę vitę est inchoatio, Nazareth vbi nutritur, virtutum exercitatio; ita Ierusalem, ad quam duodennis ascendit, cœlestium secretorum est contemplatio. In Bethleem anima pauperascit, in Nazareth ditescit, in Ierusalem delicijs affluit. Pauperascit perfectâ mundi abrenunciatione, ditescit virtutum perfectione, delicijs affluit spiritualium saporum dulcedine. Ascendendum quippe est à conualle plorationis inter aspera tentationis, per plana exercitij spiritualis, ad alta luminosæ contemplationis. In Bethleem nouæ conuersationis dedicatur infantia, quæ rationis impotens neminem lædit, neminem fallit, libera cupiditatis, suæ voluntatis inscia, neminem iudicat, nulli detrahit, nihil cupit, nec de præsentibus anxia, nec de futuris solicita, alieno tantum sustentatur iudicio. Hanc nobis infantiam vas electionis commendans, *Si quis*, inquit, *voluerit inter vos sapiens fieri, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et Dominus in Evangelio. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hac itaq; anima qualibet initiatus infantia pôst Herodianas persecutiones, si cœperint in ea, quasi in agro fertilissimo, virtutum flores vberiùs pullulare; non immeritò Nazareth, quæ flos interpretatur, quasi septennis inhabitans, duodecimũ annum feliciter expectabit. Primò quidem necesse est, vt ager cordis nostri peccatorum nostrorum recordatione, & infirmitatis nostræ cõsideratione, quasi stercoretur: deinde tentationum vomere multipliciter fatigetur: & sic virtutum semina flores parturiant spiritualium exercitiorum. Ergo illum, à quo spiritus timoris antiqua vitia, & inolitas cupiditates resecauerit, vnius anni puerum æstimato. Si deinde mitem eũ, & obedientem spiritus pietatis effecerit, bimum eum spiritualiter indicato. Iam si spiritus scientiæ suæ infirmitatis cognitionem, & auxilij desiderium diuini infuderit, tertium annum non dubites accessisse. Quem si contra omnes tentationes, & carnales delectationes, quæ militant adversus animam, spiritus fortitudinis immobilem reddiderit ac robustũm, annorum quatuor puerum admirare. Accedat spiritus consilij, & virtute eum discretionis quinquennem efficiet. Cui si spiritus intellectus meditationem sacræ legis indulserit, ad sexti anni ætatem felici progressu pervenit. Septimum annum spiritus sapientiæ aduehit, quæ de legis diuinę meditatione procedit. Quatuor virtutes, quasi quatuor annorũ lucem, animęinuehent proficienti: quibus nihil est in vita vtilius hominibus, sicut de ipsa sapientia scriptum est. *Sobrietatem, docet & Prudentiam, & Iustitiam, & Virtutem, quibus nihil est vtilius.* Hæ sunt enim præcedẽtium virtutum moderatrices, sine quibus cæteræ nec honestè haberi, nec perseveranter possunt servari. Agit enim Sobrietas, quæ alio nomine dicitur Temperantia, ne sit ipsarum virtutum immoderata progressio: Prudentia, ne sit earum indiscreta confusio: Iustitia, ne sit virtutum vsus inordinatus: Virtus, quæ & Fortitudo dicitur, vt perseueranter eius teneatur affectus. Sequitur annus duodecimus, lux videlicet contemplationis, quæ ad ipsam Ierusalem cœlestem animam subleuat æstuantem: quæ cœlum reserat, quæ portas aperit paradisi: quæ ipsum sponsum, speciosum formâ præ filijs hominum, quasi per cancellos prospicientem, puris mentis oculis exhibet contemplandum: vt vocem illam suavissimã mereatur audire, *Tota pulchra es, amica mea: & macula non est in te.* Immaculata sordibus peccatorum vel passionum; evolans à retibus occupationum: oblita mœrorum præteritorum, euanescentibus imaginibus exteriorum creatorum; cordis sui faciem ad cernendum quem diligit, summa aviditate sustollit. Et ideo audit. *Tota pulchra es, amica mea: & macula non est in te.* Favus distillãs labia tua. *Hyems*, inquit, *transiit, imber abijt & recessit: flores apparuerũt in terra nostra.* Hi sunt flores odoriferi, nimirum, licet adhuc in quadam novitate, virtutes, quę post hyemem persecutionum, & imbrem tentationum, in agro peccatoris bene proficientis feliciter oriuntur: quarum Christus decore simul & odore delectatus, ab inferioribus eam ad superiora inuitans: *Hyems*, inquit, *transiit: imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Et quoniam pro gemitu compunctionis aperitur vita contemplationis, adjecit in sequentibus. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Recole fili, quid soleas in angulis susurrare: cum scilicet instar turturis, quæ avis castissima est, solivaga, & gemebunda latebras quæris. Et licet inter multos constitutus, solitudinem tibi ædificas quotidianam: quoniam gemis, quoniam æstuas; quoniã quæris, quem diligit anima tua: & amoris vim patiẽs, iam optas videre quem amas, quomodo nunc blandiris; & nunc ad amoris & desiderij intentionem suauiter indignatis. Nunc moras accusas, nunc te cernis cõtemptum, nunc te visitatione confiteris indignum, & iterum de eius totiens experta bonitate præsumis. Nunc quasi vlteriùs non sustineas, spirituali quodam litigio, vel luctamine evincere retardantem conaris. Quæ tunc lacrymæ, qui gemitus, quæ suspiria: quæ vòces? Nunc oculi fletu graves, cum intimis singultibus, erigũtur ad cœlũ: nunc manus extenduntur & brachia: nunc pectoris tunsione animæ tarditas accusatur. Proferuntur in-

Marginalia: * Aggeum potius. — Malac. 1. — Math. 28. — Bethleem & Nazareth spiritualiter quid sint. — 1. Cor. 3. — Mat. 18. — Duodecim anni mysticè explicati. — Sap. 8. — Quatuor virtutes Cardinales. — Annus Duodecimus lux est contemplationis. — Cant. 4. — Cant. 2. — Cant. 2.

terim verba sine principio, sine fine: quorum sententiæ non cohærēt sibi, nec rationes similes sunt: nec alicujus linguæ sensus vel idioma servatur. Quando vox aliquando respondet affectui: & iterū vocem affect⁹ intercipit. Gaudet certè pius ille Iesus tali certamine superari: & talis animæ tanta constantiā delectatus, ad circumstātes Angelos gloriatur.

Cant. 2.

Vox turturis audita est in terrâ nostrâ. In terrâ viuentium vox talis animæ sic æstuantis auditur, & tanti desiderij odor suavissimus, vniuersam demulcet ciuitatem Dei. Sic tibi in angulo domatis, quasi Eliæ in speluncâ, primò transit

3. Reg. 19.

Spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras: sed non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio, sed non in commotione Dominus; & post commotionem ignis, sed non in igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis.

Gradus ascendendi ad Deum in oratione.

Hi sunt gradus quidam per quos in oratione mens compuncta conscendit, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Sed hæc tibi ipsi non tam investiganda, quàm in ipsa tuâ oratione animadvertenda committo: vt diligenter attendas, cum qua primum difficultate nonnumquam ingrederis cubiculum pectoris tui, vt invenias ibi speluncam: in qua quodammodo ab omnibus, quæ mundi sunt, sepeliaris, & ores patrem tuum in abscondito.

Ariditas mētis in oratione.

Videtur aliquando cor in modū silicis duruisse; videtur quasi mons aliquis interjacēs, interiorem aspectum ab omnibus spiritualibus exclusisse; donec spiritus grandis & fortis pertransiens subvertat montes, & conterat petras ante Dominum: quem nimirum spiritum sequitur commotio; quādo mens quadam compunctione resoluitur, & profluentibus lacrymis, quidquid in se sordidum sentit, aduersum se cōmota, interiori contritione detergit: vnde orta spe, igne ineffabilis desiderij exardescit, & spirituale quoddam certamen init cum Deo: donec sibilus auræ tenuis illapsus præcordijs, leni tactu perstringit affectum; cunctisque motibus, cunctis distensionibus, cunctis verbis, cunctis cogitationibus imponens silentium, vsque ad ipsas portas Ierusalem cœlestis animam sublevet contēplantem. Tunc ille diu quæsitus, toties rogatus, tam ardēter desideratus, specios⁹ forma præ filijs hominum, quasi per cācellos prospiciens, inuitat ad oscula, *Surge*, inquiens, *propera amica, & veni.* Tunc ingrediēs Ierusalem, transit in locum *admirabilis, vsq; ad domū Dei, in voce exultationis & cōfessionis. Tunc amplexus, tunc oscula; tunc canit:

** tabernaculi*

Cant. 2.

Inueni, quem diligit anima mea. Tenui illum, nec dimittam. Tunc in Ierusalem affluit delicijs, & fruitur bonis, & diem festum cum exultatione colit. Obsecro itaque fili charissime, memento mei cum benè tibi fuerit, vt suggeras dilecto tuo, regi tuo, qui est in sancto, vt educat me de isto carcere, de his tenebris, de his vinculis, vt tandem aliquando respirem in prioris gaudij libertatē. Sentiam & ego quàm magna multitudo dulcedinis illius, quam abscondit timentibus se. Sed heu, heu, rara hora, & parua mora; felix, quæ triduò in his poterit commorari delicijs. In his tribus diebus triplicē contemplationis lucem non inconuenienter intelligo, quoniā quicquid de Deo poterit mens illuminata sentire; aut ad potentiam eius, aut ad sapientiam, aut ad bonitatem credimus pertinere. Cernitur itaque Dominus IESVS aliquandò fortis & potens in prælio, vt scias te, si dilexeris eum, cōtra mundum, contra diabolum, contra omnem principatum & potestatem, eius dextera protegendum:

Protectio Dei.

cui resistere nemo potest, sub quo curuantur qui portant orbem: qui si tenuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram. Si igitur spiritus potestatem habens ascenderit super te, si stimulos acediæ exagitauerit, si aculeos diuersarum passionum accenderit, si aduersum te commouerit mundum, si inflammauerit persecutiones: si times, si trepidas, si per singula momenta vinci formidas, & ita ad Iesum tuum anxius curris, ploras, exponis pericula, opē flagitas: adhæret tibi quem diligis, in specie potētissimi regis, & secundum orationem sancti David, apprehendet arma & scutum, & exurget in adiutorium tibi: audiésque, *ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum.*

Psalm. 34.
Isai. 41.

At si secretorum cognitionem, vel quæstionis alicuius solutionem tibi desideras reuelari; si mundanæ confusionis causas & rationes anxius admirari; si mouentur pedes tui, quia pacem peccatorum vides, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, quæris diuersorium, vbi cum Iesu solus cum solo fabuleris; clamas cum Ieremia:

Ierem. 12.

Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum. Veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? Sic itaque quærenti aderit ille magister, qui solus docet hominem scientiā, qui reuelat oculos nostros, vt consideremus mirabilia de lege eius: qui habet clauem sapientiæ; & aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Aderit autē in specie Doctoris suauissimi, in cuius dextera ignea lex, vt te & legis cognitione illuminet; & charitate, quæ ex legis meditatione procedit, inflāmet. Porrò in sinistra eius virga æquitatis, virga regni sui, vt & quærentis præsumptionem arguat, & curiositatem compescat. Postremò si hæc omnia etsi magna, etsi splēdida, etsi sublimia, vnius tamen osculi desiderio ac suauissimorum labiorum illius, vno tantum tactu fastidias, incipiasque querulis vocibus clamare cum Propheta:

Psalm. 26.
Cant. 8.

Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram: Et illud: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* veniet certè tibi in odorem vnguentorum, & aromatum: sicque cœleste & diuinum quoddam tuæ menti imprimens osculum, omnia viscera tua ineffabili iucūditate perfundet, vt clamare delectet:

Psalm. 44.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Cum legē & prophetas legis, animaduerte deligenter, & inuenies has ipsas apparitiones & contēplationes multoties in figuris & ænigmantibus quibusdam designatas. Sunt enim multa genera contemplationum, ac spiritualium visionū, quæ tamen omnia, vt credo, vel ad Dei potentiam, vel sapientiam, vel benignitatem pertinere noscuntur.

Ad tria reducuntur omnia contemplationum genera.


Nam si cogitetur Deus rerum omnium causa, quorundam vt sint, quorundam autem vt rationales, ac per hoc sapientiæ capaces sint, multorumque vt bene sint: primum illud potentiæ, alterum sapientiæ, vltimum adscribitur bonitati. Potentiæ quippe est, quòd sine ipso nulla creatura subsistit. Sapientiæ, quòd sine ipso nulla doctrina instruit. Bonitatis, quòd sine ipso nullius rei vsus expedit. Apud ipsum secura sunt omnia, cùm nihil sit, quo eius turbari possit potentia. In ipso certa sunt omnia, cuius non potest falli sapientia. Ex ipso recta sunt omnia, cuius naturā nulla potest deprauare malitia. Ergo in rerum creatione contemplamur


eius potentiam; in forma sapientiam; bonitatem in vsu. Sanè si in his quæ in carne gessit, eum cõtemplari malueris; hunc ipsum triduanæ lucis splendorem facilè intueberis. Si jacentem in præsepio; si in brachiis vagientem; si pendentem ad vbera; si inter vlnas Simeonis paruulum oculis illuminatæ mentis aspexeris: bonitatis eius opera admirare. Si vultum illum igneum, flagellũ quoque de resticulis, vocemque terribilem, quibus vendentes & ementes in templo terruit, quibus euertit cathedras nummulariorum, & æs effudit, quibus insuper columbarum venditores eiecit, considerare delectat; tantæ virtutis potentiam expauesce. At si iucundum ducis insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum obiectiones responsionum illius prudentiâ confutatas oculata mente perspicere: sapientiæ eius lucẽ clariùs emicare persenties. Itaquoque potentię fuit, quòd fugauit dæmones, quòd turbas pauit, quòd calcauit maria; quòd Lazarum vocauit de monumento: & tamen non minoris sapientiæ fuit, quòd vt principes hui⁹ mundi fallerentur, inter hæc diuina miracula à Diabolo se tentari permisit: quod velut egens esuriit, ꝙ in naui dormiuit, ꝙ crucem moriturus ascendit. Verum quia in bonitatis illius meditatione libentiùs immoraris, ingredere quæso, domũ Simonis Pharisæi; intuere attentiùs quã pio, quàm suaui, quàm iucundo, quàm clementi vultu humi prostratam respicit peccatricem, quàm conpatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lachrymis præbeat irrigandos; & capillis, quos sibi hactenus superbia & lasciuia vendicauerat, detergendos, labiisque tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Osculare, osculare ô beata peccatrix pedes dulcissimos, suauissimos, speciosissimos, quibus caput serpentis conteritur, ante quos antiquus hostis egreditur, quibus calcantur vitia, quibus omnis mundi huius sternitur gloria, quibus superborum & sublimium colla mira virtute premuntur. Osculare, inquã, & felicibus labiis adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat, nullus quantumlibet criminosus refugiat, nullus expauescat indign⁹. Osculare, complectere, stringe, & Angelis & hominibus adoranda vestigia perfunde pœnitentiæ & confessionis vnguento, vt tota domus impleatur odore vnguenti. Væ, væ tibi, ô Pharisęe, cui est odor iste odor mortis in mortem; qui timens alienis maculari peccatis, cùm te tumor proprius deteriùs fœdiusque commaculet. Nescis, quàm suaue redoleat misericordiæ, confessa miseræ peccatricis huius miseria: quàm dulce sapiat pietati confessio pura peccati: quàm gratum sit illi sacrificium, cordis contritio: quàm citò consumat peccatum ardens dilectio. Denique *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Gratias tibi, ô beatissima peccatrix; ostendisti mundo tutum suis peccatoribus locum; pedes scilicet Iesu, qui neminem spernunt, neminem reiiciunt, neminem repellunt, suscipiunt omnes, omnes admittunt. Ibi certè Æthiopissa mutat pellem suam: ibi pardus mutat varietatẽ suam; vbi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam. Quid agis, ô anima mea, ô misera mea, ô peccatrix mea? Habes certè, vbi tutè tuas lacrymas libes, vbi fœda oscula tua sacrisosculis purges: vbi totum tuæ affectionis vnguentum securè sine aliquo tactu vel motu vitij tentantis effundas. Quid dissimulas? Erumpite ô dulces lacrymæ; erumpite: cursum vestrum nullus impediat. Rigate sacratissimas plantas Domini mei, Saluatoris mei, susceptoris mei. Nõ curo, si quis Pharisæus submurmuret; si me à suis sedibus arcendum censeat; si fimbriæ suæ tactu indignum iudicet; subsannet, irrideat, auertat oculos, contineat aures: nihilominus tuis inhærebo vestigiis, bone Iesu; meis stringam manibus; premam labiis: nec à lachrymis cessabo, vel osculis, donec audiam: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Est ergò *dies prima,* qua anima Deum sitiens in speculatiuis amœnitatibus quasi in Ierusalem commoratur, diuinæ sapientiæ contemplatio. *Secunda* sapientiæ illius admiratio. *Tertia* bonitatis & dulcedinis suauis prælibatio. Ad primam pertinet iustitia: ad secundam scientia: ad tertiã verò misericordia. Iustitia terret, scientia docet, misericordia fouet. *Introibo,* inquit Propheta, *in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Ecce iustitia. *Incerta,* ait, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ecce scientia. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Ecce misericordia. Et in prima die timor, qui ex iustitiæ cõsideratione procedit, animam purgat. In secunda purgatam sapientia illuminat. In tertia illuminatam bonitas dulcedinis suę infusione remunerat. Cernis (ni fallor) quàm necessarium sit, & vtile, inter bonorum operum exercitia, per triduum hoc Hierosolymiticas frequentare delicias, in quibus timor administrat panem doloris; scientia vinum exultationis; bonitas lac consolationis. Scio te non mirari, quòd delicias dixerim, quibus dolorem non deesse commemoraui; cùm sæpius expertus sis, quòd dolorem illum qui de casto timore procedit, omnibus huius mundi delicijs mens compuncta præponat. Et hæc dicta pro modulo experientiæ nostræ. Cæterum viri excellentioris meriti, & capacioris ingenij, animæque purgatioris, in tribus his subtiliora ac profundiora rimantur. In potentia scilicet Dei, profunda iudicia. In sapientia, eius secreta consilia. In bonitate, misericordiæ eius dona ineffabilia. Denique Paulus ingressus in potentias Domini, & abyssum iudiciorum eius expauescens: *O homo,* inquit, *tu quis es, vt respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me fecisti sic?* Sed & thesauros sapientiæ eius admirans exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Diuitias quoque bonitatis eius commemorans: *An diuitias,* inquit, *bonitatis eius contemnis?* Post triduum igitur inuenerunt eum in templo, haud dubium quin Maria & Ioseph: altera Mater, alter Nutricius. Inuenitur itaque spiritualis spiritualium contemplator nõ in quolibet loco, sed in templo. Habet enim Ierusalem atrium; habet portas; habet & templum. Et atrium quidem aliquando patet etiam inimicis; portæ autem patefiũt solis amicis: ingressus verò templi non indulgetur nisi perfectis. Igitur qui in temporalibus æterna, in terrenis cœlestia, in humanis diuina, id est, in creaturis Creatorem valet inspicere, quasi in atria cœlestis Hierusalem introductus exultet. Hucvsque Philosophi quasi inimici in atria, intelligentiæ suæ vim potuerunt extendere: sicut dicit Apostolus *Quod enim notum est Dei manifestum est in illis. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna eius virtus & diuinitas.*

Margin notes: *Triduanæ lucis Christi splẽdor quis sit.* — *Ioann. 2.* — *Mat. 22. & alibi.* — *Ioan. 11.* — *Luc. 7.* — *Luc. 7.* — *Luc. 7.* — *Tres dies Christi in Ierusalem mysticè.* — *Psal. 70. 50. & 62.* — *Rom. 9.* — *Rom. 11.* — *Rom. 2.* — *Rom. 1.*

Qui verò in Scripturis sanctis ablato velamine reuelata facie gloriam Dei potuerit cõtemplari, de ingressu portarum Ierusalem glorietur. At si pinguedinem intimæ dilectionis, & tuæ adipem affectionis, in cordis ara cœlestis desiderij flamma succẽderit, & ascenderit fumus aromatum de fragrãtia orationis, sicque oculus mentis in ipsa cœli secreta radium porrexerit, & cordis quoque palato illius diuinæ dilectionis felix tactus sapuerit, cum holocausto gratissimo templum Ierusalem frequentasti. Sed anima sancta in his delicijs commorante dolet mater, & nutricius; conqueruntur, & quærunt; inuentum tandẽ Iesum, & leui increpatione castigatum reducunt Nazareth. Hec maximè viris spiritualibus congruunt, quibus dispensatio verbi Dei, vel animarum cura commissa est. Porrò nutricium nostrum nihil libentiùs dixerim, quàm Spiritum sanctum. Matrem vero nihil rectius quàm charitatem. Hi nos fouent, & promouent; pascunt, & nutriunt: & geminæ affectionis, Dei videlicet & proximi, lacte reficiunt. Hi nos in studijs, quasi in Nazareth, tenent & sustinent; hi nos consolantur in tristibus; hi in dubijs consulunt; hi fessos roborant; hi sanant cõtritos corde, & alligant contritiones eorum. Horum auxilio de Nazareth transimus in Ierusalem, de labore ad requiem, de fructu bonæ actionis, ad secreta contemplationis. Hi nobis æterna lege præscribunt, vt pro cura proximi, non negligamus ex toto contemplationem Dei; nec rursus pro delicijs contemplationis, curam proximi negligamus. Vnde nõ immeritò, si quieti plusquam oportet indulgeamus, quasi de nobis charitas fraterna conqueritur, nec gratã habet nostrã in Ierusalẽ commorationem, si alijs, quos nostrâ solicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra quiete perniciẽ. Plerumque enim nobis vel secretis meditationibus, vel privatis orationibus omni postposita actione intentis, si plusquam subditis expedit, immoremur: in medijs delicijs, spiritu nimirum operante & charitate suggerente, subitò venit in mentem memoria infirmorum, & illum cogitamus contristatum expectare à paternis visceribus consolationem: alterum tentatum explorare quando procedens ad publicum, aliquod pater ei afferat suo sermone solamen: illum iræ stimulis agitatum, quia non habet vbi conceptum virus cõfessione salubri evaporet, adversus patrem submurmurare: alterum acediæ spiritu victum, vt inveniat cui loquatur, quem consulat, huc illucque discurrere. Tali itaque suggestu progressi, ex fraternis cordibus quasi increpantem audimus matrem charitatem: *Fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Nec iniuria dicimus Spiritum Sanctum, vel charitatẽ in sanctis, etsi adhuc minus perfectis, aut dolere, aut conqueri; cum ipse Spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellet pro nobis: qui & loqui, contristari, & cetera talia in sanctis agere consueuit. Quod si contra huiusmodi necessitates amor quietis, in ipsius animæ affectibus murmuret, quasi dicens: *Nonne in his, quæ patris mei sunt oportet me esse?* nihilominus cõsiderans spiritus rationalis, quod ideo mortuus est Christus, vt qui viuit non sibi viuat, descendit cum illis, & subditur illis. Securè descendit, qui cum tali nutricio, & cum tali matre descendit: feliciter descendit, qui spiritu Dei actus, charitatiuè inferioribus condescendit. Descendam libens his ducibus etiam in Ægyptum: tantum si ducunt, reducãt; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Libenter subdar talibus magistris, libenter supponam humeros oneri quod imposuerint, libens excipiam iugum cui me subdiderint: sciens quia iugum eorum suaue est, & onus eorũ leue. Sed & tibi, fili mi, licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis te Christus abscondat: quod prælatis incumbit facere, ne subditi periclitẽtur, hoc ipsum expedit prouidere, ne socij scandalizentur. Illi necessitates subditorum nonnumquã præponunt delicijs contemplationis, tu eas non præponas vnitati & paci congregationis. Præcipuè hęc ipsa spiritualium vicissitudinum tempora, quando videlicet vel descendas ad Nazareth, vel ascendas in Ierusalem, numquam solus, id est, propriæ voluntatis arbitrio, sed semper seniorum distingue consilio. Ecce habes, charissime, quod petisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæ expectationi nihil dignũ, voluntatis tamen meæ, & qualiscumque conatus aliquod, ni fallor, indicium. Sciasque, quòd non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex eâ aliqua tibi meditationum semina, sicut rogasti, elicere curauimus.

Marginal notes: *Nec contemplatio, nec cura proximi abijcienda.* — Lu. c. 2 — Ibidem.





DIVI AEREDI
FRAGMENTVM.

Ex opere ejusdem de Regibus Angliæ; exscriptum ex capite tertio decimi sæculi Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ, Auctore D. Nicolao Harpsfildio Archidiadiacono Cantuariensi.

Continet hoc fragmentum orationem Eadgari, Regis, habitam ad Episcopos Cœnobiorumque Præfectos.

QVONIAM magnificauit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est, ô Patres Reverendissimi, vt innumeris illius beneficiis dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possedim⁹ terram, & brachium nostrũ non saluauit nos: sed dextera eius, & brachium sanctum eius; quoniam complacuit illi in nobis. Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub pedibus nostris, subiiciamus & nos illi animas nostras: & vt hi, quos nobis subdidit, eius subdãtur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest, laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximũ suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopẽ de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed & meæ solicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorũ, choris Virginum, & necessaria procurare, & paci eorum ac quieti consulere. De quorum omnium moribus ad vos spectat examen; si vixerint cõtinenter, si honestè se habeant ad eos qui foris sunt, si in diuinis officiis soliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrij, si habitu moderati, si in iudiciis sint discreti. Pace vestra loquor, Reuerẽdi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent. Taceo, quòd nec illis corona patens, nec tonsura conveniens: quòd in veste lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea in diuinis officiis quanta sit negligentia, cùm sacris vigiliis vix interesse dignẽtur; cùm ad Missarum solemnia, ad ludendum magis, quàm ad psallẽdũ, congregari videantur. Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident: dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis: vt iã domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spatiũ protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic sic patrimonia Regum, eleemosynæ pauperũ, & quod magis est, illius sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserũt patres nostri thesauros suos: ad hoc fiscus regius detractis redditib⁹ multis decrumuit? Ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia cõtulit, vt deliciis Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes & aues, ac talia ludicra cõparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant; & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? Vbi gladius Leui; & zelus Simeonis: qui vt scorto abuterẽs filia Iacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiã circumcisos succiderunt? Vbi spiritus Moysi, qui caput vituli adorantibus, etiã domesticis sui sanguinis non pepercit? Vbi pugio Phinees Sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens, sancta hac æmulatione Deum placauit iratum?

Vbi spiritus Petri, cuius virtute perimitur auaritia, hæresis Simoniaca condemnatur? Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Dñi, & iustitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos, qui dissipauerũt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus. Iungamus dextras, gladiũ gladio copulemus: vt eiiciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Dñi, & ministrent in templo filij Leui, qui dixit patri & matri, Nescio vos: & fratrib⁹ suis, Ignoro vos. Agite quæso, solicitè, ne pœniteat nos fecisse, quod fecimus; dedisse, quod dedimus; si viderimus illud non in Dei obsequio, sed in pessimorum luxuria impunitâ libertate consumi. Moueãt vos Sanctorum reliquiæ, quibus insultãt; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moueãt vos antecessorum nostrorũ mira deuotio: quorum eleemosynis vesania Clericorum abutitur. Proavus meus, vt scitis, totam terram suam Ecclesiis & Monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus, vt Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, nõ patrimonio, non redditibus parcendum putauit. Avus meus senior Edouardus quanta contulerit Ecclesiis, vestram Paternitatem non latet. Pater meus & fratres quibus donariis Christi altaria cumulauerint, meminisse vos decet. O Pater Patrum Dunstane, contẽplare, quæso, patris mei oculos, ab illa lucida cæli plaga in te radiantes: audi querulas eius voces cum quadam pietate in tuis auribus personantes. Tu mihi Pater Dunstane, tu mihi de construendis Monasteriis, de Ecclesiis ędificandis cõsilium salubre dedisti. Tu mihi adiutor in omnibus extitisti. Te, quasi Pastorem & Episcopum, animæ motuũque meorum custodem elegi. Quando tibi nõ parui? Quos vmquam thesauros consiliis tuis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non spreui? Siquid pauperibus dandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendũ Ecclesiis iudicabas, non distuli. Siquid Monachis, Clericisve deesse querebaris, suppleui. Æternam esse dicebas eleemosynam, nec aliam fructuosiorem, quàm quod Monasteriis Ecclesiisve confertur, quo serui Dei sustentantur: & quod superest, pauperibus erogatur. O præclaram eleemosynam, & dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remediũ! quod à sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet: quod eius auriculas ornat, quod cõponit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Hiccine est Pater, eleemosynarum mearum fructus, hiccine desiderij mei, tuæque ꝓmissionis effectus? Quid huic patris mei querimoniæ respondebis? Scio, scio, cùm videbas furem, nõ currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, increpasti. Contempta sunt verba, veniendũ est ad verbera: & nõ deerit tibi potestas regia. Habes hic tecum venerabilem Patrem Ethelwaldum Wintoniensem Episcopum: habes reuerendissimũ Præsulem Wigorniensem Oswaldum: vobis istud committo negotium: vt & Episcopali censura, & Regia authoritate turpiter viuentes de Ecclesiis eiiciantur: & ordinatè viuentes introducantur.

FINIS.